BIBLIOTECA
CENTRAL
DE LA RIOJA
EX-LIBRIS



# EPITOME OPINIONVM MORALIVM,

Tum earum, quæ certæ ſunt; tum quæ certo probabiles, & in praxi tutò teneri poſſunt.

*Cum Diſcurſu circa opiniones probabiles, & Appendice Caſuum valde Notabilium.*

Authore R. P. ANDREA MENDO, Locrunienſi, è Societate IESU in Prouincia Caſtellana: Regum Catholicorum PHILIPPI IV. & CAROLI II. Concionatore; Supremi Hiſpaniarum Senatus Fidei Cenſore; olim Salmanticæ Theologiæ Profeſſore, ac Sacræ Scripturæ Interprete, & inibi Examinatore Synodali.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.




*LVGDVNI*,
Sumpt. LAVR. ARNAVD, PETRI BORDE, & Soc.

*M. DC. LXXIV.*
Cum Approbatione, & Priuilegio.

# EPITOME OPINIONUM MORALIUM,

Tum earum, quæ certæ sunt; tum præsertim probabiles, & in praxi tuto teneri possunt.

Auctore R. P. Andrea Mendo, Societatis Jesu in Provincia Castellana Regni Catholicorum Philippi IV. & Caroli II. Confessionario; Supremi Hispaniarum Senatus Fidei Censore, olim Salmanticæ Theologiæ Professore, ac Sacræ Scripturæ Interprete, & inibi Examinatore Synodali.

NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT.





LUGDUNI,

Sumpt. Laurentii Arnaud, Petri Borde, & Soc.

---

Cum Approbatione, & Privilegio.



ILLVSTRIS. ET REVERENDIS.

# DOMINO DON IOAN. CARAMVEL

## Episcopo Bigebensi.

*EX Lumina*, ILLVSTRISSIME ANTISTES, *etiam è remotissimis fontibus erumpentia, per scopulos, per ambages, per inuia pelagus auidissimè quærunt. Quidni riuulus hic moralis Theologiæ Te scientiarum pelagus adhuc è longin-*

*quo quærere ſtudioſiſſimè ambiat? Ad ſecundas Inſulas poſt alios Dignitatum gradus Te promotum in Mediolanenſi Statu inuenit, & immenſam tuæ mentis ſtupet capacitatem, dum Præſulem exerces, quaſi nihil aliud ageres; & nouis Voluminibus ſupra miraculum in lucem edendis calamum admoues, quaſi dumtaxat ſacris Muſis impenderes vitam. O rarum, & non vnius, ſed plurium ſæculorum virum! Quem Catholicorum Regum vota ſuper candelabrum, vt omnibus luceat, collocarunt. Nullum tamen Munus potuit, aut vnquam poterit tuæ par eſſe virtuti. Exhauſiſti propè omnes ſcientias; ſemper didiciſti, quod doceres; ſemper docuiſti, quod didiceras. Ex alieno cœlo Pontificum votis avocatus, vt Italiam illuſtrares, Romæ ipſi, quæ cæteris fortunam facit, feciſti fortunam; vt maxima Vrbium de tui nominis amplitudine creſceret: & quæ nihil extra ſe ſuſpicere conſueuit, ad ingenij, & ſapientiæ tuæ miraculum erigeret aliquando ſupercilium. Tibi igitur de ſcientiis omnibus optimè merito, quidquid in earum fundo enaſcitur, ſtrictiſſimo iure debetur: quod debitum dum ſoluo, gratu-*

*lor*

*lor mihi, quòd Patronum demerear quem verebar Iudicem. Scio, ætatem Scriptorum hanc esse, & præcipuè labyrinthæis conscientiæ angustiis non desiderari Ariadnem; verùm & ego audeo meum calculum adiungere, quia vel fallor; vel si non ingenio, at vtilitati seruio. Sententiæ huius libelli non paucæ authoritatis tuæ clypeo sese tuentur. Qui mihi tam magnus es Author in pluribus, transeas in Mœcenatem in omnibus; quippe cunctis placebit hoc Opusculum, modò Tibi placeat, cui nihil non optimum placere potest. Vale, & viue Ecclesiæ, Scientiis, Italiæ, Orbi.*

Vestræ Illustriss. Dominationis
addictissimus seruus

ANDREAS MENDO.

# Monitiuncula.

CVM in hoc Opuſculo duo genera propoſitionum præfigam, tum earum, quæ ſunt certæ; tum earum, quæ certò probabiles ſunt, ad primas ſtabiliendas Authores in margine communiter non appono, ſic verò ad ſecundas; & præterea pro confirmandis primis ſæpè rationem, vtpotè ſuperuacaneam, non attingo; pro ſecundis autem breuem, iuxta Epitomes inſtitutum, libo rationem. Opera autem mea in lucem edita, quæ frequenter in margine referuntur, quatuor Tomis integris continentur: nempè *Statera Opinionum benignarum. De Bulla Cruciatæ. De Ordinibus Militaribus. De Iure Academico.* Cætera enim, quæ pluribus Voluminibus excuſa, Me Authore, circumferuntur, ad Politicam moralem Chriſtianam, & ad ſacras Conciones ſpectant. Itaque illi quatuor Tomi quoad caſus morales in compendium rediguntur. Reliqua autem, quæ in eis non ſunt diſcuſſa, ſummo,

&

& accurato labore, atque Authorum inueſtigatione, pro mei imbecillitate ingenij, præſtrinxi. Id præ oculis habeo, vt tutas conſcientias reddam, indeque nec rigidus, nec laxus ero cenſendus. In hunc quippe ſcopum collimo, ne per opinandi laxitatem parùm timorati anſæ ſpeciem arripiant ad operandum quidquid velint; nec per auſteram ſeueritatem opinionum, conſcientiæ vltra iuſtum adſtringantur. Vterque namque ſcopulus eſt vitandus. Vtinam in profectum animarum, & Lectorum vtilitatem inſudauerim. Id aduerto, fieri non poſſe, omnes caſus, qui quotidie ſeſe offerunt, ob diuerſas circunſtantias diuerſi ab aliis, in vnum colligere, cum denuò pullulent plurimi. At conatus ſum vel doctrinam in communi, vel caſus in ſpeciali proponere, ac ſtabilire, ex quibus videtur poſſe cæteros omnes per illationem, aut ex vi conſequentiæ, ſimilitudinis, vel paritatis decerni. Caſus aliquos notabiles, & rarò contingentes ad calcem appono, quorum notitia non erit inutilis. Verborum indicem præmitto; Quòd ſi in aliquo verbo nonnullus caſus deſidererur, in alio, cum quo ſit connexus, eſt inquirendus.

## *Facultas Reuerendiſſimi Patris Generalis Societatis IESV.*

CVM Opus, cui Titulus *Epitome Opinionum*, à P. ANDREA MENDO noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptum aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, poteſtatem facimus, vt Typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet, ita videbitur. Dat. Romæ 31. Aug. 1673.

IOANNES PAVLVS OLIVA.

---

## *Approbatio Doctorum Sacræ Facultatis Pariſienſis.*

EPitome Opinionum Moralium, Authore Reu. Patre ANDREA MENDO è Societ. IESV, luce dignum iudicauimus poſt accuratum examen, nos infraſcripti Doctores Theologi Facultatis Pariſienſis, vtpote nihil continens, quod probos mores non ſapiat, Fidemque non redoleat Orthodoxam. In quorum fidem, &c. Dat. Lugd. die Septemb. nona 1673.

Fr. PAVLVS LOMBARD.
Fr. E. VIAL.

---

*Facultas R.P. Prouincialis Soc. IESV in Prouincia Lugdunenſi.*

STephanus de Champs Prouincialis Societ. IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decemb. 1606. Ludouico XIII. 14. Februarij 1611. & Ludouico XIV. nunc regnante 20. Decemb. 1650. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne Libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant, permittit LAVRENTIO ARNAVD, & PETRO BORDE huius Ciuitatis Bibliopolis, vt Librum, cui inſcriptio eſt, *Epitome Opinionum Moralium, Authore P. Andreæ Mendo Societat. IESV*, ad nouem proximos annos imprimere ac liberè diuendere poſſint. Dat. Lugduni 16. Octob. anno 1673.

STEPHANVS DE CHAMPS.

# *SYLLABVS VERBORVM, quæ in hac Epitome elucidantur.*


A

Abbas. pag. 1
Abbatiſſa. 4
Abortus. 5
Abſoluere. 6
Abſolutio. 8
Academia, & Academici. 12
Accuſator, Denuntiator, Fiſcalis. 20
Adulterium. 24
Aduocatus. 25
Alienatio. 26
Altare. 28
Amphibologia. Vide Iuramentum. 29
Apoſtata. Vide Religio. ibid.
Appellatio. Vide Iudex. ibid.
Approbatio. 29
Aqua benedicta. 32
Archiepiſcopus. 33
Artes liberales, & aliæ artes, ac officia. 34
Articulus mortis. 39
Aſtrologia iudiciaria. 41
Auaritia. 43
Audacia. 44
Augurium, Aruſpiciũ, Auſpicium. ibid.

B

Baptiſmus. 45
Bellum. 50
Beneficium Eccleſiaſticum. 52
Bigamia. 60
Blaſphemia. 61
Bona Eccleſiaſtica. ibid.
Bulla communis Cruciatæ. ibid.
Bulla compoſitionis, & bona incerta. 84
Bulla defunctorum. 94
Bulla lacticiniorum pro Eccleſiaſticis. 96
Bulla in Cœna Domini. 98

C

Cæcus, ſurdus, mutus. 103
Calix. 104
Calumnia. ibid.
Cambium. ibid.
Cannonicus. 107
Capellania, & Capellani caſtrenſes. 110
Capitulum Sede vacante. 112
Captiuus. 114
Cardinalis S.R.E. ib.
Carnium eſus. 116
Caſtitatis votum. 119
Cenſura. 121
Cenſuræ propoſitionum. 124
Cenſus. 125
Ceſſatio à diuinis. 128
Ceſſio bonorum. 130
Character. 132
Charitas. 133
Chymica ars. 134
Chorus. 135
Cimiterium. ibid.
Circunſtantiæ. 136
Clericus. 143
Comœdiæ. Vide Artes.
Commiſſarius generalis Cruciatæ. 146
Commodatum. 149
Communitas, & Collegium. 150
Compenſatio. 152
Compromiſſum. 155
Concilium. ibid.
Confeſſio. Confeſſarius. 157
Confirmationis Sacramentum. 170
Conſcientia. 172
Conſeruator iudex. 183

Conſuetudo. 184
Contractus. 188
Contritio. Vide Charitas, Confeſſio. 195
Contumelia. ibid.
Corporalia. 196
Correctio fraterna. 197
Creditor. 199
Crimen læſæ Maieſtatis. 200
Cultus Dei, & Sanctorum. 201

D

DEbitum coniugale. 202
Decimæ, & primitiæ. 207
Declarationes Cardinalium. 209
Degradatio. 210
Denuntiatio. 211
Denuntiationes matrimonij. 214
Depoſitum. 216
Diſpenſatio. 218
Domicilium. 224
Donatio. 227
Dubium. 229
Duellum. 231

E

EBrietas. Ebrius. 234
Eccleſia, & eius immunitas. 236
Electio. 242
Eleemoſyna. 246
Emptio, & venditio. 249
Epiſcopus. 255
Equeſtres, ſeu Militares Ordines. 266
Euchariſtia. 277
Eunuchus. 283.
Excommunicatio. ib.
Exequiæ defunctorum. 295
Extrema-Vnctio. 296

F

FAlſarius, & falſi crimen. 300
Feſti dies. 303
Feudum. 307
Fideiuſſor. 309
Fides, & fidei myſteria. 311
Filius, & filiusfamilias. 313
Fœmina. 317
Forus. 319
Furtum, & rapina. ibid.

G

GAbellæ, ſeu tributa. 325
Gradus in ſcientiis. 330
Gratia, ſeu indultum. 333

H

HÆreſis. Hæreticus. 334
Hiſtrio. Vide Artes.
Homicidium. 338
Honor, & Fama. 340
Horæ Canonicæ. 347

I

IEiunium Eccleſiaſticum. 356
Ieiunium naturale. 362
Ignorantia. 363
Illegitimus. 367
Indulgentia. 368
Infirmus. Vide Medicina. 381
Inimicus. Iniuria. ib.
Intentio. 383
Interdictum. 387
Irregularitas. 394
Iubilæum. 403
Iudex. 406
Iudicium temerarium. 413
Iuramentum. 414
Iuſpatronatus. 419

L

LActicinia, & oua. 421
Legatum. 423
Lex, ſtatutum, & ſtylus Curiæ. 428
Liber prohibitus, & alij libri. 442
Lis. 446
Literæ, ſeu epiſtolæ. 447
Literæ dimiſſoriæ. ibid.
Locatio, & conductio. 449

Ludus.

Ludus. 451
Luxuria. 456

M

Martyrium. 463
Matrimonium. 465
Medicina, Medicus, Chirurgus. 479
Metus. 483
Miles. 486
Missa. 488
Monasterium. 499
Monialis. 501
Monopolium. 513
Mora. 514
Mutuum. 515

N

Negotiatio. 517
Nouitius. 519

O

Obedientia. Vide Regulares. 522
Occasio. ibid.
Opinio. Vide Discursum initio præfixum. 524
Oratorium. ibid.
Ordo. 528
Oua. Vide Lacticinia. 532

P

Papa. 533
Paraphernalia bona. 535
Parentes. 536
Parochus. 537
Participatio bonorum operum. 542
Patronatus, Patronus. Vide Iuspatronatus.
Paupertatis votũ. 544
Peccatum. 549
Pœnitentiæ Sacramentum. 551
Pollutio. 558
Possessor. 560
Præceptum. 561
Prælatus regularis. 562
Præscriptio. 566
Priuilegium, & priuilegium fori, & Canonis. 566
Professio. 572
Purgatorium. 574

Q

Quadragesima. Vide Lacticinia. 579

R

Raptus, & stuprum ibid.
Recusatio. 580
Regulares, Religio. 581
Reseruati casus. 595
Residentia. Vide Horæ Canonicæ, & Parochus. 614
Restitutio. ibid.
Reus. 637

S

Sacerdos. Vide Missa. 646
Sacramentum in genere. 642
Sacrilegium. 644
Satisfactio sacramentalis. 646
Scandalum. 648
Secretum. 650
Sepultura. 653
Sigillum. 659
Simonia, 663
Societas Iesu. 670
Spectacula. 674
Sponsalia. 675
Statutum. Vide Lex. 681
Suspensio. ibid.

T

Tabellio, Notarius, Secretarius. 685
Testamentum. 687
Testis. 684
Thesaurus. 688

V

Votum. 690
Vsura. 711
Vxor, & maritus. 720

APPENDIX.

# APPENDIX

## *Caſuum valde notabilium.*


DE Baptiſmo. pagina. 725
De Matrimonio. 728
De veneno. 730
De adulterio. 731
De Confeſſione. 732
De acquiſitione, & retentione hæreditatis. 733
De Iudice. 735
De dæmone incubo. 737
De impedimento matrimonij. 739
De mortuo miraculosè reſuſcitato. 740
De ieiunio. 743
De medicamine afferente alteri mortem. 745
De Baptiſmo iterum. 747
De Sacrificio Miſſæ. 751
De Euchariſtia. 754
De immunitate Eccleſiæ: vbi aliqua de requiſitis ad celebrandum. 756
De ſepultura Eccleſiaſtica, Baptiſmo, & abſolutione moribundi. 759
De Ordine Sacro. 761


DISCVRSVS.

# DISCVRSVS

## *OMNINO PRÆLEGENDVS circa opiniones probabiles, quæ tutò possunt in praxi teneri; & circa eas, quæ in hac Epitome traduntur. Vbi variæ etiam resolutiones præstrictè enodantur.*

EXTAT hisce temporibus grauis denuò reuiuiscens contentio circa opiniones probabiles. Aliqui enim præstantes ingenio, & doctrinâ Authores (sed pauci) pro viribus decertant, non posse ad praxim reduci nisi sententiam, aut certam, aut probabiliorem, simulque tutiorem, non verò minùs probabilem; nec inter æquè probabiles minùs tutam, sed eam, quæ longiùs sit à periculo peccandi. Et quidem mecum de his colloquens vnus ex illis grauissimus suam mentem exponebat ita, vt sententia tutò sequenda debeat esse probabilior quoad me, non in se. Quod si attentè examinetur, sanè

coincidit

coincidit cum sententia communi de opinione probabili sequenda. Sed quia in hoc Opere non versò quæstiones, sed alibi à me discussas præstringo, vel attentè, & vndique perpensas vt tutas propono, non possum in hac contentione examinanda immorari. Verùm quia scopus huius Compendij est, in medium proferre tria opinionum genera; nempe eas, quæ nequeunt ad praxim adduci, vel quia iam sunt à Summis Pontificibus damnatæ, vel à communi praxi, ac Authorum consensu reiectæ; & prætereà certas, quibus nequit contraïri; & demùm probabiles, quæ tutò, & absque peccandi periculo possunt teneri: operæ pretium est ob oculos clarè obiicere, quænam debeat esse ea probabilitas, & vnde sumatur; vt dignoscatur indè, quàm rectè & prudenter vnusquisquisquè eas opiniones possit sectari ac exercere; & prætereà cum in decursu frequenter affirmem, aliquam opinionem esse certò probabilem, intelligatur, quid his verbis significetur; nam opiniones dumtaxat certò probabiles posse in praxi teneri, firmum est meum iudicium. Quæ autem hæ sint, ex nunc dicendis fiet liquidum.

1 Igitur opinio alia est certò probabilis, alia est probabiliter probabilis. Prima est ea, quam esse probabilem, est certum. Secunda ea, quam esse probabilem: solùm est probabile. Certitudo in prima, quòd sit probabilis, desumitur tum ex fundamentis, quibus innititur:

titur ; tum ex Doctoribus , qui eam tuentur, & ſimul ex cæteris, ( ſaltem pro maiori numero ) qui cùm contrariam defendant , eam tamen affirmant eſſe probabilem ; quo ſuffragio etiam adſcribunt probabilitatem fundamentis , quibus ſtabilitur. In quo ſupponimus , eam opinionem ab Eccleſia non reprobari , nec à praxi præſentium temporum; & inſimul à pluribus Doctoribus teneri , ac à cæteris vtplurimùm cenſeri probabilem. Etenim conſtat ( & huius Opuſculi decurſu fiet planum) aliquas opiniones olim probabiles iam eſſe vel prohibitas , vel improbabiles ; alias autem decurſu temporis attentiùs examinatas deſumpſiſſe maiorem probabilitatem. Iam verò in hac Epitome præter certas præfiguntur opiniones certò probabiles; has enim qui ſequitur , tutò in praxi operatur : nam ſi certum eſt , opinionem eſſe probabilem , curſum eſt inniti tali fundamento , quod ſufficiens ſit ad aſſenſum præbendum. Quòd ſi prudenter quis poteſt adhærere , & aſſentiri alicui opinioni , ac vt veram amplecti, ea certò poteſt prudenter vti ; nam quidquid prudenter exiſtimat licitum eſſe , poteſt licitè facere ; vnde ſi certus ſit , ſe prudenter agere, cum eam opinionem veram reputat , & licitum illud eſſe , cum intellectus voluntati præluceat , ſanè certus eſt , ſe prudenter agere , cum eam ad praxim reducit.

2 Opinio autem ſolùm probabiliter probabilis eſt , quæ ab aliquibus Doctoribus, non

non sanè pluribus, defenditur, & à cæteris saltem vt in plurimum, non censetur probabilis. Hæc tutò in praxi nequit teneri, nam nequit quis prudenter adhærere ei, efformando ea iudicia, quæ præmisimus de opinione certò probabili; dum autem quis non est certus eam opinionem esse probabilem, non potest certum dictamen concipere ad operandum, sed dubium, quod non sufficit, vt opus licitè exerceatur: (1) nam cum dubio rationabili non valet quis licitè operati; & dum prudenter non iudicat, certum esse, opinionem esse probabilem, temerè ei assentitur; & quidem conscientia certa esse debet (2) vt sequatur licita operatio; seu certus quis esse, vsum eius opinionis esse licitum. Hinc cum asseritur, posse quem operari licitè iuxta opinionem probabilem, intelligi debet, si certus reddatur, opinionem esse probabilem; quæ certitudo habetur ex cognitione, qua noscit, certam esse eius probabilitatem; nam si careat hac cognitione, non redditur certus de probabilitate, indéque conscientiam certam efformare nequit, sed dubiam, operabiturque cum dubio prudenti; etenim tunc in re timet, malum esse quod operatur, & exponit se periculo peccandi, atque adeò peccat: nec agit prudenter, dum sibi non constat, probabilem esse opinionem, quia nec assensus est prudens, nec electio, cum conscientia prudenter dubia, & formidante. Unde qui operatur licitè, operatur non ex vi probabilitatis,

1. D. Thomas. Nauarrus. Card. Lugo. Suarez. Arriaga. Caietanus. Lao. Cardenas. Ferrerius. Mastrius. Ouiedo. Bardi, & plures.

2. Baldellus. Bressertus. Merula. Mercorus. Lao. Lugo. D. Thomas *quodlib.* 8. *art.* 13. & alij.

probabilitatis, ſed ex vi certitudinis, nempe iudicij certi probabilitatis.

3 Quòd ſi vtraque ſententia ſit certò probabilis, licitum eſt ſequi minùs probabilem; nam æquè vtraque eſt tuta. Non enim idem eſt, eſſe probabilius, & eſſe tutius. Sic opinio defendens teneri quem confiteri illicò, ac peccat grauiter, eſt tutior, & non probabilior; & huiuſmodi alia. Cum autem certò probabilis eſt ſententia, eſtò minùs probabilis, efformatur iudicium, & conſcientia certa, ac prudens; & indè electio, & praxis illius prudens eſt, atque adeò licita. (3) Ex his cernitur, quid ſignificet, aliquas opiniones eſſe probabiles ſpeculatiuè, nõ verò practicè; ſcilicet eſſe probabiliter probabiles, adeóque non licere eas ad praxim reduci; nam ſi ſpeculatiuè, hoc eſt in earum cognitione, ſunt certò probabiles, licitæ ſunt in praxi; ſiquidem efformatur conſcientia certa, & prudens iudicium; electioque, & vſus pariter ſunt prudentes. Vel eſſe probabilem ſpeculatiuè, non practicè, eſt aliquam circunſtantiam praxis non conſiderari. Sic ſecundùm ſe poteſt eſſe probabile, te poſſe comedere carnes ob neceſſitatem probabilem: & hic, & nunc ob ſcandalum non erit probabile practicè. 3. Communior.

4 Et ſanè ad operandum licitè ſufficit opinio certò .obilis, nec requiritur veritas certa, aliter .mines nec viuere, nec agere poſſent; ceſ. .ent ſcholæ, fora, & Senatus,

necnon & Authores inuestigantes modum tutum operandi; si enim seponantur veritates Fidei, & aliquæ demonstrationes geometricæ, & aliqua certa, nihil ferè restat, (4) quod limites probabilitatis transcendat; pauca quippe sunt, quæ homines indubitatâ notione comprehendant. At non sufficit opinio certò, seu verè probabilis ad rectè operandum, si quis eam iudicet improbabilem; nam dum hoc iudicium non deponitur, nequit efformari iudicium certum de honestate actionis, nec haberi conscientia certa, & non formidolosa prudenter.

4. Plurimi *vbi sup.* relati.

5 Vt autem probabilitas discernatur, sciendum est, opinionem probabilem eam esse, quæ ex rationabili motiuo procedit citra certitudinem; ita vt intellectus non rapiatur ad assentiendum, prudenter verò ad assensum moueatur. Rationabile autem motiuum est, quod vel ducitur à ratione probabili mouente intellectum ad assensum prudentem; vel ab ea authoritate, omni exceptione maiori, cui refragari quisquam iure non possit. Doctores enim grauissimi opinionem tenentes ratione moti sunt saltem probabili: vnde nulla sine ratione grauis authoritas. Et prudenter fieri censetur, quòd multi viri docti, & prudentes fecerunt, aut censuerunt fieri posse. Hinc cum vnus Author opinionem enuntiat, & cæteri omnes refragantur, cernitur eam non fulciri ratione probabili, quæ ad prudentem assensum moueat. Hinc

plus

plus deferendum est Authoribus non leuis armaturæ, qui materias ex professo discussas luci publicæ dederunt ab omnibus examinandas, dum non reprobantur, quàm aliis qui absque his circunstantiis eas decernunt. Quare si res noua, & nunquam discussa ab aliquo Authore proferatur rationabile fundamentum adducente, nec improbata ab Ecclesia sit, nec à legentibus ipsam, poterit assensum prudentem mouere. Si verò sententiam absque ratione proferat, nequit assensus prudens præstari. Quòd si de aliqua opinione plures docti censeant, esse probabilem, & totidem æquè docti censeant esse improbabilem, tam probabile est, esse probabilem, ac improbabilem, vnde certò probabilis non est; nam vt certò probabilis sit, necessum est, quòd ab vno, vel pluribus viris doctis sit proposita, & omnium ferè calculo iudicata probabilis, quamvis ipsi secus absolutè censeant. Et enim hi iudicant falsam, cui non opponitur probabilitas; nam probabilis propositio opponitur improbabili; improbabilem autem eam non iudicant. Et ea est conditio probabilitatis, vt quod est probabile, possit esse reipsa falsum; & aliquid quod est improbabile, possit esse re ipsa verum: aliter opiniones essent certæ, non probabiles. Itaque ad operandum benè non requiritur, opinionem esse certam, sed certum esse, illam esse probabilem; sic enim est tuta, vtpotè ex qua conscientia certa, & prudens modus operandi elicitur.

6 Et profectò opinio certò probabilis, semper talis manet, dum habeat requisita præfixa, nisi denuò reprobetur aliquo Decreto à Sede Apostolica emanante, aut aliqua Declaratione Congregationum Eminent. Cardinalium; vel nisi denuò excogitentur fundamenta contraria adeò robusta, quibus solutio non præstetur. Etenim ad certò probabilem opinionem etiam solutio argumentorum aduersantium requiritur. Sed ne illiteratis scrupulorum laqueos iniiciamus, illis sufficerit, virum doctum, prudentem, pium, & expertum consulere, quin hæc, quæ non callent, inuestigent, vt tutò operentur; non tamen sufficiet consulere nudum, vt vocant, moralem Casuistam, qui leui scientia ornatus quasi ex tripode casus resoluat.

7 Intelligi autem certitudo de probabilitate debet moralis, cum hæc sufficienter formidinem excludat, & ad firmum assensum moueat, non ob pertinaciam voluntatis (vt in hæreticis accidit circa suos errores) sed ob fundamentum obiectiuum. Et dum opinio hanc certitudinem de probabilitate habet, est tuta; ea enim tuta est, quæ peccatum excludit: & in hoc, quod est peccatum excludere, nulla opinio est tutior quàm alia; licet tutior in alio sensu esse queat, nempe quòd à remoto peccandi periculo magis arcet, vel ad salutem tutiùs conducit, vel est actio perfectior. Itaque non est idem, opinionem esse probabiliorem, & esse tutiorem; nam possunt

ſunt dari duæ opiniones certò probabiles, & æquè tutæ, ac vna eſſe probabilior aliâ. Quin aliquando in prædicto ſenſu tutioris opinionis, poteſt tutior eſſe opinio improbabilis. Sic poſt Tridentinum improbabilis eſt opinio aſſerens, neceſsariâ eſse cum Confeſſione contritionẽ, & non ſufficere attritionẽ; & tutior eſt, quatenus perfectior actio eſt contritio. Sic etiam improbabilis eſt opinio aſserens, poſt commiſsum peccatum mortale teneri quem ſtatim confiteri; & tamen id eſt tutius quatenus tutiùs ad ſalutem conducit. Opiniones autem huiuſmodi improbabiles ſequi ſanctum, ac tutiſſimum eſt; & idem dic de ſimilibus. Hinc cum dicitur, *In dubiis tutior pars eſt eligenda*, poteſt intelligi ex conſilio, aut ex præcepto. Si enim vna pars ſit dubia, alia certa, hæc ex præcepto eſt ſequenda; nam cum dubia conſcientia nullus operari poteſt. At ſi vtraque pars eſt tuta, ſed alia tutior modis ſuprà præfixis, ſolùm eſt conſilium hanc ſequi.

8 Ratio autem à priori, cur à probabili opinione ſolùm probabiliter non poſſit elici prudens, & licita operatio, eſt quia voluntas fertur in bonum vt cognitum, & bonum debet eſse ex integra cauſa; cum autem probabilis ſolùm cognitio boni ſit coniuncta cum probabili cognitione mali, voluntas nequit ferri in id obiectum vt bonum, quia malum ex quocumque defectu; vnde formidat voluntas, & cum formidine, ne ſit ma-

lum obiectum, operando peccatur. Hinc si ab intellectu per ignorantiam inuincibilem obiectum malum proponatur vt bonum, quin vlla mali species repræsentetur, voluntas sine peccato fertur in illud; & è contra si obiectum bonum repræsentetur sub aliqua specie mali, ita vt dubium sit de bonitate, peccat voluntas, dum amplectitur illud.

9 Non contingit idem in opinione certò probabili, quia licet remotè fundetur in probabilitate conscientia, proximè tamen fundatur in certitudine. Nam dum certum est, v.g. opinionem de circunstantiis aggrauantibus non necessariò confitendis, esse probabilem, certum est, prudenter ei assentiri; indè sequitur, prudenter eam opinionem hic & nunc eligi; & deinde prudentem esse illius vsum; & rursùs actionem, qua quis non confitetur eas circunstantias, prudentem esse. Vnde hæc actio fundata remotè in certitudine illius probabilitatis, proximè fundatur in vltimo iudicio practico constituente conscientiam; quare non agit quis probabiliter, sed certò, cum certus sit, illam actionem esse prudentem. Et licèt simul cognosceret, opinionem contrariam esse certò probabilem, non admitteret duo contradictoria; nam solùm inferret, confitentem circunstantias aggrauantes rectè agere, & se non confitentem rectè etiam agere, seu in ea actione non peccare. Nec opus est ad agendum licitè, vt formido remota opinionis contrariæ non

detur

detur; ſat enim eſt, dari in conſcientia certitudinem, quæ formidinem, ſeu dubitationem proximam excludat; (5) ſic enim non ſe exponit periculo proximo peccandi: aliter ferè nunquam actiones eſſent licitæ, quæ ab opinionibus regulantur; cum ea formido remota detur hoc ipſo, quòd ſint duæ opiniones. 5. D. Thomas *quodlib. 8. art. 13.*

10 Iam verò ex opinionibus certò probabilibus minùs probabilem licitè ad praxim reduci poſſe, cum excludat peccatum, & eam ſequēs non faciat contra ſyndereſim, ſeu contra habitum principiorum vniuerſalium practicorum, iam manet aſſertum. Et quidem is iuxta probabiliorem ſententiam in actu ſignato operabitur. Nam probabilior opinio docet, poſſe quem licitè ſequi opinionem certò probabilem, eſtò ſit minùs probabilis, quàm oppoſita. Ac profectò ſi ex opinionibus certò probabilibus probabiliorem ſententiam ſequi quis teneretur, mille indè ſcrupuli, & difficultates ſuborirentur, cum non facilè dignoſcatur, quæ ſit probabilior, his hanc, illis illam probabiliorem aſſerentibus: & præterea quæ nunc cenſeretur probabilior, poſteà poſſet iudicari minùs probabilis; indéque Iudex, Aduocatus, & alij paſſim mutarent ſententiam.

11 Quod adhuc cernitur, quia opinio certò probabilis non amittit ſuam probabilitatem per aliam probabiliorem, ſed per aliam certam; cum probabilitas ſoli certitudini,

aut falsitati opponatur; nec tollitur, dari prudentem assensum illi, aliàs non esset certò probabilis, vt supponitur. Et quidem probabilis, & probabilior sunt in genere probabilium; & homo non tenetur ad melius sub eodem genere; nec conscientia dictat, sequendam esse probabiliorem, cum certa sit ipsa conscientia, posse sequi aliam. Omnes cæterùm qui velint opinionem certò probabiliorem esse sequendam (quibus non fero suffragium) à fortiori asserent, opinionem probabiliter probabilem non posse teneri, cum id adstruant de opinione certò probabili respectu probabilioris.

12 Opinio autem certò probabilis prudentem mouet assensum, aliàs non nisi certæ forent sequendæ; (quæ extra res fidei, & eas, in quibus omnes Doctores conueniunt, paucæ, aut nullæ sunt) indéque non posset quis elicere assensus liberos, nam ab obiecto certo rapitur intellectus ad assentiendum. Et quidem fit prudens iudicium, & conscientia certa, nam præmissæ sunt certæ; scilicet certum est, hanc opinionem esse certò probabilem: sed certum est, posse vnumquemque operari licitè iuxta opinionem certò probabilem; sequitur indè vltimum iudicium, seu synderesis: ergo certum est, me licitè operari iuxta eam opinionem. Nec opus est, esse probabiliorem, nec probabilior est tutior, nec certa, iuxta dicta, cum possit etiam esse re ipsa falsa. Prudentia quippe dictat,

hanc

hanc opinionem certò probabilem posse teneri, quare prudenter imperatur à voluntate assensus ad illam; & cum sunt duæ opiniones æquè certò probabiles, aut probabilior vna, & alia certò probabilis, cum non detur obiectum euidens rapiens intellectum ad assensum, potest voluntas pro sua libertate determinare illum ad assensum vnius præ alia; tunc enim est magis indifferens, & magis libera ad eligendum. Nec quis iudicat de duplici opinione æquè probabili, esse vtramque veram; id enim repugnat; sed iudicat, certum esse, se licitè agere, dum sequitur hanc aut illam: (6) nam esse vtramque probabilem, non est, esse vtramque veram, nec vtramque falsam, sed pariter quamlibet posse esse veram, aut falsam. Falsitas autem reipsa si detur, nec agnoscatur, non est quid malum in ordine ad mores. Et sicut quis in genere boni non obligatur ad melius, sic in genere certò probabilis non obligatur ad probabilius. Hinc regula operandi non est probabilitas, sed recta ratio, seu illud iudicium practicum. Tunc autem est verum, opinionem tutiorem esse sequendam, cum opposita non est tuta, seu est contra legem, aut contra communem Ecclesiæ vsum, vel in damnum iniustum proximi; & tunc illa non dicitur tutior respectu tutæ, cum tuta non sit opposita; sed id comparatiuum, in sensu quo illud desumpsere aliqui, æquiualet positiuo: id est, sequendam esse opinionem tutam.

6. Bañez. Sotus. Medina. Aluarez. Victoria. Candidus. Ledesma. Lopez. Serra. Martinez. Viguerius. Fumus. Zumel, & innumeri.

13 Qui ſequitur opinionem certò probabilem in excipiendo Confeſſiones, & in electione Confeſſarij approbati, validè, & licitè operatur; quia etſi reipſa falſa eſſet opinio, Eccleſia ſupplet iuriſdictionem, indéque nullum datur periculum detrimenti animæ. (7)

7. Bonacina. Salas. Vaſquez. Leand. de Sacram. & alij apud Me *de Bulla Cruc. d.22.num.109.*

14 Non debet cenſeri probabilis opinio ab aliquo Authore iuniore, & moderno in lucem publicam excuſa, quamvis non conſtet, reiectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem. Contraria propoſitio damnata eſt ab Alexandro VII. anno 1665. Nec vnus Author iunior, & modernus probabilem reddit opinionem contra cæteros.

15 Non poteſt quis ſequi opinionem probabilem circa formam, & materiam Sacramenti, omiſſa certa, ne ſuſcipienti Sacramentum damnum irreparabile immineat. (8)

8. Ego cum communi *in Statera, diſſ.10.q.1.*

Nec Medicus poteſt adhibere medicinam, quæ probabiliter damnum inferat, omiſſa tutiore, ne periclitetur vita ægrotantis. Nec poteſt quis iacere ſagittam, aut explodere tormentum igneum contra animal currens, etiamſi probabilius iudicet, eſſe aprum, aut ceruum, dum iudicat probabiliter eſse hominem; ne exponatur periculo hominem occidendi. Hinc generaliter non eſt verum, licere ſequi opinionem probabilem, nec iudicium probabile, aut probabilius.

16 Poteſt quis licitè operari ſequens opinionem, quam iudicat falſam, innixus authoritati

thoritati extrinſecæ docentium, eam eſſe veram, aut certò probabilem; (9) non quidem iudicando, hic & nunc eſſe malum ita operari, ſed præſcindendo à ſua opinione, & efformando dictamen, quòd poteſt ſe conformare eis Authoribus, indéque licere ſibi hic & nunc ſic operari. Etenim rectè, & prudenter credit id eſſe licitum, & non peccat operans licitum iuxta rectum iudicium; ſicut poteſt ſe conformare opinioni Superioris, & opinioni pœnitentis (10) contra ſuas, eo quod ſimile efformet iudicium; imò poteſt præbere conſilium iuxta aliorum ſententiam contra ſuam propriam. (11) Aliqui autem ſunt caſus, in quo opinio probabilis non poteſt ad praxim reduci: vnde manet ſpeculatiuè probabilis.

17 Iudex circa poteſtatis, & iuriſdictionis ſuæ exercitium poteſt ſequi quamvis opinionem certò probabilem, etiam minùs probabilem; (12) nam ſicut alij poſſunt vti opinione minùs probabili, non eſt, cur circa dicta nequeat iudex. Poteſt etiam ſequi ſententiam, quam maluerit, in captu legis, ac eius intelligentia, ex qua litis deciſio dependet, ſupponendo dari varias opiniones circa intelligentiam. (13) Nam ea intelligentia non ſe habet ex parte facti, ſed ad directionem iudicis: rectè autem dirigitur, dum opinionem probabilem ſequitur, & iuxta eam iudicium prudens efformat, ac iuxta illud ius ſuum vnicuique tribuit: ſicut Confeſſarius ad

9. Medina. Sotus. Th. Sanchez. Paſqualigus. Arriaga. Homem. Ego cum aliis *in Statera*, d.13.q.15.

10. Candidus. Machado. Verricelli. Sotus, & alij apud Me *ſup.*

11. Lud. Lopez. Sayrus. Beccanus. Medina. Nauarrus. Io.Sanchez, & alij apud Me *ſupra.*

12. Vaſquez. Baldellus. Th. Sanchez. Arriaga. Ego *in Statera*, d.13.q.15. §.1.

13. Sotus. Sayrus. Th. Sanchez. Medina. Baldellus. Monteſinos. Caſpenſis. Valentia. Salas, & alij apud Me *vbi ſuper.*

ad ferendam sententiam potest circa intelligentiam præceptorum quamvis sequi opinionem certò probabilem. At cum res facti est vna probabilior, quàm alia, nequit iudex ferre sententiam pro secunda, cum tunc non detur probabilitas ex parte iudicis, & debeat secundum allegata, & probata iudicare. Quòd si æquæ sint probationes, debet rem diuidere inter litigantes, nam si vni eam applicaret, idem esset, ac iudicare, totum ius esse penes illum secundum allegata, & probata. (14)

14. Sayrus. Suarez. Castr. Palao. Th. Sanchez. Ego *vbi sup.*

18 Si iudex oculis suis videat homicidam, & alius homicidij illius accusetur, & probetur plenè causa, tenetur abstinere se ab officio iudicis in illa causa, & eam ad superiorem remittere, ac testem agere. Si id nequeat, iuret coram populo, eum esse innocentem; si non sufficiat, probabile est vtrumque, posse eum morte damnare (15) ob bonum publicum, & vt ordo iudicij seruetur; & debere eum alio supplicio, non mortis, damnare: (16) nam Respublica, à qua leges dimanant, nequit de vita disponere. Sicut si tyrannus minetur euersionem ciuitatis, nisi innocens occidatur, non potest occidi, quia in viram non habet ius Respublica, adhuc si bonum publicum instet, iuxta hanc opinionem.

15. D. Thomas. Caietanus. Azor. Bresserus, & alij apud Me *supra.*

16. Lessius, & alij apud Me *sup.*

19 In causa criminali, si ex parte facti vtraque pars est æqualis, nequit Iudex reum damnare, quia tunc ei Ius fauet. (17) Quin

17. *Cap. 49. de reg. iur. lib. 6. leg.*

in

in cauſa ciuili, ſi æqua eſt ex parte cauſæ, pronuntiandum eſt pro reo. (18) Etiam pronuntiandum eſt pro poſſidente in cauſa æquali ex parte facti, vt eſt in Iure tritum. Ac etiam pro cauſis priuilegiatis (19) ferenda eſt ſententia, ſi æquæ ſint probationes ex parte facti.

*Reſpiciendum, ff. de pœnis.* 18. *Leg. Arrianus, ff. de action. & oblig. cap. Ex literis, de probat.* 19. *Cap. fin. de ſent. & re iudic.* & Gloſſa.

20 Aduocatus nequit defendere cauſas improbas, aut ex falſis allegationibus compoſitas, (20) neque non probabiles; & ſi eas defendat, tenetur damna reſtituere clienti. Quòd ſi is adhuc certior factus de improbabilitate ſuæ cauſæ omninò decerneret eam ſequi, peccaret aduocatus in defenſione, ſed non teneretur reſtituere. In cæteris poteſt defendere quamvis cauſam certò probabilē, ſiue contra actorem, ſiue contra reum, quæcumque ſit cauſa, etiamſi minus probabilis ſit; ſequi enim poteſt opinionem probabilem. Si cauſa ſit dubia, & ex neutra parte certò probabilis, poteſt eam defendere; (21) nam iudex tenetur dubiam cauſam decidere, atque adeò aduocatus poteſt eam examinare, & defendere, vt poſſit in iudicium venire. Semper tamen tenetur aduocatus admonere clientem de qualitate probabilitatis ſuæ cauſæ; & dum cauſam criminalem ſolùm probabilem aduerſus reum defendit, debet eius condemnationem petere ſub conditione, quòd crimen ſit ſufficienter probatum, nam aliter iudex nequit pœnam infligere.

20. *Leg. Rem non nouam, §. Patroni, Cod. de iudiciis.*

21. Malderus. Diana. Breſſerus. Ego *in Statera, diſſ. 13. q. 13. §. 2.*

21 Si duo Principes Supremi æquum ius habeant

habeant ad ditionem, & alius possideat, potest non possidens rem penes iudices legitimos, aut arbitros statuere; non autem indicere bellum, cum possessio alteri faueat, & ius huic non assistat, vt bellum, ex quo tot mala oriuntur, indicat. Si neuter possideat, & prolata pro vno sententia, alter executionem impediat, potest ille bellum indicere; (nisi alia via tentanda suppetat) nam vtitur iure suo proueniente ex sententia. Idem est, si vnus possideat, & prolata pro eo sententia, alter eum interturbet: aut è contrario. Nam ius probabile antecedens fit per sententiam certum; aut saltem non manet dubium in quo possessio faueat. (22) Extremum autem medium ad lites componendas debet esse bellum.

22. Ego cum aliis *vbi suprà.*

22 Si superior præcipiat id; quod iuxtà opinionem probabilem est licitum, aut non excedit eius potestatem, tenetur subditus obedire, etiamsi oppositum sit probabilius, (23) quia potest subditus conformare suum iudicium opinioni superioris, & hic iustè præcipit, ac est in possessione præcipiendi; nec subditus contra suam conscientiam agit, cum possit, & debeat vltimum dictamen practicum elicere, quod licitum ei sit hîc, & nunc obedire. Si verò sit dubium, an sit legitimus Superior is, qui præcipit, & vtraque pars sit probabilis, potest subditus obedire, sed non tenetur; nam ius æquum est pro vtroque, & Superiori non fauet possessio

23. Malderus. Fr. Ant. Perez. Caspensis. Vasquez. Salas. Th. Sanchez. Diana. Bressterus. Ego cum aliis *in Statera, d. 13. q. 15. §. 4.*

ſeſſio præcipiendi; quare dubitatur de poteſtate abſoluta præcipiendi, & præterea de re præcepta, vt ab illa oritur.

23 Dum autem peccatum non cernitur in re præcepta, ſufficit eam imperari à Superiore, vt iuſta cenſeatur; ſicut ſufficit authoritas Confeſſarij reſpectu pœnitentis. Quòd ſi ſubditus ſequens aliam opinionem, quod non obligetur ad obediendum in his, quæ an ſint licita, ſub opinione eſt, non obediret, adhuc poſſet puniri à ſuperiore; nam vtitur is iure ſuo in præcipiendo, & in puniendo, & pro foro externo ei ius fauet, cum præſumptio ſtet pro illo, & pro eius rectitudine in præcipiendo: at pro foro interno, non eſset ille reus culpæ in non obediendo.

24 Cum horologium bene regulatum ſonat duodecimam horam noctis, quæ extra Italiam eſt dimidia nox; eſtò ſit probabile, horam illam non eſse mathematicam, non tamen quis poſt illam poteſt manducare carnes, ſi die ſequenti ſint illæ prohibitæ; nec poteſt quidquam ſumere, ſi ſit ſumpturus Euchariſtiam die ſequenti; nam illa eſt hora practica, & Eccleſiaſtica, ad quam attenditur, non ad mathematicam, quæ ignoratur. Vltimus autem ſonitus practicè denotat dimidium noctis. (24) Quòd ſi aliud eſset horologium benè regulatum, & poſt primum ſonaret, non poſset ſimul eſse probabile vtrumque ad praxim, ſed ad ſummum poſ-

24. Breſſerus. *de conſcientia*, *l.4.c.11.n.107.* Narbona. Leander. Cardenas. Paſqualigus. Dicaſtillo.

ſet

set quis iudicare, dum esset motiuum, vel hoc esse securum, vel primum; deficiente autem motiuo, res esset dubia, nec intellectus in alterutram partem flecteret; & cum in dubio non possit quis tutò operari, securiorem partem deberet sequi, & primo horologio conformari.

EPITOME

# EPITOME OPINIONVM MORALIVM,

## Per literas Alphabeti diſpoſita, vt breuiùs, ac dilucidiùs opiniones reperiantur.

A

*Abbas.*

1 

Abbas, & quivis Prælatus (quocumque nomine nuncupetur) habens territorium nullius diœceſis, plenamque in eo iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, poteſt vigore Tridentini abſoluere à quovis caſu occulto Papæ reſeruato, (non eſt ſermo de caſibus Bullæ Cœnæ, de quo alibi) & diſpenſare in quauis occulta irregularitate proueniente (1) ex delicto, præterquàm ex homicidio voluntario. Nam id concedit Tridentinum Epiſcopis, quorum nomine cum in Iure ſæpè veniant illi Prælati, non eſt, cur non veniant in hoc Decreto, quod eſt in corpore Iuris: & quidem poteſtas ex Iure competens latè eſt

1. Rodrig. *tom.* 1. *qq. Reg. q.* 24. *art.* 13. & 17. *ac q.* 61. *art.* 9. Sayrus.

A interpre

Portel. Henriquez. Th. Sanchez. Diana. Castr. Palao. Trullench. Duardus. Monera. Marchinus. Bossius. Dalum. Sig. à Bononia, & alij.

2. Barbosa *de po est. Episc. alleg. 39. n. 16.* Garcia. Suarez. Sayrus. Th. Sanchez. Diana, & alij.

3. Trident. *sess. 5. de refo m c. 2. & sess. 6. de reform. cap. 3.*

4. Barbosa *de potest. Episc. alleg. 66.* Rebuffus. Sbrozza. Azor. Trid. *sess. 21. cap. 5.*

5. *Sess. 22. de reform. cap. 5. & 6.* Garcia *de benef. p. 2. cap. 2. n. 142.* Lezana. Flores de Mena.

6. Trid. *sess. 13. de refer. cap. 5.*

interpretanda, vtpotè fauor Principis, estò ipsa dispensatio ex ea potestate proueniens sit interpretanda strictè. Nec in Tridentino requiritur industria personæ Episcopi, cum Capitulum, Sede vacante, possit eam dispensationem concedere, (2) eo quòd succedat Episcopo in iurisdictione ordinaria ex iure communi proueniente.

2 Potest Abbas conferre beneficia, adhuc curata, & Parochos, ac Beneficiarios instituere, institutione etiam authorizabili. Nec valet Episcopus visitare Ecclesias, nec clericos eius territorij. Potest præterea procedere contra quemvis Concionatorem ibi absona concionantem, & punire Religiosum inibi extra Monasterium delinquentem. Hæc enim concessa sunt Episcopis, (3) vel tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, vel vt Ordinariis.

3 Abbas valet vnire beneficia (4) seu Ecclesias Parochiales sui territorij, sicut possunt Episcopi, & transferre Beneficia ab Ecclesiis dirutis ad alias, & illas facere reædificari. Necnon reuidere dispensationes, quæ ad suum territorium deueniunt: Et circa mutationem voluntatis, seu dispositionis testatorum potest idem, quod ex iusta causa Episcopus vigore Tridentini. (5) Ac etiam agnoscere de subreptione, & obreptione gratiæ concessæ alicui super absolutione publici criminis, quod Episcopis (6) conceditur. Et quæ his competunt, seclusis his quæ ad Ordinem spectant respectivè, præfatis Abbatibus, ac Prælatis competunt.

4 Potest Abbas visitare omnia opera pia (7) Collegiorum, & Hospitalium in suo territorio; quod à Tridentino (8) conceditur Episcopis. Rursus examinare, ac visitare Notarios sui territorij, (9) etiamsi Apostolica, Imperiali, aut Regia authoritate instituti fuerint; id namque conceditur Episcopis in Tridentino: (10) atque illos valet punire ob delicta in suo munere patrata. Nec sermo est de Tabellionibus institutis solùm ad causas sæculares.

5 Rursùs potest cognoscere de causis criminalibus Clericorum (11) sibi subiectorum, necnon de causis matrimonialibus, quod concedit Episcopis (12) Tridentinum.

dentinum. Item approbare Confeſſarios erga ſuos ſubditos, (13) illoſque examinare, iuxta conceſsionem factam Epiſcopis (14) ab eodem Tridentino : item approbare ad concionandum in ſuo territorio. Cæterum Confeſſarij ab eo approbati poſſunt audire Confeſsiones non ſolùm parochianorum, ſed peregrinorum, & aduenarum illuc accedentium, ſicut poſſunt approbati ab Epiſcopo in eius diœceſi. Quin abſoluere poſſunt aduenas aoſque fraude illuc accedent sà caſibus reſeruatis in eorum territorio, (15) qui inibi non ſint reſeruati ; quia reſeruatio caſuum ſolùm tollit poteſtatem abſoluendi his Confeſſariis, qui ſunt in territorio reſeruantis.

6 Valet etiam concedere dimiſſorias ad Ordines ; (16) nam Tridentinum (17) dumtaxat ait, id competere Epiſcopis, intra quorum fines exiſtunt Clerici ſæculares. Territoria autem eiuſmodi Abbatum, ſeu Prælatorum, & Clerici, ſunt extra fines, cum non ſint in diœceſi, ſed ſint nullius diœceſis verè, & realiter, & non intra fines ; nec ſolùm nomine tenùs dicantur nullius diœceſis. Quid autem ſpeciale ſit in territorio Alcantaræ in Hiſpania, ratione concordiæ cum Epiſcopo Caurienſi, vide verbo *Equeſtres Militiæ*.

7 Poteſt Abbas diſpenſare ex iuſta cauſa (18) in denuntiationibus ad matrimonium requiſitis, quod Epiſcopis iuxta Tridentinum (19) competit. Et concedere licentiam aſſiſtendi matrimoniis, cum ſit Ordinarius in ſuo territorio. Inſuper congregare in eo Synodum, (20) & conſtitutiones ſynodales condere ; atque etiam reſeruare caſus, quod in Tridentino conceditur (21) Epiſcopis. Sed obſeruanda eſt forma tradita à Clemente VIII. in Bulla (22) de reſeruatione caſuum.

8 Abbas prædictus poteſt imponere cenſuras, interdictum, & ceſſationem à diuinis. Necnon ex cauſa diſpenſare cum ſubditis in recitatione Officij Canonici, cum is ſit actus (23) iuriſdictionis ordinariæ ad Prælatos ſpectans. Præterea commutare vota non reſeruata, & in eis diſpenſare. Adhuc concedere facultatem egrediendi, & ingrediendi in Monaſteria Monialium ubi ſubiectatum in caſibus permiſſis ob vrgentem ne-

7. Riccius *in praxi aurea, ref.* 330. Barboſa. Tamburinus.

8. *Seſſ.* 22. *de reform. cap.* 8.

9. Lezana *tom.* 4. *conſult.* 45. *num.* 72. Sellius. Barboſa.

10. *Seſſ.* 22. *de refor. cap.* 10.

11. Narbona *l.* 59. *gl.* 1. *tit.* 4. *l.* 2. *Recop.* Barboſa, & alij.

12. *Seſſ.* 24. *de reform. cap.* 20.

13. Suarez *tom.* 4. *de pœnit. d.* 28. *ſect.* 5. Tamburinus.

14. *Seſſ.* 23. *de reform. cap.* 15.

15. Card. Lugo *de pœnit. d.* 20. *ſect.* 5. *num.* 71. Bonacina. Suarez. Diana. Lezana. Fagundez.

16. Tamburinus *de iure Abbat. d.* 2. *q.* 26.

Campanili. Gratianus. Barboſa. Lezana. 17. *Seſſ. 23. de reformat. cap. 10.* 18. Lezana *vbi ſup. n. 104.* 19. *Seſſ. 24. de reform. cap. 7.* 20. Tamburin. *tom. 3. d. 3. q. 3.* Lezana.

ceſſitatem, & iuſtam cauſam: (24) quod competit omnibus Prælatis eiuſmodi Monaſteriorum.

9 Concedere valet veniam, vt quivis Epiſcopus, etiam Titularis, exerceat Pontificalia in ſuo territorio. (25) Nequit tamen concedere indulgentiam, quia hæc poteſtas reſeruatur ſolis Epiſcopis priuatiuè quoad omnes alios.

10 Poteſt Abbas conſecrare calices, altaria, cymbala, & huiuſmodi alia, etiam ad vſum Eccleſiarum non ſibi ſubditarum. (26.) Quod etiam competit Abbatibus Monaſticis. Necnon ſubditis conferre primam tonſuram, & minores Ordines; & demùm benedicere omnia ornamenta Eccleſiæ, vaſa, capellas, & Eccleſias in ſuo territorio.

‖ 21. *Seſſ. 14. de reform. cap. 7.* ‖ 22. Adducitur à Tamburino *tom. 2. d. 13. quæſt. 2.* ‖ 23. Nauar. *cap. 12. de Horis, num. 24.* Turrecrem Tamburinus. ‖ 24. Gibalinus *de clauſ. Monial. d. 4. §. 5. iuxta Trid. ſeſſ. 25. de Regular. cap. 5.* ‖ 25. Barboſa *de Iur. Eccl. l. 1. cap. 17. num. 109.* Lezana. ‖ 26. Diana *p. 3. tr. 2. reſ. 15.* Barboſa, & alij.

## *Abbatiſſa.*

1 QUæ ſpectant ad Abbatiſſam, ſiue quocumque nomine vocetur prima Prælata Monaſterij Monialium, reperies verbo *Monialis.*

2 Celebris eſt in Hiſpania Abbatiſſa Monaſterij Ciſtercienſis *de las Huelgas* propè vrbem *Burgos*, quæ *contra vel ſuprà* (1) *omnem Eccleſiæ morem*, ex conceſſione ac priuilegio Papæ potentis diſpenſare in iure communi in his, quorum ex iure diuino, aut naturali non fuerint incapaces fœminæ, atque etiam ex conceſſione Capituli generalis Ciſtercij in his, quæ ad ipſum attinent, habet iuriſdictionem ſpiritualem in ſuo territorio, quod non eſt in diœceſi, ſed eſt nullius diœceſis, atque in duodecim Monaſteriis Monialium ipſi ſubiectis.

1. Ita Epiſcop. Fr. Angel. Manriq. *in Annalib. Ciſterc. ad annum 1187. cap. 9. num. 3.*

3 Hinc omnia, quæ diximus *ſuprà verbo Abbas*, poſſe præſtare Abbatem iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentem in ſuo territorio nullius diœceſis; (præter facultatem,

facultatem conſecrandi, benedicendi, ac ordinandi, qui actus Ordinem requirunt) poteſt præſtare hæc Abbatiſſa vel per ſe, vel reſpectiue per Viros Eccleſiaſticos à ſe electos; (2) itavt quidquid ſit actus ſolius iuriſdictionis ſpiritualis,& non Ordinis,exequi valeat.

2. Reu. Fr. Michaël de Fuentes *in Diſcurſu ſuprà iuriſdict. eius Abbatiſſæ.* Epiſc. D. Gabriël Vazquez. Epiſcop. Fr. Franciſc. Rois. D. Ioſephus Retes. P. Henao. Henriquez. Leand. à Sacr. Em. Rodrig. Flor. de Mena. Et innumeri Magiſtri, ac Doctores Salmanticenſes allati *in prædicto tractatu.*

4 Præterea deſignat ſuis Monaſteriis Confeſſarios approbatos à Viris doctis, quos ad id deſtinat. Quod pariter præſtant Prælati Regulares reſpectu Monialium ſibi ſubditarum. (3) Et Bulla Gregorij X V. iniungens, Confeſſarios Monialium debere eſſe approbatos ab Epiſcopo, non agit de Monialibus, quæ ſubiacent Prælatis iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentibus in territorio nullius diœceſis.

5 Cæterùm ea Abbatiſſa poteſt imponere præcepta Obedientiæ Monialibus ſubditis, adhuc in ſententia negante Abbatiſſis hanc poteſtatem ob defectum iuriſdictionis ſpiritualis, cum hic defectus in illa non detur; pertinet autem ad Prælatum ea iuriſdictione gaudentem (4) imponere ea præcepta.

6 Aliquas eſſe Abbatiſſas in Italia iuriſdictione ſpirituali gaudentes, (5) refertur. Necnon in Republica Lucenſi eſt Abbatiſſa, quæ ob amplam iuriſdictionem, qua potitur, ſolet vocari Epiſcopa. Et in Gallia (6) Abbatiſſa Fontis Ebrardi ea iuriſdictione ſpirituali gaudet, vt ſit caput, ac Prælata vnius Congregationis Monaſteriorum. Demùm Abbatiſſa Bubrigenſis, aut Lumbergenſis in Clericos ſibi ſubiectos (7) ſpirituali iuriſdictione potiebatur. Quibus omnibus ex ſpeciali priuilegio, ac diſpenſatione Pontificia hæc iuriſdictio competit.

3. Ego *de Ordinib. Militar. d. 14. q. 5.* Campanili. Armendariz. Sorbus. Azor, & alij.

‖ 4. Th. Sanchez *in Summ. lib. 6. cap. 1. num. 21.* Vazquez, Tamburinus, & plurimi. ‖ 5. Imola *in Clem. Frequens, de exceſs. Prælator.* Flor. de Men. ‖ 6. Gibal. *de clauſ. Monial. d. 4. §. 5. num. 16.* ‖ 7. *Cap. dilecta, de major. & obed.* Pacis Iordan.

## *Abortus.*

1 ABortum qui procurat in fœmina, ſi fœtus ſit animatus, & effectus ſequatur, incidit in excommunicationem latam à Sixto V. (1) & confirmatam

1. In Bulla

*contra procurantes abortū.*

tam à Gregorio XIII. Verba autem Conſtitutionis innuunt, non proferri cenſuram contra fœminam procurantem abortum in ſeipſa, ſed in alia fœmina. (2) Fœtum autem maſculum animari quadrageſimo die, fœmineum octogeſimo, communior tenet opinio. (3) Si fœtus ſit animatus, aborſus procuratus eſt peccatum homicidij. Et quamuis non ſit animatus, qui illum procurat, effectu ſecuto, eiſdem pœnis, ac homicida voluntarius, eſt puniendus iuxta Decretum Sixti V. (4) & is etiam qui poculum præbet fœminæ, aut conſulit, vt præbeatur, quominus concipiat. Nec licet abortum procurare, vt proſpiciatur famæ matris, nam ipſa ſibi infamiam imputare debet; nec directè poteſt intendi aborſus, vt ſuccurratur vitæ matris, quæ in partu timetur periclitatura: nam facienda non ſunt mala, vt eueniant bona: nec homicidium perpetrandum tunc, nec antecedenter, cum vnus non ſit nocendus, vt alter iuuetur; nec ſcitur certò, quo tempore fœtus animetur: ac de Deo ſperandum, quòd matri ſubueniat. Aliud eſt, cum fœtus nequit parturiri ob defectum virium, aut ob aliam cauſam tempore ipſo partus; nam tunc eum licet extorquere vi, cum ſupponatur iam exanimis, ne mater pereat: id autem non eſt procurare abortum, ſed vitam matris; quæ directè procurari valet, etiamſi indè abortus ſequatur, dum hic directè non intendatur.

2. Aulla apud Me *in Statera diſp.13. q. 12.* Et plures apud Me *de Ordinib. Militarib.d.14. q.4.*

2 Inter caſus reſeruabiles à Superioribus Religionum præfixos à Clemente VIII. apponitur conſilium, auxilium, procuratio ad abortum, animato iam fœtu. De quo vide *Reſeruati caſus.*

3. Couarruias. Apud Me *nuper in ſtatera.*

3 Qui procurat, aut fert auxilium fœminæ, vt abortum faciat, animato fœtu, & effectu ſecuto, fit irregularis, nam cooperatur homicidio voluntario; ſoluſque Pontifex poteſt in ea irregularitate diſpenſare. (3) In dubio, an ſit fœtus animatus, qui adiuuit ad abortum, manet irregularis, ſicut in dubio homicidij. Quòd ſi media appoſita communiter abortum non portant, & dubitetur, an ex illis fuerit ſecutus abortus, non contrahetur irregularitas. (4) Nec in dubio fœtus animati contrahuntur aliæ pœnæ impoſitæ à Pontificibus, quæ velut odioſæ, ſunt ſtrictè interpretandæ.

4. Apud Rodrig. *in Bulla Cruc. §. 9.*

3. Communis cum D. Thoma *in 4. diſt. 31. in litera.*

4. Diana *7. p. tr. 5. reſ. 25. & 26.*

4. Quando dubitatur in abortu fœtus an sit masculus, vel fœmina, iudicatur esse masculum; atque adeò ad quadragesimum diem animationis est inspiciendum, in ordine ad irregularitatem, & alias pœnas. (5)

Th. Sanchez, & alij.

5 Quamuis effectus non sequatur, nec animatus sit fœtus, est mortale peccatum procurare abortum, aut consilio, vel alio quouis medio iuuare ad illum. (6)

5. Diana *vbi nu-per ref. 6.* Sà *verbo homi-cidium.*

6 Excommunicatio lata aduersus procurantes abortum est Summo Pontifici reseruata, vt ex Constitutionibus relatis constat. An autem incidat in excommunicationem Canonis *si quis suadente*, monacha grauida, quæ grauiter se percuteret pugnis, vt abortiat, vtpotè persona Ecclesiastica, tutior, ac certior est affirmatiua sententia; nam etsi appareat, non inferre illam sibi, sed fœtui iniuriam, at re ipsa status Ecclesiasticus in ea persona læditur; & in eo Canone fertur censura contra exercentem violentam actionem peccaminosam, quæ ibi adest; nec vllus eam videns non censeret, iniuriam statui fieri. Patet id: nam si ea fœmina rogaret, quòd alius eam pugnis grauiter percuteret, vt sic abortiret, percutiens in eam incideret excommunicationem, etsi id præstaret eo animo abortus sequendi. Quare id ipsum asserendum est, si ipsa fœmina se percutiat.

6. Fumus *in suæ Armillæ, verbo abortus.*

7 Cum quis sit irregularis ob procurationem abortus, si casus sit occultus, potest dispensationem poscere in Pœnitentiaria. Attamen si ipse fuerit genitor eius fœtus, tenetur hanc circunstantiam explicare, aliàs dispensatio erit nulla, vtpotè subreptitia; iuxta stylum ibi obseruatum. Maius autem peccatum committit mater, aut genitor, procurantes abortum, quàm alij ad eum iuuantes, cum circunstantia filij occisi in eo fœtu mutet speciem homicidij; & sicut parricidium habet circunstantiam, quæ mutat speciem, sic & filiicidium, cum sit contra virtutem pietatis, & iustitiæ naturalis.

8 Si sit religiosus, qui procurauit abortum fœminæ, an, & in quibus pœnis ex contractis ab ipso possint eius Prælati regulares dispensare, ex priuilegiis non reuocatis cuiusque sacri Ordinis constabit.

# *Absoluere. Absolutio.*

1 IN casu necessitatis potest moribundum absoluere quilibet Sacerdos, etiam hæreticus, suspensus, degradatus, & irregularis. (1) Nam pia mater Ecclesia iurisdictionem eis tunc præbet, ne anima periclitetur, cum totum salutis æternæ negotium tunc peragatur.

1. D. Thomas. Caietanus. Et communis cum Trident.

2 Moribundus, qui contritionis signa in genere dedit, non potens loqui, absoluendus est. (2) Ea enim signa sunt materia sufficiens confessionis, & ea est praxis Ecclesiæ. Sic etiam mutus absoluendus est, quamuis Confessor non calleat, quæ peccata per signa velit ille exprimere. (3)

2. Concilium Arausican. 1. & Carthaginense 3.

3. Ego cum communi *in Statera, diff.* 1, *q.* 4.

3 Absolutio ab hæresi, & aliis criminibus contentis in Bulla Cœnæ, prohibetur ab ipsa, non solum quando publica sunt, sed etiam quando occulta; & Pontifici reseruatur. Contraria propositio damnata est ab Alexandro VII. anno 1665. Vbi etiam damnat idem Pontifex hanc propositionem; nempè *Sententia asserens, eam prohibitionem non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno* 1629. *die octaua Iulij in Consistorio sacræ Congregationis Eminentiss. Cardinalium, visa, & tolerata est.* Etenim nunquam ibi fuit tolerata. Et quia sæpè redibit sermo de propositionibus ab Alexandro damnatis, id pro omnibus præmonuerim, damnatas eas fuisse vt prauas, atque vt minimùm, tanquam scandalosas; eumque præcepisse sub pœna excommunicationis Apostolicæ Sedi reseruata, ne vllus publicè, nec priuatè, nec disputatiuè eas tractet, nisi impugnando; nec doceat, defendat, aut edat. Et in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione diuini iudicij prohibuisse omnibus fidelibus, ne vllam earum propositionum, quas damnauit, ad praxim deducat. Hinc, cum in hoc Compendio propositiones oppositas damnatis enuntiamus, nullam rationem pro illis attingimus, cum satis superque sit, oppositas esse damnatas.

4 Absoluendi potestas tradita est à Christo D. non

in

in Cœna, ſed poſt ſuam Reſurrectionem, vt conſtat ex Tridentino. (4) Non requiritur neceſſariò ante verba *Abſoluo te*, aſſerere *Authoritate Dei*. Propoſitio contraria deleta eſt à Tribunali Hiſpano ſanctæ Inquiſitionis. (5) Nec pertinet ad abſolutionem eſſentialiter inuocatio SS. Trinitatis, quæ fit per verba; *In nomine Patris*, &c.

4. Tridentinum *ſeſs.14. c.1. & ſeſ.6.cap.14.*

5. In expurgatorio anni 1640. in Summ. Fr. Hieronymi de Llamas.

5 Abſolutio nequit præſtari per literas inter abſentes. Contraria propoſitio damnata eſt à Clemente VIII. anno 1600.

6 Moribundum, qui nulla ſigna doloris dedit, poſſe ſub conditione abſolui, cenſent aliqui, quia præſumendum eſt, eum interiùs ſaltem per attritionem eſſe diſpoſitum; & ea opinione ſuppoſita, debere Confeſſarium abſolutionem impertiri, (6) vt extremæ animæ neceſſitati ſuccurrat. Pia eſt opinio. Sed cum non detur materia proxima Sacramenti pœnitentiæ, non calleo, quo modo perfici illud poſſit; nam ſub qua conditione ad Sacramentum ſpectante abſoluendus eſt? ſi habeat peccata? ſi habeat dolorem? Non ſufficit, quia requiritur dolor ſenſibilis per confeſſionem, aut ſigna. Si dedit ſigna? eſt contra ſuppoſitionem caſus. Cæterùm quia datur materia dubia, nempè ſi motio labiorum, aut ſuſpirium fuit ſignum doloris, lege charitatis tenetur Sacerdos formam dubiam apponere; ſicut tenetur petentem Baptiſmum in hora mortis baptizare in materia aquæ dubiæ, non extante alia.

6. Homobonus. Molpheſius. D. Antoninus. Lotherius. Cardenas. Ludou. à Concept. à Sancto Fauſto. Et alij apud Me *in Statera diſſ.10. q.9.*

7 Non eſt opus abſoluentem virtute Bullæ Cruciatæ vti forma abſolutionis, quæ præfigitur in ſummario Bullæ Hiſpanæ; ea enim apponitur, vt ſciatur, à quibus peccatis, & cenſuris poſſit abſoluere Confeſſarius. (7)

7. Ego *de Bulla Cruciatæ, d.23. cap. 12.*

8 Confeſſarius abſoluit directè à peccatis, à quibus abſoluendi iuriſdictione gaudet, etiamſi aliqua per obliuionem non fuerint expoſita à pœnitente. Indirectè verò abſoluit, cum non potitur iuriſdictione abſoluendi ab aliquibus, ſic verò ab aliis, & pœnitens vrgente neceſſitate vtraque confitetur; tunc enim abſoluitur directè ab his, & indirectè ab illis, quæ tenetur poſtmodùm confiteri coram legitimo Confeſſario; ſicut tenetur ea, quæ oblitus eſt, ſi recordetur.

9 De eſſentia abſolutionis ſolùm ſunt hæc verba;

8. D. Thomas. Caietanus. Nauarrus. Valentia. Suarez. Fagundez.

(8) *Absoluo te.* Erit autẽ peccatum veniale relinquere verba *A peccatis tuis*, absque rationabili causa, quia receditur à forma præscripta ab Ecclesia, & tutius est, ea non omitti, vt vitetur omne nullitatis periculum. Quin oportet cætera verba consueta exprimere. Forma absolutionis à censuris non est omnino præscripta. Communis est; *Absoluo te à censuris*, & additur ante absolutionem à peccatis, *si fortè incurristi*, quando non constat de incursu.

9. Apud Me *sup. num.* 122.

10 Valida est absolutio cum conditione de præsenti, ea existente, vt *si possum, absoluo te.* Item de præterito, si sit apposita, v.g. *si occasionem peccandi reliquisti, absoluo te.* Non verò de futuro, vt *si restitueris, absoluo te.* Curandum est, semper apponi à pœnitente materiam certam; tamen licitè quis absolueret apponendo in mente, *si hæc sunt peccata.* Erit peccatum mortale vti pro absolutione his verbis, (9) *Volo absoluaris*, aut *Placet te absolui*, seu *Sacramentum absolutionis tibi impendo*; vel *Remitto tibi peccata*; seu similia, quia est ingens mutatio in forma. Et licèt

10. Apud Me *sup. n.* 125.

iudicetur ab aliquibus probabile (10) esse validam absolutionem eis verbis prolatam, & non esse, nisi peccatum veniale, vti duobus modis vltimis absoluendi; nunquam id praxi est donandum. Absolutio non est valida, si solùm proferatur mentaliter, aut scripto inter præsentes, quia opus est, voce humana proferri.

11. Communis.

11 Absolutio à censuris præmittenda est ante absolutionem à peccatis. Non potest absoluere ab illis ad reincidentiam nisi ipse, qui eas infligere valet; (11) nec pars læsa potest permittere, vt à non habente iurisdictionem pròferendi censuras absoluatur quis ad reincidentiam, nam frustraneum id esset. Extra forum pœnitentiæ potest quis absolui à censuris, vel publicè à iudice, siue delegato, seu pro foro conscientiæ interno à potente absoluere (12) seu ex iurisdictione ordinaria, seu virtute Iubilæi, aut Bullæ Cruciatæ, in quibus facultas absoluendi præstita Confessario non restringitur ad forum Pœnitentiæ, sed ad internum conscientiæ, quod diuersum est à foro pœnitentiæ; in eoque consulitur bono spirituali eius, qui censura est ligatus.

12. Vega. Th. Sanchez. Villalobos. Lud. à Cruce. Ledesma. Auila.

ligatus. Hinc absens potest absolui à censura, nam in absentia datur forum conscientiæ, licèt non forum pœnitentiæ; (13) vnde & Episcopus potest absoluere à censuris reseruatis Pontifici occultis, ad quas eius potestas se extenderit, absentem, quæ absolutio est pro foro interno conscientiæ. Coninch. Et innumeri apud Me *de Bulla Cruciat. d.25. n.167.* 13. Trullench. Et alij *vbi nu-pe, n.176.*

12 Inuitus potest absolui ab ipso, qui inflixit censuram, cum non pendeat à voluntate illius ligari, nec tolli ligamen; similiter & ignorans (14) potest ab eodem absolui; quamuis is debeat se gerere vt excommunicatum, donec de absolutione certior fiat. Attamen virtute Bullæ Cruciatæ nequit absolui inuitus, nam potestas absoluendi conceditur Confessario, quem elegerit gaudens Bulla, inuitus autem non eligit: item nec ignorans, nisi in casu quo pœnitens eligens Confessarium ignoret, se contraxisse censuras, potest absolui sub conditione, si incurrerit censuras: tunc enim ille voluntarius est. (15) 14. Reginaldus. Et alij *super, num. 177.* 15.

13 Quando à Pontifice, vel à Pœnitentiaria expeditur licentia ad absoluendum ab aliquibus peccatis commissis, restringitur ad peccata commissa (16) ante petitionem eius facultatis, nec vltrà extenditur ad commissa postea. Idem est de quouis Prælato, aut Superiore vices suas committente ad absoluendum à sibi reseruatis. Ego *de Bullæ Cruciatæ, d.25. n. 179.* 16. Card. Lug. *de pœn. d. sp. 20. sect. 8. n. 123. & num. 128.*

14 Quando Pontifex concedit Episcopo, aut alij delegato facultatem absoluendi ab Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, vox *absoluendi* non solùm est sumenda de absolutione rigorosa, qualis confertur erga peccata, & censuras, sed etiam extendenda est, vt significet (17) liberare, seu tollere. Nam aliàs frustrà adderetur *A pœnis*, cuiusmodi sunt inhabilitates ad officia, priuationes, & alia huiusmodi, à quibus rigorosè non absoluitur, sed illæ tolluntur, & quis ab eis liberatur. 17. Barthol. à S. Fausto *de pauper. relig. l.8. q. 232.* Th. Sanchez. Et alij.

15 Quilibet Sacerdos simplex potest absoluere à peccatis venialibus, necnon à mortalibus iam antè ritè confessis. (18) 18. Graffis *in decis. l. 1. c.17. n.6.* Nauarrus. Valentia.

16 Superior potest absoluere sibi subditum, vbicumque sit; (19) at si subditus non sit regularis, indiget absoluens approbatione Ordinarij eius loci, in quo versatur, nisi sit approbatus pro tota Ecclesia.

Eman. Sà. Et innumeri. 19. Eman. Sà. *verb. Absolutio, num. 7.* Card. Toletus. Victoria. Et alij. 20. Glossa *in cap. Pastoralis, §. præterea, de offic. Ordinar.*

17 Laicus nec à peccatis, nec à censuris valet absoluere, adhuc in articulo mortis : potestas enim clauium soli Sacerdoti competit ; (20) quare laicus sacrilegium patraret, si absolueret ; at non contraheret irregularitatem, cum non sit ea in Iure imposita.

18 Quando quis versatur in proxima occasione peccandi, quam posset vitare, deneganda est ei absolutio ; si non potest vitare, dum firmum retineat propositum non peccandi, ac vitandi ea, quæ occasionem reddunt faciliorem, absoluendus est.

19 Si dubium sit, an puer post septennium sit sufficienter capax, sub conditione, saltem mentali, absolutio est ei præstanda. Vide *Confessio*.

## *Academia, & Academici.*

1. Bartolus. Baldus. Felinus. Abbas. Farinacius. Couarruuias. Bobadilla. Syluester. Bas. Legionensis, & plures apud Me *de Iure Academico l. 1. q. 7.*

1 ACademiæ, quæ maiori ex parte non constant Ecclesiasticis, sunt tum ecclesiasticæ, tum sæculares, earumque Iudices vtraque potestate gaudent ; (1) & secundum naturam causarum, & subditorum vnam, aut aliam exercent ; nam cum maior pars subditorum sit sæcularis, etiamsi minor sit dignior, ad illam inspicitur ; aliter totum Regnum esset ecclesiasticum, & in Prouinciis Proreges, & Iudices esse deberent Ecclesiastici, cum minor pars Regni sit Ecclesiastica : Quin fundatio Academiarum est politica, & ad Principes sæculares spectat, qui etiam absque Pontificum authoritate possunt eas erigere, & absque ipsorum Principum in ipsorum dominiis authoritate nequeunt erigi. Hinc possunt sæculares Visitatores ad illas mitti. Vnde Collegia, quæ ex sua Institutione non exigunt Togatos ex maiori parte Clericos gaudentes priuilegio fori, (2) sunt sæcularia.

2. Ego *sup. §. 3.*

2 Academiarum Magistratus habent non solum mixtum, sed etiam merum Imperium in causis criminalibus ; ita tamen vt si Ecclesiastici sint, nequeant procedere ad sententiam mutilationis, aut mortis ; sed si hæc pœna sit infligenda, tradant reum brachio sæculari, quod omnibus Iudicibus Ecclesiasticis commune est. Et quidem Principes sæculares suam iurisdictionem.

dictionem (3) concedunt eis Magistratibus, vnde & ordinariam habent illi in causis criminalibus. Potest autem ab eis limitari iurisdictio; & in erectione Academiæ potest ea denegari, & Iudicibus sæcularibus reseruari; quare standum est Constitutionibus cuiusque Academiæ; sicut etiam eis est standum circa cognitionem causarum Clericorum studentium, an scilicet à Magistratu Academiæ, an à proprio Episcopo sint cognoscendæ; cum ex se iurisdictio (4) Academica sit priuatiua. 3.

Ego *sup. q.* 20.

4.

Authent. *Habita, Cod. ne filius pro patre.* Osualdus.

3 Magistratus Academiæ habent (nisi aliundè limitetur) iurisdictionem in ciuilibus, & in his, quæ ad Academiam pertinent, erga Regulares Academicos, (5) non verò in criminalibus, in quibus ad Prælatos proprios sunt remittendi. (6) Quoad forum internum nulla iurisdictione gaudent; possunt verò proferre censuras, dum sint Ecclesiastici, & sibi (7) absolutionem reseruare. Sunt cæterùm Iudices ordinarij, non delegati, (8) cum iurisdictionem habeant à Principe supremo, & eorum iurisdictio sequitur officium, habentque territorium designatum, nec expirat iurisdictio morte Pontificum, aut Principum.

D. Alf. Escob. & alij *supr. q.* 21.

5.

Ego *ibidem.*

6.

Plurimi apud Me *sup. lib.* 4. *quæst.* 3.

7.

Ego *de Iure Academic. l.* 1. *quæst.* 23.

4 Iudices Academici in causis studiosorum priuatiua iurisdictione gaudent; (9) nec sunt merè executores, sed mixti, qui cognitionem, & definitionem causæ habent, ac executionem.

8.

Ego *sup. q.* 24.

9.

5 Professores obtinentes Cathedras alicuius Authoris, v.g. D. Thomæ, Scoti, & similium, necnon scripturæ sacræ, tenentur docere opiniones eorum Authorum, seu scripturam explicare, & id sub culpa graui; (10) aliter enim non satisfaciunt suo muneri. Similiter, qui ad eas Cathedras opponuntur, & in lectione extemporanea non legunt respectiue eas doctrinas, nequeunt obtinere eas Cathedras, eo quòd ad rem non legerint.

*Leg.* 18. *tit.* 7. *lib.* 1. *Recopil.*

10.

Ego *sup. l.* 2. *q.* 2.

6 Qui suffragium, aut testimonium præbet ad Cathedras, pro digniori tenetur præbere, sub onere peccati mortalis, & restitutionis, (11) cum in oppositione detur literarium certamen, in quo præmium digniori promittitur, indeque ex iustitia ei debetur. Dignior autem quis sit, diiudicandum est ex ingenio, doctrina, claritate, & similibus circunstantiis.

11.

Ego *vbi supra. quæst.* 6.

7 Qui in lectione oppositionis ad Cathedram, seu Canonicatum, seu Beneficium, defecit non explens tempus ad illam designatum ob memoriæ defectum, aut ægritudinem, si aliunde constet de eius doctrina, habilis remanet ad obtinendum; (12) & si constet, excedere cæteros, debet pro eo suffragium ferri: quia ille habet requisita essentialia, & per accidens defecit; eaque praxis iam est firmata; lectioque non iniungitur ab statutis vt quid omnino essentiale, sed vt amplius de doctrina constet; estque examen respectu eorum, quorum scientia non est probata. Aliud est, si quis ob ægritudinem omnino non legat, aut non concionetur; nam pro forma electionis ad Canonicatum requiritur Lectio, aut Concio, vt (13) constat ex Bullis Sixti IV. & Leonis X.

12. Baldus. Decius. Th. Hurtado. Apud Me *vbi sup. l. 2. q. 16.*

13. Barbosa. Gonzalez. Garcia. Zerola. Th. Hurtado. *vbi nuper.*

8 In Collegiis Academiarum si quis recipiatur cum defectu alicuius requisiti designati à Fundatore, peccant recipientes, sed ille nihil tenetur restituere; (14) quia etsi Fundator nollet, illum recipi, tamen postea iudicatur, ratum id habere; & Collegium, cui esset facienda restitutio, ratum etiam habet, vnde nihil ei debetur. Statutis autem Collegiorum est standum in aliis euentibus, nempè an teneantur Togati Hospites soluere alimenta: & an postmodùm omnes debeant relinquere legatum Collegio, cum è vita migrant, & similia. Si oppositori ad Cathedram, aut Præbendam pro Lectione, aut Concione extemporanea, is qui puncta designat, monitus ab illo, hæc aut illa designet, ex se grauiter peccat, quia fidelitatem in re graui violat, & præiudicium cæteris oppositoribus infert; nisi ex circunstantia excusaretur, v. g. si oppositor solùm ad honorem consequendum legeret, quin animum obtinendi Cathedram haberet; aut alius esset adeò doctrina præditus, vt constaret antecellere (15) cæteros, & solùm ad vitandam nimiam defatigationem id postulasse, cum aliundè posset extemporaneè legere doctiùs, quàm cæteri.

14. Ego *de Iure Academic. l. 2. q. 21.*

15. Ego *vbi sup. quæst. 22.*

9 Virtute Bullæ Eugenij IV. in fauorem Academiæ Salmantinæ, quotquot in ea studeant, aut docent, aut Candidati sunt Cathedrarum, faciunt fructus suos, & non tenentur ad residentiam, siue sint Canonici, siue

Digni

Dignitates, etiam in prima Sede, ſiue Beneficiarij, aut Parochi, dum hi Vicarium idoneum conſtituant. (16)

16. Ego *vbi ſup. q. 22. & l. 4. quæſt. 2.*

10 Ut ſtipendium manuale, quod præſtatur Doctoribus, ac Magiſtris propter aſſiſtentiam ad Concluſiones, quæ defenduntur, ſeu ad alios Actus, licitè percipiatur ab eis, requiritur, vt aſſiſtant maiori parte temporis, quo durant; aliter nec eſſet titulus laboris, quem perferunt; nec honoris, quem afferunt. (17) Et ſanè diſtributiones quotidianæ in Eccleſiaſtico officio non conferuntur, niſi aſſiſtentibus maiori parti Horarum. (18) In hoc tamen ſtylus cuiuſque Eccleſiæ eſt inſpiciendus: ſicut etiam in Academiis reſpectu Magiſtratuum. Si autem non aſſiſtat Doctor ad Conſeſſum, ad quem vocatur, non peccat grauiter, niſi vocetur ſub pœna excommunicationis, aut præſtiti iuramenti. Quantùm autem temporis teneantur per ſe legere, qui Cathedras moderantur, ſtandum eſt ſtatutis cuiuſque Academiæ. Satisfaciunt autem (19) ſuæ obligationi legendo materiam ab alio docto antiquiore elaboratam; & aliquando id eſt vtilius, cum ſic conſulatur profectui diſcipulorum.

17. Ego *vbi ſup. l. 2. q. 25.*

18. Bonacina, & alij apud Me *vbi ſuper.*

19. Ego *de Iure Academic. l. 2. q. 26.*

11 Excommunicatus validè accipit Gradum in Academia, & eligitur ad Cathedram moderandam, & ad Togam Collegij; (20) quia hi actus non ſunt iuriſdictionis, nec prohibentur à Iure, ſaltem reddendo eos inualidos. Nec peccat, qui eos confert excommunicato tolerato, ſic verò is accipiens, quia ille non prohibetur à communicatione cum eo; at is non poteſt ſe immiſcere communicationi humanæ. Hinc peccabit, qui Gradum, aut ſimilia conferret excommunicato non tolerato; nam nequit vllus, niſi in neceſſariis eum eo communicare. Togati, cùm è vita decedunt, poſſunt cum inſignibus propriis ad funus, & ſepulchrum efferri, & ita praxis confirmat. (21)

20. Hugolinus. Decius. Cardinalis. Ioan. Andreas. Suarez. Ego *vbi ſuper, quæſt. 33.*

21. Ego *vbi ſuper, quæſt. 35.*

12 Academici gaudent proprio foro, & nequeunt conueniri in ciuilibus, & criminalibus, niſi apud Magiſtratum Academiæ; (22) niſi fortè per ſtatuta loci aliud decernatur, vt in Academia Barchinonenſi, & aliis. Si Magiſtratus ſit ſimul Conſeruator, Academicus Actor trahit Reum ad ſuum forum in cauſis ciuilibus,

22. Auth. *Habita, Cod. ne filius pro patre, &c.*

libus, dum sit intra dietas designatas in literis Conseruatoriis. Quod non intelligitur de causis, aut rebus inceptis, antequam quis albo Academiæ inscribatur, vt fraudes vitentur. (23) Cæterùm studiosus gaudet priuilegio fori, quinquennio post expletos cursus literarios, nam eo præsumitur tempore animus redeundi ad Academiam, nisi contrarium probetur.

23. Osualdus. Cuiacius. Collantes. Padilla. Barbosa. Apud Me *de Iure Academ. l. 3. q. 3.*

13 Priuilegio fori gaudet vxor mariti Academici, necnon vidua: (Et præterea vxor Clerici tonsurati coniugati, qui requisita à Tridentino habet, vt foro Ecclesiastico gaudeat) dum tamen Magistratus Academiæ gaudeat iurisdictione (24) Ecclesiastica. Gaudent adhuc eo priuilegio filij studiosorum, dum hi viuunt. (25) Præterea famuli, seu Officiales Academiæ: (26) & demùm Clitellarij, & Muliones, qui portant necessaria studiosis, & sunt quasi publici famuli, & non famuli singulorum; nam hi non gaudent eo priuilegio, si ipsi non sint etiam studiosi. Hic forus amittitur per crimen pertinens ad sacræ Fidei Tribunal; & per occisionem Clerici, si Magistratus non gaudeat iurisdictione ecclesiastica. Amittitur etiam per resistentiam factam à studioso non Clerico Iudicibus Regiis. Non verò amittitur renuntiatione, aut submissione ad alium Iudicem; quia nequit quis renuntiare, quod non sibi, vt persona priuata est, sed vniuerso ordini studiosorum est concessum, cui præiudicium irrogaretur. Priuilegia autem studiosis concessa sunt plurima, (27) sed quia non omnia vigent, consulendus est stylus, & praxis.

24. Ego *vbi supra, quæst. 4.*

25. Barbosa. Didac. Perez *sup. quæst. 5.*

26. D. Alf. Escob. Rebuffus, & plurimi apud Me *sup. quæst. 5.*

27. Ego *de Iure Academic. l. 3. quæst. 7.*

14 Studiosi, qui in Lectionibus frequenter perstrepunt, & alios inquietant, peccant grauiter, cum graue damnum inferant. Infames, & qui è manu carnificis euaserunt, non gaudent priuilegio fori, (28) etiamsi albo Academiæ sint inscripti; nam iudicatur inscriptio subreptitia. Si Academicus non obediat Rectori, cum is iubet aliquid sub pœna præstiti iuramenti, si materia sit grauis, peccat mortaliter non obediens, secùs si sit leuis; qualis censendus est Salmanticæ comitatus Rectoris in aliquibus festis, aut actionibus; (29) dummodò non conueniret magna pars studiosorum in non comitando illo, tunc enim grauiter honor comi-

28. Besoldus. Apud Me *sup. quæst. 8.*

29. Ego cum pluribus *sup. q. 10.*

tatus

catus decresceret. Qui suffragium præbent ad Cathedras obtinendas, debent habere requisita præfixa in statutis; quamuis non peccent mortaliter, si habeant, quod substantiale est, etiamsi quid accidentale deficiat. (30) In quo casu si iuramentum ab eo qui suffragium præbet, exigatur circa requisita, certò probabile est, posse vti verbis amphibologicis; nam vt reus teneatur interrogatus iuridicè fateri contra se veritatem clarè, debent præcedere indicia probata, aut semiplena probatio. (31) Quod si pro indigno suffragium ferat, seu pro minùs digno, tenetur restituere damna indè secuta.

30. Nauarrus. Sotus. Ledesma. Th. Sanchez, & plures *sup. quæst.* 32.

31. Nauarrus. Th. Sanchez. Lud. Lopez. Henriquez *vbi super.*

15 Vt cursus annuus studiosi probari queat, debet ille audire lectiones designatas in statutis, ita vt saltem maiori parte horæ illis moraliter, & humano modo assistat, & toto tempore anni in prædictis statutis designato; & pro paruitate materiæ poterunt assignari viginti dies, & non vltrà, quibus non assistat lectionibus. Si verò ægrotet (32) intra locum Academiæ, id tempus pro assistentia habendum est. Quod si bona fide quis alias lectiones audiuit à designatis, poterit annuum cursum probare. (33) Testes autem tunc conscij veritatis valebunt vti verbis amphibologicis, ad deponendum, etiam cum iuramento, eum audiuisse lectiones designatas.

32. Ego *de Iure Academic. l. 3. q. 13.*

33. Ego *sup. q. 14.*

16 Academici Scholastici restituere tenentur quidquid à tyronibus per metum incussum iniustè grauem, aut leuem accipiunt; nam deficit in donante ratio perfecti voluntarij, illique donant, vt redimant suam vexationem, aliter non donaturi. Quod commune est cæteris, (34) à quibus aliquid per metum extorquetur. Et estò in aliis contractibus metus leuis eos non annullet, at in præsenti ex eo metu colligitur, donantem non habuisse voluntatem transferendi dominium. At si is externè significet, se nolle restitutionem, & ratam habere donationem, metusque fuerit occasio donandi, non causa, non tenetur accipiens restituere; sicut si præsumat prudenter, donantem, si ab eo posceretur, remissurum esse restitutionem; tunc enim (35) videtur donans inuitus fuisse quoad modum, non quoad substantiam rei donatæ.

34. Communis.

35. Ego *de Iure Academic. l. 3. q. 38.*

17 Peccant grauiter ſtudioſi Academici, qui diu, aut noctu armatis plauſibus acclamant aliquem ex ſua natione, vel ſimilem, quia pacem communem turbant, occaſio ſunt rixarum, armis prohibitis vtuntur, ſcandalum præbent, & alia plura damna parturiunt;

36. Ego *vbi ſuprà q. 44.*

(36) & conſequenter peccant, qui eis ſuadent, conſulunt, auxiliantur, recipiunt, vt id peragant; vel eis arma miniſtrant, quibus moraliter illi malè vſuri ſunt, ſi occaſio ſe offerat, vnde ſunt cauſa ruinæ proximi.

37. Caietanus. D. Antoninus. Adrianus. Sylueſter. Lugo. Suarez. Hurtado, & alij *ſuprà.*

(37) Nec excuſatio eſt, ſe nolle rixari, ſed indulgere ætati, & ſplendori alicuius; cum inſeparabilia ſint ea damna, nec ſciatur, an æmuli ſint obuiam ituri, & an pax turbetur.

18 Similiter peccant grauiter, qui concurrunt, vt pluribus diebus lectiuis vacetur à lectionibus, perſtrependo, vociferando, & audire nolendo, v. g. ante Natalem Domini, aut ante Bacchanalia; nam impediunt bonum publicum graue; minuunt maximè curſum annuum literarium; occaſionem præbent, vt ſtudioſi per nimium otium immoderatè tradantur voluptatibus, & ludis.

38. Ego *ſup. q. 45.*

(38) Hæc omnia ſunt contra virtutem charitatis proximi. Præterea Scholaſticus miſſus ad Academiam, non ſolùm vt ibi politicè educetur, (vt aliqui mitti ſolent) ſed vt ſtudeat, & diſcat, peccat grauiter ſi ſtudium priuatum (vltra lectiones Academiæ) omittat omninò, vel plurimo tempore; nam non ſatisfacit muneri ſuo in materia graui cum iactura temporis, & fortunarum: inobedienſque eſt parentum voluntati. Tenetur ergo ſaltem horam, & dimidiam quotidie ſtudio priuato impendere;

39. Ego *de Iure Academic. l. 3. q. 46.*

(39) non autem peccabit grauiter, ſi duabus, aut tribus hebdomadis in anno curſu id ſtudium omittat.

19 In Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis ſunt aliquæ Dignitates, & Canonicatus, quos obtinere nequit qui non acceperit Gradum in Academia approbata. Vt autem in caſibus occurrentibus ſciatur, quæ ſint Academiæ approbatæ, eas præſtringere erit vtile.

40. De his latè ergo *vbi ſup. l. 1. ex q. 2.*

(40) Sunt ergo ſequentes: quæ vel extant, vel aliquando extitere.

20 In Hiſpaniis, Salmanticenſis: Complutenſis: Valliſoletana:

Vallisoletana : Oscensis : Hispalensis : Oñatensis : Toletana : Cæsaraugustana : Barcinonensis : Valentina : Compostellana : Ouetensis : Hirachensis : Gandiensis: Ossunensis : Abulensis : Siguntina : Limensis : Mexicana.

21 In Italia, Romana : Bononiensis : Papiensis: Ferrariensis : Florentina : Neapolitana : Patauina : Perusina : Pisana : Senensis : Veneta : Mantuana : Mutinensis : Parmensis : Taurinensis : Panormitana.

22 In Galliarum regnis, Parisiensis : Andegauensis : Auenionensis : Biturigensis : Burdegalensis : Cadomensis : Dolana : Montispessulana : Nannetensis : Nimecensis : Pictauiensis : Rhemensis : Tolosana : Perpinianensis : Aurelianensis.

23 In Lusitania, Conimbricensis : Eborensis.

24 In Germania, Bohemia, Polonia, & Dania : Colonensis : Basileensis : Dilingana : Duacensis : Erphordiensis : Francfordiensis : Friburgensis : Gripsualdensis : Afrinensis : Heydelbergensis : Herbipolensis : Ingolstadiensis : Lipsiensis : Louanensis : Maspurgensis : Moguntina : Pragensis : Rostochiensis : Treuirensis : Tubigensis : Viennensis : Vvitembergensis : Viscontina : Helmstadina : Regiomontana : Græcensis : Lugduni Batauorum : Cliuensis : Cracouiensis.

25 In Anglia, Scotia, & Hibernia : Cantabrigiensis : Oxoniensis : Armachana : Dunensis : Lismonensis : Cassilensis : Mayonensis : Dublinensis : Lindisfornensis : Malmesburiensis : S. Andreæ : Aberdonensis : Glascouiensis. Non paucæ ex relatis apud hæreticos extant, & in his Catholicus nequit gradum accipere.

26 Præter relatas Academias sunt plura Studia generalia, quæ nomine Academiarum solent nuncupari. In aliquibus Collegiis sæcularibus Gradus Licentiatus, ac Doctoratus impertiuntur, sicut etiam à Comitibus Palatinis : qui non sufficiunt, vt Dignitates, & Canonicatus prædicti obtineantur. In vnoquoque autem Regno inspiciendus est stylus, qui seruatur in eo, quòd gradus in diuerso Regno acceptus vim in illo quoad prædicta retineat. Hæc communiter obseruanda est regula; vim nempè retinere cum Gradum in

externa Academia acceptum, si eo insignitus admittatur ad incorporationem eiusdem in Academia approbata illius alterius Regni, aut Prouinciæ.

27 In Collegiis Studiorum Generalium Societatis Iesu ex Bullis Pontificiis datur authoritas, ac potestas (adhuc in illis, quæ non sunt Academiæ approbatæ) conferendi Gradus in Philosophia, ac Theologia, qui sanè non solùm sunt ad instar, sed pariformes Gradibus, qui in Academiis accipiuntur, vt ex eisdem Bullis constat. An autem hi Gradus sufficiant ad eos Canonicatus, similiaque munera, vide infra, *Gradus in scientiis.*

28 Qui Gradum Magisterij, aut Doctoratus habet, potest post obitum deferri ad sepulturam ornatus insignibus illius Gradus; & sic fit Salmanticæ, & alibi. Insignia autem Graduum potest quævis Academia eligere, dum non sint ea omninò ipsa, quæ alij Magistratus, & Munera publica exercentes gestant, nam hæc ex Principis, aut Reipublicæ voluntate ea Munera significant.

## *Accusator. Denunciator. Fiscalis.*

1 ACcusator tenetur probare delictum, secus denuntiator. Qui sciens delictum vergens in Reipublicæ detrimentum non accusat, aut saltem non denuntiat delinquentem, (1) grauiter peccat: etiam peccat, qui falsò accusat; & qui, quamvis verè, tamen ex affectu odij, aut vindictæ: & qui non denuntiat delinquentem post edicta Prælatorum id præcipientia, nisi ille sit pater, mater, filius, coniux, quamvis hi etiam denuntiandi sint de delicto hæresis. (2) Hos tamen de blasphemia hæreticali non teneri denuntiare affirmant aliqui. (3) Probabile certò est, si vnicus solùm sit conscius delictorum aliorum præter hæresim ad Tribunal Fidei spectantium, eum (4) non teneri ad denuntiationem.

2 Grauiter peccat, qui non denuntiat hæreticum, aut de hæresi suspectum, quamvis sub iuramento, aut sub naturali secreto cognouerit delictum. (5) De obligatione

1. D. Thom. & communis apud Me *de Bulla Cruciat. d.* 34. *n.* 116.

2. Apud Me *sup. num.* 117.

3. Villalobos. Lessius, & alij apud Me *de Bulla Cruciat. d.* 34. *num.* 117.

gatione denuntiandi Confeſſarium ſolicitantem, vide verbum *Confeſſio.*

3 Fiſcalis in cauſis criminalibus peccat grauiter, ſi omittit accuſationem, aut non curat, vt delinquens puniatur iuxta criminis grauitatem, quia muneri ſuo in re graui non ſatisfacit.

4 Fiſcalis Regius in ciuilibus tenetur eiſdem obligationibus, ac Aduocatus. Vide verbum *Aduocatus*; gerit enim munus Aduocati Regij in cauſis ad Regium Fiſcum ſpectantibus.

5 Fiſcalis Tribunalis Fidei præter obligationes Fiſcalium criminalium, tenetur grauiter examinare informationes de puritate ſanguinis, & quoſvis defectus in eis repertos opponere.

6 Si peccatum eſt publicum, poteſt abſque correctione fraterna ſuperiori denuntiari, cum fiat ob eius emendationem, & non detur tunc fama, cui conſulatur. Idem eſt, ſi delictum vergat in damnum publicum, aut etiam priuatum, & non ſperetur, emendandum fore delinquentem, aut dubia ſit emendatio, nam damnum certum præualet. Delicta ſecreta nequit quis denuntiare, niſi præcedente correctione fraterna, vbi non vergunt in damnum tertij. Niſi in aliqua Religione iuri naturali cedatur, vt in Societate Jeſu, in qua poſſunt immediatè ſuperiori denuntiari culpæ quæ non ſunt emendatæ; aut etſi emendatæ ſint, detur periculum probabile, ac morale relabendi.

7 Si ſub præcepto, aut cenſurâ iubeatur, delinquentes denuntiari, (6) tenetur quis eos denuntiare, quos licitè poſſet, adhuc eo præcepto non vrgente, vt ſi crimen ſit publicum, aut ſemiplenè probatum per ſufficientia indicia, & rumorem. Quod ſi iudex, aut ſuperior ſolùm intendat partis læſæ ſatisfactionem, aut delinquentis emendationem, abſque alia pœnæ inflictione, & ſit ſatisfactum, aut ille omninò emendatus, non tenebitur quis eum (7) denuntiare. At ſi nulla infamia præceſſit, non tenetur quis tunc alium denuntiare, ſicut nec ſeipſum; maximè cum ſuæ famæ cedere poſſit, non alienæ (& ſermo eſt de delictis, quæ non vergunt in perniciem, aut damnum aliorum.) At vt patri, non in punitionem, ſed ob emendationem

4.
Suarez.
Bonacina.
Machado
*vbi nuper.*

5.
Diana.
Caſtro Palao
*vbi ſup. n.* 118.

6.
Medina *Cod. de reſtit. q.* 12.
Nauarrus.
Syluester.
Corduba.
Sotus.
Nauarra,
& alij.

7.
D. Thomas,
2. 2. *q.* 33.
*art.* 7. *ad* 3.
Nauarrus.
D. Antoninus.
Nauarra,
& alij.

denuntiare tenetur ob præceptum, cum nec infamia inde sequatur, nec pœna, & vrgeat aliundè præceptum, à quo non datur titulus excusationis.

8. Nauarra *de rest. l.2.cap.4. num. 223.* Sotus. Corduba, & plures.

8 Denuntiare quis tenetur, aut testificari delictum sibi sub secreto manifestatum, si vergat in damnum aliorum (dum non manifestatum fuerit in confessione) quia tunc (8) non obligat promissio secreti adhibita sub iuramento.

9. Sylvester *verb. Furtum, q.15.* Nauarra. Angelus. Corduba. Nauarrus. Medina.

9 Si denuntiandum furem esse præcipiatur, & quis sciat, alium rem accepisse ob occultam compensationem, omnibus requisitis seruatis, non debet, nec potest eum denuntiare, quia iniustè infamaret illum. (9) Quod verum est etiamsi adderetur in excommunicatione, denuntiandum esse adhuc eum, qui titulo compensationis rem accepisset. Cùm enim accipiens sic non peccauerit, excommunicatio in eo vi caret, siquidem nequit proferri validè, vbi peccatum graue non intercedit.

10. Caietanus *2.2.q.32.ar.7.* Sotus. Nauarra. Couarruuias. Nauarrus.

10 Clerici possunt denuntiare in causa sanguinis, modò protestentur, se non ad pœnam (10) sed ad cautelam denuntiare: neque ideo incurrunt irregularitatem.

11. Corduba *de detractione, q.2. concl.4.* Nauarra. Sotus. Adrianus. Nauarrus. Driedo.

11 Accusator, qui probare debet crimen, non tenetur prius corrigere fratrem; probatio enim illa supponit, non esse crimen omnino occultum, & præterea ius ille habet, vt bonum proprium curet, vel reipublicæ, cuius membrum est, & ne delicta maneant impunita, nec delinquentis consortio alij inficiantur. (11)

12. D. Thomas. *2.2. q.67. art. 3. ad 2.*

12 Accusatio differt à denuntiatione in eo, quòd in accusatione attenditur (12) criminis punitio, in denuntiatione fratris emendatio. Præterea quia, vt dixi, accusationem non debet præcedere correctio fraterna, sic verò denuntiationem. Rursùs quia accusator tenetur probare, aliàs obnoxius est pœnæ talionis, aut simili, non verò denuntiator. Demùm quia communiter accusatio (13) fit in scriptis, vt iudex procedat, non verò denuntiatio. Cæterùm non semper indiget accusatione iudex ad procedendum; nam ad id sufficit clamorosa insinuatio, quæ accusationis locum tenet.

13. Cap. *Accusatorum, 24. q.3.*

13 Admi-

13 Admittuntur ad accusandum, qui in Iure non (14) prohibentur. At in crimine priuato, nisi ob illud sit applicanda Fisco pœna pecuniaria, non admittitur alius, nisi (15) is, cuius interest.

14 Qui accusat aliquem falsò, tenetur ad restitutionem famæ, & damnorum. (16) A criminoso autem vero nequit accipere quis pecuniam, ne accuset, cùm tenetur. At si accipiat, non tenetur ei restituere illam; at si inde alij damnum sequatur, huic restituere tenebitur. Vide *Restitutio.*

15 Nisi delicta sint pertinentia ad Fidem, aut multùm pernicioſa Reipublicæ, vel præceptum manifestandi illa detur, non tenetur quis in conscientia (17) accusare delinquentem; sic autem eum fraternè corrigere in circumstantiis, de quibus verbo *Correctio fraterna.*

16 Si quis accusetur de crimine vero, quod tamen ipse non tenetur fateri, nec fatetur, accusatori non tenetur famam restituere, quamvis ille habeatur vt calumniator, sicut habetur, qui de crimine falso accusat. Cæterùm si accusator desistat ab accusatione, dicitur tergiuersator; ac in eo non peccat, dum absque scandalo præstet, & delictum non sit ex his, ad quæ accusanda quisque tenetur. Præuaricator autem erit, si iuuat secretò accusatum, quem publicè impugnat. (18)

17 Nemo tenetur complices sui delicti denuntiare, (19) quia id esset denuntiare seipsum, ad quod non tenetur. Nec tenetur denunciare quempiam, (20) de quo dubitet, an sit hæreticus; nam quilibet debet præsumi bonus, nisi malus probetur. Aliud est, si indicia, aut signa sufficientia dentur; tunc enim tenetur quis denunciare vt suspectum de hæresi.

18 Si quis iuret, se denuntiaturum esse omnia delicta alicuius, aut aliquorum, non obligatur nisi ad ea denuntianda, quæ ei independenter à iuramento licitum est denuntiare. Quòd si iurans (21) habuit in animo quævis delicta indistinctè, adhuc si ex circumstantiis non liceret denuntiare, grauiter peccauit, ob defectum iustitiæ in iuramento.

14. *Tit. de accusation. in Decretalib.* & 3. *q.* 4. *ac* 5.

15. Glossa *in leg. fin. ff. de priuat. delict.*

16. Cap. *Calumniator*, 2. *q.* 3. Cap. *Calumnia, de pœnit. & remiss.*

17. *Leg.* 1. *Cod. vt nemo inuitus agere, vel accusare cog.*

18. Vide D. Th. 2. 2. *q.* 68. *art.* 2.

19. Diana *p.* 1. *tr.* 4. *res.* 8. & 9. Suarez, & alij.

20. Graffis *in decis. aur. lib.* 4. *c.* 18. *n.* 26. Glossa *in cap. vnic. de scrut. in ord. fac.*

21. Sylu. *verb. denunciatio, q.* 5. Funius, Graffis, & alij.

# *Adulterium.*

1 PEccat grauiter occidens propria authoritate ſuam vxorem in adulterio deprehenſam. Contraria propoſitio damnata eſt (1) ab Alexandro VII. A fortiori nequit pater occidere filiam deprehenſam in adulterio, nec frater ſororem, vt ex terminis patet.

1. Die 2. Octob. anno 1665.

2 Maritus occidens clericum deprehenſum in adulterio cum ſua vxore non contrahit (2) excommunicationem Canonis, quia Eccleſia parcit tam diro dolori, nolens alium ſuperaddere. Quin maritus, pater, aut frater occidentes in adulterio deprehenſum non contrahunt irregularitatem; (3) quia illi quoad non contrahendam excommunicationem in iure æquantur his, qui occidunt aliquem cum moderamine inculpatæ tutelæ; vnde cum hi non contrahant (4) irregularitatem, nec illi contrahent, ſiquidem conſequenter ſunt his quoad hoc aſſimilandi; eſtò illi peccent, non hi.

2. *Cap. ſi verò, de ſent. excomm.* Couarruuias. Syluester. Iulius Clarus. Ceualios. Card. Toletus. Suarez, & alij apud Me *in Statera diſp. 3. q. 2.*

3 Adulter, cuius adulterium ignorat coniux, poteſt non ſolùm reddere, (ad quod tenetur) ſed petere debitum, (5) cum non amiſerit ius in foro conſcientiæ. Aliud eſt, ſi vxor eſſet publica adultera, & daretur ſcandalum in cohabitatione thori cum illa; tunc enim & petere, & reddere debitum (6) eſſet peccatum mortale. De filiis ex adulterio habitis, vide *Filius*.

3. Dicto *c. Si verò.* Fagundez.

4 Si ambo ſunt coniugati, qui adulterium patrant, non ſufficit vnumquemque exprimere in confeſſione, ſe eſſe coniugatum, ſed opus eſt etiam exponere, eſſe coniugatum complicem; nam in eo peccato duæ iniuſtitiæ committuntur contra duos.

4. *Clementin. Si furioſus, de homic.*

5 Peccat contra iuſtitiam, & caſtitatem coniugatus, qui delectatur in copula cogitata cum vxore aliena; (7) eo quòd vxor non ſolùm obligatum ſibi habeat maritum quoad corpus, ſed etiam quoad affectus tendentes ad rem veneream. Quod verum eſt adhuc, ſi in delectatione illa ſiſtat, quin progrediatur ad deſiderium.

5. Th. Sanchez. *l. 1. de matr. d. 68. num. 4.* Sotus. Iud. Lopez. Victorellus.

6. Couarruuias. *in rig. peccatum. p. 1.* Card. Caietan. Nauarrus. Victorellus. Lopez. Th. Sanchez.

‖7 Diana plura refert *p. 3. tr. 6. reſ. 73. & p. 5. tr. 13. reſ. 99.*

# *Aduocatus.*

1 POteſt aduocatus patrocinari cuilibet cauſæ probabili, quia ſpes eſt illi victoriæ; niſi ita ſit minùs probabilis, vt iudices ſemper pro oppoſita ferre ſoleant ſententiam (1). Debet tamen monere clientem de probabilitate, & dubio cauſæ, maximè quando etiamſi ſit probabilis, eſt minùs probabilis: aliàs tenetur compenſare damna inde ſecuta. (2) Non poteſt ſuſcipere cauſam, cuius oppoſita eſt certa, nam ſic illa non erit probabilis; nec poteſt conſuli ab vllo, ſi conſilium petatur à cliente, vt cauſam ſequatur certò improbabilem, poteſt verò certò probabilem, licèt vnus, vel alius improbabilem cenſeat; nec poteſt remitti cliens vt conſulat eum, qui ſentit probabilem eſſe opinionem, quæ eſt improbabilis; eſtò ille, nullo conſulto, potuiſſet eum adire, quia ignorabat, eum in illo eſſe errore. Vide Diſcurſum præambulum.

1. Apud Me*de Bulla Cruciat. d.34.num.106.*

2. Sotus *de iuſt. l.16. art.3. concl. 2.* Victorellus.

2 Non poteſt patrocinum ſumere vtriuſque litigantis, id enim eſt præuaricari, cum præuaricator ſit, qui ex vtraque parte conſiſtit. Quando teneatur reſtituere ob varias rationes, vide verbum *Reſtitutio.*

3 Nequit aduocatus proferre ius ſui clientis vt certum, ſi ſolùm eſt probabile, maximè ſi ſit aduocatus celebris, cuius dicto ſtare iudicem timeatur, indéque non trutinaturum fore probabilitatem vtriuſque partis.

4 Cum cauſa eſt anceps, & eius grauitatis, vt honoris, aut vitæ momentum in ea ſiſtat, nequit contra poſſidentem, cuius eſt melior cauſa, (2) eam defendere. Si autem ſit cauſa anceps parum grauis, poteſt, dum clienti prius dubium anceps exponat.

5 Clericus non beneficiatus aduocare poteſt coram Iudice Eccleſiaſtico, aut ſæculari in cauſis quibuſcumque, (3) dum non ſint criminales, coram ſæculari. Beneficiatus verò, aut ſacerdos, nequit aduocare niſi coram Eccleſiaſtico, niſi in his caſibus, nempè pro pro ſe; (4) pro ſua Eccleſia; pro perſonis coniunctis vſque ad quartum gradum, cum alium non habent Aduocatum,

3. *Cap. Sententiã, ne Clerici, vel Monachi.*

4. *Cap. Sacerdotibus, ne Cler. vel*

Aduocatum, saltem ita peritum, & demùm pro personis miserabilibus, quæ auxilio carent.

6 Hæretici (5) nequeunt aduocare, & consequenter nec infideles. Præterea nec excommunicati, & iudex (6) peccat grauiter, si eos admittat. Rursus Episcopi, & Superiores (7) aduocare nequeunt. Demum religiosus nequit, nisi vrgente ad id Monasterij necessitate, (8) ac Superiore imperante, dum sit ipsius Monasterij causa, aut alicuius benefactoris. Quin prohibitio aduocandi tendit ad id, ne religiosus id munus suscipiat ex professo, non verò (9) in vna, aut alia causa.

7 Prohibentur in Iure (10) aduocare infames, surdi, muti, cæci, perpetuò furiosi, impuberes vsque ad annum decimumoctauum, serui, fœminæ. Cæterùm illi, quibus prohibitum est aduocare, possunt, dum non sit coram iudice, suum sensum litigantibus exponere, consilium præbere, informationes, aut quid simile conficere; quod tamen non licet clericis in criminalibus, nisi pro defensione rei, non autem actoris.

*Monach. Glossa in cap. denique, 14. q. 5.*

*5. Cap. Excommunicamus 1. de hæretic.*

*6. Cap. Excommunicatos 2. q. 3.*

*7. Cap. Te quidem, 11. q. 1.*

*8. Cap. Ex parte, de postul.*

*9. Sylvest. verb. Aduocatus, q. 7. Archidiacon.*

*10. Leg. 1. ff. de postul. Cap. infames, Syria, 3. q. 7.*

## *Alienatio.*

1 RErum Ecclesiasticarum alienatio, hypotheca, locatio, & conductio vltra triennium, infeudatio, emphyteusis, in Iure (1) sunt prohibita sub grauibus pœnis, & per Pontificum (2) Bullas, necnon per Tridentinum, (3) nisi in casibus inibi expressis, & cum euidenti Ecclesiæ vtilitate, debitis solennitatibus, ac licentiis: aliter alienatio, seu quivis contractus ex prohibitis, reuocationi, & annullationi sunt obnoxij, peccantque grauiter Ecclesiastici sic alienantes. Res autem, quæ alienari nequeunt, sunt immobiles, & pretiosæ mobiles. Casus permissi sunt Ecclesiæ necessitas, manifesta vtilitas, incommoditas, & pietas. Solennitates verò licentia, & authoritas Prælati, tractatus, consensus Capituli, seu communitatis, & suprascriptio singulorum, saltem per Notarium. Et nunc fieri nequit alienatio, inconsulto Pontifice, seu Sacra Congregatione Episcoporum, &

*1. Titulis de reb. Eccl. non alien. in Decretalibus, Sexto, & Clementin.*

*2. Pius IV. in Bulla quæ incipit Prouida. Paulus II. in Bulla quæ incipit Ambitiosæ; in Extrau. Comm. sub eodem tit.*

*3. Sess. 25. de reform. cap. 11.*

& Regularium. Pœnæ contentæ in Extrauaganti *Ambitioſæ*, in Hiſpania non ſunt receptæ.

2 Requiritur etiam ea licentia Pontificia ad permutandas res Eccleſiaſticas : (4) & ſic fert ſtylus, & praxis ; & ad quemlibet contractum, in quo transferatur dominium vtile, retento directo. (5) Hinc non poteſt Beneficiarius in emphyteuſim concedere fructus beneficij, vita durante ; & ſi vltra triennium locet, non tenetur ſucceſſor ſtare locationi (6). Si conſuetudine ſit inductum locare vltra triennium, licita erit locatio. Et eam locationem vltra triennium licitam eſſe abſolutè Beneficiariis, certò probabile eſt : nam prohibitio cadit ſuper bona communia Eccleſiæ.

3 Prohibita etiam eſt tranſactio, (7) & ceſſio iuris, litis, & cauſæ, cùm Eccleſia habet actionem ad rem ; ſunt enim hæ ſpecies quædam alienationis. Hypotheca ſpecialis nequit fieri, ſic verò generalis.

4. Nomine mobilium pretioſorum, quæ alienari modis dictis nequeunt, veniunt vaſa aurea, argentea, ornamenta pretioſa, ſeu veſtes pretioſæ imaginum, gemmæ, & his ſimilia, quæ ſaltem valeant viginti quinque aureis. Præterea ſi greges ſunt deſtinati, vt eorum fructus ſubueniant Eccleſiæ, nequeunt integrè alienari ; (8) cum hi ſeruando ſeruari poſſint. Rurſus pecunia, quæ deſtinata eſt ad emendum bona immobilia, aut mobilia pretioſa. Nec bona eiuſmodi (9) pignorari poſſunt.

5 Eccleſiaſtica bona ſunt, quæ pertinent ad Eccleſias, Beneficia, Monaſteria, Hoſpitalia, Eremitoria, Capellas, dummodo hæc authoritate Epiſcopi ſint fundata ; nam bona Collegiorum, Confraternitatum, aut Communitatum ſæcularium non cadunt ſub prohibitionibus præfatis.

6 Religioſi Ordinis Minorum, quibus prohibitum eſt habere bona immobilia, ſi illis teſtamento legentur, aut donentur ea bona, poſſunt ea vendere, quin poſſeſſionem adeant, ad ſuſtentationem Monaſterij. (10)

7 Qui iuramentum non alienandi res Eccleſiæ emittunt, non violant illud, ſi ex cauſa, & debitis cum ſolennitatibus alienent ; nam iuramentum non extenditur ad hos euentus.

4. Quaranta *in Bullario, verbo Alienatio, n.* 15.

5. Redoanus *tr. de reb. Eccl. alien. q.* 2. *ex cap.* 24. Rebuffus. Quarant. Et plures.

6. Nauarrus. *conſil.* 10. *de reb. Eccl. non alien.*

7. Panormitan. *in cap. vt ſuper, de reb. Eccl. alien.* Molina. Rolanus. Grauettus. Barbatius. Fed. Senenſis. Caualcanus. Pariſius, & alij.

8. Molina *de contract. d.* 465. *n* 4.

9. Franch. *in c.* 1. *de reb. Eccl. alien. lib* 6. Panormitan.

10. Eman. Sà. *in ſum. verbo Alienatio, n.* 7.

8 Dotes

8 Dotes Monialium inter res immobiles computantur; verùm video conſuetudine inductum in pluribus Monaſteriis, quod inſumantur in ſoluendis debitis, & in ſuſtentatione illorum.

9 Si vtilitas ingens, aut neceſſitas Eccleſiæ vrgeat, poteſt celebrari contractus alienationis, ſaluo aſſenſu Pontificis, qui poſtmodùm petatur, cùm inde Eccleſiæ nullum inferatur damnum, ſed potiùs incrementum.

11. Diana *p. 5. tr. 13. reſ. 6.*

10 Patres Theatini (11) priuilegio gaudent alienandi bona immobilia de licentia ſui Generalis, abſque conſenſu Sacræ Congregationis, in quo dumtaxat requiſito operatur priuilegium, nam cætera ſunt obſeruanda. Idem priuilegium habent in Prouincia Lombardiæ cum licentia ſui Prouincialis Monaſteria Sacri Ordinis Prædicatorum. (12) Cæteri Religionum Prælati alienantes abſque licentia Congregationis Sacræ incidunt in pœnas ſtatutas in Decreto Sacræ Congregationis Tridentini edito iuſſu Vrbani VIII. die 7. Septembris, anno 1624.

12. Fumus *in Armilla, verb. Alienatio, n. 28.*

## *Altare.*

1. In Bulla, quæ incipit *Religionis zelus.*

1 COnceſſum eſt Regularibus Militaris Ordinis S. Jacobi à Leone X. vti altari (1) portatili. Eundem vſum in Miſſionibus, & Caſtris militum conceſſit (2) Gregorius XIII. Religioſis Societatis Jeſu. Idem priuilegium conceſſum à variis Pontificibus habent plures Sacræ Religiones. (3) Sed nec Iacobæi extra Monaſteria, nec cæteri Regulares, niſi in caſibus expreſſis in Bullis, valent vti eo altari portatili.

2. Apud Me *de Ordinib. Militarib. d. 12. q. 11.*

2 Abſque ara (quæ ſtrictè vocatur altare) celebrare, eſt peccatum mortale, nec vnquam in hoc eſt diſpenſatum. Amittit conſecrationem, ſi ita frangatur, vt in vno ex fragmentis calix, & hoſtia nequeant decenter apponi. Conſecratur autem vnctione chriſmatis, & benedictione. Nec appoſitio Reliquiarum Sanctorum ſpectat ad conſecrationis eſſentiam. Ara autem debet eſſe lapidea.

3. Ego *vbi ſuper, & d. 18. q. 4.*

3 Si

3 Si altare priuilegiatum ad liberandam animam à Purgatorio, mutetur ad alium locum, manere adhuc priuilegiatum, dum non fuerit conceſſa ea indulgentia intuitu ſacelli, in quo erat antea, pia eſt aliquorum opinio. Contrariam cenſeo veram, ſi intra eandem Eccleſiam non mutetur ſimul cum Imagine Sancti, cui erat dicatum: aliter ſi tota Eccleſia deſtrueretur, poſſet illud altare cum illo priuilegio mutari ad aliam Eccleſiam, quod nequit admitti.

4 Si Eccleſia deſtruatur, vno excepto altari, id ſuam conſecrationem (4) non amittit. At polluta Eccleſia, altaria manent polluta, nec ante reconciliationem poteſt in eis celebrari, quia ſunt intra corpus Eccleſiæ. Secus eſt de altari extra Eccleſiam, niſi eſſet vnus, idemque paries Eccleſiæ, & altaris extra eam ſiti; tunc enim etiam polluereturid altare. Circa ea, quæ requiruntur in altari ad Miſſam celebrandam, vide *Miſſa*.

4. Fumus *in Armilla, verbo Altare, n.* 12. Panormitan. & alij.

*Amphibologia.*

Vide *Iuramentum.*

*Apoſtata.*

Vide *Religio.*

*Appellatio.*

Vide *Iudex.*

## *Approbatio.*

1 APprobatio Confeſſarij eſt actus iuriſdictionis; quare eum approbare nequit Epiſcopus ſolùm titularis; nec Epiſcopus electus nondum confirmatus. Poteſt approbare Vicarius Epiſcopi, qui vnum tribunal cum eo conſtituit: niſi Epiſcopus id ei limitauerit. Præterea Capitulum Sede vacante, quod ſuccedit Epiſcopo in munere. (1) Rursùs Prælati exempti iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes. Non eſt opus, eſtò ſit conducens, approbationem in ſcriptis habere. Valet autem approbatio etiam pro pecunia obtenta; nam eſtò conſter ex iure inualiditas collationis ſimoniacæ Beneficij, non tamen inualiditas huiuſmodi approbationis,

1. Canoniſtæ *in cap. cùm olim, de maiorit. & obedient.* Laym. & alij apud Me *de Bulla Cruc. d.* 22. *c.* 3.

approbationis, nec Tridentinum eam irritat, etſi præſcribat, præſtandam eſſe gratis. (2)

1. Barboſa. Boſſius. Fagundez. Suarez. Leander, & alij *ſup.*

2 Vicarius Epiſcopi, expleto munere ſuo, indiget approbatione (ſi eam non habuerit) vt excipiat Confeſſiones; quia ſolùm habuit eam ad tempus, dum Vicarius erat, & non ab Eccleſia tanquam publicus Miniſter, vt eam habent Parochi. (3) Si manifeſtè conſtet, approbatum quempiam fuiſſe redditum inidoneum, nequit eligi in Confeſſarium; ſecus ſi dubitetur de inidoneitate, quia tunc præſumptio ſtat pro approbatione Epiſcopi, & pro opinione, ac fama Confeſſarij. Si verò pœnitens in Confeſſione dignoſcat, eum eſſe inidoneum, cum alio debet confiteri, non ſecus ac ſi cum amente confeſſus fuiſſet.

3. Ego *de Bulla Cruciat. d.* 22. *n.* 104.

3 Epiſcopus excommunicatus non toleratus, aut ſuſpenſus ab officio, ac iuriſdictione, nequit approbare ad confeſſiones audiendas, quia approbatio eſt (4) actus iuriſdictionis, quam ille nequit exercere. Oppoſitum eſt etiam (5) certò probabile. Parochus in nullo caſu poteſt exponere ad excipiendas Confeſſiones ſuarum ouium Sacerdotem non approbatum, nec ad eum pertinet approbatio, ſed ad Ordinarium: nec ſibi poteſt eligere in Confeſſarium illum. Si Epiſcopus externis verbis approbet Sacerdotem, licet internè non iudicet eum idoneum, validè hic excipit Confeſſiones, alias anſa daretur innumeris ſcrupulis, nec homines aliter agunt, niſi eo humano modo: (6) & vt iudicetur à pœnitente idoneus, ea approbatio ſufficit, nec opus eſt inueſtigare mentem Epiſcopi.

4. Sotus. Sylueſter. Guttierrez. Suarez, & alij *ſup. num.* 110.

5. Nauarrus. Baſil. Legion. Tabiena. Fagundez. Henriquez, & alij *ſup.*

6. Th. Sanchez. Baſil. Legion. & alij *ſup. num.* 112.

4 Approbatus ad adminiſtranda Sacramenta in generali à fortiori eſt approbatus ad Sacramentum Pœnitentiæ, cum id ſit, ad quod ex ſuaſione communi approbatio requiritur. Si quis non approbatus (ſciente Epiſcopo) coram ipſo excipiat Confeſſiones, dum incipit excipere, peccat, quia abſque approbatione ſe immiſcet actui, quem nequit exercere; at poſtmodùm non prohibitus validè & licitè operatur, (7) nam eſt ratihabitio de præſenti, & tacita approbatio, dum Epiſcopus, qui tenebatur prohibere, tacet, & conſentit. At ea approbatio eſt limitata pro eo tractatu temporis, quo continuatè aſsiſteret ibi ille Sacerdos,

7. Coriolanus. Sotus. Sylueſter. Diana. Granad. & alij

cerdos, nec eſt fundamentum, (8) vt vlterius extendatur. Si quis eligatur ab Epiſcopo in ſuum Confeſſarium, non ideò approbatus manet reſpectu aliorum; eſt enim ea approbatio limitata ad perſonam. Approbatus ab Ordinario vnius diœceſis, etiamſi diu abſit ab illa, & redeat, retinet approbationem, niſi poſt eius diſceſſum fuerint approbationes reuocatæ, ita vt approbatio illius includatur in ea reuocatione. Si approbatus ſit prauis moribus inquinatus, ad Ordinarium attinet eum arcere à Confeſſionibus: interim tamen rarò datur caſus, in quo nequeat ille à pœnitentibus eligi in Confeſſarium, cum ille breui tempore potuerit doluiſſe, & in ſtatu gratiæ verſari, nec ad pœnitentes pertineat inquirere de eius vita.

apud Me *de Bulla Cruciat. d.22.n.115.*

8. Toletus. Bonacina. Fagund. & alij *vbi ſuper.*

5 Approbatus in vna diœceſi non eſt approbatus in alia, nec ad audiendas ibi Confeſſiones ſubditorum Epiſcopi prioris, à quo fuit approbatus. Sic ſtabiliuit declarando Tridentinum Clemens X. in Bulla, quæ incipit *Superna*, expedita die 2. Auguſti 1670. In qua etiam extant ſtabilita, & declarata ſequentia. Approbatus ab Epiſcopo ad Confeſſiones ſæcularium non eſt approbatus ad Confeſſiones Monialium, ſed indiget ſpeciali licentia. Et approbatus ad vnum Monaſterium Monialium nequit ſine alia licentia audire confeſſiones Monialium alterius Monaſterij. Et deputati pro vna vice ad earum confeſſiones, expleta ea deputatione nequeunt vltrà eas audire.

6 Non requiritur approbatio Ordinarij, vt Sacerdos excipiat confeſsiones Religioſorum, (9) ſed ſufficit licentia Prælati eorum; nam Tridentinum nihil quoad hoc innouauit, (10) & ſolùm præcepit, nullum poſſe excipere confeſsiones ſæcularium, adhuc Sacerdotum, qui non ſit Parochus, aut approbatus ab Epiſcopo.

9. Suar. *de pœnit. d.28. ſect.4.* Nauarrus. Eman. Sà, & communis.

10. *Seſſ.23.c.15.*

Plurima de approbatione reperies verbo *Confeſſio*, & verbo *Bulla communis Cruciatæ*.

## *Aqua benedicta, ſeu luſtralis.*

1 Aqua benedicta non eſt ſacramentum, cum non ordinetur directè ad cauſandam gratiam, ſed eſt ſacramentale, (1) quatenus remouet prohibens effectum ſacramentorum: nempè eſt contra impugnationes exteriores dæmonis, & delet peccata venialia, quatenus excitat feruorem deuotionis. Etenim non delentur per ſolam ſumptionem, ſeu aſperſionem quaſi materialem, ac de more acceptam, ſi nullus actus deuotionis exciteur.

1. D. Thom. *in* 4. *ſent. d.* 6. *q.*1. *art.*2. *&* 3. *q.*2. & communis.

2 Solus Sacerdos poteſt aquam benedicere, ſaltem immiſcendo, ac proferendo benedictiones ab Eccleſia deſignatas. Addita aqua non benedicta fit tota benedicta, etiamſi maior pars ſit, quæ (2) additur.

2. Emanr. Sà *verb. Benedictio.* Sylueſter. Leſſius. Diana.

3 Si Sacerdos excommunicatus, aut ſuſpenſus benediceret aquam, fieret irregularis; (3) quia ea benedictio eſt actus, ac exercitium proprium certi, & determinati Ordinis.

3. Innocent. *in c.* 1. *de exceſſ. Prælator.* Fumus.

4 Prodeſt aqua benedicta aſperſa ſupra ſepulchra animabus Purgatorij. Vide *Purgatorium.*

4. *Cap. Aquæ, de conſecr. Eccleſ.*

5 Solus Epiſcopus poteſt aquam, quæ ſolet nuncupari Sancta, benedicere, in qua immiſcetur vinum, & cinis; (4) & fit ad reconciliandam Eccleſiam pollutam. Sed an nunc huius vſus ſit, conſulenda eſt conſuetudo diœceſum.

6 Cum aqua benedicta vim habeat aduerſus exteriores dæmonum impugnationes, laudabile eſt eam domui, lecto, & aliis huiuſmodi aſpergere, ac ad fugandos è corporibus dæmones, & expellendas tempeſtates, omniaque ea, quæ à Deo permittitur dæmon excitare, aut conficere. Quamvis die Dominica ſoleat aqua benedici; ſi tamen deſit, poteſt alio die.

*Archiepiſcopus*

# *Archiepiſcopus.*

1 ARchiepiſcopo reſpectu ſuæ propriæ Diœceſis aptantur omnia, quæ de Epiſcopo proferentur verbo *Epiſcopus*; vbi etiam aliqua circa Archiepiſcopum ſpecialia reperientur. Quas autem indulgentias poſſit concedere Archiepiſcopus in ſua Diœceſi, & in tota ſua Prouincia, vide *Indulgentia*. Plúra olim præſtare poterant Archiepiſcopi, quæ vel limitata iam ſunt, vel in deſuetudinem abierunt. (1)

2 Archiepiſcopus eſt iudex ordinarius Epiſcoporum (2) ſuæ Prouinciæ. Valet eos ſuſpendere, interdicere, & excommunicare. (3) Poteſt eos ad Concilium Prouinciale vocare, iique tenentur adire; eoſdem item cogere, vt ad conſecrationem Epiſcopi ſuffraganei electi concurrant, provt eis fuerit opus. Eſt etiam iudex Officialium, ſeu Vicariorum generalium eiuſmodi Epiſcoporum, ſi authoritas officij ſit in cauſa, vt delinquant, (4) nempè in caſibus in Iure expreſſis.

3 Præſente, aut adueniente Archiepiſcopo, nequit Epiſcopus ſuffraganeus benedictionem priuatam impertire. (5)

4 Habet Archiepiſcopus iuriſdictionem in ſubditos ſuffraganei, dum ad illum appellant, tam in appellantem, quàm in eum, cum quo is litem agit. Appellare autem hi poſſunt in cauſis ſpiritualibus, ciuilibus, & criminalibus. (6) Quòd ſi appelletur ab excommunicatione, huius executio non ſuſpenditur per illam. Quod ſi nullitas excommunicationis allegetur, poteſt Archiepiſcopus abſoluere ad cautelam, (7) cum citatione illius, cuius intereſt, niſi periculum eſſet in mora. Si ſuffraganeus cognoſcat de cauſa ex delegatione ſpeciali Pontificis, ad hunc appellatur. Cum verò vt delegatus ex vi decretorum Tridentini, ad Archiepiſcopum eſt appellandum. (8)

5 Per totam ſuam Prouinciam valet Archiepiſcopus ante ſe deferre crucem. Valet etiam mittere Quæſtores eleemoſynarum pro Eccleſia Metropolitana fabrican-

1. Quaranta *tr. de præſtantiæ Archiepiſcopi.* Ipſe *in ſummæ Bullarij, verbo Archiepiſcopi authoritas.*

2. *Cap. Quia cognouimus, 10. quæſt. 3.*

*Cap. Solicitudinem, de appellat.*

3. *Cap. 1. de Offic. Ordin. in 6.*

*Cap. Graue, de præbend.*

4. *Cap. Venerabilibus, de ſent. excomm.*

*Cap. Paſtoralis, de Offic. Ordin.*

5. *In Cæremoniali Epiſcopor. c. 4.*

6. Hoſtienſis *in c. Romana, de appellat. in 6.*

7. Communior.

8. Declaratio Emin. Cardinalium Tridentini, in vna Tarraconenſi.

da, ſeu reparanda, (9) & pro quouis opere pio; & totum populum benedicere, & in Pontificalibus celebrare, alioſque coram ſe celebrare facere: & præterea vti pallio. Eo autem indiget, vt Archiepiſcopi munere fungatur; & quidem ſi nouæ Metropolis fiat Archiepiſcopus, indiget nouo pallio. Prædicta autem poteſt præſtare in ſua Prouincia, etiam dum eam non viſitat. Nam eam poteſt viſitare; & tunc confeſſiones audire, & abſoluere à caſibus reſeruatis Epiſcopo, ac diſpenſare in foro conſcientiæ. (10)

9. Franch. *in c. 1. de pœnit. & remiſſ.* Card. Zabarel. Imola. Quaranta.

6 In Sede vacante ſuffraganei, ſi infra octo dies Capitulum non eligat Vicarium generalem, (11) poteſt Metropolitanus illum eligere. Poteſt in tota Prouincia interdicere aliquibus, (12) ſi rectè non ſe gerant, prædicationis officium. Alia etiam, quæ præſtare valet, ex Tridentino conſtant. In viſitatione Prouinciæ nequit conferre Sacramenta Confirmationis, & Ordinis.

10. Abb. *in c. ad exſtirpandas, de fil. presb.* & plures.

11. Trid. *ſeſſ. 24. de refor. c. 18.*

12. *Cap. Tuarum, de priuileg.*

## *Artes liberales, & alia officia, ac artes.*

1 Architectus, cuius culpâ ædificium patitur damnum, debet illud reſtituere, & etiam ſi quidquam laboris à conuentione facta detraxerit. Et quamvis nullum emolumentum è fabrica percepiſſet, tenetur ad reſtitutionem damni (1) ob eius culpam emergentis, niſi culpa (2) fuiſſet leuiſſima, aut leuis.

1. Communis.

2. Barboſa, & plures apud Me *de Bulla Cruc. d. 35. n. 9.*

2 Pictor, ſi fallat in pretio emptorem, tenetur, ſicut cæteri venditores in eo fallentes, reſtituere exceſſum. Peccat pingendo fœminas omnino nudas, quin & homines; & etiam pingendo vultus fœminæ, aut viri, vt tradantur amaſio, ſeu amaſiæ; at non tenetur reſtituere.

3 Magiſtri, qui docent pueros legere, ſcribere, & numerare, accepto ab illis pretio, emolumenta quæ percipiunt, tenentur reſtituere, ſi muneri ſuo non ſatisfaciant,

tisfaciant, & pro eorum incuria illi multùm temporis in addiſcendo inſumant.

4 Magiſtri Grammaticæ, Philoſophiæ, Theologiæ, & Iuris Canonici, & conſulentes, aut ſententiam ſuam promentes, poſſunt abſque ſimonia accipere ſtipendium; nam modus docendi, & diſcendi eſt naturalis. (3) Non violatur dies feſtus docendo, aut diſcendo eas Arces, nec tranſcribendo, etiam pretio accepto; nam exercitia ſeruilia non ſunt. Magiſtri deſtinati ad legendum, ſtipendio accepto, ſi adſint hora, & loco ſolito, & non adueniant diſcipuli, vt in Academiis aliquando contingit, poſſunt licitè ſtipendium percipere, & retinere.

3. Communis apud Me *ſup. n.* 13. & *de Iure Academico, l.* 2. *ex n.* 99.

5 Medicus, qui abſque ſcientia, & praxi neceſſaria medetur ægrotis, tenetur reſarcire damna ſecuta ex medicamentis inopportunis. (4) Quòd ſi ægrotus conſcius de inſufficientia medici, eum vocet, ſibi imputet damna, quæ ille tunc reſtituere non tenetur. Idem dic de chirurgis, qui à pauperibus ſolent vocari, & in oppidis exiguis, vbi non eſt medicus, curant ægrotos; ij tamen nequeunt remedia applicare, nedum nociua, ſed quæ ignorant, an ſint futura nocumento, aut vtilitati. (5)

4. Nauarrus, Sylueſter, & alij *vbi ſup. de Bulla Cruciat. num.* 15.

5. Panormitan. Sylueſter. Machado *vbi nuper.*

6 Præterea medicus, qui ſtipendium accipit, tenetur ex iuſtitia horis debitis inniſere ægrotum, aliàs cogitur damna reſtituere; (6) & etiam, ſi cogat afferri medicamenta à domo pharmacopolæ iguari, aut fraudibus vtentis. Chirurgus autem non poteſt ſe intromittere ad ea, quæ ſui muneris non ſunt, ne ſe exponat periculo inferendi damnum.

6. Baſſeus. Trullench. Th. Sanchez, & alij *ſup. num.* 17.

7 Pharmacopola, niſi fideliter medicamenta confíciat, iniuſtitiæ eſt reus, indéque reſtitutioni damnorum obnoxius. Nequit, inconſulto medico, pharmaca, maximè violenta præbere, (7) cum ex illorum ſumptione poſſit ægrotus periclitari. Nec poteſt vendere toxica, & venena, quæ apud ſe ad aliqua temperanda medicamenta habet; niſi ea præſtaret viro timorato, & prudenti, de quo certus eſſet, non fore eis abuſurum.

7. Molin. & alij. Ego *de Bulla Cruciat. d.* 35. *num.* 20.

8 Tonſores reliqua habent cum cæteris Officialibus communia. Barbam tondere poſſunt in locis, vbi id

est consuetudine inductum, diebus festis, vbi lucrum præcipuum (8) aut ingens eis diebus adquiritur.

8. Caietanus. Diana. Bassæus. Fagundez, & plures *vbi sup. num.* 23.

9 Sartores, dum nihil in præiudicium emptorum operentur, possunt merces ad vestes excipere è domo mercatoris, qui ob id aliquod pretium eis confert. (9) Reliquias vestium, dum sint sciissuræ minusculæ, possunt sibi retinere, (10) ea enim præsumitur voluntas dominorum, quibus nullis vsibus illæ communiter essent vtiles; non verò si non sint exiguæ. Diebus festis laborare non possunt, nisi iusta de causa, v. g. cum ad aliquod funus vestes luctuosæ sunt necessariæ, vel alia simili. (11)

9. Homobonus. Trullench. Diana. Filliuc. *vbi sup. n.* 26.

10 Quæstores Regiæ gazæ tenentur restituere, quod accipiunt, ne differant solutionem, quam præstare creditoribus possunt, qui id largiuntur, vt redimant suam vexationem, inuiti absolutè. Secus si creditor vltroneus in signum gratitudinis aliquid eis donet. Possunt etiam aliquid accipere, si ipsi adhuc non perceperint Regiam gazam, & soluant, ob periculum, cui exponuntur, amittendi quod soluunt, & ob lucrum cessans, si poterant cum ea pecunia aliquid lucrari. Idem dic de Administratoribus, & Oeconomis Dynastarum, & Equitum. Nec ab his omnibus, nec à lictoribus est admittenda excusatio, quod exiguos redditus pro munere habeant; nam exigui sunt si attendatur ad amplitudinem familiæ, quam volunt promouere, non verò si æquitas inspiciatur.

10. Th. Sanchez. Villalob. & alij *vbi sup. num.* 27.

11. Ledesma. Molphesius. Diana. Sà. Laym. & alij *sup. num.* 32.

11 Lictores tenentur nocte per vrbem vagari, vt vitentur delicta, aliter peccant, sed ad restitutionem damnorum, si illud non exequantur, non tenentur; nam Respublica ad idem non intendit (12) eos obligare. Si non denuntient delicta, peccant, non quidem semper, cum non ita strictè ad id obligentur, sed quando iudicio prudentis grauiter muneri suo deficiunt; at non tenentur (13) restituere pœnas, quæ essent soluendæ à delinquentibus, quia eis non incumbit ditare Rempublicam, sed impedire delicta. Si pro non denunciando accipiant aliquid, peccant, sed illud sibi retinere possunt, quia est pretium actionis turpis pretio æstimabilis, & acceptum ob turpem causã potest retineri, eo modo quo dicetur verbo *Restitutio*.

12. Sylvester. Lessius, & alij *vbi sup. num.* 42.

13. Nauarrus. Sylvester. Trullench. Diana. Tanner. & alij *suprà.*

12 Omnes

12 Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, esse excusatos ab obligatione ieiunij, nec debere se certificare, an labor sit compatibilis cum ieiunio, est propositio damnata (14) ab Alexandro VII. Quare inspiciendus est labor, an sit grauis, ita vt ieiunari non possit absque graui incommodo. Vnde non excusarem à ieiunio sartores, scriptores, pictores, tonsores, pharmacopolas, vendentes domui, aut in plateis, vel per vias publicas, merces, ac victualia, & alios similes; sic verò fabros ferrarios, coriarios, exstructores domuum, aut murorum, fabros lignarios, muliones, viatores pedites per plures horas, & cæteros, qui vires corporis exercent, ac motu violento vtuntur, in quibus standum est & eorum dicto, & prudentis ac timorati arbitrio; cum possint aliqui fatigatione graui vexari, secus alij, idque experientiis constet.

14. In Constitutione edita die 23. Martij, anno 1666.

13 Artes, quæ elaborant instrumenta, quibus homines possunt ad bonum, & ad malum vti, licitæ sunt; v. g. fabricatio armorum, chartarum pictarum ad ludendum, & similium. (15) At hi artifices non possunt eas res vendere ei, quem certò sciunt, eas emere, vt aliquod peccatum mortale committat; veluti si scirent, emi arma ad duellum, aut aliquam rem ad magicam artem. (16) Illicitæ sunt autem eæ artes fabricantes aliqua, quibus homines vti non possunt nisi ad malum, v. g. idola, & quævis alia ad idololatriam, aut quid eiusmodi pertinentia, in quorum fabricatione datur peccatum mortale. (17) At qui hæc venderet, esto peccaret, nihil teneretur restituere, cum sint pretio æstimabilia.

15. Communis.

16. Caietanus. 2. 2. *q.* 199. *art.* 2.

17. D. Thomas. 2. 2. *q.* 169. *art.* 2. *ad* 4. Raymundus, Fumus, & alij.

14 Histrionum artem exercere ex se, ac debito modo non est peccatum mortale. (18) Erit tamen si comœdiæ, aut facetiæ sint turpes: si abutantur ad iocum Scripturæ Sacræ locis; si saltus, ac tripudia præferant obscœnitatem; si fœminæ, cum virilem personam simulant, longa vsque ad pedes veste non vtantur; etenim in his, nisi vitentur, occasio ruinæ proximi datur. Præterea ratione loci, temporis, aut alterius circunstantiæ potest reperiri graue peccatum in huius artis exercitio; v. g. si comœdiæ repræsentarentur

18. Fumus *in Armilla, verb. Histrio.* D Thomas. 2. 2. *q.* 169. *art.* 3. Sylvester. Ioan. Medin. Sà, & alij.

tempore Quadrageſimæ; ſi in Eccleſia, quando diuina Officia ſunt celebranda; ſi propè Eccleſiam iis horis, quibus perturbarentur Miſſæ, aut Horæ canonicæ. Non peccat qui ſoluit pretium taxatum, vt comœdiis interſit: eiſque intereſſe abſque prauo fine, & ſecluſo periculo, non eſt peccatum, quia eſt actus indifferens. (18)

18. D. Thomas. Bauny. Bonacina. Et cum aliis Ego *in Statera, d. 5. q. 10.*

15 Hiſtriones ſunt à iure infames, (19) & ideò non poſſunt promoueri nec ad ſtatum Clericalem, nec ad publica Munera. Quin cum abutuntur ſua arte, mortaliter delinquentes, ea ars damnatur, (20) & inſimul donatio eorum, qui eis aliquid præbent ratione exercitij; & in ea perſeuerantes arcentur à Communione. (21)

19. *Cap. Maritum, diſt. 4.*

20. *Cap. Donare, diſt. 86.*

16 Funambulorum ludus, vel ars ex ſe eſt indifferens, vt ſit licitum eam exercere, vel ſit lethale peccatum. Si enim periculum mortis detur, in ea exercenda peccatur; ſi verò funambulus ſit adeò peritus, vt mortis periculum non timeatur, non datur (22) graue peccatum. Cæterùm eſtò ob exiguam dexteritatem funambuli peccatum mortale in eo daretur, non tamen peccarent ſpectatores, (23) dum non cooperarentur ad eum ludum exercendum, nec inde ſequeretur ſcandalum. Quod idem contingit, dum alij ludi ſpectantur; v. g. ſi chartis pictis vnus ludit mortaliter peccans, quia ſua bona prodigit, ſpectator grauiter ſaltem non delinquit; idem eſt, ſi cum agitantur tauri, aliquis parum velox pedibus, aut parum gnarus eques tauris occurrat, ipſe grauiter peccabit, non verò ſpectatores.

21. *Cap. Pro dilectione, de conſecr. d. 2.*

22. Card. Toletus. *in ſum. l. 5. c. 6. num. 13.* Nauarrus. Eman. Sà, & alij

17 Ars torneamentorum eſt prohibita in iure (24) ob periculum vitæ amittendæ. At id eſt intelligendum, ſi torneamenta fiant eo modo, quo olim fiebant. Quippe etſi iam rarus ſit eorum vſus, tamen aliquando hoc ſæculo in Hiſpania fuere exercita, ſed ea diſpoſitione, vt omninò vitaretur vitæ periculum; & eo modo, ac præcautione cenſeo, non eſſe prohibita torneamenta, vt ex fine prohibitionis conſtat. Vide *Spectacula.*

23. D. Antoninus. *3. p. tit. 8. cap. §. 12.* Angelus. Tabiena. Fumus. Sylueſter. Sà.

24. *Cap. 1. de torneamentis.*

18 Fucos pro mulieribus conficere, non eſt illicitum, cum poſſint illæ benè eis vti, vt ſuis maritis placeant,

placeant, dum moderatus sit eorum vsus; quod si aliquæ ob prauum finem eis vtantur, sibi imputent; nam in eo non datur culpa vendentium illos. (25)

25. Communis.

## *Articulus mortis.*

1 ARticulus mortis, pro quo conceditur absolutio ab omnibus peccatis, & censuris non est solùm ille vltimus articulus vitæ, sed periculum mortis. (1) Nam in ordine ad effectus morales pro eodem reputantur articulus, & periculum mortis. Præterea nequit quis expectare articulum mortis, vt confiteatur, sed in periculo ad id tenetur; & frustranea essent plura priuilegia concessa pro articulo mortis, si is non intelligeretur esse etiam periculum; nempe quòd virtute Bullæ Cruciatæ possit quis tunc absolui ab omnibus peccatis, & censuris reseruatis, absque onere postea comparendi, si superviuat; & alia huiusmodi in Iure concessa. Rursùs in moralibus periculum perinde censetur, ac euentus; & inde qui se in periculum peccandi immittit, peccat; nam sermo est de periculo proximo. Quin & Extrema-Vnctio, quæ iubetur ministrari in articulo mortis, ministratur in articulo mortis præsumpto. Inde etiam sufficit periculum mortis præsumptum, (licèt mors non sequatur vt censeatur articulus.

1. Nauarrus. Medina. Paludanus. D. Antoninus. Syluester. Card. Lug. Suarez, & innumeri apud Me *de Bulla Cruciat. d. 27. num. 24.* Bardi. Gallego. Apud Me *ibi, in Appendic. d. 5. num. 143.*

2 Periculum amentiæ perpetuæ, aut diuturnæ censetur periculum mortis quoad prædictos effectus. Non tamen est periculum id in damnatis ad triremes; nec in parturientibus, (2) dum non expertæ fuerint periculosos partus, aut prudenter eos timeant. Nec fruuntur priuilegiis concessis in articulo mortis hi, qui sponte sua se immittunt in pericula, vt in duella, in agitationes taurorum, & similia. (3) At fruuntur damnati ad mortem, & qui nauigationem periculosam suscipiunt; ac qui in pugnam belli se committunt.

2. Couarruuias *vbi sup. n. 35.*

3. Corduba. Trullench. Th. Sanchez *ibidem, n. 36.*

3 Quando conceditur indulgentia pro articulo mortis, si exprimatur *in vero articulo*, non obtinetur, nisi morte succedente; at si in Bulla, aut Breui dicatur dumtaxat *in articulo mortis*, obtinetur tunc,

4. Card. Bellarm. *de indulg. l. 1. cap. 9.* Eman. Sà.

etiam (4) ſi obtinens eam ſuperviuat, cum. verè fuerit appoſita conditio, & is verſatus fuerit in articulo mortis, prudentis iudicio ſic exiſtimato.

5. Diana *p. 9. tr. 7. reſ.* 12. Boſſius. Benſonius.

4 In vrbe, vbi graſſatur peſtis, non ſunt cenſendi eſſe in articulo mortis cuncti ibi (5) exiſtentes. At meo iudicio medicus, chirurgus, infirmarius, Parochus, ac Confeſſarius inſeruientes ægrotantibus peſte, in eo periculo ſunt cenſendi. Præterea in eo verſantur periculo banniti, quos occidere cuique liberum eſt; dum tamen in ea regione verſantur, in qua conſtet, eos poſſe occidi, nec ipſi ſe tutos eſſe arbitrantur.

6. Card. Tolet. Suarez. Amicus. Hurtado. Arriaga. Torres. Baldellus, & plures apud Me *in Statera, d. 1. q. 13. num.* 141.

5 Certum eſt attritionem cum confeſſione ſufficere ad iuſtificationem; vnde ea ſufficit in articulo mortis: at quia præceptum amandi Deum obligat in eo articulo, (6) præter alia tempora, in quibus vrget, hinc in eo vel elicienda eſt contritio, quæ Dei amorem includat, vel ſeorſim actus amoris Dei eſt habendus, ſeu ante confeſſionem, ſeu poſt illam; & conſultius eſt, ante illam elici.

7. Th. Sanchez. Diana, & alij.

6 Qui vulnere accepto eſt in mortis articulo, & dum curatur à chirurgo, eius mors timetur, non opus habet, illo audiente, exponere aliquod peccatum in particulari, vt abſoluatur; ſed ſi non poſſit ad aures Sacerdotis illud ſecretò exprimere, ſufficit, ſi dicat, ſe peccaſſe, & ſigna doloris manifeſtet; poſtmodúmque (7) ſi tunc temporis non moriatur, tenetur omnia peccata confiteri.

8. Diana *p. 11. tr. 4. reſ.* 10. Hurtado. Præpoſitus.

7 Si in articulo mortis quis omnia ſua peccata confiteatur Sacerdoti ignaro, eo quòd alius non adeſſet, minimè tenetur poſtea (8) alij ea confiteri. Quòd ſi ipſe tunc vocaſſet Sacerdotem ignarum, cum alij gnari eſſent, ſanè teneretur poſtmodum cum alio confiteri, eo quòd in ea electione peccaſſet, & exinde confeſſio irrita eſſet, vtpotè facta à non bene diſpoſito.

8 Cum qui lethaliter percuſſus vociferatur poſcens confeſſionem, nec alia ſigna promit, Sacerdos tunc abſoluens, conditionem ſaltem mentaliter apponat, nempè *ſi es rectè diſpoſitus.* Etenim contingere non rarò poteſt, quod ille mortem vicinam cernens, vtpotè Catholicus, in eas voces prorumpat, quin tamen

men actum internum doloris eliciat; quod constat, quia non pauci ex his, qui supervixerunt, testati sunt, se vulnere lethali percussos in eas voces prorupisse, quin tunc ad eliciendum actum contritionis, aut attritionis attenderent.

9 Si quis pluribus honorem detraxerit, nec restituerit, nec detur medium, aut opportunitas ad restituendum cum singulis, cum sit morti vicinus, à Confessario monendus est, aliter non absoluendus, quòd coram aliquibus affirmet, se mentitum fuisse, dum de aliorum fama, ac honore fuerit locutus; & si opus videatur, id cum iuramento enuntiet; sibi enim imputet, quòd suus honor imminuatur, cum iniustè ab ipso honor aliorum fuerit ablatus, quibus facere satis tenetur. Vide *Confessarius*, *Missa*.

## *Astrologia iudiciaria.*

1 SIxtus V. in Bulla, quæ incipit, *Cœli, & terræ*, publicata die 9. Ianuarij, anno 1586. damnauit omnes exercentes Astrologiam iudiciariam, & quælibet diuinationum genera circa natiuitates hominum, & audentes (etiamsi protestantur, se non certò affirmare) dicere, aliquid euenturum ex rebus ab humana voluntate pendentibus. Et hoc delictum ad Quæsitores Sacræ Fidei spectat cognoscendum, & puniendum. Excipit tamen Pontifex vsum Astrologiæ circa agriculturam, rem medicam, & nauigationem. Vrbanus VIII. in Bulla, quæ incipit *Inscrutabilis*, decernit, incurrere excommunicationem latæ sententiæ, ac pœnas læsæ Maiestatis, ac vltimi supplicij, & priuationis Beneficiorum, Dignitatum, ac Officiorum, necnon inhabilitatis perpetuæ eos, qui consuluerint Astrologos, aut vaticinatores super statu Reipublicæ Christianæ, seu Sedis Apostolicæ, aut de vita, & morte Romani Pontificis, eiusque consanguineorum, vsque ad tertium gradum inclusiuè: & eos, qui eas prædictiones adhuc sibi oblatas receperint, aut scienter retinuerint, seu alicui ostenderint, vel eis quomodolibet vsi fuerint. Nec possunt Superiores

riores Regulares circa suos subditos de hoc delicto cognoscere ; sicut nec de vllo alio pertinente ad Sacrum Inquisitionis Tribunal.

2 Licitum est per Astrologiam noscere, & prædicere, quæ ex naturalibus causis, absque libero arbitrio proueniunt, (1) vt tempestatem, serenitatem aëris, sanitatem, & infirmitatem corporis. Item licet conicere inclinationes, & propensiones hominis, quæ ex corporis temperatura, & humoribus (2) salua libertate procedunt ; & ad eas passiones, quæ sunt motus sensitiui appetitus, corpora cœlestia cooperari possunt : his sanè potest resisti per liberum arbitrium, etiamsi plurimi non velint resistere. Quare dum non affirmetur, homines necessitari à corporibus cœlestibus, potest ex eis coniici propensio illorum. Hinc Astrologi iudiciarij, si rectè calleant Astrorum motus, & naturam, dum efformant natiuitates hominum, & prædicunt temperamentum, & inclinationem ad iram, aut ad alia, quin etiam ad hæc vel illa studia, sanitatem, infirmitatem, & similia, dum nihil affirment necessariò euenturum, nec libero arbitrio vllam imponant necessitatem, non peccant, nec comprehenduntur (3) in Bulla Sixti V. Hinc peccatum non est timere, aut cauere aliquid prænuntiatum ex cognitione syderum, quatenus ex corporibus pendet ; ita tamen vt homo pro coniectura solùm habeat, quidquid inde cognitum est, & non certò id sibi suadeat, cum scientia Astrorum non habeatur perfectè. (4)

3 At nequeunt prædici vlli effectus liberi, seu contingentes ; nec affirmari tanquam certi, & necessariò futuri alij effectus, ad quos datur inclinatio ; cum possit liberè eis resisti. (5) Hinc graue peccatum est, fidem præbere his prognosticis, quæ prænuntiant res à libero arbitrio pendentes. Hisce appositis limitationibus, Astrologia iudiciaria non damnatur ; nec sic opponitur Conciliis, Bullis, Patribus, nec Scripturæ Sacræ. 6) Dum tamen fixum sit, non posse Astrologos iudicium ferre de vita, de morte, de coniugio, de filiis, de fratribus, de honoribus, officiis, fixis, fortuitis vitæ casibus, duratione, mutatione, aut

translatio

1. D. Thomas *opusc. 2. ad Reginaldum.* Caietanus, & alij.

2. D. Thom. *sup. & 1. p. q. 115. art. 4. in corp. & ad 3. & lib. 3. contra Gent. c. 85. & lib. 2. de generat.* Scotus *l. 2. sent. d. 14.* Panormitan. & plures apud Me *de Iure Academ. l. 2. q. 30. in Append. §. 4.*

3. Molphesius. Naldus. Candidus. Rodrig. & alij apud Me *sup.*

4. Bonacina. Escobar, & plures *vbi sup.*

5. Suarez. Th. Sanchez. Salas. Filliucius, & communis.

6. Ego latè *vbi sup. ex §. 5.*

translatione Regnorum, nec de rebus secundis, ac aduersis. Et si aliqua coniectura ex astris possit haberi ad censendum (7) vitæ terminos, & morborum casus; sic annum clymactericum esse periculosum, plurimi tradunt. (8) Generaliter autem parum fidendum est his prædictionibus, cum falsitati, aut incertitudini ex pluribus capitibus sint obnoxiæ; & plures ex libris desumantur, in quibus authores diuersas opiniones sequuntur.

7. D. Thom. apud Me *sup.*

8. D. Augustinus. D. Ambrosius. D. Clem. Alex. Beda, & plures apud Me *sup.*

4 Non licet Astrologis iudicare, nec declarare, quisnam furtum commiserit, (9) aut quo in loco res perdita reperietur, nec licet id ab eis interrogare; nam per scientiam hanc id dignosci nequit; nec præterea an hic exercitus, seu ille vincet, & similia.

§. 6.

9. *Cap. Extuarũ, de sortilegiis.*

5 A fortiori prohibita sunt pyromantia, & aëromantia, quæ debilioribus principiis innituntur. (10) Non autem illicitum est, si cometa, aut stella noua appareat, vestigare eius causas, & effectus ex principiis naturalibus, quantum ex his coniici potest. (11) Omnino etiam illicita est ars magica, eiusque vsus, & cuiusvis superstitionis ad eam spectantis exercitium, quæ pactum explicitum, aut implicitum cum dæmone continent. Nec per leuitatem, iocum, aut curiositatem possunt exerceri aliqua (qualia nocte D. Joannis Baptistæ aliquando exercentur) si detur materia scandali, aut aliqua possit inde irrepere credulitas; & quia raro, aut nunquam id non adest, aut periculum credulitatis, nequaquam ea sunt permittenda.

10. Nauarra *de rest. l. 2. n. 102.* & communis.

11. D. Thom. 3. *p. q. 36. art. 7. ad 1.*

## *Auaritia.*

1 AVaritia est vnum ex septem vitiis capitalibus, quia ex ea tanquam è radice, ac fonte plura fluunt peccata: eius filiæ recensentur (1) proditio, fraus, fallacia, periurium, inquietudo, violentia, ac obduratio contra misericordiam; & sub his continentur (2) mendacium, falsum testimonium, appetitus lucri turpis, rapacitas, & inhumanitas.

1. D. Gregor. *lib. 15. moral.*

2. D. Isidorus.

2 Auaritia opponitur liberalitari, ac ex genere suo solùm est peccatum veniale; (3) est quippè affectus quidam

3. D. Thomas.

2.2.q.84.art. 4. & q.119. art.4. quidam inordinatus retinendi bona propria, & adquirendi alia. Attamen si hic affectus eò prodeat, vt in diuitias tam impensè feratur, quod eis quis salutem animæ postponat, aut paratus sit ob eas quodvis peccatum lethale patrare, sanè peccatum graue erit. Cæteri verò affectus, & actus, qui ex hoc capitali vitio originem sortiuntur, praué ordinati ad comparandas, seu retinendas diuitias, ad suas proprias species peccatorum pertinent.

3 Etsi debeat quis extremè indigenti succurrere, quin & grauiter indigenti in circunstantiis, de quibus *in inferioribus agetur*, at si aliquem ex auaritia nolle sibi prouidere constaret, cum posset sibi ex suis bonis subuenire, non tenentur alij succurrere, (4) quia absolutè ille non indiget, nec est absoluta eius necessitas. Tunc autem ille ipse mortaliter peccabit, cum ex auaritia se mori, aut grauiter pati sinat.

4. Sà *in Sum. verb. Eleemosyna.*

## *Audacia.*

1. D. Thomas. 2. 2. q.128. AUdacia est vitium oppositum fortitudini per excessum. (1) Communiter est peccatum veniale; at mortale erit, si quis audeat ad improportionata, & se, vel alium vitæ periculo magno absque vrgenti necessitate exponat. Cum verò adest necessitas, non est dicenda audacia ea, qua quis fertur ad ardua, veluti miles, qui pugnans scandit murum, qui cum plurib us in pugna dimicat; & similes. Hinc etiam pro Fide exponere se ingentibus tormentis, & vitam dare, est actus insignis fortitudinis, (præter alias ibi elucentes virtutes) quin vlla audaciæ vmbra obscuretur.

## *Augurium. Aruspicium. Auspicium.*

1 DIuinationes quælibet prohibitæ sunt, & crimina hęc ad Sacrum Fidei Tribunal pertinent. Inde augures, qui à vocibus auium diuinant, damnantur, & grauiter peccant. Et item aruspices, qui per figuras

figuras, vel ſigna, quæ in viſceribus animalium, aut in rebus inanimatis apparent, diuinationes proferunt. Et rursùs auſpices, qui ex ſola inſpectione auium, & volatus earum id præſtant. Etenim hæc communiter fiunt cum pacto expreſſo, aut tacito dæmonis; qua arte vti, omnino eſt illicitum.

2 Aliquando abſque dæmonis pacto quædam ex natura animalium obſeruari poſſunt, quæ ſunt futura; ſic nautæ ex cantu mergorum, ac ex delphinorum ſupra mare conſpectu præuident tempeſtates. Et hæc poteſt in his regula tradi. Quando ea, quæ obſeruantur, aliquam habent proportionem, ſeu virtutem ad talem effectum, aut communiter effectus euenit poſt eam obſeruationem, in hoc peccatum non datur; at cum nulla eſt proportio, nec virtus ad talem effectum, nec eius exiſtentia obſeruata poſt talem cantum, volatum, aut ſignum, tunc diuinatio eſt grauè peccatum, (1) & excommunicationi ſubiacet. Hinc etiam grauiter peccatur, ſi fides, aut nimia adhibeatur credulitas, ſeu nimius timor ſiniſtri euentus, cantui corui, latratui canis, effuſioni ſalis in menſa, & ſimilibus. (2) Vide *Aſtrologia iudiciaria.*

1. *Cap. Auguriis, 26. q. 5.*

2. Fumus *in aur. Armilla, verbo Augurium.* Caietanus, & alij.

B

## *Baptiſmus.*

1 BAptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medij ad ſalutē. Adultus tenetur, quamprimùm poſſit, baptizari, vt ingrediatur Eccleſiā, & ſic ſalutem æternam, quam procurare tenetur, obtineat; aliàs poſſet differre illum vſque ad vltimum vitæ terminum, cùm reſpectu eius, qui eſt extra Eccleſiam, non poſſit dari præceptum Eccleſiaſticum determinans tempus. Nec ſufficit in adulto in baptiſmo valido attritio naturalis, vt iuſtificetur, cum omnes diſpoſitiones debeant emanare à gratia Dei præueniente.

(1) Nec

1. Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 5.* Arauſicanum 2. *Can. 2.*

(1) Nec ſi moriatur infans ante prolationem integræ formæ, ſaluabitur, quia reſpectu eius non datur baptiſmus. Intentio autem Miniſtri neceſſaria eſt ad valorem illius, & ſic definitum eſt in Concilio Florentino. Character autem impreſſus in baptiſmo, non eſt ens rationis, hoc enim non imprimitur in anima; definitum autem eſt, imprimi characterem in illa, ſcilicet ſignum ſpirituale, & indelebile diſcriminans baptizatum à non baptizato. (2)

2. Tridentinum *ſeſſ. 7. c. 9. Cap. Maiores, de Baptiſmo.*

2 Aqua naturalis elementaris eſt materia remota baptiſmi; vnde is non eſt validus, ſi adhibeatur ad illum aqua roſacea, ſudor, ſaliua, aqua ex vite profluens, & ſimilia, quæ nec licent apponi in baptiſmo ſub conditione, cum conſtet non eſſe vllam ex his aquam elementarem, ſed artificioſam. (3) Hinc qui ex voto ieiunaret pane, & aqua, ſi biberet aquam artificioſam, frangeret votum: (4) quia conſtans eſt, eam aquam non eſſe vſualem. Non autem intereſt, an aqua ſit calida, aut frigida, dum ſubſtantiam retineat. Et quia ius carnium iudicatur ab aliquibus retinere propriam ſubſtantiam, ab eis enuntiatur ſufficere in caſu ſaltem neceſſitatis, & ad minùs ſub conditione, ad baptiſmum, maximè ſi exprimatur, & aqua ſubtilis extrahatur. (5) Quod eſt certò probabile. Neceſſum autem eſt, vt aqua tangat partem principalem baptizati, qualis non eſt digitus, aut pes; multò minùs capillus. In caſu autem neceſſitatis baptizandus eſt infans in digito, aut pede, ſi alia pars corporis non ſit extracta, & poſteà ſub conditione iterum baptizandus. Nec in his omnibus Deus quidquam ſupplet, cum ad id non ſit ſolidum fundamentum. Nec valet baptiſmus, niſi perſonæ Trinitatis exprimantur, cum forma eſſentialis in ea expreſsione conſiſtat; & ea eſt, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* (6) Exprimendaque eſt perſona baptizati, aut dicendo *Baptizo te*, aut *Baptizo Petrum.* (7) Quamvis autem omittatur vox *Ego*, eſt validus baptiſmus. Sicut etiam ſi dicatur (vt Græci vtuntur) *Baptizetur ſeruus Chriſti*, &c. ſeu *Baptizetur hic*, &c. Erit tamen peccatum graue mutare formam verborum.

3. Becanus. Tannerus. Rainy. Valentia. Granado. Card. Toletus. Buſembaum. Ego cum aliis *in Statera, diſſ. 9. q. 1. & 2.*

4. Bonacina. Henriquez. Chamerota. & alij apud Me *vbi ſup.*

5. D. Thomas *3. p. q. 66. art. 4.*

6. Matthæi 28. *verſ. 19.*

7. Card. Bellarminus *l. 2. de Baptiſm. c. 3. & 6.*

3 Validus

3 Validus eſt baptiſmus, lingua vulgari formâ prolatâ. Item ſi dicatur, *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij vnigeniti, & Spiritus Sancti Paracleti.* Præterea, etſi omittatur particula *In*, & *Amen.* (8) Validè etiam plures baptizantur dicendo, *Ego vos baptizo*, &c. dum ſufficienter ſinguli abluantur. Demùm ſi ordo perſonarum mutetur, valet. Rodriguez. Pitigianus. Suarez. Card. Toletus. Victoria, & communis.

4 Inualidus eſt baptiſmus in ſententia probabiliori ſub hac forma; *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati.* (9) Quia Chriſtus ſub nominibus relatiuis expreſsis inſtituit hoc Sacramentum. Præterea inualidus eſt, ſi dicatur *In nominibus*, quia eſt de eſſentia formæ expreſsio vnitatis eſſentiæ. Etiam eſt inualidus, ſi dicatur, *Ego intendo baptizare te*, &c. Præterea ſi quis reſpectu ſui dicat, *Ego me baptizo*, &c. Nam Chriſtus iuſsit diſcipulis, quòd baptizarent alios, non ſeipſos; (10) & cum baptiſmus ſit regeneratio ſpiritualis, ſicut nemo poteſt ſe generare, ita nec regenerare. Non valet baptiſmus, ſi vnus proferat formam, alius miniſtret materiam; ſic verò ſi duo ſimul baptizent, dum vnus materiam, & formam apponat independenter ab intentione alterius; intentio enim in miniſtro baptiſmi eſt eſſentialiter requiſita, vt *ſuprà* aſſerui. 8. Barth. ab Angelo *de Baptiſm.* §. 103. 9. Card. Toletus. Chamerota. Viualdus. Sotus. Coninch. Vaſquez. Bonacina. 10. D. Thomas 3. *p. quæſt.* 66. *art.* 5. *ad* 4. & communis.

5 Validus eſt baptiſmus collatus alicui fœminæ, quam baptizans credebat (5) eſſe virum; & collatus filio Petri, quem iudicabat eſſe filium Joannis; nam miniſter intendit baptizare infantem ſibi præſentem. Vide in Appendice caſuum notabilium: *De baptiſmo.* 5. Peſantius 3. *p. q.* 66. *Art.* 3. *d.* 3. Viualdus. Tabiena. Sylueſter. Sayrus. Graffis. Valentia. Reginaldus. Conninch. Vaſq. & alij.

6 Aquæ aſperſio, quæ eſt materia proxima, & formæ prolatio moraliter debent eſſe ſimul; ſed non intereſt, quod immediatè ante, vel immediatè poſt ſtatim verba (6) proferantur. Vt autem aqua, etſi exigua, abluat, debet decurrere. Et fit ablutio per immerſionem, aut per effuſionem aquæ. 6. Sylueſter *verb. Baptiſmus* 3. Sotus. Card. Toletus.

7 Baptiſmi ſolennis Parochus, aut de eius licentia Sacerdos eſt miniſter. In caſu neceſsitatis laicus, & fœmina poſſunt miniſtrare baptiſmum, nec tunc peccant, etiamſi ſint in peccato, (7) aut ſubiaceant excommu

excommunicationi. Et quidem obſtetrices tenentur ſcire formam; & congruentius eſt in lingua vulgari, ne errent. Extra caſum neceſsitatis laicus baptizans peccat grauiter. In præſentia Sacerdotis in caſu neceſsitatis baptizantem laicum non peccare mortaliter, certò probabile eſt. (8) Baptizato in caſu neceſsitatis domi, adhibendæ ſunt in Eccleſia cæremoniæ. (9) Cæterùm poteſt baptizare quilibet homo rationis compos, etiamſi hæreticus ſit, aut paganus, dum habeant intentionem baptizandi. (10) Adultus autem ab his, niſi in in caſu neceſsitatis, nequit abſque peccato recipere baptiſmum.

Eman. Sà. Victorellus.

7. Eman. Sà *in Summ. verbo Baptiſmus, n.* 1. Sylueſter. Caiet. Tolet. & alij.

8. Valentia. Ioan. Suarez. Eman. Sà.

9. *Cap. Spiritus Sanctus, 1. q.* 1.

10. Rodriguez *in Summ. c.* 25. *de Bapt. conc.* 1. Victoria. Suarez. Coninch, & communis.

8 Non licet rebaptizare abſolutè vllum; & ſit irregularis, qui rebaptizat; at ſi probabile moraliter dubium ſit de valore baptiſmi collati, poterit iterùm miniſtrari, apponendo ante formam, vel vocaliter, vel in mente eam conditionem; *Si non es baptizatus, ego te*, &c.

11. D. Thom. *in* 4. *d.* 5. Sotus. Eman. Sà.

9 Infidelium filij non ſunt baptizandi (11) parentibus inuitis; ſufficiet tamen, ſi alter parens ſit Chriſtianus, & conſentiat; (12) quòd ſi rationis compotes ſint, ac petant baptiſmum, etiam inuitis parentibus poſſunt baptizari. Quòd ſi filius Infidelium ſit in articulo mortis, baptizari poteſt, etiam inuitis parentibus, quia irrationabiliter ſunt inuiti. (13) Quòd ſi infideles ſunt ſerui, poſſunt eorum filij inuitis parentibus baptizari de conſenſu dominorum; nam hi poſſunt eos filios vendere, ac ſeparare à parribus, & conſequenter facere baptizari, quin eis iniuria irrogetur, cum nullum ius ab eis auferatur ſupra filios, ſiquidem nullum ius erga eos habent.

12. *Cap. Ex literis, de infid. conuerſ.*

13. Naldus *verbo Baptiſmus, n.* 6. Sotus. Vaſquez. Bonacina. Reginaldus. Philiarcus, & plurimi.

10 Si proiiciatur ſic occidendus puer in flumen, non datur baptiſmus, etiam prolata forma, niſi caſu quo quis moribundum vt baptizaret, proiiceret in flumen ob defectum alterius aquæ; eſtò proiiciens peccaret: in primo enim caſu intentio per ſe ad occiſionem tendebat: in ſecundo ad baptiſmum. Sic verò datur baptiſmus, ſi aqua è canalibus effluereat, & puerum abluendum ibi apponeres, formam proferendo; (14) quia ſic eum verè ablueres.

14. Diana *p.* 10. *tr.* 16. *reſ.* 21. Bonacina.

11 Adultus non baptizatus petens baptiſmum eſt baptizandus,

baptizandus, & requiritur in eo ſaltem attritio ſupernaturalis de peccatis commiſſis; quam ſi non habeat, & tamen bona fide ſuſcipit, validum eſt Sacramentum, ſed informe, donec ſaltem per attritionem auferatur obex. At ſi animo ficto quis accedat ad baptiſmum, nempè ſciens ſe non habere attritionem, vel fidem, aut cum complacentia in peccato lethali, neceſſaria eſt contritio, aut confeſſio; & ea dicitur fictio cum peccato: cum autem datur bona fides, eſt fictio ſine peccato. (15) Tutius autem eſt, cum data eſt mala fides, confiteri fictionem.

15. Villalobos. Diana, & plures apud Bonacinam *de Sacram. d.2. q.2. punct.7.*

12 Validus eſt baptiſmus collatus dormienti, qui ante ſomnum popoſcit illum; item & furioſo, qui lucida habet interualla, & mentis compos eum petiit. Qui autem mutus, ſurdus, & cæcus eſt, ita vt nequeat explicare conſenſum, nequit baptizari; neque Gentilis proximus morti, & ſenſibus deſtitutus; cum in adulto ſit neceſſarius conſenſus, ſeu intentio; quæ datur habitualis in eo dormiente, & furioſo; (16) ea autem intentio ſuſcipiendi baptiſmum poteſt dari in eo, qui per vim, & metum baptizatur. Cæterùm adultus indiget actu fidei ſupernaturalis (eſtò huius habitus non infundatur niſi in baptiſmo) antecedenter habito, per Dei gratiam auxiliantem: qui actus ſi deficiat, erit validus baptiſmus, ſed informe Sacramentum.

16. Chamerota *de Baptiſm. c.5. dub.* 10. Henriquez. Angles. Graffis. Bonacina. Diana.

13 Per baptiſmum infunditur character, ac remittitur culpa originalis, & omnia peccata in adultis, & pœnæ pro illis debitæ; quare non ſubiacent clauibus ea peccata, cum baptiſmus ſit ianua Sacramentorum, & ante eum ſint commiſſa, ac per eum deleta. Confertur autem in illo gratia ſanctificans, & habitus infuſi virtutum eam comitantes.

14 Cognatio ſpiritualis contrahitur inter baptizatum, & baptizantem; ac inter baptizatum, & patrinum, ac matrinam; & inter baptizantem ac patrinum, & matrinam cum parentibus baptizati; non verò inter baptizantem, & patrinum, ac matrinam. Nequit autem eſſe plus quàm vnus patrinus, (qui nequit eſſe religioſus) & vna matrina; quòd ſi plures ſint, ſolus tenens infantem contrahit cognationem;

nec ſunt neceſſarij patrinus, & matrina; ſat eſt vnus ex illis. Et dum in caſu neceſſitatis domi baptizatur infans, baptizans contrahit eam cognationem, non verò tenens infantem. Nec eam contrahit, qui nomine alterius, veluti eius procurator, eſt patrinus. Quin certò probabile eſt, nec contrahere eum, cuius nomine tenet. Nec qui tenet, dum fiunt in Eccleſia cæremoniæ cum baptizato domi.

15 Egimus de baptiſmo fluminis. Alius eſt baptiſmus flaminis: cum nempè adultus non habens copiam baptizantis, ante mortem elicit actum contritionis perfectæ, cum voto baptiſmi, quod in ipſa contritione imbibitur. Alius eſt baptiſmus ſanguinis, quo quis non adhuc baptizatus patitur martyrium pro fide Chriſti; in quo eius charitas elucet, cum maior non detur, quàm vitam dare.

## *Bellum.*

1 BEllum indicere ſolùm poteſt Princeps Supremus, & ante illud omnia debet tentare media. Indicere autem valet, cum iniuſtè inuaditur; cum certum ius habet ad aliquod dominium, conſultis viris doctiſſimis, nec alia via poteſt illud obtinere; cum iuſta dominatione ſpoliatur; cum aduerſus Eccleſiæ hoſtes incedit; aliaque huiuſmodi. Quid autem ſi cauſa indicendi bellum non ſit certa, vide Diſcurſum opinionis præambulum. Milites ſupponunt, bellum eſſe iuſtum, ſiue ſubditi, ſiue conductitij, atque adeò militare valent, (1) dum eis non conſtet de iniuſtitia; nec præuium examen eſt neceſſarium, dum non dubitent, & dubium deponant; nam præſumere debent iuſtitiam belli, & à Principe, ad quem attinet, eam fuiſſe examinatam.

1. Victoria. Suarez. Vaſq. & alij apud Me *in Statera, d.* 13. *q.*15. §. 3.

2 Bellum reipſa & materialiter non poteſt eſſe iuſtum ex vtraque parte; ſic verò formaliter, nempe ſi quis ius certum habeat ad ditionem, & alter poſſideat cum ignorantia inuincibili iuris alterius, ac ab eo impetatur, poteſt iuſtè vterque præliari. Sic Joſue iuſtè debellabat ex imperio Dei Amorrhæos, aliaſque gentes,

gentes, (2) & illæ ignorantes inuincibiliter id ius, quo Deus poteſt liberè de Regnis diſponere, ſe defendebant.

2. Abulenſis *ad cap. 11. Ioſué.*

3 Si aduerſus poſſidentem Regnum alius Princeps haberet ab initio ius certum, ſeu habeat ius probabilius, & illum ad iudicium vocet, nolitque alter rem ad iudicium perducere, poterit ei bellum indici; nam cum ille alter iure excederet, attenta adhuc alterius poſſeſſione, nec poſſet aliter ſuum ius vindicare, liceret ei vim vi repellere; etenim poſſidens valeret regnum retinere, non verò vocatus recuſare iudicium; & ob recuſationem ſe iniuſtè gereret in bello. Et in eo caſu non manet res ſtrictè dubia ad hoc vt ſit melior conditio poſſidentis.

4 Clericis interdictum eſt (3) bellare. At poſſunt aſſiſtere in bello, & meritoriè id præſtant, dum rebus ſpiritualibus, & Sacramentis miniſtrandis incumbunt. (4 Diebus feſtis bellare abſque neceſsitate, ad ſummum eſt peccatum veniale; nam nec veniale eſſe cenſeo certius, cum non ſit opus ſeruile. (5) Tempore treugæ inuadere hoſtes eſt illicitum, (6) eſt enim violare fidem publicam.

3. *Cap. Clerici 23. quæſt. 8.*

4. *Cap. Quod horum, 23. q. 8.*

5. Fumus *in Armilla, verbo Bellum, num. 7.* Ca d. Caietan. Graiad. Diana, & alij.

6. *Cap. 1. de treug.*

5 Capta in bello iuſtè retinentur: & ſi vrbs in prædam detur, quamvis ibi ſit aliquis innocens, poſſunt eius bona diripi, (7) quia ſententia iuſtitiæ bellicæ non tenetur diſcutere, an in vrbe ſit aliquis qui non ſit hoſtis, ſed tota vrbs hoſtis præſumitur.

7. Card. Caietan. *in Sum. verbo Bellum.* Fumus. Eman. Sà.

6 Si hoſtis offert plenam ſatisfactionem ante conflictum tenetur iuſtè bellans deſiſtere, cum ceſſet cauſa, pro qua bellum licet. (8) Si verò iam conflictus præceſſerunt, & vndequaque mortes ſunt ſecutæ, non tenetur à bello abſtinere, quia ſe habet vt iudex procedens ſecundum iuſtitiam vindicatiuam aduerſus perturbatores Regni, aut Reipublicæ.

8. *Cap. Nulli, 23. quæſt. 1.* Caietanus. Fumus. Victoria. Valentia.

7 Cum datur neceſsitas vrgens, poſſunt Clerici cuſtodire mœnia, vel portas, & hortari ad victoriam, & pugnam ſemper licet. (9) Bona Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & in illis exiſtentia (10) nequeunt diripi, ac reſtituenda ſunt ſi diripiantur, niſi ſint victui illi ibi repoſita ab hoſtibus. Si aliqui ad Eccleſiam confugiant, vt inde pugnent, poſſunt à præliantibus ex aduerſo

9. *Cap. Veniens, de Immun. Eccleſ.*

uerſo inuadi, occidi, & extrahi, quin violetur immunitas, quia illi inde pugnantes ſe reddiderunt immunitatis exſortes.

10. D. Thom. *in 2. q. 66. art. 8. ad 1.* Molina. Eman. Sà.

8 Poſt partam victoriam non licet (11) innocentes occidere: ſerui cæterùm fiunt in bello capti; quod inter Chriſtianos non contingit, ſed in bello cum Infidelibus: quorum ſi oppidum, aut nauis capiatur, etiam innocentes iuſtè in ſeruitutem rediguntur. Si infidelis bellum iuſtum gerat (non quidem Chriſtianis) poteſt fidelis in eo (12) militare.

11. Molina *de iuſt. d. 122.* Victorellus.

9 Valet inferri bellum hæreticis ob ſolam hæreſim, non quatenùs præcisè peccatum eſt, ſed quatenus turbat pacem Eccleſiæ & Reipublicæ. Præterea barbaris, ob barbariem abſque politia. Rursùs infidelibus, qui immolant innocentes, aut humanas carnes edunt. Item cæteris infidelibus, ſi fidei prædicatores nolint admittere, aut eis negent tranſitum ad alias Prouincias. Demùm ob ſolam idololatriam, & iuris naturæ violationem poteſt bellum fieri, maximè ſi Papa conſentiat. (13)

12. Nauar. *conſil. 3. de iud. n. 3. ex cap. Iulianus, cap. reſiſtit, 11. quæſt. 3.*

13. Diana *p. 6. tr. 4. reſ. 15. & 16.* Sylueſter. D. Ioan. Solorzano. Molina, & plurimi.

10 Peccat mortaliter miles deſerens caſtra, eo magis quo prælium vrget; nec ſuam ſtationem poteſt relinquere, etiamſi inſtet periculum vitæ, niſi nulla eſſet ſpes, quòd poſſet conſeruari. (14)

14. Caſtr. Palao. Molina. Diana, & alij.

11 Si Princeps Supremus ſit clericus, poteſt ex iuſta cauſa indicere bellum, (15) congregare milites, incitare ad pugnam, & victoriam, non verò propria manu pugnare. Alia de bello vide verbo *Miles*.

15. Sylueſt. *verbo Bellum, 3. q. 2.* Panormitan. Innoc. & alij.

## *Beneficium Eccleſiaſticum.*

1 COntra iuſtitiam eſt Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quamvis collator conferens illa, dum interuenit pecunia, non exigat hanc pro collatione Beneficij, ſed veluti pro emolumento temporali, quod non tenebatur conferre ei, cui Beneficium confert. Contraria propoſitio damnata eſt ab Alexandro VII. anno 1665.

2 Beneficia Eccleſiaſtica Regularium (idem eſt de Beneficiis Ordinum Militarium) ſunt (1) amouibilia

ad

ad nutum, vt ex Iure constat. Beneficia amouibilia possunt resignari in fauorem alterius, accedente Patroni consensu; manent tamen adhuc amouibilia. Quævis Beneficia renuntiari possunt, accedente Prælati consensu; iusta de causa etiam exercitium Episcopatus. Duo Beneficia simplicia, etiam Regularia, possunt simul haberi, dum ex aliquo capite non sint incompatibilia.

1. *Cap. Cum ad Monasterium, de statu Monachor.* Gonzalez. Azor. Th. Sanchez. Lessius.

3 Causæ, ob quas potest Episcopus renuntiare exercitio suæ Dignitatis statuuntur ab Alexandro III. (2) nempè conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientiæ, malitia plebis, graue scandalum, irregularitasque personæ. Quæ aptanda sunt Parochis, & similibus.

Apud Me *de Ordinib. Militarib. d. 11. quæst. 2.*

2. *In cap. Nisi, de renunciat.*

4 Beneficia Iurispatronatus laici quovis tempore præsentantur à Patrono, dum intra tempus præfixum post obitum beneficiarij præsentet; quæ verò sunt Iurispatronatus Ecclesiastici, solùm his mensibus, qui à Iure, seu consuetudine, & stylo præscribuntur. Quòd si Beneficiarius distans decedat è vita, eiusque mortem solus Episcopus sciat, & non moneat Patronum, qui eam non potuit scire, & transeant quatuor menses designati Patronis laicis ad præsentandum, & sex menses designati post obitum Beneficiarij Patronis Ecclesiasticis, adhuc non pertinet prouisio Beneficij de iure deuoluto ad Episcopum, sicut pertineret, (3) nisi adesset ea circunstantia; nam Patrono nequit tunc imputari omissio præsentandi. Quòd si Episcopus rectè prouideat de iure deoluto Capellaniam, & in eius institutione iniungatur, conferendam fore personis ex tali loco, familiæ, aut sanguinis, non poterit (4) pro libito eam aliis conferre.

3. Ego *de Ordin. Militar. d. 11. q. 7.*

4. Lambertinus. Valenzuela. Guttierrez. Rebusius. Barbosa, & alij apud Me *vbi super.*

5 Qui ficta sanctitate obtinuit Beneficium, potest illud retinere, (5) si dignè administret; nam sanctitas illa non fuit ratio motiua, sed impulsiua conferendi ei illud Beneficium.

5. Sotus. Medina. Cruz.

6 Omnia Beneficia Ecclesiastica, spectato iure communi, residentiam requirebant; sed ex consuetudine quædam Beneficia simplicia, & Præstimonia eam non exposcunt. In Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis standum est earum consuetudini, quan-

Trulleneh, & plures apud Me *de Bulla Cruc. d. 34. n. 176. & de Iure Academ. l. 2. q. 23.*

tum temporis in anno abeſſe poſſint, qui Præbendas in eis obtinent. Diſtributiones autem quotidianas non percipiunt, qui abſunt, niſi eas Eccleſiæ Capitulum ipſis concedat, eo quòd ob negotia Eccleſiæ abſint, aut alia de cauſa ſimili. (6) Cæterùm qui non reſident, dum tenetur, (tenentur autem Epiſcopus, Parochus, Dignitates, & Canonici, necnon habentes Beneficia perſonale ſeruitium expoſcentia) non facit fructus ſuos. Cauſæ autem à reſidentia excuſantes (7) iuxta Tridentinum ſunt chriſtiana charitas, vrgens neceſſitas, debita obedientia, ac euidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ vtilitas. Quæſitores Sacræ Fidei faciunt fructus ſuos cuiuſque Præbendæ in Regnis Hiſpaniarum aſſiſtendo Tribunalibus Fidei, quamvis abſint à locis in quibus Præbendas obtinent.

6. *Cap. vnic. de Clerico non reſident. in 6.*

7. *Seſſ. 23. cap. 1. de reformat.*

7 Eccleſiaſtici ſunt veri domini fructuum, quos ex redditibus Eccleſiaſticis percipiunt; tenentur tamen ex præcepto diuino, & naturali erogare eleemoſynas ex his, quæ ſuperſunt ex ipſis ex congrua ſuſtentatione, attenta dignitatis qualitate; non tamen totum reſiduum erogare tenentur, ſed medietatem illius; vel Epiſcopi quartam partem totius ſummæ reddituum; cæteri quintam, aut ſextam. Quòd ſi non erogent, grauiter peccant, ſed ad reſtitutionem non tenentur.

8. Th. Sanchez. Diana. Leſſius, & alii apud Me *de Iure Academic. l. 3. q. 39.*

(8) Si ex Eccleſiaſticis fructibus quis detrahat aliquid à neceſſariis ad ſui ſtatus decentiam, id non tenetur erogare pauperibus, ſicut nec id, quod lucratur pro celebratione (9) Miſſæ, pro comitandis funeribus, pro concionibus, pro labore adminiſtrandi Sacramenta, pro aliiſque miniſteriis, & probabiliter pro diſtributionibus quotidianis, dum hæ totam, aut ferè totam ſummam reddituum non conſtituant. Quare & teſtari poſſunt de illis ad vſus profanos licitè.

9. Syluester. Diana. Molina.

8 Et quia Beneficium eſt ius percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis propter aliquod officium ſpirituale, authoritate Eccleſiæ conſtitutum, ſit quòd Beneficia curam animarum habentia, vt ſunt Epiſcopatus, & Beneficia Curata, vt præmonui, reſidentiam expoſcunt. (10) Beneficia autem ſimplicia, quæ Hiſpanè dicuntur *Simples ſeruideros*, poſcunt ad

Th. Sanchez, & alij *vbi ſup. & de Bulla Cruciat. d. 34. num. 166.*

10. Trid. *Seſſ. 23. c. 1. de reform.*

gaudendum

gaudendum fructibus reſidentiam per ſe, vel per alium; & aliqua ex conſuetudine, cum non habeant curam animarum, reſidentiam perſonalem non expoſcunt: Beneficia quippe ſimplicia, provt à duplicibus diſtinguuntur, ſunt quæ nec habent adminiſtrationem, nec iuriſdictionem, nec eminentiam; ſed inſtituta ſunt ad preces, & officia Deo perſoluenda. Præſtimonia reſidentiam non expoſcunt, inſtituta enim ſunt vel pro ſtudioſis, vel ad aliquod pium opus. (11)

9 Excommunicatus obtinens Beneficium à Pontifice, dum in Bullis adſit clauſula communis, nempè abſolutionis à cenſuris quoad effectum illarum obtinendum, validè obtinet Beneficium; nam cum perducit eas ad effectum, (12) non eſt excommunicatus, eſtò illicò reincidat in cenſuras, & quoad alia eis ligatus ſit.

10 Inualidè obtinet Beneficium, & non facit fructus ſuos is, qui ante legitimam ætatem obtinet, vel ſimoniacè, vel ſubreptitiè, vel exiſtens ligatus cenſuris, & non abſolutus, vel irregularis. Qui poſt obtentum Beneficium in cenſuras incidit, ſi oneribus Beneficij ſatisfecit, & ſit non vitandus, ante iudicis ſententiam poteſt ſibi retinere fructus. (13)

11 Beneficiarius obtinens aliud Beneficium incompatibile cum primo, ipſo iure illo priuatur, & redditur ineligibilis, ſi illud non dimittat. (14)

12 Prima tonſura eſt opus, vt obtineatur Beneficium, (15) quin & ad obtinendam Coadiutoriam Canonicatus, aut Dignitatis à Pontifice; (16) ita vt aliter ſit nulla obtentio, quamvis ante poſſeſſionem initietur prima tonſura: & quidem eadem idoneitas requiritur ad obtinendam Coadiutoriam, ac ad Beneficium. Et ſicut obtinens Beneficium ante ætatem legitimam, etiamſi eam impleat ante poſſeſſionem, non propterea validatur collatio Beneficij, (17) ita in præſenti.

13 Si quis oblitus ſchedulæ, aut tituli primæ tonſuræ acceſſit pro Beneficio obtinendo, quod meretur, & ante tempus electionis non datur via, vt afferatur ea ſchedula, v. g. ſi eſſet ab hoſtibus occupatum

11. Rebuffus. Leſſius. Azor, & alij apud Me *de Bulla Cruciat. d.* 11. *c.* 1.

12. Barboſa. Garcia. Apud Me *vbi ſuper, d.* 25. *n.* 129.

13. Bonacina, Trullench, apud Me *vbi ſup. d.* 34. *n.* 40.

14. *Cap. Cum ſingulæ, de præb. in 6.*

15. *Cap. Cùm adeò, de reſcript. Cap. In Eccleſia, de inſtitut.* & alibi.

16. Gonzalez *gloſſ.* 5. §. 9. Azor *p.* 2. *lib.* 3. *c.* 2. *q.* 6. Abb. *in cap. conſultationi-*

bus, de Clerie. egyot. Caſtro Palao, & communiter alij.

17. *Cap. Si eo tempore, de reſcript. in 6.*

18. *Leg. fin. Cod. de iure deliberād. Leg. Sed eiſi, §. fin. ff. de iureiur.*

19. Sanch. *de matrim. l. 1. d. 62. num. 6.* Maſcard. *tom. 1. de probat. concl. 471.*

19. Couarruuias. Gratianus, & alij.

20. *Seſſ. 24. cap. 18. de reform.*

21. Diana *p. 3. tr. 1. reſ. 66.*

22. Couarruuias. Mexia. Henriquez. Lud. Lopez. Th. Sanchez. Graffis. Sotus. Rodrig. & alij.

22. Communis.

oppidum, in quo remanſerat, poteſt licitè Epiſcopus, ſi velit, fidem dare ei iuranti, eſſe initiatum prima tonſura, & conferre Beneficium. Nam cum adhiberi nequeunt aliæ probationes, iuramentum eſt probatio, & (18) iuranti fides eſt adhibenda. Et iudex ordinarius poteſt licitè operari, quando datur iuris præſumptio, quod exiſtant requiſita ad operandum; (19) vt datur in præſenti, ratione iuramenti. Et quidem in aliis caſibus fides datur iuranti; nam quæ nequeunt innoteſcere, & teſtibus probari nequeunt, partis iuramento probantur. (19)

14 Beneficium cum fit oppoſitio ad illud, debet conferri digniori, ſeu magis idoneo; ait enim Tridentinum (20) poſtquam Examinatores ſuum ſenſum circa oppoſitores declarauerint; *Ex hiſque Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit, atque illi, & non alteri collatio fiat.* Maior autem idoneitas non ſolùm eſt deſumenda ex ſcientia, ſed ex hac, & ex virtute, prudentia, ac maturitate iudicij.

15 Etiamſi in aliqua Conſtitutione, aut Bulla Pontificia aſſeratur, quem eſſe priuatum *ipſo iure*, vel *ipſo facto*, Beneficio obtento ſi id, aut illud non præſtet, tamen non tenetur in conſcientia dimittere Beneficium ante ſententiam iudicis, niſi ibi exprimatur, ad id in conſcientia teneri. (21) Et conſequenter ille faciet fructus ſuos, ſiquidem retinet bona conſcientia beneficium. Eaque verba *ipſo iure*, vel *ipſo facto*, id operantur, quòd non ſit opus, niſi iudicis ſententia declaratoria delicti, vt detur priuatio Beneficij; atque vt à tempore culpæ commiſſæ fructus reſtituantur. Et quidem, quamuis ea priuatio infligatur propter defectum alicuius conditionis, abſolutè eſt pœnalis, leges autem pœnales priuantes Beneficio, niſi in eis aliquid ſuperaddatur ad verba *ipſo facto*, (22) non obligant in conſcientia ad ſubeundam pœnam ante ſententiam iudicis.

16 Sic intelligendæ ſunt priuatio Beneficij in Parocho, qui intra annum non ordinatur; priuatio Epiſcopatus in Epiſcopo, qui intra ſex menſes non conſecratur; priuatio beneficij in permutante vnum cum

alio,

alio, si intra tres menses non fuit publicata permutatio, nec affixa valuis Ecclesiæ ; & aliæ similes. (23)

17 Ad habendum duo Beneficia difformia, v. g. Curatum, & simplex ; Canonicatum, & simplex ; quorum alterum requirit residentiam, alterum non, etiam sub eodem tecto Ecclesiæ, non requiritur dispensatio. (24) Et Tridentini dispositio pluralitatem beneficiorum prohibens, retinetur in dicto sensu, saltem in Hispania, vt constans est. Quod intellige, etiamsi vnum beneficium sufficiat ad congruam. Nec vnquam deficit causa, quæ sufficiat ad eam pluralitatem Beneficiorum ; nempè necessitas, aut vtilitas Ecclesiæ : eminens literatura, ac nobilitas, & similes. Sub eodem tecto nequit triplex Beneficium haberi, sic verò sub diuersis. Quin possunt duo Beneficia haberi sub eodem tecto, & item sub alio vnum, quamvis huius distributiones lucretur sub illo tecto, vbi duo habet : nam attenditur ad tectum, vbi beneficium est fundatum. (25)

18 Personatus, seu Beneficium personale est id, quod instituitur ex redditibus certis, & stabilibus authoritate Episcopi in fauorem alicuius personæ, quæ sola, vel alij duo, aut tres, iuxta voluntatem fundantis, obtineant illud, & postmodùm cesset Beneficium, & illi redditus in alia opera pia conuertantur iuxta mentem ipsius. Hæc Beneficia non sunt de iure communi, cum non sint perpetua, sed ab eo iure exorbitantia ; at Ecclesiastica sunt, cùm authoritas Episcopi requiratur, & fundentur in bonis stabilibus ; & Papa possit concedere, vt sint Ecclesiastica, licet collatio non fiat ab Ordinario ; & consuetudo immemorialis, quæ certè circa illos datur, id ipsum præstare possit. (26) Hinc in his Beneficiis committitur simonia quando in aliis committitur. Obligant, sicut alia, ad recitationem Officij Canonici. Possunt esse prima tonsura initiatum eum, qui ea obtinet. Potest is ad titulum Personatus Sacris initiari. Vacat Beneficium id, si ille maritetur. Cum quis instituit Personatum animo interno permutandi illum cum Beneficio ordinario, non committit simoniam. (27) Quòd si illum fundet cum pacto inito cum alio Beneficiato, permutandi

23. Suarez *lib. 5. de legib. cap. 8. num. 14.* Vasq. *in 1. 2. d. 168. c. 4. n. 30.* Bonacina. Villalobos. Garcia. Philiutius. Castr. Palao. Azor, & alij.

24. Garcia. Lessius. Nauarrus. Valentia. Th. Sanchez. Sotus *l. 3. de instit. quæst. 6. art. 3. concl. 4.* *Cap. Super eo, de præb. in 6.*

25. Garc. *de Benef. part. 11. cap. 5. num. 259.*

26. Concilium Tarraconense, *Constit. Licèt Personatus.* Nauar. *lib. 5. consil. de simon. cons. 43. n. 10.*

27. Nauarrus *vbi super, n. 20.*

tandi cum cum Beneficio illius, ſi ſtemus regulis communibus, eſt ſimoniaca pactio, cum omnes huiuſmodi pactiones in permutatione, & fundatione Beneficiorum ſint reprobatæ (28) iure Eccleſiaſtico, velut ſimoniacæ; at ſcio fieri in Prouincia Tarraconenſi, ſcientibus viris doctis, & timoratis, nec referri eas pactiones Ordinario, cum fit permutatio. Vnde ſicut Papa potuit facere, ne eſſent ſimoniacæ, conſuetudinem immemorialem id præſtitiſſe dicendum erit, aliàs ſimoniacæ erunt cenſendæ.

28. *Cap. Tua, de ſimonia. Cap. fi. de pact. & ſæpè alibi.*

19 Si his ſuper Beneficio inter duos detur, non poſſunt ipſi authoritate priuata ſe componere, ita vt vni maneat Beneficium, & hic alteri det aliquam ſummam, ſeu penſionem: (29) eſſet enim ſimonia. Poteſt verò id præſtare Epiſcopus, non ita vt detur temporale pro ſpirituali, ſed pro bono pacis, (30) & ad vitandas lites. Et certò probabile eſt, poſſe eam penſionem imponi, ita vt non extinguatur cum vita habentis Beneficium, ſed tranſeat ad ſucceſſorem, dum viuit (31) is, cui ſoluitur, niſi repugnet ſtylus Curiæ. Et quidem poſſunt abſque ſimonia duo illi inter ſe conuenire ſuper ea compoſitione, cum reſpectu ad obtinendam eam ab Epiſcopo: (32) nam ſi is poteſt eam concedere, poteſt ea poſci; nequit autem poſci, niſi ſciatur, quid ſit poſcendum. Litigantes autem poſſunt eligere iudices arbitros, non quidem ſæculares, cum de re Eccleſiaſtica agatur, ſed Eccleſiaſticos, (33) qui eam compoſitionem præſtent cum reſpectu ad Epiſcopum; & opus non eſt, vt hi arbitri ſint iudices, qui cauſam apud ſe habebant.

29. *Cap. Cum pridè, de pactis. Cap. Præterea, de tranſact.*

30. *Suar. tom. 2. de Relig. l. 4. de ſimon. c. 51. & communis.*

31. *Caſtro Palao tom. 3. tr. de ſimon. d. 3. punct. 19. n. 5. Suarez. Filliuc. & alij.*

32. *Bonac. tom. 1. d. 1. de ſimon. q. 4. §. 15. n. 10.*

33. *Suarez tom. 2. de Relig. l. 4. de ſimon. c. 51. n. 42. Bonacina. Caſtro Palao, & plurimi.*

20 Eadem ætas, quæ à Tridentino requiritur ad obtinendum Beneficium ſimplex, deſideratur ad obtinendam penſionem Eccleſiaſticam, (34) ſicut & prima tonſura; & qui incapax eſt Beneficij, etiam eſt incapax penſionis. Et ſic habet ſtylus Curiæ, & declarauit Congregatio Concilij.

34. *Gare. de Benef. p. 1. c. 5. n. 129. Barboſa. Sa.*

21 Quando quis ob aliquod delictum priuatur fructibus Beneficij, ſeu eos non facit ſuos, non ideo priuatur iure eligendi, præſentandi, ſeu conferendi aliud Beneficium, ſi id ius ſit annexum Beneficio, aut Dignitati, qua gaudet; nam in odioſis, (35) nomine fru-

ctuum

ctuum non veniunt electio, præsentatio, seu collatio. Leſſius. Nauarrus, & plures.

22 Si ex Beneficio soluatur pensio, mortuo Beneficiario, eam tenetur soluere is, qui in Beneficio succedit. At fideiussores primi Beneficiarij, non tenentur, eo mortuo, ad pensiones sequentes assecurandas; sed nouo Beneficiario id onus competit. (36) 35. Gasp. Hurtad. *tr. de suspens. diff. 4. n. 9.* Garcia. Bonacina. Suarez, & alij.

23 Beneficij collatio facta indigno in vtroque foro est nulla, nam ille incapax est, & non facit fructus suos, ac restituere tenetur, (37) cum inuiti sint, qui decimas, aut alia onera soluunt, dum minister indignus Ecclesiæ designatur; eiusque electio planè peccatum est mortale. Idem dic de pensionibus respectiuè. Electio autem digni, omisso digniori, etiam per concursum, valida est; (38) aliàs summæ perturbationes, & lites orirentur. 36. Garc. *de Benef. p. 1. c. 5. n. 178.* cum aliis. 37. Nauarra *de rest. l. 2. n. 154.* & communis 38.

24 Beneficij curati collatio requirit vigesimumquintum ætatis annum inceptum, (39) aliàs nulla est. Beneficium simplex requirit quatuordecimum inchoatum. *Cap. Cum nobis, de electione.* 39. Trid. *sess. 24. cap. 12.*

25 Nec resignatio, nec renuntiatio beneficij effectum sortiuntur, donec admittantur à Papa, vel Episcopo; quare Beneficiarij ante admissionem possunt respiscere. Cæterùm possessio quieta, etiam mala fide, Beneficij per triennium, reddit Beneficiarium tutum, nec potest illud ab eo tolli, (40) si verè sic decreuerit Sacra Congregatio Concilij, quæ circumfertur; aliter tutus non est Beneficiarius. 40. Ita declarauit Congregatio Concilij.

26 Non est valida promissio beneficij (41) vacaturi. Cum quis malè accepit Beneficium, & ei reualidatur, etiam conceditur, vt fructus malè perceptos (42) retineat; nam si non reualidetur, vel debet componi cum Camera Apostolica, vel restituere Ecclesiæ, seu successori. 41. *Cap. Detestãda, de concess. præbend. l. 6.* 42. Nauarrus *de Spol. Cleric. §. 12. n. 4.* Eman. Sà. Victorellus.

27 Beneficiarius, solùm minoribus Ordinibus initiatus, si contrahat sponsalia de futuro, non amittit Beneficium, donec ineat matrimonium. (43) 43. Sylvest. *verb. Beneficium 3. num. 22.*

28 Nequit institui Beneficium curatum cum ea conditione, quòd non detur meliori, seu digniori, dum non sit è tali familia, dummodo per concursum præstanda sit electio, (44) esset enim iniqua conditio. Glossa *in c. 1.*

At

*de Cleric. coniug.* 44. Sot. *l. 3. de iuſt. q. 6.*

At præſentans ad Beneficium curatum non tenetur præſentare digniorem, ſed dignum; nam de eo non loquitur Trideatinum, cùm magis idoneo conferendum eſſe decernit. Neque ad collationem aliorum Beneficiorum, quæ non ſunt Curata, requiritur neceſſariò electio dignioris, ſed digni, dum per oppoſitionem non conferuntur. (45)

45. Eman. Sà *verb. Beneficium, n.* 42. Sotus. Card. Caietan. Victorellus, & plurimi.

29 Epiſcopi, ac ſimiles Prælati ſolùm poſſunt admittere reſignationes Beneficiorum in circunſtantiis allatis in Bulla Pij V. (46) qui antecedenter in alia Bulla facultates admittendi eas renuntiationes reuocauerat. (47) Qui verò ordinatus eſt ad titulum Beneficij, nequit illud reſignare, niſi facta mentione eius, & conſtito, (48) quod habeat aliundè congruam ſuſtentationem. De ſimonia, quæ in Beneficij permutatione, reſignatione, interceſſione, & collatione contingit, vide *Simonia.*

46. Incipit, *Quàm Eccleſiæ*, expedita die 10. Aprilis 1560.

47. Incipit *Officium*, data die 18. Auguſti 1567.

48. Trid. *ſeſſ. 21. c. 2. de reform.*

## *Bigamia.*

1 BIgamia eſt effectus ex ſecundis nuptiis, aut ex primis cum corrupta proueniens, ob defectum ſignificationis Sacramenti. Itaque bigamus eſt, qui ſecundas nuptias contrahit. Deinde qui primas contrahit cum non vigine; at ſi ipſe ante nuptias eam corrupit, nec alius ad eam acceſſit, non fit bigamus. (1)

1. Gloſſa *in cap. ſanè, de Cleric. coniug.*

2 Eſt etiam bigamia ſimilitudinaria, quæ eoſdem effectus irregularitatis, & alios producit, ac vera; nempe ſi quis eodem tempore duabus fœminis ſit maritatus; ſi conſtitutus in ſacris, aut verus Religioſus contrahant matrimonium; nam id matrimonium, & illud ſecundum in eodem tempore bis maritato inualidum eſt; per ſimilitudinem autem dicitur bigamia.

2. D. Thomas *in 4. diſt. 27. q. 3. art. 1.*

3 Non tollitur per baptiſmum (2) bigamia, & in ea ſolus Papa diſpenſat, vt quis poſſit Eccleſiaſtico foro potiri, & Ordines recipere. Vide *Irregularitas.*

## *Blaſphemia.*

QVid ſit, & quotuplex blaſphemia, vide *Iuramentum.* Solùm hic aduerto, pœnas varias inſligi contra blaſphemantes, tum in Iure, (1) tum in variis (2) Conſtitutionibus. Et Pius V. decreuit, quòd Clericus blaſphemans, prima vice (punitionis nempè) fructibus vnius anni omnium Beneficiorum priuetur: ſecunda, beneficiis ipſis: tertia, exutus omnibus dignitatibus deponatur, & in exilium mittatur. Quòd ſi Beneficio non gaudeat, prima vice mulctetur pœna pecuniaria, aut corporali: ſecunda, carceribus mancipetur; tertia verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Eæ autem pœnæ ſunt contra blaſphemantes Chriſtum D. aut B. Virginem. Qui autem Sanctos blaſphemant, indicitur, quod puniantur arbitrio iudicis pro qualitate delicti.

*Cap. 2. de maledic.*

2. Gregor. XIII. in Bulla *Antiqua.* Pius V. in Conſtitutione, quæ incipit, *Cum primùm.* Leo X. in Concilio Lateranenſi. Afferunt, & exponunt ea Decreta Quaranta in *Bullario, verbo Blaſphemia.* Nauarrus. Diaz. Couarruuias. Panormitan.

*Bona Eccleſiaſtica.* Vide *Alienatio.*

## *Bulla communis Cruciatæ.*

1 BVllæ realis acceptio, & non ſola intentio accipiendi, neceſſaria eſt ad gaudendum eius priuilegiis. At ſi abſens moraliter certus ſit quotannis tali tempore, & die pro ſe accipi Bullam in domo parentum, aut ſimili, poteſt ex tunc vti priuilegiis illius: (1) cum in moralibus ea certitudo ſine dubitatione prudenti perindè ſe habeat, ac ſi ipſe accepiſſet. Non tamen ſufficit probabilitas de acceptione Bullæ; tum quia dum datur dubium, melior eſt conditio legis poſſidentis; tum quia non datur probabilis opinio, quòd illa probabilitas acceptionis ſufficiat; & aliud eſt poſſe quem operari iuxta probabilem opinionem, ac iuxta probabilitatem acceptionis, quæ probabilem opinionem non ſufficit reddere.

1. Villalobos. Diana. Henriquez. Ego *de Bulla Cruciat. d. 2.* & *de Iure Academic. l. 3. q. 43.*

2 Bullam Cruciatæ interpretari doctrinaliter viri docti poſſunt; iuridicè autem, ita vt vim habeat, & interpretatio ab omnibus ſit acceptanda, Pontifex ipſe,

ipſe, & Commiſſarius generalis Cruciatæ, dum ſervet proprietatem verborum, & viros doctos priùs conſulat. (2) Omnia Bullæ priuilegia ſunt amplè interpretanda; (3) quia fauores ampliandi ſunt, & ea priuilegia ſunt maximi fauores erga fideles, nec iudicanda ſunt odioſa (ſicut priuilegia conceſſa priuatis perſonis, quæ ſtrictè interpretanda ſunt, vtpotè à Iure exorbitantia) nam non intenditur per illa principaliter bonum priuatum, ſed bonum commune Eccleſiæ, ſcilicet ſpirituale ſubſidium in publica Eccleſiæ neceſſitate; & conceduntur reſpectu communitatis Hiſpaniarum, indéque amplianda, ſicut quæ conceduntur vni Religioni; nec vlli nocent: nec vlli eſt odioſum, quod mediante Confeſſario plura ex illis priuilegia exerceantur; ſicut non eſſet odioſum, concedi Confeſſariis à Pontifice poteſtatem ad ea exercenda; perindè autem ſe habet, quòd habentes Bullam eligant eos Confeſſarios, vt ea munia exerceant. Itaque priuilegia Bullæ non ſunt iuri contraria, ſed ſupra, vel præter ius; cum Pontifex ſuam poteſtatem communicet, quod eſt iuri diuino magis conſentaneum, quàm oppoſitum; & ius diuinum præualet poſitiuo. Et quidem quando priuilegia vni Communitati conceduntur, ius commune contrarium quaſi amittit ſuam vim, & quaſi derogatur, & remanent priuilegia veluti ius commune reſpectu eius Communitatis: quod non contingit in priuilegio conceſſo perſonæ priuatæ. Idem dico (4) de interpretatione indulgentiarum ob rationes libatas; cum nec Eccleſia lædatur, nec exhauriatur eius theſaurus: & conformis eſt conceſſio iuri diuino, vtpotè quia applicantur ad animarum leuamen ex ſatisfactionibus infinitis Chriſti; nec relaxatur, aut eneruatur diſciplina Eccleſiaſtica, cum conceduntur debito modo, & cum ſufficienti cauſa; ſicut non eneruatur per Indulgentias extra Bullam conceſſas.

3 Bulla durat vno anno naturali recenſito à die publicationis in loco, in quo quis eam accipit. (5) Nam annus abſolutè prolatus ſtat pro naturali de momento ad momentum; (6) ideoque cum annus Eccleſiaſticus profertur, deſignatur tempus vt in anno Eccleſiaſtico

2. Lara. Trullench. Henriquez. Ego *de Bulla Cruc. d. 1. c. 6.*

3 Lud. Lopez. Villalobos. Raph. Torre. Suarez. Diana, Ego *ſup.*

4. Sylueſter. Angelus. Ego *vbi ſuper*, cum pluribus. Et *in Appendice, d. 1. n. 1.*

5. Lud. Lopez. Rodriguez. Vega. Baſil. Legion.

Ecclesiastico Communionis, à Paschate vsque ad Paschа. Et præterea potest Pontifex, elapso tempore concessionis, reuocare Bullam: tunc autem non esset annus Ecclesiasticus, quo duraret, sed naturalis. Certò tamen probabile est, (7) durare annum Ecclesiasticum, nempe à publicatione in vno loco, vsque ad publicationem Bullæ in ipso, ne si seriùs vno anno publicetur, quàm antecedenti, fideles careant beneficio Bullæ; quod æquitati, & menti Pontificis videtur conforme. Non autem intelligendus est hic annus à publicatione in vno loco vsque ad publicationem in alio; nam id non cohæret, & posset contingere, Bullæ denuntiationem ad ferè annum, & dimidium extendi; quod ex se est absurdum. Nec ad praxim coniungendus est vsus vtriusque sententiæ simul; quare expleto anno, siue hoc, siue illo, iuxta sententiam, quam quisque sequatur, nec pro vno die valet Bulla antecedens; priuilegium enim concessum pro tempore determinato, eo elapso, exspirat. (8) Præterea nec Bulla sumpta ante publicationem valet, cum exprimat Pontifex, valorem illius fore à die publicationis. Elapso autem anno in nullo loco (8) etiam frequentissimo Bulla nec per vnum diem valet, cum finitum sit tempus, pro quo est concessa, donec alia accipiatur.

4 Si quis elegit Confessarium, & cum eo confessionem incepit, quamvis exspiret annus Bullæ, potest virtute eius ab illo absolui, (9) idemque est de Jubilæo: quia iurisdictio semel habita, & re non integra, vtpotè incepta causa, non exspirat, quoad vsque causa finiatur. Quod etiam est verum in causa iudicis delegati, quamvis tempus delegationis elabatur. (10) Non exspirat Bulla morte Pontificis, quia gratia facta à Sede Apostolica non exspirat morte concedentis, adhuc si non sit publicata, aut executioni mandata. (11) Elapso sexennio, pro quo Bulla à Pontifice conceditur, seu de nouo confirmatur, potest ille aliam non concedere: sed eo sexennio durante, adhuc potest eam reuocare, si adsit specialis causa, expediatque ad bonum publicum; & si possibilis sit, detur compensatio his, qui eam acceperunt, & sine compensatione

Ego cum aliis *de Bulla Cruc. d. 2, cap. 1.* & *in Appendice, d. 5. n. 166.*

6. *Leg. 8. minorens, ff. de minoribus.*

7. Cruz. Ant. Gomez. Villalobos. Henriquez. & alij *vbi sup.*

8. Ego *vbi sup. cap. 3.*

8. Ego *sup. n. 14.* & *in Appendice, d. 5. n. 167.*

9. Villalobos. Trullench. Ego *sup. c. 1.*

10. Palacios. Auendaño. Aufrerius. Ant. Gabriel. Th. Sanchez. & alij *supra.*

11. *Cap. Si super gratia, de offic. & potest. iud. delegat. in 6.*

tione, si non sit posibilis. Et quidem priuilegium gratis omnino concessum potest pro libito reuocari à concedente. (12) Priuilegium autem concessum per modum latè sumpti contractus lucratiui, & onerosi, non potest reuocari, non præstita compensatione, si possit præstari, seu habeatur, vnde præstetur. (13) Vnde reuocari nequit id priuilegium, nisi cum eis conditionibus. Hinc cum Bulla concedatur non quidem vt contractus, cum in ea concedantur spiritualia, quæ venalia non sunt, sed ad instar, seu per modum contractus onerosi, iniungendo eleemosynam præstandam in eius acceptione; quæ simul sumpta, & vt ab omnibus accipientibus Bullam congregata, est ingentis summæ, ac simul concessa ingenti eleemosyna fabricæ S. Petri Romæ, est priuilegium onerosum, & consequenter absque circunstantiis suprà appositis reuocari nequit. (14)

12. Communis.

13. Anton. Gabr. Greg. Lopez. Bolognetus. Matienzo. Suarez. Th. Sanchez, & alij apud Me *de Bullæ Cruc. d. 2. c. 6. & in tract. Appendic. d. 5. n. 2.*

14. Solorzano. Basil. Legion. Diana. Suarez. Th. Sanchez. Ioan. Mendez, & innumeri apud Me *vbi nuper, in Appendic.*

5 Bullæ priuilegia non reuocãtur per Bullam Cœnæ Domini, cum expresè in illa exprimat Pontifex facultatem absoluendi cum certis limitationibus à casibus in Bulla Cœnæ contentis. Nec reuocantur per Jubilea extraordinaria, nec per Jubilæum anni Sancti; (15) sic plures Pontifices declararunt; & non habet hic locum reuocatio, quando non adest causa, & compensatio, si sit possibilis, cum sint priuilegia onerosa.

15. Apud Me *de Bullæ Cruciat. d. 2. c. 7.*

6 Bulla valet in Prouinciis, & Regnis in ipsa expressis. Si aliquod ex his rebellet, non valebit in illo, quia subsidium Regis Hispaniarum conceditur. Idem erit, si per fœdera inter Reges ad alium Regem locus, aut Prouincia transeat. Sumens Bullam in loco, vbi valet, & pergens ad loca, vbi non valet, potest vti eius priuilegiis, (nisi priuilegiis vescendi oua, & lacticinia, & carnes ex consilio vtriusque medici in diebus prohibitis, quæ exceptio extat in Bulla Latina.) Nam (16) ea priuilegia sunt mixta, nempè localia quoad acceptionem, & personalia quoad vsum, quæ sequuntur personam; si quidem personis conceduntur. Non autem potest sumi Bulla in Hispania pro eo, qui commoratur in loco, vbi non valet; quia conceditur personis habitantibus, aut accedentibus ad Hispaniam;

16. Communis.

niam; ille autem non accedit realiter, quo ſenſu proprio debent accipi verba Bullæ; acceſſus namque per procuratorem (17) eſt acceſſus ciuilis, & fictus ad negotia peragenda. Poteſt autem incola loci, in quo Bulla non valet, accedere ad locum, aut portum illius vbi valet, ſolùm vt eam accipiat, & vtatur in ſuo loco priuilegiis, quibus vti (18) ibi poteſt; nam acceſſus ad eum locum non eſt ei prohibitus, & in eo vtitur ſuo iure, quo vti non eſt agere dolo malo, (19) nec in fraudem Bullæ. Sicut non agit in fraudem ieiunij, qui non relinquit ludum pilæ, aut ſimilem, qui ei non prohibetur, etiamſi fatigatus poſteà non teneatur ieiunare. (20)

17. Ego *vbi ſup. d.3.c.2.* & *in Appendice, d.1.n.20.*

18. Ego *ibid. c.3.* Bardi, & alij *in Appendic. ſup. num.23.* & *d.5.n.163.*

19. Leg. *Nullus videtur, ff. de reg. iur.* cum aliis.

20. Medina. Ledeſma. Diana. Fagund. apud Me *de Bulla Cruc. d.3.c.3.*

7 Poſſunt gaudere priuilegiis Bullæ etiam exiſtentes in peccato lethali, niſi quoad lucrandum ſibi indulgentias; & præterea decedentes abſque confeſsione, ſi negligentes fuerint in confeſsione annua, non gaudent indulgentia pro articulo mortis; nam eſt exceptio expreſſa in ipſa Bulla. In qua aſſeritur, eleemoſynam eſſe præſtandam ex bonis ſibi à Deo collatis: quare ſi præſtetur ex bonis furtiuis, aut iniuſtè acceptis, Bulla non prodeſt. At prodeſt meretricibus, quia iuſtè retinent quod peccando adquiſierunt. Quod autem iuſtè retinetur, à Deo confertur. Catechumeni nullo priuilegio Bullæ gaudent; (21) cum quidquid in ea eſt, à iuriſdictione, aut clauibus emanet, & erga illos nequeat exerceri actus iuriſdictionis aut clauium. Vnde nequeunt indulgentiæ, ſicut nec Miſſæ applicari pro defunctis catechumenis, quibus ex opere operato remittantur pœnæ: (22) nec pro defunctis, qui ante Chriſtum D. obierunt: nam vt Pontifex è theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragij conferat pretium pœnæ pro defuncto, opus eſt, vt pro eo viuo poſſet concedere indulgentiam per modum abſolutionis, & quòd fuiſſet ei ſubiectus; cum Chriſtus D. conceſſerit ei non dominium, ſed diſpenſationem theſauri erga ſubditos aliquo tempore, non erga alios, qui ſunt extra Eccleſiam.

21. Card. Lugo. Bardi. Baſil. Legion. & alij *vbi nuper, d.4. cap.2.* & *in Appendice, d.1.n.27.*

22. Auerſa. Trullench. Villalobos. Suarez. Arriaga. Bardi. Leſſius. Bauny, & plurimi *ſup.*

8 Bullæ priuilegiis, quibus poſſunt, (23) gaudent infantes, amentes, hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati; necnon Religioſi, qui ad accipiendam Bullam,

23. Lud. à Cruce, Trullench.

*sup. n. 14. & in Append. n. 30.*

& insumendam eleemosynam pro illa, indigent facultate Prælati, qui nec potest eis limitare vsum priuilegiorum, quibus vti possunt, nec licentiam ad accipiendam Bullam absque iusta causa (quæ non facilè reperietur) denegare. (23) Nouitij cunctis Bullæ priuilegiis gaudent, nam eos excipi ab vsu alicuius priuilegij, esset odiosum, & in odiosis nomine Religiosorum non comprehenduntur. (24) Si quis obiit absque Bulla, non potest pro eo sumi postea ad effectum absolutionis, & sepulturæ; nam Bulla est propria vigorum in eius acceptione, & cum ipso, tanquam cum viuente loquitur; vnde non sufficit, cum viuentem voluisse, vt acciperetur, si accepta non fuit. (25) Qui habens Bullam obiit, non poterit defunctus absolui ab excommunicatione ab eo Sacerdote, à quo non poterat absolui viuens, v. g. ab hæretico externo, etiamsi in articulo mortis potuisset ab eo absolui; tunc enim id specialiter conceditur, quia agitur de animæ salute, ne damnetur. (26) In acceptione Bullæ obtinet quis indulgentiam plenariam, dum contritus de peccatis conflictatur, aut si confiteri nequeat, id corde desideret. Eandem indulgentiam obtinet, (quin ad id opus habeat acceptione summarij Bullæ) qui suis expensis militat in exercitu Regis Hispaniarum aduersus Turcas vno integro anno, aut aliud præstat obsequium in illo, v. g. Confessarij munus, aut infirmarij, vel simile exercendo. Quòd si bellum toto anno non duret, adhuc ea indulgentia obtinebitur; & etiam si intra annum ille moriatur, aut ob legitimam causam ante finem anni recedat à bello. (27) Et præterea lucrantur eam indulgentiam milites missi expensis alterius, si sint pauperes, ad militandum integro anno contra Infideles. Obtinent eam indulgentiam plenariam Cardinalis Episcopus, Regis filius, Princeps, Dux, Marchio, aut Comes, qui suis expensis miserit milites, saltem quatuor, ad id bellum; & quivis alius, si vnum mittat; quod si vnus nequeat mittere, duo vel tres mittant vnum, pro rata facultatum. Item Capitula Ecclesiarum, & Regularium, adhuc Monialium, si præcedente Capitulari consensu, pro singulis decem ipsarum Communitatum

23. Ego cum pluribus *sup. c. 3. & 4.*

24. Ioan. Andreas. Angelus. Henriq. & alij *sup. cap. 4.*

25. Ego cum aliis *vbi sup. cap. 5.*

26. Ego *de Bullæ Cruc. d. 4. c. 5.*

27. Ego *sup. d. 5.*

tum mittant vnum militem. Et prætereà Regulares, & Clerici sæculares, qui de licentia Superiorum in exercitu concionantur, vel audiunt Confessiones, seu alia pia munera, aut ecclesiastica exercent, eam obtinent indulgentiam.

9 Qui ad exercenda pia opera ad exercitum proficiscuntur, si obtineant Beneficium curam animarum habens, egent licentia Pontificis, & tunc relictis idoneis Vicariis, faciunt fructus suos. Qui habent alia Beneficia exposcentia residentiam, si hæc possit suppleri per Vicarium (non enim potest residentia Canonicatuum, & similium) cum licentia Ordinarij, aut Prælati (si Beneficium sit Regulare) facient fructus suos assistendo in exercitu. (28) 28.

10 Hi, qui suis expensis eunt, aut mittunt ad bellum, ac pauperes missi, & indulgentiam plenariam sibi obtinent, possunt simul eam (quin egeant acceptione summarij Bullæ) applicare animabus Purgatorij per modum suffragij, vt extat in Bulla Latina Cruciatæ. (29) Prætereà qui in eiusmodi bello contra Infideles suis expensis militant, & missi ab illis, si sint pauperes, excusantur à ieiunio diebus præceptis, non verò ideò cibos prohibitos in eis edere possunt; excusantur etiam ab obseruatione Festorum quoad opera seruilia belli, non solùm quando id necessitas vrgens exposcit, cum ad id non sit opus priuilegio, sed quando possent ea opera differri, sed commodiùs fiunt ea præueniendo. (30) Ego *sup. d.* 12. *cap.* 2. 29. Ego *sup. d.* 12. *cap.* 2. 30.

11 Pro summario Bullæ Cruciatæ communis debent in Hispaniis (31) erogare octo argenteos Cardinales, Patriarchæ, Episcopi, Abbates gaudentes iurisdictione quasi Episcopali, Inquisitores Sacræ Fidei, Dignitates Ecclesiarum Cathedralium, Duces, Marchiones, Comites, Commendatarij Maiores, Proreges, Legati, Imperatores belli, Præsides, Senatores tum Consiliorum, tum Cancellariarum, & Audientiarum, & Præfecti causarum criminalium in eis, Fiscales, Quæstores gazæ Regiæ, & Sanctæ Cruciatæ, Secretarij Regij, Commendatarij Ordinum Equestrium, Domini vassallorum, & vxores omnium prædictorum viuentibus maritis. Cæteri duas drachmas argen- Ego *de Bullæ Cruciat. d.* 13. *cap.* 1. & 2. 31. Apud Me *sup. d.* 1. *cap.* 3.

teas erogare tenentur, vel illicò, vel tempore designato ab exactoribus, qui debent creditò summaria præbere.

12 Jn Indiis tenentur erogare sexdecim drachmas argenteas Proreges, Episcopi, Inquisitores, Abbates, Priores, Dignitates, Canonici Ecclesiarum Cathedralium, Equites militarium Ordinum, Præsides, Senatores, Præfecti criminalium, Lictores maiores, Secretarij, & Relatores Audientiarum Regis, Gubernatores, Prætores, Judices ordinarij, & Consistoriales Rectores populorum, Domini distributionum, & pensionarij super ipsas, Duces generales belli, Præfecti arcium, Aduocati, & qui in facultatibus propriis recensent decem mille argenteos octonos, aut vltrà; necnon vxores omnium prædictorum.

13 Adhuc in Indiis debent erogare octo argenteos cæteri; excipiuntur Religiosi vtriusque sexus, Hispani mendicantes, famuli, Indi, & Tusci, qui duas drachmas solum præstare tenentur. At ex Indis, hi qui aliis imperant, vulgò *Caziques*, octo drachmas sunt erogaturi.

14 Si prædicti secundam Bullam in anno accipiant, vt possunt, eandem eleemosynam (32) erogaturi sunt.

32. Trullench. Ego *sup. d.* 14. Viduæ, si sint vsufructuariæ dominij vassallorum, tenentur præstare octo drachmas, quia manent veræ dominæ vassallorum, (33) & tunc proprietarius ob id dominium non debet octo argenteos præbere. Si plures sint domini vnius loci, quilibet tenetur ad præstandum octo argenteos, quia de vnoquoque verum est, esse dominum vassallorum; nisi sit aliqua Communitas domina, cuius singuli ad id non tenentur. Nec tenentur Vicecomites, Præfecti Nobilitatis, & Judices Cantabriæ in Cancellariis, nec Fiscales Inquisitionum octo drachmas concedere, quia non exprimuntur in ea taxa à Commissario; & id est odiosum, ac non extendendum; nec paritas in his rebus facti, & odij, valet. Si Rex, aut Princeps exterus aduentaret Hispaniam, octo argenteos pro Bulla deberet elargiri. Id, quia rarum, non exprimitur, sed evidenter constat non à simili solum, sed argumento

33. Trullench. Ego *de Bulla Cruc. d.* 14.

de

de minori ad maius, & implicitè continetur id in expreſſione facta à Commiſſario.

15 Bullam accipientes, & mittentes, ac miſſi ſuis expenſis, ſeu pauperes miſſi ad bellum contra Infideles, toties quoties aliquo die, qui aliàs non ſit ieiunij eos obligantis, ieiunauerint, & preces fuderint pro victoria contra Infideles, & vnione Principum Chriſtianorum, vel non potentes ieiunare, aliud opus pium præſtiterint arbitrio ſui Parochi, aut Confeſſarij, lucrantur quindecim annos, & quindecim quadragenas indulgentiæ pro pœnitentiis iniunctis, ſeu pœnis quomodocumque debitis; & fiunt participes omnium bonorum operum, quæ à membris totius Eccleſiæ fiunt. Si quis vouerit toto anno ieiunare, non adimplet ieiunando conditionem appoſitam, ſicut ſi ieiunaret in Quadrageſima adſtrictus præcepto, nam id expreſsè cauetur; nec ideò fit peioris conditionis, cum poſsit aliud opus apponere. Ac certè etiam inculpatè non obtinentur plures indulgentiæ, cum nequit quis conditiones apponere. (34) Secus eſt, quando in Jubilæo præfiguratur tres dies ieiunij, & vnus, aut duo ex illis ſunt etiam ex præcepto Eccleſiæ; quia non exprimitur, ea ieiunia debere eſſe non debita aliundè. Sufficit autem ad præfatam indulgentiam vnum ieiunium, debetque adimpleri eo modo, quo ſi eo die præceptum vrgeret, eſſet adimplendum: ſicut cum ieiunatur ex voto. Opus pium loco ieiunij debet eſſe æqualiter morale illi; & ſi eſſet euidenter melius, poſſet quis abſque Confeſſarij arbitrio illud exequi; ſicut aſſeritur in commutatione voti. Oratio poteſt fundi in quolibet loco, & ſufficit mentalis; ac ſat eſt, (34) ſi implicitè offeratur pro eo quod intendit Pontifex.

34. Ego *ſup. d.* 19. *cap.* 1.

34. Trullench. Cruz apud Me *ſup. d.* 19. *n.* 7. & *in Appendice*, *d.* 5. *n.* 170.

16 Nomen accipientis ſcribi in Bulla non eſt neceſſarium. (35) Retinere illam apud ſe eſt conſilium, non præceptum; vnde quamvis amittatur, adhuc culpabiliter, vel rumpatur, eſt certò probabile, gaudere quem eius priuilegiis; (36) nam mens Pontificis, & Commiſſarij eſt, vt accipiatur, & non remaneat apud Quæſtorem, vt fraudes vitentur, cum ille poſſet ſummarium, non eleemoſynam acceptam reddere,

35. Communis. Ego *de Bullæ Cruc. d.* 21. *c.* 2.

36. Baſil. Legion. Ego *vbi ſupra*.

c. 1. & *in Appendice, d.2. §.32. & d. 5. c.1.*

si apud se summarium maneret. Et cum communiter doceatur, gaudere quem priuilegiis illius, si inculpabiliter amittat; sanè tam non retinet moraliter, qui illud inculpabiliter, quàm qui culpabiliter amittit; vnde retentio moralis non est necessaria. Potest quis sumere Bullam pro alio, etiam illo nesciente, qui statim ac acceptauerit, (37) fruetur eius priuilegiis. Quin valet sumere plures Bullas, quin dum accipit, designet personas, & postmodùm distribuere valet illas. Quod si accipit Bullam pro aliquo, & is vel iam acceperit aliam, vel nolit illam, potest accipiens alteri applicare eam; nam eius intentio fuit non solum de traditione illius Bullæ, sed de vsu; & implicitè intentionem habuit applicandi eam alteri, (38) si à primo non acceptaretur. Quod verum est, etiamsi nomen primi in ipsa inscripsisset, nam inscriptio parùm refert, & ad eam non attenditur, sed ad applicationem vsus; nec in emendatione inscriptionis malè appositæ committitur crimen falsi. (39) Semel autem applicata Bulla ad vsum nequit alteri applicari.

37. Suarez. Ego *vbi super, d.21. cap.2.*

38. Ego *vbi super.*

39. Cap. *Ex conscientia, de crimine falsi.* Gerson, Nauarrus, & alij apud Me *supra.*

17 Parochus vnius loci vbique terrarum est eligibilis in Confessarium, quia approbatus (40) est pro omni Ecclesia. Idem dicito de eo, qui habens iurisdictionem ordinariam est superior Parocho. Bulla Cruciatæ nihil concedit Confessario circa approbationem, sed confert ei electo iurisdictionem; quod satis ostendunt ipsa verba Bullæ asserentia, (41) posse accipientem illam eligere vnum ex Confessariis approbatis ab Ordinario in ordine ad ea priuilegia absolutionis, & commutationis votorum ibi contenta; quare supponit approbationem requisitam à Tridentino, nec huic vult Pontifex in aliquo derogare. Quare ea approbatio, quæ v. g. Barcinone requiritur ad audiendas Confessiones, requiritur vt quis per Bullam eligatur; nam is, qui non habet approbationem Barcinone requisitam, non est Barcinone approbatus, vnde nec eligibilis Barcinone per Bullam. Cæterùm constat ex verbo *Approbatio*, & *Confessarius*, approbationem debere esse Ordinarij eius territorij, in quo audiuntur Confessiones.

40. Petr. Ledesma. Bonacina. Diana. Trullench. Toletus. Bardi. Suarez, & innumeri apud Me *sup. d.22, c.2 & in Appendice, d.2. num. 133.*

41. Apud Me *sup. d. 22. & in Appendic. d.2. cap. 20.* Innumeri AA. *in Appendice, d.5. num. 130.*

18 Inde

18 Inde approbatus in vna diœcesi, non est eligibilis per Bullam in alia, in qua non est approbatus. Opposita sententia erat olim certò probabilis, nunc verò minimè. (42) Approbatus ad viros tantùm, nequit eligi à fœminis per Bullam, ob rationem præfixam, quod nihil concedit Bulla circa approbationem: & illa limitatio valida est, atque adeò ille nequit excipere Confessiones fœminarum. Contraria sententia (43) erat olim certò probabilis, nunc autem nequaquam. Cum autem asseritur, Confessarium esse eligibilem per Bullam, aut Jubilæum, non requiritur, vt pœnitens vtatur electione formali asserens, *Te eligo in Confessarium*; sed sufficit eum habere Bullam, & Confessarium esse conscium; etenim ille vult gaudere priuilegiis quibus potest. Dixi *erat*; quia iam ex Decreto Clementis X. nequit sustineri vlla ex illis opinionibus.

42. Sotus. Medina. Per. Ledesma. Henriquez. Suarez. Diana.

43. Quintana-dueñas. Bardi, & innumeri apud Me *de Bulla Cruciat. d. 22. cap. 4. & in Appendic. d. 2. c. 20.*

19 Approbatus pro vno loco (44) nequit in alio eligi virtute Bullæ, iuxta doctrinam præfixam. Is à quo approbatio ablata fuit, seu transactum est tempus, pro quo fuit approbatus, nequit eligi per Bullam, quia iam non est approbatus, quomodocumque approbatio cessauerit. (45) Secus est de illo, qui fuit Parochus, (46) & dimisit Beneficium Parochiale; nam is potest excipere Confessiones, & approbationem non amisit, iuxtà dicenda verbo *Confessarius*. Si Beneficium ab eo ablatum fuisset ob causam superuenientem culpabilem, non manet approbatus.

44. Barbosa. Nunius. Fay, & plurimi *sup. cap. 5.*

45. Ego *suprà.*

46. Ego *sup. cap. 7. & in Appendice, d. 2. cap. 26.*

20 Is, à quo ablata est approbatio absque causa, adhuc non est per Bullam eligibilis, quia iuxta dicenda verbo *Confessarius*, ea reuocatio tenet, & absolutè non est (47) approbatus, nec capax iurisdictionis. Et cum non sit eligibilis, si reuocetur eius approbatio, non esset tutum eum eligere vnquam, etiamsi abfuisse causam dicatur; nam facile non est discernere, vtrum Ordinarius motus fuerit ab aliqua causa, saltem occulta.

47. Ioan. à Cruce, & alij apud Me *sup. cap. 8. & in Appendice, d. 2. cap 25.*

21 Potest eligi per Bullam Regularis Ordinum Mendicantium semel approbatus in diœcesi, in qua eligitur; nam in reuocatione generali ab eodem Episcopo facta non includitur reuocatio approbationum

Regularium, quæ absque vrgentissima causa nequit fieri. A succedente autem Episcopo possunt Regulares iterum examinari, iuxta Decretum Vrbani VIII. & SS. Clementis X. (48) Religiosi Ordinum non Mendicantium, si communicent priuilegia Mendicantium, etiam sunt per Bullam eligibiles: & quia communitet participant illa, in Bulla Hispana asseritur absolutè, quemvis Regularem approbatum posse eligi; estò in Bulla Latina exprimatur *Ordinum Mendicantium Regularem*. Eadem approbatio, quæ requiritur, & sufficit, vt quis virtute Bullæ eligatur in Confessarium, est necessaria, vt commutet vota, & eligatur ad alia priuilegia Bullæ fruenda.

48. Apud Me *de Bulla Cruciat. d. 22. n. 9.* Vide *Approbatio.*

22 Virtute Bullæ potest quis semel in vita (scilicet semel quovis anno Bullæ nouæ acceptæ) & semel in morte, & si secundam Bullam accipiat, iterum semel in vita, & semel in articulo mortis absolui ab omnibus peccatis, & censuris etiam reseruatis Sedi Apostolicæ, adhuc in Bulla Cœnæ Domini, excepto crimine hæresis externæ; & ab aliis peccatis, & censuris toties quoties: vnde poterit toties quoties à reseruatis Episcopo (49) siue peccata commissa fuerint ante, vel post (50) acceptionem Bullæ. Non est sermo de reseruatis in Religionibus, de quibus verbo *Reseruati casus*. Potest etiam absolui à peccatis commissis ex confidentia absolutionis obtinendæ per Bullam, (51) nam concessio est generalis, & non restrictiua. Et præterea in duobus casibus, nempe in ablatione bonorum ex confidentia compositionis per Bullam, & in applicatione indulgentiæ in articulo mortis, si dilata fuit annua confessio ex confidentia Bullæ, exprimitur in ipsa, quod Bulla non prosit; & hæ exceptiones firmant regulam in contrarium.

49. Ego *sup. d. 23. num. 3.*

50. Iedesma. Molfesius. Bonacina. Th. Sanchez. Villalob. Diana. Apud Me *sup. num. 5.*

51. Sanctarellus. Filliucius. Ego *sup. n. 6.*

23 Si semel quis absoluatur ab vna censura reseruata, aut peccato reseruato, & iterum committat aliud, etiam diuersæ speciei, iam nequit virtute Bullæ absolui ab illo; nec à censura reseruata diuersa; concessio enim est pro vna vice (52) siue quis plura, aut pauciora peccata, aut censuras deferat eiusdem, vel diuersæ speciei. Nec est necessarium, vt si quis semel elegerit Confessarium pro absolutione, is semper sit, qui

52. Ego *sup. n. 7.*

qui alia priuilegia participet pœnitenti, aut iterum eum absoluat à peccatis, aut censuris, à quibus pœnitens possit absolui; sed potest eligere quot velit Confessarios.

24 Virtute vnius Bullæ potest quis absolui toties quoties à casibus aliàs Sedi Apostolicæ reseruatis, si sint occulti; (53) nam toties quoties potest absolui à casibus non reseruatis Sedi Apostolicæ; casus autem occulti non sunt reseruati absolutè, cum possit Episcopus absoluere ab illis, iuxta dicenda verbo *Episcopus*, vbi quid sit publicum, & occultum, exponetur. Nec ex priuilegio concessa est Episcopis potestas absoluendi ab illis, sed restituendo iurisdictionem, quam olim iure communi habebant; nec est facultas personalis, cum si eiusmodi esset, non valeret delegari, valet autem aliis committi ab Episcopis. (54) Itaque cùm Episcopis committitur facultas illa absoluendi, tollitur reseruatio Pontificia, & manet Episcopalis. Absolutio autem per Bullam, licèt solùm valeat pro foro interno, tamen semel in vita, & semel in articulo mortis præstari potest etiam à casibus publicis reseruatis Summo Pontifici; ab occultis autem toties quoties, excepto semper crimine hæresis, & casibus in Bulla Cœnæ contentis, ob declarationem, & Decretum confirmatum ab Alexandro VII.

53. Th. Sanchez. Trullench. Fragosus. Escobar. Quintana-dueñas. Apud Me *de Bulla Cruciat. d. 23. num. 60. & in Appendic. d. 2. cap. 26. & d. 5. cap. 8.*

54. Duardus. Diana. Suarez. Granado, & alij apud Me *sup. n. 63.*

25 Si quis habens Bullam diuertat ad locum, in quo non sit acceptatum Tridentinum, non poterit virtute illius ibi absolui toties quoties à reseruatis Pontifici occultis; nam in Tridentino conceditur ea facultas Episcopis ad absoluendum ab occultis: vbi autem id non est acceptatum quoad leges onerosas, (55) nec censetur acceptatum quoad fauorabiles, atque adeò ibi ea facultas non viget, indeque reseruatio Pontificia ibi non est ablata.

55. Gauantus. Alzedus. Daluin. Trullench. Caspensis. Suarez. Amicus. Castro Palao, & alij *sup. num. 65.*

26 Extra Confessionem potest quis absolui virtute Bullæ à censuris reseruatis, quia id fit pro foro interno conscientiæ, quod non est idem ac forum Pœnitentiæ, & vtrumque condistinguitur à foro externo. Et sic etiam potest Episcopus virtute Tridentini id (56) præstare.

56. Pharaonius. Claud. Solerti.

27 Exteri, peregrini, aut mercatores, seu quivis alij aduentantes

Lazarius. Th. Sanchez. Nauarrus, & alij *sup. n. 66.* 57.

aduentantes ad locum, in quo accipiant Bullam, possunt ibi absolui à reseruatis, sicut possunt ab Episcopis, nam horum fiunt subditi (57) quoad absolutionem.

Machado. Suarez. Th. Sanchez *sup. num. 67.*

28 Nequit virtute Bullæ absolui ab hæresi externa adhuc occulta, quia in ipsa apponitur exceptio, tum in Bulla Hispana, tum in motu proprio Gregor. XIII. id declarantis; & ea exceptio cadit supra absolutionem ab hæresi non solùm publica, sed occulta; & estò possent Episcopi ab illa absoluere, tamen virtute Bullæ non potest absolui à peccatis, à quibus possunt Episcopi absoluere, nisi aliqua exceptio in Bulla apponatur, vt in præsenti casu. (58) Hæresis autem, à qua per Bullam absolui nequit, est solùm hæresis formalis externa; (59) de qua infrà verbo *Hæresis*; nam solùm ab ea absolutio est reseruata.

58. Ego *de Bulla Cruciat. d. 23. c. 8. & in Appendic. d. 2. num. 149.* 59 Ego *de Bullæ Cruc. sup. c. 9.* cũ communi. 60. Giptius. Trullench. Henriquez. Ortiz. Freytas. Delrius. Raph. de la Torre.

29 Potest autem virtute Bullæ absolui, excepta hæresi formali externa, ab omnibus aliis delictis pertinentibus ad Inquisitores fidei; (60) nam exceptio firmat regulam in contrarium, & sola hæresis excipitur; nec detrahitur quidquam ordini iudiciali, ac cognitioni Inquisitorum, cum absolutio sit solùm pro foro interno. Et quidem si aliquod ex his delictis non contineat hæresim formalem, nec sit reseruatum Pontifici, poterit ab eo absolui, si sit publicum semel in vita, & semel in articulo mortis, vigore cuiusvis Bullæ; si autem sit occultum, toties quoties.

Apud Me *sup. num. 94.* 61. Ego *ibidem.* 62. Ortiz. Freitas. *ubi suprà.*

Paulus I.V. prohibuit absolutionem eorum, qui habent libros prohibitos, (61) nisi priùs eos Quæsitoribus Fidei tradant. Fœmina solicitata à Confessario nequit absolui, nisi denuntiet illum Inquisitoribus Fidei, aut saltem absoluens certus reddatur, (62) quod denuntiabit illum.

30 Absolutio præstita in articulo mortis virtute Bullæ à reseruatis Sedi Apostolicæ id operatur, quòd absolutus, si superviuat, non teneatur comparere coram Pontifice, sicut tenetur, qui tunc absoluitur absque priuilegio Bullæ, aut simili.

31 Absolutio à censuris virtute Bullæ nequit concedi, si detur pars læsa, nisi ei satisfiat, aut detur cautio sufficiens; nec potest concedi a censuris latis ab homine

homine in particulari, ne iudicia turbentur, sed à cæteris. (63) Attamen præstita satisfactione, aut cautione, seu data impotentia satisfaciendi, potest quis excommunicatus specialiter ab homine absolui pro foro interno conscientiæ (64) virtute Bullæ, à quacumque excommunicatione reseruata, & à non reseruata, & ab hac poterit absolui à quouis Confessario absque Bulla. Quod idem dic virtute Jubilæi, aut priuilegij, si detur. Etenim hæc absolutio nullatenus perturbat ordinem iudicialem, cum solùm prosit pro foro interno, ita vt absolutus possit gaudere suffragiis Ecclesiæ, & à peccatis absolui: & pietas existat, vt cum per ipsum non stet, quominùs absoluatur, non priuetur eis bonis spiritualibus. At à censuris generalibus reseruatis non potest quis ideò absolui pro foro interno, nisi ab habente specialem iurisdictionem, quia illæ censuræ reseruatæ sunt etiam quoad forum internum.

63. Ego *sup.* cum communi *d.* 25. *n.* 43.

64. Acosta. Sayrus. Diana. Henriquez. Th. Sanchez. Couarruuias. Nauarrus. Trullench. Lud. à Cruce. & alii apud Me *sup. d.* 25. *num.* 121.

32 Inde si absolutus pro foro interno obtineat Beneficium, tuta conscientia poterit illud retinere, & facere fructus suos; (65) estò possit Iudex eum illo priuare. Quin si ille celebret, non manet pro foro interno irregularis, estò sit puniendus, & habendus vt irregularis pro foro (66) externo. Quòd si excommunicatus non debeat satisfacere cuiquam, sed eiicere concubinam, aut quid simile, nequit absolui, nisi illud exequatur. Si autem sit pars læsa, in casibus in quibus non tenetur restituere ob impotentiam, aut quia nequit sine incommodo graui sui status, non tenetur satisfacere; nam satisfactio est etiam restitutio.

65. Trullench. Suarez. Apud Me *de Bulla Cruciat. d.* 25. *n.* 129.

66. Valerius. Rodriguez. Trullench, *vbi super*, *num.* 130.

33 In articulo mortis potest præstari absolutio à censuris, dum constet, à moribundo relinqui in testamento, aut aliter hæredibus obligationem satisfaciendi. Qui vel ex iure ordinario, vel ex delegatione absoluit, non præstita satisfactione, aut cautione, absolueret validè, sed illicitè, quia non seruat in re grauiuris formam. Idem dic, si absoluat virtute Bullæ; (67) nam clausula addita de satisfactione præstanda non est limitatiua potestatis, sed admonitio formæ iuris. Et quidem id amplius cernitur, si moribundus absolueretur,

67. Barbosa. Valerius. Aulla.

Th. Sanchez. Diana, & alij apud Me *vbi sup. n.* 137.

absolueretur, non petita satisfactione, nec cautione, nam pia mater Ecclesia non vult, vt in his casibus negligentia Confessarij in suo munere obeundo præiudicet pœnitenti.

68. Valerus. Medina. Rodriguez. Bonacina. Candidus. Trullench. Suarez. Apud Me *sup. n.* 151. & *in Appendic. d.* 5. *num.* 107.

34 Absolutio à censuris præstita pro foro interno prodesse potest quoad forum externum, (68) nempe si de ea constet, & Iudex sequens hanc sententiam, velit eum absolutum iudicare; nam per absolutionem ablata est realiter censura: & licèt Confessarius, vt talis, nihil possit operari circa forum externum, tamen ex ea absolutione resultat, vt pro eo foro scandalum tollatur, si censeatur à Iudice absolutus, & nihil inde ordini iudiciali detrahatur. Quin Pius V. in iubilæo anni 1567. Gregorius XIV. in iubilæo anni 1591. concesserunt vt absolutio à censuris satisfacta parte (69) valeret pro foro externo. Jam verò nequit pro hoc foro impertiri.

69. Henriquez *super n.* 153.

35 Per Bullam Cruciatæ possunt à Confessario electo ab habente illam commutari omnia vota præter votum Religionis, Castitatis, & Vltramarinum, in alia pia opera, dum tamen applicetur in subsidium Cruciatæ aliqua pecunia eroganda ab eo, cui votum commutatur.

70. Candidus. Trullench. Leand. de Sacram. Basil. Legion. Th. Sanchez. Suarez. Filliucius. Diana, & alij apud Me *de Bull. Cruciat. d.* 26. *n.* 63.

36 Vota iurata, & iuramenta possunt commutari virtute Bullæ; (70) nam qui potest commutare vota, potest & iuramenta, ac vota iurata. Vide verbo *Votum*. Et in ipsa Bulla asseritur, facultatem concedi ad commutanda vota etiam iurata: nam perindè se habet commutare iuramentum factum in confirmationem voti, ac iuramentum seorsim emissum. Commutatio autem iuramenti etiam debet fieri in aliquod subsidium Cruciatæ.

37 Nequeunt vota emissa in fauorem tertij commutari per Bullam, si sint acceptata; non enim conceditur facultas in præiudicium alterius. Neque possunt commutari vota, aut iuramenta Communitatum, quia non his, sed personis Bulla conceditur.

71. Ant. Gomez. Trullench.

38 Vota Castitatis, Religionis, & Vltramarinum, conditionalia possunt commutari virtute Bullæ ante, & post impletam conditionem; (71) quia hæc vota ab initio non sunt perfecta, & reseruatio, vt odiosa,

odiosa, solùm ad vota perfecta extenditur. Vide verbo *Votum*. Cæterùm vota, quæ important conditionem de præsenti, aut de præterito, cum conditio non sit contingens, sunt vota absoluta, indeque nequeunt commutari. Diana. Leand. de Sacram. Pet. Ledesma. Card. Toletus. Barthol. à S. Fausto.

39 Similiter vota pœnalia conditionalia eiusmodi materiæ reseruatæ possunt commutari virtute Bullæ ante, & post impletam conditionem; (72) tum ob rationem libatam, tum quia adhuc sunt minùs perfecta, cum emittantur cum auersione ad pœnam impositam. Idque intelligendum est, siue quis voueat, siue simpliciter promittat euitare aliquid; v. g. *Non sum lusurus, & si ludam, voueo Religionem.* At in hoc euentu non datur peccatum in ludo. In his autem casibus commutato voto pœnæ, extinguitur totum votum, atque adeò etiamsi quis postea ludat, non iterùm in eam incurrit; quia iam fuit incursa. Cæterùm vota reseruatæ materiæ in pœnam peccati præteriti, aut præsentis, quod quis parat committere, absoluta sunt, & nequeunt commutari. Quod si quis duo vota sic emittat, *Voueo Castitatem, & si eam fregero, voueo Religionem*, primum nequit commutari, nam est absolutum materiæ reseruatæ, & independens à secundo, quod commutari valet, quia est pœnale. Cardin. Toletus. Barthol. à S. Fausto. Candidus. Leo. Sanctarellus. Bossius. Th. Sanchez. Apud Me *sup. num. 85.* 72. Nuñus. Lud. à Cruce. Barbosa. Tamburinus. Lauorius. Sanctarellus. Rodriguez. Villalobos. Medina. Lopez. Vivaldus. Aragon. Vega. Sayrus. Suarez. Layman, & alij *sup. n. 92.*

40 Votum Castitatis, cuius commutatio negatur in Bulla, est perfectum, (73) perpetuum, & omnimodum, quia id solum est reseruatum Pontifici. Vide verbo *Votum*. Votum autem castitatis per centum annos nequit commutari, quia id censetur perpetuum. Votum assumendi Ordinem Sacrum potest commutari virtute Bullæ, quia id non est votum castitatis; quare non peccaret contra votum, qui ante susceptum Ordinem sacrum frangeret castitatem. 73. Ledesma. Sotus. Nauarrus. Azor. Suarez. Th. Sanchez. Fagundez, & innumeri apud Me *de Bulla Cruciat. d. 26. cap. 10.*

41 Potest etiam commutari per Bullam votum disiunctiuum, cuius altera pars solùm est materiæ reseruatæ; nam potest eligi à vouente altera pars non reseruata. Si iam ipse elegerit materiam reseruatam, adhuc potest commutari, dummodò ille de nouo non voluerit illam, (74) quia ab initio id votum non fuit reseruatum, 74. Malderus, & Ego cum

aliis *ea d. 26. num. 116.*

reſeruatum, & quod in radice fuit imperfectum, ſemper trahit ſecum eam imperfectionem. Sanè ille tenebitur, dum non commutetur votum, ad eam materiam præſtandam; nam in alternatiuis, electa vna parte, non poteſt quis reſilire, niſi relaxetur debitum.

42 Votum caſtitatis, & alia vota reſeruata emiſſa propter metum leuem poſſunt (75) commutari virtute Bullæ; nam id votum eſt imperfectum, cum ſit aliquo modo iniuſtè coactum: vnde reſeruatio ad illud non extendenda eſt. Votum caſtitatis emiſſum ab altero coniuge poſt conſummatum matrimonium abſque alterius licentia poteſt etiam commutari, quia non eſt omnimodæ caſtitatis, cum vouens teneatur reddere debitum. Virtute autem Bullæ nequit diſpenſari, vt petat debitum is, qui ante matrimonium emiſit votum caſtitatis. Et generaliter vota materiæ reſeruatæ, quæ verbo *vo·um* dicemus eſſe commutabilia ob aliquem defectum, ſeu imperfectionem, commutari queunt per Bullam.

75. Nauarrus. Angelus. Bonacina. Leo. Fumus. Diana. Trullench. Leſſius *vbi ſup. n. 118.*

43 Vota caſtitatis partialis, quæ quis ſeorſim emiſit, ita vt per omnia integretur omnimoda caſtitas, ſi in vltimo voto æquiualenter eam promiſit, coniungendo illud cum aliis, commutari tunc nequeunt. (76) Votum ingrediendi Religionem Sancti Joannis Meliteniſis nequit commutari, quia eſt ſtrictè Religio approbata; ſic verò votum ingrediendi alios Ordines Militares, vt quis ſit Eques, non Clericus Frater: & etiam qualitas voti Religionis, nempè vt ingrediatur in aliam Religionem, aut Monaſterium, aut intra tale tempus, dum adſit iuſta cauſa; (76) etiamſi laxior ſit alia Religio, vel S. Joannis.

76. Lud. à Cruce. Diana. Trullench. Th. Sanchez *ſup. n. 124.*

76. Ego *ſup. in Appendice, d. 2. n. 170.*

44 Votum vltramarinum exceptum in Bulla Cruciatæ, ſolùm eſt peregrinationis Hieroſolymitanæ: (77) hæc autem, etiamſi ſolius deuotionis cauſa voueatur, (78) nequit commutari.

77. Communis expoſitorum Bullæ Cruciatæ.

45 Votum non petendi commutationem poteſt commutari virtute Bullæ: quia vouens nequit derogare poteſtati conceſſæ à Pontifice. Votum non peccandi poteſt etiam commutari, (79) quia non eſt exceptum, nec reſeruatum.

78. Sylueſter. Trullench. Suarez.

Th. Sanchez,

46 Facta commutatione poteſt quis redire ad prius votum,

votum, nam commutatio fit in eius fauorem. Quòd si quis omiſit aliqua opera iniuncta in commutatione, non propterea reuiuiſcit obligatio prioris voti, quia iam fuit extincta per commutationem. & plures apud Me *de Bulla Cruciat. d. 26. num.* 144. 79.

47 Non obſtat, vt votum commutetur, aut diſpenſetur, quòd vouens habeat in animo reddere ſuum votum incommutabile, aut indiſpenſabile; nam id ab eius voluntate non pendet. Sotus. Nauarrus. Azor. Leſſius, & innumeri *ſup. num.* 153.

48 Commutatio intra tempus legitimum durationis Bullæ eſt præſtanda, ſicut & durationis Iubilæi. At ſi quis poſcat commutationem omnium votorum, & obliuiſcatur vnius, poteſt id ei commutari tranſacto eo tempore, quia iam incepta fuit cauſa, & acceptata iuriſdictio. Imò ſi poſcatur vnius voti commutatio tempore legitimo, & Confeſſarius velit rem conſiderare, poteſt tranſacto tempore (80) commutationem perficere, quia tempore habili rem incepit. 80. Suarez. Th. Sanchez, & alii *ſup. n.* 166. *& in Appendic. d.* 2. *num.* 162.

49 Poteſt Confeſſarius aſſerere, *Ego ex nunc votum tibi commuto, & deindè materiam ſubrogabo.* Quin poteſt eum remittere ad virum doctum, ac prudentem, qui ſubroget. Et ex tunc (81) manet votum commutatum, ita vt ex tunc non teneatur vouens ad materiam illius. 81. Sayrus. Viualdus. Leſſius. Candidus. Fagundez, & plures *ſup. num.* 164.

50 Nequeunt commutari vota, quæ emittenda ſunt, quia commutatio eſt relaxatio obligationis ſubſtituendo materiam; quod non ſtat, ſi votum non ſit adhuc emiſſum; alias cum emitteretur, non contraheretur vlla obligatio, nec eſſet votum. Et quidem aliud eſt tollere oligationem, quæ niſi tolleretur, futura eſſet, vt cum Prælatus concedit generalem facultatem ſubdito, vt exeat domo, tollit obligationem poſcendi licentiam exeundi. Aliud eſt tollere obligationem, quæ de facto erit, vt in voto adeſt annexa obligatio; hæc autem antecedenter nequit tolli, quia de facto erit.

51 Poſſunt vota commutari per Bullam toties quoties, quia non reſtringitur facultas ad vnam vicem, & eſt materia fauorabilis.

52 Pars commutationis debet fieri in aliquod belli contra Infideles ſubſidium, nec opus eſt, (82) vt tota commutatio in illud fiat. Sic infertur ex verbis 82. Fauſtus. Viualdus.

Bullæ

Lud. à Cruce. Diana. Trullench. Henriquez. Suarez. Th. Sanchez *vbi sup. n.*175. & *in Appendice, d.*5. *n.*153.

Bullæ Latinæ, & clariùs ex Hiſpana. Id autem diſtinguitur prudentis Confeſſarij arbitrio, attentis circunſtantiis voti, & vouentis. Non autem poteſt id ſubſidium eſſe ſolùm ſpirituale precum, & orationum, adhuc ſi (83) vouens ſit pauper; quia in Bulla intenditur ſubſidium temporale in præſenti, ſi quidem alibi in ipſa Bulla ſubſidia ſpiritualia petuntur, & Commiſſarius Generalis potuit deſignare quantitatem elargiendam, eſtò non deſignauerit. Nec impotentia pauperum poteſt eſſe ſufficiens motiuum, cum plura priuilegia ob impotentiam non obtineantur. Contraria ſententia (84) reſpectu pauperum eſt certò probabilis.

83.

Nauarrus. Sotus. Raph. de la Torre. Azor, & plures apud Me *de Bull. Cruciat. d.*26. *n.* 179.

53 Commutatio virtute Bullæ debet fieri in æquale, paulò magiſve, (85) nam maior æqualitas non facilè inuenitur; minor verò deficit à commutatione, & tranſit in partem diſpenſationis; non autem conceditur in Bulla poteſtas (86) diſpenſandi in votis, vt ex verbis illius conſtat. Cauſa ad commutanda vota virtute Bullæ ſemper datur, tum ſubſidium erogandum in fauorem Cruciatæ, tum difficultas petentis commutationem ad implendum prius votum, & maior animi promptitudo ad aliam materiam, & periculum minus frangendi poſterius votum, ſeu materiam ſubrogatam.

84.

Suarez. Th. Sanchez, Llamas, & plures *ibi.*

85.

Caietanus. Sotus. Couarruuias. Suarez. Azor, & plurimi *ſup. n.*189.

54 Commutans vota virtute Bullæ debet eſſe Confeſſarius approbatus ab Ordinario: Quod ſi in articulo mortis Sacerdos ſimplex abſolueret, non poſſet commutare vota, id enim non opus eſſet, vt ſalus æterna vouentis non periclitaretur. Commutatio per Bullam fit in foro interno, tamen ſat eſt in foro interno conſcientiæ, quamvis non fiat in Confeſſione. (87)

86.

Boſſius. Portel. Th. Sanchez, & communis *ſup. n.*196.

87.

55 Confeſſarius nolens commutare vota non peccat, quia ad id ex iuſtitia non tenetur; nec ex charitate, niſi poſſit dari caſus neceſſitatis extremæ reſpectu commutationis: ſicut non peccat, qui non vult audire Confeſſiones, niſi ſit Parochus, qui ad vnum & aliud tenetur ex vi officij: ſicut Epiſcopus tenetur diſpenſare in votis, cum datur cauſa, ex vi ſui muneris.

Tamburinus. Homobonus. Polachus. Lauorius. Diana. Layman, & innumeri *ſup. num.* 201.

56 Poteſt

56 Potest sumi secunda Bulla viuorum, vt quis lucretur aliam indulgentiam plenariam in vita, aliam in articulo mortis, si secundus superueniat, & in primo iam ea fuerit illi applicata. Et prætereà vt iterum absoluatur in vita, & in articulo mortis à reseruatis.

57 In sententia asserente, si amittatur Bulla culpabiliter, non posse quem eius frui priuilegiis, potest (88) sumi alia toties quoties amittatur; nam ea est intentio Pontificis, vt accipiatur ad fruendum eius priuilegiis; qui effectus non staret, si non posset sumi alia Bulla, cùm prima amissa inutilis iam censeatur; sicut qui inutiliter apponit media ad obtinendum Iubilæum, aut indulgentiam, potest iterum ea apponere, donec vtilia sint ad effectum.

88. Trullench. Villalobos. Apud Me *sup. d. 28. num. 6.*

58 Per Bullam Cruciatæ non suspenduntur gratiæ, & facultates disparatè se habentes ad gratias, & facultates ipsius Bullæ: (89) v. g. quæ pertinent ad honores, iurisdictionem, specialia priuilegia, qualia habent Academici, Ministri Tribunalium Fidei, & similia. Quia quoties in literis Apostolicis reuocantur aliqua priuilegia, intelligitur de his, quæ sunt contraria indulto in eis concesso; prædicta autem non contrariantur Bullæ Cruciatæ, nec eius expeditioni, nec in eis reperitur causa finalis reuocationis, quæ in aliis. Nec reuocantur facultates, & gratiæ Iuri communi (89) insertæ, nec item ab Episcopis concessæ.

89. Trullench. Henriquez. Villalobos. Lud. à Cruce. Rodriguez. Apud Me *de Bulla Cruciat. d. 29. num. 33.*

59 Nec reuocantur gratiæ, & facultates concessæ Religionibus Mendicantibus, quoad earum Fratres tantùm, sic enim exprimitur in ipsa Bulla: aliud est, si vni in particulari à Sede Apostolica essent concessæ, & contrariarentur expeditioni Bullæ. Intelligitur autem illa exceptio de Religionibus, & Fratribus propriè talibus. Circa Indulgentias vide verbo *Indulgentia.* Et ibi circa Religiones non Mendicantes.

89. Fernandez. Rodriguez. Villalobos, & alij *sup. num. 10. & in Appendice, d. 3. num. 3.*

60 Facultates Religiosorum, quæcumque sint, ad absoluendum adhuc sæculares, non suspenduntur per Bullam Cruciatæ, (90) nam hæ concessæ sunt immediatè in fauorem Religionis; & sæculares non gaudent earum bono, quia eis conceditur à Pontifice,

90. Ledesma. Ioan. à Cruce. Graffis. Card. Lugo.

Henriquez. Th. Sanchez, Leand. de Sacram. Villalobos, & plurimi apud Me *vbi sup. num.* 63.

sed quia conceduntur his, cum quibus confitentur. Et quidem in Bulla exprimitur, non derogari facultates conceſſas Religionibus Mendicantibus, vnde nec præfatæ; nam cui conceditur aliquid, concedi-tur id ſine quo illud obtineri nequit; non autem poteſt obtineri fauor abſoluendi ſæculares, niſi ſæculares confiteantur cum Religioſis. Nec limitantur in Bulla facultates Religioſorum.

61 In Bulla Latina excommunicat Pontifex eos, inter quos bellum datur, ſi tempore publicationis Bullæ non fecerint treugam; & reſeruat ſibi abſolutionem. Præterea excommunicat eos, abſolutione ſibi reſeruata, qui impediunt, aut perturbant publicè, aut occultè bellum contra Infideles. Rursùs eos, (ſed non eſt reſeruata excommunicatio) qui defraudant bona ad Cruciatam pertinentia, ſeu ad id iuuant conſilio, vel auxilio, aut accipiunt à non potente elargiri. Clemens VII. excommunicationem Sedi Apoſtolicæ reſeruatum (91) tulit contra impedientes publicationem Cruciatæ. Et præcepit omnibus Prælatis, ne eam impedirent, nec quidquam ex eleemoſyna illius ſumerent.

91. In Breui expedito die 1. Martij, anno 1532.

62 Quando publicatur Bulla, fertur excommunicatio, vt omnes confluant ad concionem: qua ſolùm intenditur, vt multitudo concurrat, cùm in oppidis magnis Eccleſia omnes capere non poſſet; vnde fideles non iudicant, ſe in excommunicationem incidere, ſi non confluant. Nec eſt latæ ſententiæ, ſed ferendæ, ſi nullus, vel pauci concurrerent; quod nunquam accidit.

63 Bulla publicatur, & viget in vtraque Caſtella, Legione, Aragonia, Nauarræ, Valentiæ, Catalaunia, Sardinia, Sicilia, Canariis, Maiorica, Menorica, in Imperio Peruano eiuſque Prouinciis, in nouo Regno Granatæ, in Prouincia Chilenſi, in Regno Mexicano, in Prouincia de Guatimala, & Honduras, in inſulis Sancti Dominici, & Cuba, in Philippinis, omnibuſque aliis ditionibus Indicis à Rege Catholico poſſeſſis.

64 Quidquid alij lucrantur accipiendo ſummaria Bullæ, lucratur Rex Hiſpaniarum, quin eam accipiat

piat, curando de expeditione Cruciatæ, & de Bello contra Infideles. (92)

92. Ego *de Bulla Cruc. in Append. cap. 2. cum Bardi.*

65 Quamvis Rex (quod nullus nec ſuſpicari poteſt) non inſumeret in bello contra infideles eleemoſynam collatam pro Bulla à fidelibus, adhuc hi obtinerent priuilegia in illa contenta, quia ipſi ſatisfaciunt requiſitis à Pontifice, qui nihil amplius ab eis poſcit. (93) Nec Rex eo caſu reſtituere teneretur, quia eiuſmodi pecuniæ dominium adquirit, & nulli iniuſtitiam faceret; eſtò peccaret, niſi aliunde ſuppleret pecuniam ad id bellum: quod ſanè præſtat, dum aliquos redditus prouenientes ab eleemoſynis Bullæ applicat in alios effectus; & dum æquiualentem quantitatem inſumit in eo bello, perindè eſt, ac ſi illos ipſos redditus inſumerer.

93. Ego *vbi ſuper, num. 10.*

66 Pro Regno Siciliæ animaduertatur, Inſulam Liparis, & alias ſubiacentes, vnum cum Sicilia regnum componere; indeque cum pro Sicilia Bulla concedatur, videtur (94) etiam pro eis Inſulis concedi; attamen cum Emin. Cardinalis ab Auria quondam voluiſſet in Lipari Bullam promulgari, paſſus fuit repulſam ab Epiſcopo Liparenſi, & negotium Romam delatum, vbi Summus Pontifex approbauit reſiſtentiam Epiſcopi. Quare niſi poſcatur conſenſus, aut noua declaratio Pontificis, in eis Inſulis Bulla nequibit promulgari, nec ibi valebit. (95)

94. P. Bardi *in Bull. p. 1. tr. 2. ſect. 1.*

95. Ego *in Bull. Cruciat. in Append. d. 1. c. 4.*

67 Ad calcem adnotatum volo, Battem Buſembaum, cum ſuam valde eruditam ſummam elaborauiſſet in Regno, in quo vſus non eſt Bullæ Cruciatæ, nihil circa hanc ſcripſiſſe; vt verò ei ſummæ non deeſſet tractatus adeò vtilis, ac neceſſarius pro Regnis, in quibus Bulla viget, vir aliquis doctus meum de Bulla Cruciatæ tomum in breuiſſimum compendium, quoad materias plus frequentes, redegit (vt conſtabit manifeſtè vtrumque legenti) ac prædictæ ſummæ illud adiunxit: quod mihi gratulor.

## *Bulla Compoſitionis; & Bona incerta.*

1 COmponere bona debita eſt deſignare loco maioris quantitatis debitæ minorem quantitatem præſtandam Eccleſiæ, aut pauperibus, eo quòd præſtita ſufficienti diligentia non compareat creditor; ita vt præſtita ea minori quantitate, liber cuis maneat à reſtitutione maioris quantitatis, & tutus in conſcientia.

1. Communis.

2 Pontifex poteſt ea bona componere, & Bullam cõpoſitionis concedere; (1) nam cum de ſalute animarum agitur, habet pleniſſimam poteſtatem ſuper bona, & perſonas ſubditorum, vtpote cui incumbit eorum ſpirituali bono conſulere, ad quod ſpectat hæc compoſitio, vt obnoxij damnationi non fiant, qui difficilè integrè debita reſtituunt; & cum ea bona debeantur Eccleſiæ, vel pauperibus, eorum habet Pontifex generalem adminiſtrationem. (2) Præterea bona incerta deuoluuntur ad Rempublicam, cuius capita poſſunt ea conuertere in caſus neceſſarios vtilitati publicæ; Pontifex autem caput eſt Reipublicæ Chriſtianæ. Et ſi quidem de facto concedit eam compoſitionem, ſequitur poſſe concedere. Hinc omnes, qui debent bona incerta, vel ex defectu recitationis tenentur Eccleſiæ reſtituere, poſſunt Pontificem adire pro compoſitione.

2. D. Thomas. Caietanus. Lud. Carbon, & communis apud Me *de Bulla Cruciat. d. 32. num. 3.*

3 Vbi Bulla valet, nequit Epiſcopus bona incerta componere, 3) quia ab eo aufertur facultas; poteſt autem (4) vbi Bulla Cruciatæ non viget: etenim ei proportionatè applicantur reſpectu ſuæ diœceſis ea, quæ Pontifici congruunt reſpectu totius orbis Chriſtiani, niſi detur limitatio appoſita à Pontifice, ſeu à Iure Eccleſiaſtico: nec ius Canonicum diſponens, bona incerta præſtari pauperibus, tollit ab Epiſcopo facultatem componendi illa. Et obiter aduerte, ſi bona incerta applicentur pauperibus ab Epiſcopo, etiam comparente domino, in foro externo non teneri eum, qui

3. Trullench. Ego *Jup. n. 11.*

4. Sotus. Lud. à Cruce Villalobos. Henriquez. Trullench. Apud Me *Jup. num. 16.*

quæ illa Epiſcopo diſtribuenda conceſſit, iterum reſtituere, aliter teneretur quis bona bis reſtituere. Secùs contingeret, ſi Confeſſarius eidem debitori, vtpote pauperi, applicaſſet bona incerta, quæ debet; nam comparente domino, ſi poſſet, teneretur reſtituere; nam ea applicatio Confeſſarij non eſt tranſlatio dominij, cum Confeſſarius non ſit diſpenſator bonorum incertorum; ſed eſt declaratio, quòd in illis circunſtantiis incerti domini, debitor pauper non tenetur reſtituere; ſecùs facturus, ſi non ſit pauper, & ad ſtatum pinguiorem deueniat. (5)

4 Bona incerta, non iniuſtè adquiſita, vt ſunt bona inuenta, & ſimilia (ſi ſit obligatio reſtituendi ea, de quo infrà) poſſunt Principes ſupremi, & Reſpublicæ ſupremæ componere, (6) quia ſuccedunt loco domini incerti; vnde poſſunt ea bona remittere, componere, ſeu applicare; nam iure gentium Capita ſuprema ſunt matres ciuium, eoſque repræſentant, & non eſt titulus, cur alius ſit dominus eorum bonorum, niſi hi, qui repræſentant dominos illorum, dum non comparent. Idem dicito de bonis incertis iniuſtè adquiſitis, (7) nam eadem ratio militat, ſiquidem in ſuppoſitione quòd iniuſtè adquiſita debeant reſtitui, nullum eſt diſcrimen.

5 Si milites iniuſtè vrbem lædant, non conſtando de dominis, quibus facta eſt læſio, poteſt Dominus vrbis componere cum militibus læſionem. Imò & ſi de dominis conſtaret, poſſet Rex vtens dominio alto componere; cum bonum priuatum in hoc caſu pro pro communi pace cedat publico. (8) Rex Hiſpaniæ poteſt componere bona incerta, ſi iniuſtè Hiſpani abſtulerint ea ab Indis Gentilibus, quia ſuccedit loco veri dor ini, cum ſit (9) legitimus Rex Indorum.

6 Domini vaſſallorum non ſupremi nequeunt bona incerta componere, vtpotè qui non ſuccedunt loco veri domini.

7 Commiſſarius Generalis, cui à Pontifice conceſſa eſt poteſtas, valet bona incerta componere; & ita ad certam quantitatem componendam expedit Bullam;

5. Ego *vbi ſup. n. 28.*

6. Corduba. Rodriguez. Trullench. Henriquez. Dicaſtillo. Apud Me *de Bulla Cruciat. d. 32. n. 30.*

7. Henriquez. Lugo, & plures *vbi nuper, & in Appendic. d. 3. n. 29.*

8. Sotus. Corduba. Henriquez. Apud Me *vbi nuper, n. 39.*

9. Solorzano *ſup. num. 40.*

cæteras autem maiores quantitates ipſemet, ſi ad eum confugiatur, componere poteſt.

8 Quæ bona indulgeatur componi per Bullam, illicò præſtringemus. Quantitas autem per vnamquamque Bullam componibilis ſunt bis mille dipondia, Hiſpanè *marauedis*; & quolibet anno poteſt quis ſumere quinquaginta Bullas, quibus componantur centies mille dipondia. Quantitas autem componenda poteſt vel ex vno, vel ex pluribus debitis conflari. Summaria autem Bullæ non eſt opus retineri poſtquam acceptæ ſunt, eſtò opus eſſet retineri Bullam communem Cruciatæ; nam priuilegium compoſitionis in ipſa acceptione obtinetur: non autem relinquenda ſunt apud Quæſtorem, ne fraus fiat ſubſidio Cruciatæ.

9 Pro ſingulis Bullis compoſitionis eroganda eſt duplex drachma argentea. Si aurem compoſitio fiat ob bona debita propter defectum recitationis, alia duplex drachma correſpondens ſingulis Bullis præſtanda eſt fabricæ Eccleſiæ, in qua ſitum eſt Beneficium; & ſi penſio, qua quis fruitur, & reſtituere tenetur, ſit ſupra Epiſcopatum, ſufficiet eas drachmas præſtare Eccleſiæ cuilibet, ex qua Epiſcopus recipiat redditus annuos.

10 Si duo ſint debitores bonorum incertorum, aliuſque debeat mille dipondia, alius mille alia, non ſufficit vna Bulla vtrique, quia Bulla vni ſoli datur; quare ambo debent Bullam ſumere pro ſuo debito componendo, etiamſi id ſit minùs, quàm quod poſſet per illam componi.

11 Bona, quæ reperiuntur in ſuperficie terræ, in via, in angulo domus, aut inter merces, dominum habere ſupponendum eſt; & donec præſtita ſufficienti diligentia, dominus non compareat, non ſunt bona incerta. (10)

10. Leſſius. Layman. Ego *de Bulla Cruciat. d. 33. num. 7.*

12 Quæ in littore maris inueniuntur, non ex naufragio, primi (11) occupantis fiunt; ſicut & quæ profunduntur in aliqua ſolennitate, & ea quæ à domino derelinquuntur. (12) Ligna, quæ inundatione fluminis aſportantur, & ſunt exigui valoris, ac longè

11. Communis.

à domino feruntur, inter derelicta habentur; ſecùs ſi talia ſint, vt prudenter iudicetur, dominum velle ea quærere, & recuperare. Non tamen ſunt bona incerta, quæ in incendio, aut naufragio proiiciuntur,(13) nam dominus ea non derelinquit, & vellet, ſi poſſet, ea conſeruare. Quin etſi res ſit peritura, niſi quis illam ſeruaret, adhuc eius dominium non adquireret, vtpotè à domino non abdicatum. (14)

13 Si ignoretur, quis è tribus vel quatuor ſit dominus bonorum, hæc eis tradenda ſunt, vt communi conſenſu inter ſe ea diuidant; poſt diuiſionem autem etiamſi conſtet, vnum ex illis eſſe dominum, non tenentur cæteri ei ſuam partem reſtituere, (15) quia vnuſquiſque in prima diuiſione ſuo iuri ceſſit.

14 Bona inuenta alia ſunt inanimata, alia ſe mouentia, quæ Hiſpanè dicuntur *Moſtrenco*, quamvis etiam hæc vox ad inanimata ſoleat extendi. Hæc bona oportet inquiri ſedulò, cuius ſint; ſi autem non compareat, tutior ſententia eſt, deberi pauperibus; & in Hiſpania applicata ſunt per Pontifices tum Cruciatæ, tum Sacris Ordinibus Sanctiſſimæ Trinitatis, & B. Mariæ de Mercede ad redemptionem captiuorum; vnde ex his ad præuentionem curat quiſque ea bona ſibi applicari. Verùm ea bona inuenta poſſe inuentorem ſibi applicare, cum onere reddendi ea domino, ſi compareat, verius iudico, (16) & tutum. Etenim ea bona non debentur iure naturali pauperibus; cum potiùs cenſendum ſit, dominum velle vt inuentor ſibi retineat ea bona, ad hoc vt ſi ſciat ipſum eſſe dominum ei reſtituat; quàm quòd compoſitio fiat de illis, aut præſtentur pauperibus, abſque ſpe ea vnquam recuperandi. Nec iure poſitiuo eis debentur, nam textus Iuris ſolùm loquuntur de bonis iniuſtè adquiſitis. (17) Hinc inuentor non tenetur reddere ea bona Cruciatæ, aut præfatis Religionibus; nam cenſuræ latæ contra illos, qui illa ipſis non reſtituunt, procedunt contra eos, qui primam opinionem ſectantur, & non recta conſcientia retinent ea bona; non verò improbatur à ferentibus cenſuras hæc ſecunda ſententia. Eatenùs cæterùm tenetur inuentor eſſe paratus reſtituere bona inuenta domino comparenti, do-

12. *Leg. 1. ff. pro deliclo. §. penult. Inſt. de rer. diuiſ.*

13. *Leg. iactum, ff. de furtis. Leg. Nauigia, Cod. de furt.*

14. *Leg. Pöponius, ff. de adquir. rerum domin.*

15. Pet. Nauarra, Rebellus, & alij apud Me *ſup. num.* 11.

16. Sotus. Bart. Medina Lopez. Nauarra. Salon. Trullench. Sà. Dicaſtillo. Ego *vbi ſup. n.* 13. & *in Appendice, d.* 5. *n.* 173.

17. Ego *de Bulla Cruc. d.* 33. *n.* 18.

nec tranſeat tempus neceſſarium à Iure præſcriptum ad vſucapionem ſeu præſcriptionem; poſt quod bonorum dominium non manet apud primum dominum, ſed apud vſucapientem, aut præſcribentem titulo, & bona fide. (18)

18. Sayrus. Trullench. Salon, & alij *vbi ſuper, n.* 23.

15 Si quis de bonis incertis per Bullas componatur, pro foro interno nihil tenetur reddere domino, ſi poſteà compareat; (19) at pro externo poterit cogi à iudice, vt reddat. Quippè ea compoſitio eſt quoddam genus transferendi dominium pro foro interno, ſicut præſcriptio pro externo; & ſicut Reſpublica propter dominium excellentiæ poteſt transferre dominium media præſcriptione, ita Pontifex ob ſimile dominium in bona fidelium, quatenus concernunt bonum ſpirituale animarum, poteſt transferre dominium media compoſitione. Et quidem ſi habens bona incerta, reſtituiſſet ea pauperibus, non teneretur domino comparenti reſtituere; compoſitio autem ſuccedit in eandem reſtitutionem pauperibus faciendam. Et ſeparabile eſt dominium in foro externo à dominio in foro interno; ſicut qui non poteſt recuperare à Petro centum aureos, & tollit ab eo vas aureum eius valoris, in foro interno habet eius dominium; & pro foro externo, ſi notitia accedat ad iudicem, poterit ab eo cogi, vt reddat, tanquam non ſuum. Cæterùm qui componitur, ſponte ſe ſubiicit oneri reſtituendi domino, ſi compareat; quod onus compenſatur eo, quòd retinebit rem, eo non comparente. Et ſanè Pontifex concedit compoſitionem abſolutè, & non ſub conditione (20) quòd compoſitus de re teneatur pro foro conſcientiæ eam reſtituere domino comparenti.

19. Bañez. Acoſta. Sotus. Nauarrus, Card. Lugo. Medina. Henriquez. Sylueſter. Ledeſma. Victoria. Mercado, & alij apud Me *ſup. num.* 28.

20. Ego *ſup. n.* 33.

16 Tutus in conſcientia manet, qui per Bullas, aut cum Commiſſario generali compoſitionem facit, (21) & ea eſt praxis fidelium id ita cenſentium; nec eos falli, poteſt vllo modo præſumi, cum id eſſet temerarium contra Pontificis poteſtatem; nec obeſt quantitas exigua pro compoſitione erogata, attenditur enim bono ſpirituali fidelium, ac ſubſidio Cruciatæ; & ideò pro Bulla communi viuorum continente ingentia priuilegia erogatur exigua eleemoſyna.

21. Card. Lugo. Dicaſtillo. Henriquez. Trullench, & communis *vbi ſup. n.* 35.

Nec

Nec præiudicium ſit pauperibus, cum nullus determinatè haberet ius, & poſſent ea bona Eccleſiæ reſtitui; & cedit id ius maiori bono publico ad ſubſidium belli contra Infideles.

17 Non prodeſt Bulla compoſitionis his, qui bona aliena ſurripiunt, aut retinent ex Bullæ confidentia, nempè politiua, non aliter ſubrepturi, (22) aut retenturi. Cæterùm, ſi Epiſcopus, vbi poteſt, compoſitionem faceret, non obeſſet adhuc ea confidentia, quia eius poteſtas non eſt ad id limitata; in Bulla autem ea limitatio apponitur, quòd ſi quis ex confidentia poſitiua bona incerta occupet, tenetur integrè reſtituere Cruciatæ; ſic enim præcipitur iuſtè à Commiſſario Generali Delegato Pontificis. Quod ſi ille reſtituat operi pio, non irritatur ea applicatio, (23) atque adeò non tenetur iterum Cruciatæ reſtituere; peccabit autem contra præceptum, ſi bona fide id non præſtitit.

22. Ego cum communi *de Bullæ Cruciat. d. 33. num. 42.*

23. Trullench. Ego *vbi ſuper. num. 46.*

18 Catechumenis hæc Bulla non prodeſt, ſicut de Bulla communi viuorum diximus. Prodeſt autem omnibus, qui Bulla communi gaudere queunt, & Religioſis, ſi fortè illa indigeant. Nec ad ea fruendum opus eſt exiſtere in gratia; nihil enim pœnæ pro culpis debitæ per illam remittitur; nec per compoſitionem excommunicatis aut hæreticis abſolutio præſtatur, quare hi poſſunt accipere hanc Bullam; & præterea tutores, aut curatores infantium, & amentium, ſi in horum poteſtate ſint bona incerta, poſſunt ea per Bullas componere, cùm illorum perſonam agant. Defunctus ante mortem poteſt mandare, vt hæres ſumat Bullas compoſitionis; (24) nam id non eſt, Bullas accipi à defuncto, ſed ab hærede, à quo accipiuntur, vt bona incerta quæ ad ipſum perueniunt ex teſtamento, componantur; at nomine defuncti nequeunt accipi.

24. Henriquez. Trullench *vbi ſup. n. 50.*

19 Poſſunt per Bullas componi bona iniuſtè adquiſita, quorum dominus ignoratur, ſiue per vſuras, ſiue per quemvis alium contractum, aut modum illicitum. Vide verba *Vſura*, & *Reſtitutio*, vbi cernes, quando detur obligatio reſtituendi; nam vbi non datur, non eſt opus Bullis compoſitioni.

20 Item

20 Item per Bullas componi poſſunt bona debita ob defectum Recitationis Officij diuini, aut parui B. Mariæ, præſtita eadem ſimul quantitate fabricæ Eccleſiæ, vt diximus, ac pro Bullis erogatur. Quantum autem teneantur reſtituere non recitantes, vide *Horæ Canonicæ.*

21 Non reſidentes in Eccleſiis ſuis, qui tenentur ad reſidentiam, non faciunt fructus ſuos, & ex his aliqui non poſſunt componi de illis per Bullas, quia per Bullam Cruciatæ (25) non derogatur Tridentino illud ſtatuenti; ſcilicet ſi ſint Parochi, aut Epiſcopi, de quibus ſolummodò Concilium loquitur; nam alij non reſidentes, etiamſi reſidere teneantur, & non faciant fructus ſuos, poſſunt, ſi hos perceperint, componi per Bullas. (26)

25. Nauarrus. Lud. Lopez. Rodriguez. Trullench. Henriquez apud Me *de Bulla Cruciat. d. 24. n. 34.*

22 Poſſunt per Bullas componi fructus quos non fecit ſuos is, qui inualidè Beneficium obtinuit, ob aliquem defectum in obtentione interuenientem, dummodò hi fructus ex conſuetudine non debeantur ſucceſſori, ita vt Beneficium non reualidetur in primo obtinente, ſed ab eo ablatum ad alium perueniat. Etenim in hoc caſu datur dominus certus fructuum, at in primo (27) illi fructus debentur Eccleſiæ, aut pauperibus, & bona his debita poſſunt per Bullas componi.

26. Sayrus. Ego *ſuper, num. 35.*

27. Ego *vbi ſuper, ex num. 39.*

23 Si quis in teſtamento bona incerta debita leget alicui Eccleſiæ, aut pio loco, ſeu pauperi, & legatarius hic fuerit per annum negligens in exigendo legato, à die, quo monitus fuerit ab hærede, à quo tenetur moneri, conceditur hæredi, vt poſſit medietatem illius legati per Bullas componere, ita vt ſolùm poſteà teneatur medietatem legati tribuere legatario. Idem dicito de fideicommiſſo, quod æquiparatur legato. (28) Etenim is legatarius non habet ius perfectum in re legata, donec rem exigat; vnde cauſa intercedente poteſt Pontifex de bonis diſponere; cauſa autem eſt, quòd ea bona ex ſe debita eſſent Eccleſiæ, aut pauperibus; & ſæpè in negligentiam apponitur pœna, quam ſibi imputare debet ille legatarius. Verùm ſi negligens ſit Procurator Eccleſiæ, aut loci pij in exigendo illud legatum, tenetur ipſe præſtare

28. Ego *ſup. n. 53.*

Eccleſiæ

Eccleſiæ illam medietatem compoſitam per Bullam; nam quoties procuratores ob ſuam culpam ſunt cauſæ, vt res deteriorentur, aut minuantur, reſtituere tenentur.

24 Legata fideicommiſſaria, & donationes cauſa mortis, ſi is, cui præſtanda erant, non compareat, poſſunt per Bullas componi, nec aliter fiunt hæredis, cum non ſit titulus, quo ea percipiat, ſed manent vti bona incerta. (29)

29. Ego *vbi ſup. num.* 62.

25 Sequens Commiſſarius Generalis ſententiam aſſerentium, acceptum ob turpem cauſam debere reſtitui pauperibus, v. g. pro iniuſta ſententia, pro iniquo patrocinio, pro accuſatione, aut teſtificatione falſa, pro inſtrumenti publici falſa confectione, & ſimilibus, indulget, vt ea bona accepta poſſint per Bullas componi. Attamen quænam bona accepta ob ſimiles turpes cauſas non teneatur quis reſtituere, & exindè compoſitione non indigeat, vide verbum *Reſtitutio*; ſanè præter id quod accipit, datur damnum tertio illatum, quod ei eſt reſtituendum.

26 Nequit per Bullas componi iudex, qui accepit à litigante aliquid præſtitum ab eo ad redimendam ſuam vexationem, aut pro ſententia iuſta ferenda pro ipſo; nam eidem tenetur id reſtituere. (30) Quod ſi litigans cenſens, ſe non habere iuſtitiam, cum habeat, concedat aliquid iudici ante prolationem ſententiæ, tenetur iudex reſtituere illi acceptum; at poſt prolationem debet reſtituere pauperibus, ideoque poteſt componi (31) per Bullas. Quippè litigans tunc abdicat dominium à ſe, & conſentit in tranſlationem, cum noſcat, eſſe pretio æſtimabilem actionem ferendi ſententiam pro illo, quam cenſet iniuſtam, aut ſaltem dubiam; indeque non eſt titulus, vt ei reſtitutio fiat, & cum aliunde ſit ſententia realiter iuſta, & nequeat iudex retinere pretium pro illa, tenetur reſtituere pauperibus, aut componi; quòd ſi accuſetur, & damnetur, reſtitutio erit facienda ei, cui iudex applicauerit.

30. Nauarrus. Salon. Villalobos. Lud. à Cruce. Trullench. Molina Fagundez. Machado. Leſſius. Apud Me *de Bulla Cruciat. d.* 34. *num.* 133.

31. Rodriguez. Villalobos. Trullench. Lud. à Cruce *vbi ſuper*, *n.* 134.

27 Iudex Eccleſiaſticus ſolùm poteſt componi de pretio malè accepto in cauſis temporalibus, quando illud

illud reſtituere tenetur pauperibus; nam pretium acceptum pro cauſis ſpiritualibus eſt ſimoniacum, pro quo per Bullas nequit componi; & quamvis Pontifex ſolùm in Bulla plumbea prohibeat diſpenſationem, & compoſitionem in ſimonia ex Beneficio, apoſtaſia, hæreſi, homicidio, & mala Ordinum ſuſceptione; tamen ſi in aliis pretiis ſimoniacis poſſit fieri compoſitio, ad ipſum Commiſſarium Generalem Cruciatæ id ſpectat.

28 Tabelliones, & ſimiles Officiales, qui accipiunt ſtipendia vltra debitum, non comparentibus dominis, poſſunt de exceſſu per Bullas componi. Quippè tenentur in conſcientia (32) ſeruare leges ſtipendia taxantes. Eſtò oppoſitum, dum pretium non excedat naturale, & iuſtum, ſit certò probabile, indeque ad reſtitutionem non teneri. (33)

32. Sotus. Nauarrus. Medina. Corduba. Caſtillo. Rodriguez. Villalobos. Sayrus. Trullench. Baſſeus. Card. Toletus. Reginaldus, & alij *ſup. n.* 142.

33 Molfeſius. Diana. Machado. Molina. Th. Sanchez. Fagundez *vbi ſup. n.* 143.

29 Qui vtuntur fraudibus in ludo, & lucrantur, & qui lucrantur à non potentibus amittere, poſſunt componi per Bullas, ſi non compareant domini; nam comparentibus, debet eis fieri reſtitutio.

30 Qui ficto titulo ſanctitatis, aut conſanguinitatis, ſeu ſimili eleemoſynas accipit, dum ille titulus fuerit cauſa ſolùm impulſiua, poteſt ſibi retinere acceptum, ſecùs ſi fuerit motiua; nam tunc tenetur reſtituere ipſis dominis, (34) vel iuxta opinionem certò probabilem, pauperibus, ſi ſolùm poſſit cenſeri, voluiſſe erogantes ſubuenire Chriſto in paupere, eiuſque miſeriam ſubleuare; (35) & tunc poterit per Bullas componi.

34. Caietanus. Sotus. Medina. Victoria, & alij apud Me *de Bulla Cruciat. d.* 34. *cap.* 169.

35. Nauarrus. Trullench. Ioan. Andreas. Villalob.

30 Compoſitio etiam fieri poteſt bonorum, quæ apud te depoſita ſunt, aut tibi quoquo modo tradita, dummodò dominus non compareat, & bona non ſint tibi tradita à iudice in ſequeſtrum; nam hoc caſu non attinet ad te diſcernere de domino, ſed ea redditurus es ei, quem iudex aſſignauerit: (36) quod ſi is aſſignauit dominum, nec rem vlteriùs exigit, & dominus non compareat, poterit depoſitarius per Bullas componi.

31 Similiter poteſt componi, qui venando, aut quidquam aliud faciendo, damnum intulit agris, meſſibus, & fructibus, aut aliis rebus alienis, quando non

non comparet, aut ignoratur dominus, facta ſufficienti diligentia. Henriquez *vbi ſuper.* 36.

32 Præterea qui cum fraude vinum lymphatum vendunt, vel alias merces, ſi ignoretur dominus certus, poſſunt per Bullas componi. Quando autem fraus iniuſta intercedat, vide verbum *Emptio.* Si autem non fiat compoſitio per Bullas, debet reſtitui pauperibus, aut in communes ſumptus oppidi, (37) aut vinum deinceps vilius vendendo. Ego *ſup. n.* 186. 37. Villalobos. Apud Me *ſup. ex n.* 214.

33 Non poteſt compoſitio fieri per Bullas, quando reſtitutio debetur Eccleſiæ determinatæ, ob aliquod damnum ei illatum, aut ob aliquid ab ea ſurreptum, aut iniuſtè retentum.

34 Regulæ obſeruandæ in præſenti ſunt. Quoties datur dominus certus, nulli alij niſi ipſi reſtitutio eſt præſtanda, aut eius hæredi, ſi ille obierit. Per Bullas nequit componi, qui ex confidentia poſitiua illius furatur, retinet alienum, aut damnificat. Ante compoſitionem ſedula diligentia iudicio Confeſſarij, aut viri docti facienda eſt circa dominum inueniendum. Si dominus non reperiatur, aut (37) multùm diſtet, non rediturus, nec poſſit debitum ad illum, aut hæredem abſque magnis expenſis tranſmitti, poſſunt bona debita componi per Bullas vſque ad quantitatem ſuprà præfixam, & vlterius cum Commiſſario Generali Cruciatæ. Tutus manet in conſcientia, qui ſic componitur. Comparenti poſtea domino non tenetur pro foro interno reſtituere. (38) Dilatio in compoſitione erit peccatum mortale, computando eam cum dilatione in reſtitutione: imò minor dilatio ſufficit ad peccatum, cum poſſit eſſe impotentia ad reſtitutionem, non ad compoſitionem, quæ minori quantitate fit. 37. Ego *ſup. d.* 33. *à n.* 25. *& in Appendice, d.* 3. *n.* 24. 38. Machado. Fagund. & plurimi *vbi ſup. d.* 5. *n.* 65. *& in Appendic. d.* 5. *n.* 172.

35 Cæterùm ſi quis impotens ſit reſtituere, & potens componi, non tenetur ad compoſitionem faciendam, quia id eſt priuilegium: ſed poteſt expectare tempus opportunum ad reſtituendum.

36 Si à pluribus quis acceperit ſtipendium pro Miſſis celebrandis, & non recordetur à quibus, & pro quibus, nequit componi per Bullas, cùm poſſit offerre

offerre ſacrificia pro his, pro quibus debet; ſic enim eis omninò proderunt. (39)

39. Lud. à Cruce. Trullench. Apud Me *de Bulla Cruciat. d. 35. n. 81.*

37 Ad Cruciatam pertinent bona Clericorum, & laicorum decedentium ab inteſtato, quorum non remaneat conſanguineus intra quartum gradum, perſolutis neceſſariis ad funus, exequias, & ſuffragia. Sed opus eſt à Cruciatæ Miniſtris, qui ea bona apprehendunt, per publicos clamores vocari in loco obitus, atque ſi defunctus ex alio loco ſit ortus, in hoc, vtrum ſint conſanguinei, ne eis inferatur præiudicium, dum mortem, & teſtamenti omiſſionem ignorant.

## *Bulla defunctorum.*

1 VBi Bulla Cruciatæ viget, expeditur Bulla defunctorum, quâ vna anima à Purgatorio liberatur, id enim à Pontifice conceditur. Qui eam accipit, poteſt animam determinare, vel eam à Deo determinandam relinquere. (1) Pia autem conſuetudo eſt, ac laudanda, (2) ſumere plures Bullas pro vna, eademque anima, vno, aut pluribus annis; ſicut & applicare ei plures indulgentias ex his, quæ per modum ſuffragij poſſunt applicari animabus; & plures Miſſas celebrari in altari, in quo vna anima liberatur in ſingulis ſacrificiis. Cæterùm duplex Bulla poteſt pro vna anima ſumi vnoquoque anno.

1. Ego *de Bulla Cruc. d. 36. n. 2.*

2. Ego *ibi, n. 4.*

2 In Hiſpania pro Bulla hac erogantur duæ drachmæ argenteæ; in Indiis quatuor, ſi Hiſpanus ſit, qui eam accipit, & pro Hiſpano; excipiuntur tamen Indi origine tales, & Hiſpani mendicantes, ac qui mercede conducti laborant (quos pauperes eſſe, abſolutè prudenter iudicatur) & famulantes, qui etiam pauperes cenſentur, (non quidem ſi Regi, aut Dynaſtis in muneribus præcipuis inſeruiunt) & qui pro anima Indi, ex origine talis, accipiunt Bullam, ac demùm *los Morenos*, nempè aduecti ex Æthiopia Africana, qui omnes ſolùm duas drachmas argenteas

pro

pro Bulla erogare in eleemosynam tenentur. Plura vide verbo *Purgatorium.*

3 Solus Pontifex valet concedere Bullas defunctorum: (3) nec etenim concessa est Episcopis potestas ad concedendas indulgentias pro defunctis. 3. Communis.

4 An possit Pontifex euacuare Purgatorium, concedens indulgentiam plenariam per modum suffragij pro omnibus, & singulis animabus quæ in eo cruciantur, est casus metaphysicus, & dubitari valdè potest de sufficienti causa ad id præstandum.

5 Quamvis in Bulla Hispana asseratur, accipi Bullam pro vna anima, non videtur contra mentem Pontificis, ( ac in Bulla Latina verba relinquunt ad locum, ) vt quis vnam Bullam pro pluribus defunctis applicet, ita tamen vt non omnes à Purgatorio liberentur, sed vnicuique aliqua pœna à Deo taxanda remittatur. (4) Praxis autem fidelium est, vt vna Bulla soli vni animæ applicetur. 4. Ego *de Bulla Cruc. d. 12. num. 13. & in Appendice, d. 4. n. 68. & d. 5. n. 174.*

6 An sit opus esse in statu gratiæ eum, qui accipit Bullã pro defuncto, cùm ipse ei applicet eam indulgentiam, idem tenendum est, ac de eo, qui lucratur alias indulgentias pro defunctis, de quo vide *Indulgentia.*

7 Non est opus inscribere nomen defuncti, pro cuius anima Bulla accipitur, in ipso Bullæ summario; nec præterea necessum est, summarium seruari, cum nihil inde vtilitatis accrescat; sed apud Thesaurarium, seu custodem eiusmodi Bullarum non est relinquendum id summarium, vt fraudes vitentur, nec possit id alij præstari.

8 Commissarius Generalis Cruciatæ ex concessione Pontificis taxat eleemosynam præstandam pro Bulla defunctorum, sicut & pro cæteris Bullis, quæ in fauorem Cruciatæ conficiuntur, & in diuersas diuiduntur, excerptæ ex Bulla Latina.

9 Fructus indulgentiæ huius Bullæ obtinetur ab anima defuncti, cum erogans pro illa eleemosynam ei suffragium applicauerit; id enim est vltimum requisitum. Quòd si creditò Bulla præstetur, obtinetur fructus, facta applicatione, quin expectetur tempus erogationis eleemosynæ; nihil enim operaretur beneficium præstandi creditò Bullam, si anima defuncti

non

non esset à Purgatorio liberanda, quousque eleemosyna erogaretur.

## *Bulla lacticiniorum pro Ecclesiasticis.*

1 UBi Bulla Cruciatæ viget, in ea non conceditur licentia comedendi ova, & lacticinia Sacerdotibus, & Prælatis tempore Quadragesimali. Verùm ibi alia Bulla extat in subsidium Cruciatæ, quæ dicitur Bulla lacticiniorum concessa recentiùs à Summis Pontificibus. In qua indulgetur Sacerdotibus sæcularibus (non Regularibus) & Prælatis Ecclesiæ, vt possint edere ova, & lacticinia tempore Quadragesimali, excepta hebdomada maiori; hæc autem incipit à Dominica in Palmis.

2. Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi (adhuc titulares) Abbates, scilicet iurisdictione gaudentes (1) debent erogare vigintiquatuor drachmas argenteas pro eleemosyna ad fruendum hac Bulla. Non gaudent hac Bulla Episcopi ex ordine Minimorum assumpti; nam solùm dispensat in lege Ecclesiastica. (2)

Dignitates, & Canonici Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum elargiturì sunt octo drachmas. Quorum nomine non veniunt eorum Coadiutores, quia propriè non sunt (3) Dignitates, nec Canonici. Præterea sex drachmas erogaturi sunt, qui in Ecclesiis præfatis habent Portiones, seu Rationes, (Hispanè *Racioneros*) & Parochi, ac quicumque gaudent Beneficiis, quorum valor ad trecenta ducata accedat, quin in hoc valore computentur eleemosynæ pro Missis, quas liberum est eis celebrare; nec id, quod opus est ad soluendum subsidium, & excusatum. At si quis per alium inseruiat Beneficio, illud quod ei præstat inseruiens, iudicandum est ab ipso percipi. In hac taxa non comprehenduntur habentes præstimonia, aut Capellanias; nam in sequenti de his fit mentio, & indè cernitur, in hac non esse de eis sermonem, cùm similis mentio non fiat. Parochi autem debent

1. Ego *de Bulla Cruciat. d. 31. q. 12.*

2. Diana. Ego *super, num. 16.*

3. Garcia. Barbosa. Trullench. Apud Me *vbi sup. num. 13.*

debent eam eleemosynam erogare, quoscumque redditus annuos habeant. (4)

4.

3 Quatuor drachmas erogaturi sunt, qui habent Beneficia, Capellanias, pensiones, aut quosvis redditus Ecclesiasticos, quorum prouentus ad ducenta ducata accedant. Ego *vbi sup. ex num.* 20.

4 Duas demùm drachmas præstare tenentur cæteri Clerici Sacerdotes, (nam non Sacerdotibus Bulla communis Cruciatæ prodest ad edendum oua, & lacticinia) qui non includuntur in prædictis.

5 Has taxas Commissarius Generalis apposuit, vtpotè qui à Summo Pontifice potestatem habet designandi eleemosynæ quantitatem à singulis erogandam.

6 Eminent. Cardinales, dum versantur in Regnis, vbi Bulla Cruciatæ viget, non indigent hac Bulla lacticiniorum, sed accipientes Bullam Cruciatæ communem possunt edere oua, & lacticinia per totam Quadragesimam, (5) etiam in hebdomada maiori.

5.

7 Si caput alicuius Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiatæ nuncupetur Abbas (vt alicubi nuncupatur) sed iurisdictione quasi Episcopali carens, non recensetur inter Abbates, qui elargituri sunt pro hac Bulla vigintiquatuor drachmas argenteas, sed inter Dignitates Ecclesiarum, qui erogaturi sunt octo. (6) Ego *in Bullæ Cruciat. d.* 18. *n.* 7. *& d.* 31. *num.* 5.

6.

8 Abbas, aut Prior Monasterij, etiamsi iurisdictione Ecclesiastica erga sæculares gaudeat, non potest frui hac Bulla; cum Regulares sint, & debeant subditis exemplo præire. (7) Quod tamen intelligendum non est de Abbate Sancti Isidori vrbis Legionensis in Hispania, qui Canonicis Regularibus subditis Priorem designat, qui immediatè eos regat, ipse verò separatus ab eis degit, pompa, & famulitio Episcopali vtens. Ego *vbi sup. d.* 31. *num.* 12.

7.

9 Inter eos, qui erogaturi sunt sex drachmas argenteas, recensentur habentes Beneficia, quorum redditus ad trecenta ducata accedant. Hinc quidquid (vltra paruitatem materiæ) deficiat, quominùs accedant ad trecenta ducata, non tenentur nisi ad quatuor drachmas erogandas; & qui Beneficia habent, quorum redditus ad ducenta ducata integra non accedunt, *Ibidem n.* 15.

dunt, ſolùm duas drachmas præſtare debent; non odia ſunt reſtringenda. Nec in computationem redditu̇um veniunt ſumptus facti in eorum adminiſtratione, dummodo ipſe Beneficiarius per ſeipſum abſolutè nequeat eos adminiſtrare. Aliud erit, ſi per accidens ob abſentiam, aut ob euitandam omnino fatigationem eos non adminiſtret. (8) Præterea ſi Beneficium penſione grauetur, hæc deducenda eſt à valore redditu̇um. Nam quæ pro oneribus, ac ſumptibus abſolutè neceſſariis præſtantur, non ſunt in bonis Beneficiarij, indeque non gaudet illis, tanquam redditibus Beneficij. Huius Bullæ ſummarium iam acceptum, ex ſe non eſt opus ſeruari, niſi per accidens quis neceſſum habeat reddere rationem, cur edat per tempus illud Quadrageſimæ oua, ac lacticinia.

8. *Ibid. num.* 20.

## *Bulla in Cœna Domini.*

1 ABſolutio ab excommunicationibus contentis in Bulla, quæ in Cœna Domini legi ſolet, reſeruata eſt Pontifici, niſi in caſibus, de quibus verbo *Bulla communis Cruciatæ*, & *Epiſcopus*, & *Reſeruati caſus*. Et priuilegia abſoluendi à caſibus reſeruatis Pontifici non comprehendunt hos, niſi exprimantur. Tranſumptum huius Bullæ apud ſe habere Confeſſarios, præceptum fuit à Pio V. & Vrbano VIII. quod obligat ad mortale ob materiæ grauitatem, ne ignoratis caſibus in ea contentis, Confeſſarij abſoluant abſque iuriſdictione. Sufficit autem Religioſis, ſi tranſcriptum ſit fixum in loco publico Monaſterij; & Sacerdotibus, ſi illud habeant vel in domo ſua, (1) vel in Eccleſia; aut ſi habeant librum Authoris, qui eos caſus Bullæ recenſeat. Sunt autem viginti caſus.

1. Bonacina. Apud Me *de Bulla Cruciat. d.* 25. *n.* 46.

2 Excommunicantur itaque, 1. Hæretici cuiuſcumque ſectæ, eorum fautores, libros hæreticos legentes, tenentes, aut imprimentes, & ſchiſmatici. 2. Appellantes à Pontifice ad Concilium generale futurum, eorumque fautores. 3. Piratæ, atque eorum receptatores, & fautores. 4. Surripientes bona quæuis Chriſtianorum

norum naufragantium, etiam in littore inuenta. 5. Imponentes noua pedagia, & gabellas, aut eas augentes. 6. Falsificantes, aut falsò fabricantes literas Apostolicas. 7. Deferentes arma, aut alia vsui bellico idonea ad Turcas, vel alios inimicos Christiani nominis, necnon nuntiantes eis in damnum Christianorum, quæ ad horum statum pertinent. 8. Impedientes eos, qui Romam conuehunt victualia, seu alia necessaria. 9. Vexantes eos, qui veniunt ad Sedem Apostolicam, aut ab ea recedunt, seu in Curia commorantes; siue suâ, siue aliorum operâ vexent. 10. Lædentes eos, qui Romam petunt, seu peregrinantur, etiam cum commorantur ibi, aut recedunt. 11. Offendentes S. R. E. Cardinales, & alios Prælatos. 12. Lædentes per se, vel per alium eos, qui ad Romanam Curiam pro suis negotiis recurrunt. 13. Appellantes ad laicam potestatem à grauamine, aut executione literarum Apostolicarum. 14. Impedientes executionem literarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum, ac prohibentes eos, qui ad gratias impetrandas accedunt. 15. Judices sæculares, qui trahunt ad sua Tribunalia personas Ecclesiasticas, aut tollunt, vel perturbant libertatem Ecclesiasticam. 16. Impedientes Prælatos, ne sua iurisdictione vtantur, & eos, qui eorum, aut delegatorum iudicia eludentes ad Curiam sæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt, præstantesque auxilium. 17. Vsurpantes Sedis Apostolicæ, aut Ecclesiasticas iurisdictiones, vel sequestrantes fructus. 18. Imponentes decimas, aut alia onera personis Ecclesiasticis, Monasteriis, aut eorum fructibus. 19. Judices sæculares interponentes se in causis capitalibus contra Ecclesiasticos. 20. Occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, & illius iurisdictionem vsurpantes.

3 In Prouinciis, in quibus Bulla Cœnæ non est recepta, legens libros hæreticos non incidit in excommunicationem in ea latam; (2) nam ibi non habet vim legis, & lex pœnalis, vtpotè odiosa, non est extendenda ad personas in locis, vbi legis vim non habet. Idiota non intelligens librum Latinum hæreticum non contrahit eam excommunicationem, (3) quia

2. Diana. Becanus. Azor. Th. Sanchez. Apud Me de

*Bulla Cruciat. d.25. n.50.*

3. Filliucius. Suarez. Th. Sanchez, & alij *super. num.* 51.

4. Sousa. Duardus. Portel. Th. Sanchez, & alij *sup. num.* 52.

5. Alterius. Bonacina. Portel. Th. Sanchez, & alij *sup. num.* 53.

6. Bonacina. Diana. Delrius, & alij *n.54. vbi sup.*

7. Duardus. Portel. Filliucius. Th. Sanchez *sup. num.*55.

8. Nauarrus apud Me *sup. d.* 34. *n.* 181.

9. Ego *de Bulla Cruciat. d.* 34. *num.* 179.

10. Salon. Bonacina. Sayrus. Trullench *vbi super, num.* 179.

(3) quia ea lectio est materialis, non formalis. Nec eam contrahit, qui propria authoritate (quod non licet) comburit librum hæreticum, aut alij habenti licentiam ad eum legendum tradit; nam sic nec ipse legit, nec retinet. Nec item eam contrahit, qui legit papyrum solutam, aut epistolam continentem hæresim, aut imprimit; (4) nam illa non est liber, & excommunicatio non est amplianda. Si liber sit Authoris Catholici, commentaria autem hæretici ita copiosa, vt potius ex his liber constet, legens ea incidit in excommunicationem huius Bullæ: sicut etiam incidet legens librum Authoris hæretici, quamvis non tractet ex professo de Religione, si contineat aliquam hæresim: (5) nam ille liber est hæreticus, sicut est, qui in vnico articulo dissentit à Fide. Qui legit librum hæreticum, non ideò est hæreticus, essò incidat in præfatam excommunicationem, in quam non incidit legens librum magicum, quia hic non est hæreticus. (6)

4 Si lectio libri hæretici non excedat saltem dimidiam paginam tomi prægrandis, non erit peccatum mortale, nec contrahetur excommunicatio huius Bullæ, (7) quia iudicatur paruitas materiæ, sicut etiam est paruitas retentio libri prohibiti per spatium vnius, aut duorum dierum. Quando, & quomodo possit absolui ab excommunicationibus Bullæ Cœnæ, vide verbo *Bulla communis Cruciatæ*, & *Iubilæum*, & *Reseruati casus*.

5 Bona naufragantium, si dominus non compareat, potest quis sibi retinere, sicut bona inuenta; (8) tutius tamen est deferri Ordinario loci, vt de eis in pia opera disponat; & vbi Bulla Cruciatæ viget, possunt (9) per Bullas componi, vtpotè bona debita pauperibus, in sententia probabili.

6 Non contrahit excommunicationem huius Bullæ, qui surripit bona naufragantium infidelium, aut hæreticorum, (10) nec qui ea aliter peritura capit cum periculo suæ vitæ; nec qui ea capit, vt seruet domino; nec qui ea accipit, vt extremæ necessitati succurrat. Et certò probabile est, non contrahi eam excommunicationem ab eo, qui capit (11) bona nauis,

quæ

quæ incendio perit, aut ab hostibus vi demergitur; nam absolutè domini non naufragantur, & excommunicatio restringenda est, vtpotè odiosa, ad bona naufragantium.

11. Filliucius, & alij *vbi supra, n.* 180.

7 Receptatores, aut fautores hæreticorum, qui in præsenti excommunicantur, sunt hi, qui eos receptant, aut fauent, quatenus hæretici sunt, seu in causa hæresis; veluti si fugiant Inquisitorem, ne comprehendantur, aut in aliis eiusmodi; non verò, quando his non occurrentibus, ratione amicitiæ, aut consanguinitatis eis fauent in aliis negotiis, (12) aut eos hospitantur, seu in suis domibus recipiunt, quo titulo pater, mater, filij, coniux, & aui eos possunt secum commorantes habere.

12. Card. Toletus *in Sum. lib. 1. cap. 19.* Sotus. Vivaldus. Nauarrus. Eman. Sà.

8 Hæreticus mentalis, qui nullo signo externo expressiuo sufficienter hæresis, quod sit peccatum mortale, eam manifestauit, non includitur sub excommunicatione huius Bullæ. (13) Hinc qui transcriberet hæresim, etiamsi eam mente teneret, non contraheret hanc censuram; cum transcriptio hæresis non sit signum expressiuum animi hæretici, vt videre est in Authoribus, & Theologis, qui hæreses transcribunt, vt eas impugnent; atque etiam si quis transcribat, vt dignoscat, quæ sint propositiones huius, aut illius hæresiarchæ. Rursùs qui in Prouinciis vbi hæretici permittuntur, aut dominantur, ingrederetur ad hæreticorum templa, seu loca, ad quæ conueniunt, non præberet signum ex se sufficienter expressiuum hæresis, cum id absque animo hæretico præstare posset, sola curiositate videndi ea loca ductus.

13. Communis.

9 Piratæ expressi in hac Bulla intelliguntur, qui ex professo in mari subiecto Pontifici rapinis Catholicorum dant operam, etiamsi actu nihil rapiant. Vnde non comprehenduntur (14) qui in fluminibus rapinas parrant; nec qui ex accidenti, cum ad alia pergerent, semel deprædarentur bona alterius nauis; nec item Catholici, qui insequuntur Infideles, eorumque bona diripiunt, ac reddunt mare nauigantibus tutum: nec pyratæ extra mare subditum Papæ immediatè, aut mediatè ratione feudi, quale est Tyrrhenum.

14. Eman. Sà *in Sum. verb. Excommunicatio.* Vivaldus. Nauarrus. Castro Palao. Bonacina. Toletus. Diana.

10 Nomine imponentium, seu augentium noua

pedagia, & gabellas veniunt hi, qui portoria, aut quævis vectigalia iniungunt. (15) Vbi aduerte, eos posse imponere gabellas, qui non habent superiorem in temporalibus. At hi, vbi de consensu Regni eas imponunt, non excommunicantur; nam scienti, ac volenti nulla fit iniuria; tunc autem contrahent censuras, si ab inuitis eas extorqueant, absque eorum consensu, seu illorum, qui Regnum, aut Prouinciam repræsentant.

15. Nauarrus *cap.27. n. 61.* Toletus. Sà.

11 Vt quis falsificet literas Apostolicas, & hanc contrahat excommunicationem, opus est, vt sint literæ Pontificis, & quod mutet sensum earum, & quod non exspirauerint; (16) nam postquam exspirarunt, nihil refert, lacerari, aut inscribi in illis quidquid placeat.

16. Sylvest. *verb. Excommunicatio 7. num.10.* Vivaldus. Sà. Nauarrus.

12 Cum odia sint restringenda, & excommunicentur, qui solùm deferunt arma, aut alia vsui bellico idonea ad Infideles, contra quos bellum agitur, non incident in eam censuram (17) qui victualia, aut merces portant, aut suas operas ad alia munia locant; nec qui eis ex gratitudine donaret quodvis munus, iuxta probabilem opinionem; sed contraria est certior, & tenenda: quia ea iuuant ad gerendum bellum.

17. Vivaldus *in explic. Bullæ, num. 55.* Eman. Sà. Nauarrus.

13 Sequestrantes fructus Ecclesiasticos in præsenti excommunicati, hi sunt, qui per vim, aut absque iure, seu titulo eos ad se trahere, quasi debitos, vel alio colore conantur; non verò hi, qui furantur aliquid ex eis fructibus eo modo, quo possent alia bona furari; hi namque primariò intendunt se ditare ex quibuscumque bonis, quin eorum finis primarius sit contra Ecclesiam agere. (18)

18. Nauar. *cap.69.* & communis.

14 Qui absque priuilegio absolueret ab aliqua excommunicatione contenta in Bulla Cœnæ, incideret in excommunicationem non reseruatam, (19) nisi id præstaret ex inaduertentia, aut ignorantia. Sed in casu dubij, an casus contineatur in Bulla Cœnæ, non est reseruatus, cum soli certi reseruentur: quia odia sunt restringenda.

19. Eman. Sà *verb. Excommunicatio.* Nauarrus. Vivaldus. Diana. Quaranta, & alij.

15 Quamvis Bullæ excommunicationem contrahant surripientes bona naufragantium, & pyratæ, de quibus

quibus *ſuprà*, tamen in eam non incidunt hi, qui ab illis dono, aut ex contractu accipiunt.

16 Offendentes S. R. Eccleſiæ Cardinales ſunt, qui vel leuiſſimè eos cum infamia percutiunt; qui non impediunt offenſionem, cum poſſint; qui eos eiiciunt è locis, vbi verſantur; qui mandant offendi, & ratam habent offenſionem ſuo nomine factam.

## C

## *Cæcus, ſurdus, mutus.*

1. CÆcvs, mutus, & omnino ſurdus ſunt irregulares. Præterea nequeunt eſſe Prælati in Religionibus, nec eligi ad præſtandum ſuffragium in Capitulis Generalibus, aut Prouincialibus; niſi fortè quis cæcitatem poſt Ordines receptos contraxiſſet, & dignior cæteris iudicaretur, quod difficilè apparet; eſtò pro foro externo electio cæci ad id munus eſſet valida. (1) 1. Diana *p. 10. tr. 16. reſ. 46.* Iſnardus.

2 Cæcus an poſſit donare cauſa mortis ſine ſolennitate, vtrumque eſt probabile; (2) ſtandum eſt autem legibus Regni. Poterit ſanè, ſi præſens ſit donatarius, vel alius, qui eius nomine acceptet. Nequit cæcus pœna ordinaria mulctari, nec torqueri. Nec poteſt eſſe iudex. 2. *Leg. hac conſultiſſima, Cod. qui teſtamenta facere poſſunt.* Baldus. Rocerus. Seraphinus. Diana, & alij.

3 Mutus, & omnino ſurdus nequeunt eſſe fideiuſſores, niſi ſcripto ſponte ſua fideiubeant. Nec poſſunt ex ſua confeſſione condemnari, ſed ex depoſitione teſtium plenè conuincentium; aut ſi ſurdus ſcribere ſciat, poterit torqueri, & ſcripto ſuam confeſſionem promere. (3) Cæcos, mutos, ac ſurdos, veluti perſonas miſerabiles, poſſe agere in foro Eccleſiaſtico, non pauci affirmant; verùm in hoc ſtylo, & conſuetudini locorum, ac Tribunalium ſtandum eſt. 3. Gizarellus. Baldus, & alij.

4 Oculo ſiniſtro cæcus etiam eſt irregularis. An autem qui poſt ſacerdotium factus eſt cæcus, poſſit Miſſam celebrare, vide *Miſſa*.

## *Calix.*

1 CAlix, ſi de nouo intus in cuppa inauretur, noua indiget conſecratione; hanc autem non amittit, ſi modica refectione reparetur: ſic verò, ſi ad refectionem forma principalis deſtruatur. Debet autem calix eſſe ex auro, argento, aut (1) ſtanno; nec poteſt confici ex ære, aurichalco, ligno, vitro, aut lapide. Sanè pes calicis, dum non fiat ex vitro, aut ligno, videtur poſſe fieri ex metallo, aut ex petra pretioſa; qualem ex Germania adductum vidi ex topazio confectum.

1. *Cap. Vaſa, de conſecr. d. 1.* & Concilium Rhemenſe.

2. Paludanus *in 4. d. 13. q. 2. art. 5.* Fumus, & alij.

2 Calix conſecrandus eſt, & chriſmate perungendus. (2) Conſecratio autem facienda eſt ab Epiſcopo; atque etiam eam poteſt præſtare Abbas, de quo verbo *Abbas*, n. 1. (3) Vide *Equeſtres Ordines*. Vbi, an Priores Militares poſſint conſecrare calices, aras, & alia?

3. Fumus *in Armilla, verbo Calix.* Abbas. Cardinalis. Tamburinus. Henao.

3 Si deauratio interna cuppæ paulatim decidat, non eſt opus iterum calicem conſecrari. (4) Patenæ materia debet eſſe eadem, ac materia cuppæ calicis.

*Calumnia.* Vide *Honor.*

## *Cambium.*

4. Eman. Sà *verbo Calix.* Sylueſter. Suarez.

1 CAmbium eſt contractus commutationis pecuniæ pro pecunia, quomodolibet fiat; nam multipliciter exercetur: ſed quod eſt iuſtum, ac vtile, fit per tranſlationem pecuniæ ex vno loco ad alium, ſiue per literas, ſiue per nuntium. Quod, vt iuſtè, & abſque vſura conficiatur, neceſſum eſt, quod lucrum campſoris ſit moderatum, attento labore, diſtantia, tempore, lucro ceſſante, & cæteris circunſtantiis; quod ſciat campſor, eum cui literas dat, eſſe ſoluendo pro ipſo; quod loca inter ſe diſtent; quod ſeruetur æqualitas valoris pecuniæ. (1)

1. Communis cum Nauarro, Caietano.

2 Cambium etiam dicitur depoſitio pecuniæ, aut in propria ſpecie, aut in inſtrumentis, ſeu chirographis,

phis, facta apud Depoſitarios, ſeu vulgò *Bancharios*, à Republica conſtitutos, qui tenentur eam reddere, quoties petatur; & pro hac obligatione, & cuſtodia poſſunt iuſtam mercedem accipere.

Soto, Sylueſtro, Lugo, Dicaſtillo, Oñate, Rebello, & aliis.

3 Poteſt permutari pecunia cum alia diuerſi metalli, adæquando vtriuſque valorem iuxta communem æſtimationem. Quin reſpectu emptionum, ac ſolutionum poteſt eſſe taxata pecunia, v. g. aureus tot nummis; & plus in permutatione accipi, quia taxa fit ſolùm ad emptiones, ac ſolutiones. (2)

2.

4 In cambiis poteſt aliquid vltra ſortem accipi, cum datur dubium prudens de mutatione valoris monetæ, & cum multi petunt pecunias, & pauci dant; tunc enim campſori maius damnum emergit, & lucrum ceſſat; præterea ſi melius ſit aurum, vel argentum alibi à campſore deſtinatum, & in ſimilibus caſibus. (3)

Toletus *l. 5. cap. 51. num. 7.* Sotus. Sà, & alij.

3.

5 Quia in aliquibus Prouinciis quædam cambia prohibentur, quædam permittuntur, ſtandum eſt earum ſtatutis, quæ omnia referre, non eſt præſentis inſtituti. 4)

De his Mercatus. Molina. Lud. Lopez. Sà.

6 Datur cambium, quod vocatur minutum; nempe cum quis ex deſignatione Reipublicæ habet pecunias paratas, vt quilibet poſſit permutare, v. g. habeo aureos: indigeo nummis minutis, & ab illo campſore poſco: ille quidem aliquid vltra ſortem poteſt accipere; (5) nec eſt vſura, quia id non præſtatur ob pecuniam, quæ de ſe, vtpotè infructifera, non parit pecuniam, ſed ob laborem, quem ille habet in numerando, in quærendo numiſmata, in famulis ad cuſtodiam, & ad numerationem. Hinc ſi ab alio ad id munus non deſtinato, ſemel aut iterum poſcatur ea permutatio, nequit ille abſque vſura accipere aliquid vltra ſortem; cum ſemel aut iterum numerare pecuniam ſit exiguus labor, nec opus ſit cura, & famulis ad id inſeruientibus. (6)

Bañez. Nauarrus. Suarez. Ioan. Medina. Sotus. Lugo, & alij.

4.

Videantur Authores relati, & referendi.

5.

D. Thomas *opuſc. 73. c. 13.* & cum eo communis.

6.

Caietanus *in quodlib. de cambiis.* Fumus, & alij.

7 Non licet cambium reale per literas, quibus deſignatur tempus, quo ea moneta minus ſit valitura in loco, ad quem deſignatur; nam datur in eo vſura palliata, cum campſor plus recipiat, quàm ſit redditurus. Aliud eſt, ſi amota fraude, accipiat campſor in vno

loco

loco nummos, v. g. aureos, eo pretio, quo æſtimantur ibi, & reddat illos in alio loco, provt ibi æſtimantur, pretium pretio ad quando, & non numerum aurearum monetarum eidem numero accepto: (7) etenim inter ſe poſſunt conuenire campſor, & creditor, vel quod pretium præſtetur, vel numerus aureorum.

7. Fumus *in Armilla, verbo Campſor, n. 6.* Caiet. & alij.

8 Aliud extat cambium, quod vocatur ſiccum, & eſt vel reale, vel fictum. Reale eſt, cum quis præbet Petro Mediolani v. g. centum aureos, quos reddat ipſi Venetiis, vbi veroſimiliter plus valebunt communiter, eſtò aliquando minus valeant. Si in hoc contractu propter expectationem temporis ſperetur lucrum, ad idque intendatur, vſura interuenit; ſi verò fiat dubitando, an plus, vel minus ſint illi aurei valituri Venetiis, cum ſit vtrinque periculum, non erit vſura, nec ſi ratione expenſarum, aut lucri ceſſantis id, quod plus æſtimantur Venetiis, exigatur. (8)

8. Sylueſter *verbo Vſura, §. 4.* Tabiena. Fumus. Caiet. & alij.

9 Cambium ſiccum fictum eſt, cum quis Romæ v. g. præbet alicui mille aureos ſub literis datis Madriti, aut Pariſiis, quæ ſunt fictæ, & reddenda eſt ea quantitas ibi Romæ, addita portione, quaſi pro tranſlatione pecuniæ ex vno ad alium locum. Id eſt vſura manifeſta, & mutuum palliatum. Aliud Cambium ſiccum fictum eſt, ſi Petrus v. g. Joanni concedat Romæ centum aureos, quos ipſi poſt menſem reddat in ipſa vrbe Romæ eo pretio, quo tunc æſtimabuntur Venetiis, vbi plus eſſe valituros iudicat. Id eſt etiam mutuum palliatum, & ex eo lucrum habitum eſt vſura. Si verò eodem tempore, quo Joannes petiit centum aureos à Petro, alius eoſdem poſceret pro Venetiis, poſſetque abſque fraude eos concedere pro eo loco, modo *ſuprà* libato; ſanè poſſet à Joanne eandem conditionem expoſcere, cum non teneatur gratiâ illius ſuum lucrum amittere.

10 Si campſor præbeat Mediolani pecuniam Petro, quam hic reddat ipſi Romæ, & poſteà comperiat, Petrum nullam Romæ pecuniam habere, poteſt ab eo petere ſortem, & lucrum Mediolani, quod Romæ foret percepturus. (9)

9. Viana *p. 1. n. 8. reſol. 14.*

11 Licitum eſt pro magno cambio maius lucrum percipere,

percipere, quàm pro exiguo; eſt quippe periculum maioris detrimenti. Per conſuetudinem aliquâ ſunt introducta in cambiis, quæ licita iudicantur; nempe quòd campſores non acceptent ſolutionem ſortis, niſi cambiorum detrimenta eis ſoluantur; quod idem debeatur pro prouiſione cambij, ac pro prouiſione recambij; quin & pro continuatione toties quoties idem ſolent percipere: at hoc non eſt tutum, ſaltem quoad tantam, æqualemque portionem, cum pro ſola temporis expectatione, ſuppoſitis primis ſolutionibus, nimium videatur dare tantumdem, & vſuræ ſpeciem præfert.

Videantur plura apud Scortiam, Malderum, Salua-toriũ, Molinã, Leſſium, Scacciam & alios.

12 Nequit regula fixa ſtatui, quantum ſit à campſoribus percipiendum pro ſingulis centum; & ſtandum eſt conſuetudini, ac prudenti hominum æſtimationi, attentis circunſtantiis temporis, locorum, & ſimilium. Curandumque eſt, ne hi qui nuncupantur Hiſpanè *Aſſenciſtas*, pro anticipatione temporis, & pro neceſſitate accipientium, exceſſiua lucra reportent; nam hæc ſunt omnino illicita, & vſuraria.

## *Canonicus.*

1 CAnonicus intra annum accepti Canonicatus tenetur recipere Ordinem ſuæ Præbendæ annexum; quòd ſi culpâ ſuâ id non præſtet, priuatur voce actiua in Capitulo. (1)

1. *Clementina vt ij qui, de ætat. & qualit.*

2 Poteſt lucrari diſtributiones Canonicus, quem infirmitas, ſeu iuſta, & rationabilis corporalis neceſſitas, aut euidens Eccleſiæ vtilitas excuſat, (2) ne aſſiſtat; dummodò antè ſolitus ſit aſſiſtere choro.

2. *Cap. Conſuetudinem, de cleric. non reſident. in 6.*

3 Poteſt Capitulum ſtatutum condere, quòd Canonicus, qui per quadraginta annos Eccleſiæ inſeruiuit, iubiletur, & diſtributiones percipiat, ac ſi eſſet præſens. Et ſic præſtitum eſt in aliquibus Eccleſiis. (3)

3. Barboſa 3. p. alleg. 53. n. 117. Cenedo. Moneta. Garcia. Bonacina.

4 Diſtributiones incertas, & caſuales, quæ prouenium ex funeralibus, & ſimilibus, ſolùm poſſiunt lucrari præſentes, & hi, qui ſunt infirmi, ſeu iuſta, & corporali neceſſitate detenti, aut ob euidentem Eccleſiæ

Castro Palao, & alij.

4. Th. Sanchez *lib. 2. consil. c. 2. dub. 105. cap. vnic. de cleric. non resid. in 6.*

5. Communis apud Barbos. *3. p. de potest. Episc. alleg. 53. num. 124.*

6. *Sess. 24. de reform. c. 12.*

7. Nauarra *l. 2. de rest. cap. 2. dub. 3.* Bonacina. Castro Palao.

8. Moneta *de distrib. part. 2. q. 11. n. 68.* Castro Palao, & alij.

9. *Sess. 24. de reform. cap. 8.*

10. Bonac. *tom. 1. d. 2. q. 5. punct. 3. §. 3. num. 1.* Castro Palao, & alij.

11. Barbosa *3. p. de potest. Episc. alleg. 53. n. 169* Graffis.

siæ vtilitatem occupati. (4) Et istæ distributiones, nisi exprimantur, non intelliguntur concessæ in priuilegio, in quo conceditur alicui obtentio distributionum; nam hæ sunt, quæ propter assistentiam quotidianam ad diuina Officia conferuntur. Et has adhuc non lucratur Canonicus, qui abest ab Ecclesia illis mensibus, quibus iuxta stylum Ecclesiæ potest abesse; tunc enim solùm percipit (5) fructus. Idem est de Beneficiariis. Nec potest Episcopus dispensare, vt Canonicus, aut Beneficiarius, qui abest recreationis causa, percipiat distributiones, cùm hæc perceptio sit prohibita à Pontifice, & à Tridentino. (6)

5 Si quis non soleat assistere Choro, & infirmitate, aut alia causa ex iustis præpediatur, non lucratur hoc tempore distributiones, sicut nec priùs, quia præsumitur clarè, adhuc si sic non præpediretur, non fore Choro adstiturum; nisi omnino mutet voluntatem, (7) & firmum habeat propositum assistendi, cessante eo legitimo impedimento. Quæ exceptio est certò probabilis.

6 Canonicus Pœnitentiarius, dum audit Confessiones, lucratur distributiones. Idem dic de Beneficiario, qui deputaretur ab Episcopo ad audiendas in sua Ecclesia Confessiones, propter æquiparantiam cum eo Canonico, (8) cui concedit Tridentinum (9) lucrari distributiones.

7 Canonicus, aut Beneficiarius lucratur distributiones correspondentes Horis, quibus ipse assistere solebat, cum abest ex mandato Capituli ad peragenda negotia ipsius, etiamsi ei salarium in dies singulos designatum sit ob eiusmodi negotia. (10) Vel si abest ex consilio medici ad curandum morbum; vel si graue damnum saluti timeatur, si exeat domo. (11) Pestis contagio etiam est causa iusta, vt possint abesse, & lucrari distributiones præfati; nam ea est summa corporalis necessitas, in qua agitur de vita. Et sicut pestis vnius loci excusat eum, qui sub excommunicationis pœna, vel alia citatur, ne eat ad eum locum, nec contumaciam, aut pœnam incurrat, (12) sic excusat legitimè à residentia. Et Pontifex, dum distributiones decernit non conferri absentibus, intendit punire negligentes,

negligentes, seu contemnentes residere, (12) non verò impotentes ob causam iustam, quales sunt prædictæ; & huiusmodi esset, si ciuitas inuaderetur ab hostibus. Quæ omnia intelliguntur, si in Ecclesia (13 sit consuetudo, vt distributiones impertiantur absentibus ex iusta causa, quamvis fructus Canonicatus consistant magna, aut maiori ex parte in illis: nam fructus absentibus ex causa iusta deberi certum est. Causa autem iusta est cùm imminet periculum vitæ, quin & famæ. (14)

Azor. Monetta. Sanctarellus & alij.

12. *Cap. vnico de cleric. non resident. in 6.*

13. Declaratio Congregationis Cardinal. apud Garciam *de benef. part. 3. cap. 2. n. 62.*

14. Fagund. *tom. 1. in Decal. l. 1. c. 30. cum aliis.*

8 Canonicus Pœnitentiarius electus ex vi Bullæ Gregorij XV. tenetur singulis diebus non festiuis legere lectionem casuum conscientiæ. Sic enim in ea præscribitur: & obligat, nisi constet de consuetudine contraria legitimè præscripta; aut de non acceptatione eius oneris tolerata.

9 Peste grassante in ciuitate, aut hostibus eam obsidentibus, qui Canonicatum obtinuit, potest per se, vel per procuratorem habentem ad id speciale mandatum, possessionem obtinere, etiamsi absentibus aliis Canonicis in Ecclesia minor pars Capituli (15) remanserit. Si nequeat illuc accedere per se, aut procuratorem, potest extra ciuitatem in monte, aut loco, vnde videatur Ecclesia, obtinere possessionem à Canonicis, qui indè recesserunt, vel ab alio procuratore per ipsos ad id (16) designato. Quòd si non sit tutus accessus ad eum locum, possunt ei possessionem dare Canonici, qui recesserunt, in eo loco, vbi ipsi conueniunt; dum in his casibus sit maior pars Capituli, aut habeant potestatem sibi commissam à maiori parte Capituli, (17) Idem dic circa possessionem obtinentis Beneficium, respectiuè, & proportione seruata. Idem dic de publicatione acceptationis Beneficij; de electione Prælati, aliàs facienda in ipsa Ecclesia; de iudice delegato, cui erat commissa causa in eo loco peste, aut bello infecto, qui in loco tuto proximo potest eam perficere.

15. Ripa *tr. de peste, part. 2 pastic. 1. n 155.* Ioan. Andreas. Panormitan. & alij.

16. Couarruuias *l. 3. variar. cap. 16.* & communis Canonistarum.

17. Vasq. *de benef. cap. 4. §. 4.* Couarruuias. Ripa. Castr. Palao.

10 Canonici, & alij Choro deputati tenentur in Choro canere, id enim est (18) eorum munus. Nisi fortè eorum cantus potius impediat musicam, quàm iuuet, si sit cantus figuratus. Vel nisi Capellani sint, qui

18. Sotus *l. 10. de iust. q. 5. art. 4.*

Graffis. Nauarrus. Macignus, & alij. Nauarra *de reſt. l.2.n.227.*

qui cantent; ita enim eſt conſuetudine inductum, videntibus, & annuentibus Prælatis.

11 Canonicatibus annexus eſt Ordo ſacer, vnde nequeunt eos obtinere, qui intra annum non valent Sacro Ordine initiari.

12 Diſtributiones, quas amittunt Canonici non intereſſentes, accreſcunt cæteris intereſſentibus.

## *Capellania, & Capellani caſtrenſes.*

1 IN variis Prouinciis, etiam ditionum Hiſpaniæ, Capellanis caſtrenſibus conceſſæ ſunt variæ facultates. Demùm pro ditionibus Hiſpaniarum erga eos expediuit Bullam Innocentius X. die 24. Septembris, anno 1644. (1)

I. Exponit illam late *in reſol. iuridica* D. Rodericus de Mandia, Scholaſticus Salmanticenſis, & Epiſcopus Almeriæ.

2 In ea concedit Capellano maiori, qui alicubi vocatur Vicarius generalis exercitus, iuriſdictionem Eccleſiaſticam ad cognoſcendum de omnibus cauſis Eccleſiaſticis, profanis, ciuilibus, criminalibus, ac mixtis inter eos, ſeu contra eos, qui ibi erunt pro Sacramentis miniſtrandis, ſeu contra quaſcumque alias perſonas in exercitu commorantes, dum cauſæ pertineant ad forum Eccleſiaſticum.

3 Rursùs concedit Capellanis caſtrenſibus, & Presbyteris in exercitu commorantibus, approbationem à ſuis Ordinariis habentibus, vt eos, qui in caſtris degunt, & verſantur, & in exercitibus commorantur, ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis poſſint abſoluere à quibuſcumque cenſuris, & caſibus reſeruatis, etiam Pontifici, ac in Bulla Cœnæ; præterquam à ſequentibus; ab hæreſi; à crimine læſæ Maieſtatis; à conſpiratione in perſonam, vel ſtatum Romani Pontificis; à delatione armorum, aliarumque rerum prohibitarum ad partes Infidelium; à falſificatione literarum, ſeu ſupplicationum Apoſtolicarum; ab iniectione manuum violentarum in clericos; à violatione clauſuræ Monialium; demùm à violatione Eccleſiæ, ſeu eius iuriſdictionis, aut libertatis.

4 Quia

4 Quid operetur priuilegium absoluendi in articulo mortis, vide in verbo, *Bulla communis Cruciatæ*: & quis dicatur Articulus mortis, verbo *Articulus mortis*. Et quidem erit iudicandus articulus, seu periculum mortis, vt absolui queant milites, cum in pugnam confluunt, aut in ea versantur. (2) Certò probabile censeo, Vicarium generalem, seu Capellanum maiorem exercitus posse exercere suam iurisdictionem tempore pacis, dum in aliquo statu, aut Prouincia datur exercitus paratus ad bellum, si pax frangatur, & per præsidia diuisus est ob timorem belli imminentis; & ab vno in aliud præsidium mutantur milites, & excubias agunt: nam in ordine ad finem à Papa intentum, perinde se habent, ac si in acie versarentur.

2. D. Rodericus de Mandia *sup. dub.* 1. cum multis.

5 Si in fundatione Capellaniæ expressè dicatur, Capellanum per se ipsum celebraturum Missas, ita debet exequi; at poterit eligi Capellanus, qui intra annum possit initiari Presbyteratus ordine; (3) id enim adhuc in Beneficiis Parochialibus cõceditur. Quòd si expressè in erectione Capellaniæ non dicatur, debere esse Sacerdotem, qui per se ipsum Missas celebret, poterit Capellanus alij committere Missas celebrandas; adeoque etiam poterit ea Capellania conferri ei, qui decimum quartum annum agat.

3. Diana *p.* 4. *res.* 227. Conzalez, & alij.

6 Quando in erectione Capellaniæ asseritur, obligari Capellanum ad Missam perpetuam, intelligi debet ad Missam quotidianam. (4) Quòd si instrumentum erectionis sit amissum, nec sciatur, quot Missæ debeant dici, nec id ex dicto prædecessorum constet, dum sit pinguis Capellania, præsumendum est, Missam quotidianam requiri; si non sit pinguis, Ordinarius numerum Missarum præfigat, stando consuetudini.

4. P. Gobat *in experient. Theolog. tr.* 3. *num.* 473.

7 Si bona fide per triginta annos non sint celebratæ à Capellanis nisi tres Missæ v. g. singulis hebdomadis, licet postea constet de obligatione ad quatuor, non tenentur ad eas, quia vbi quis omisit præstare officium, seruiturem, aut debitum bona fide, per viginti annos cum titulo, & per triginta sine titulo, liber

liber manet, quia præscribit in re immobili, qualis est ea obligatio. (5)

5. Tamburinus *l. 3. cap. 7. §. 1.* Gobat, & alij.

8 Si Capellanus teneatur celebrare diebus designatis, v. g. Sabathis, & legitimè occupatus non possit aliquo Sabatho celebrare, adimplebit munus, si die sequenti celebret.

9 Potest fundari de consensu Episcopi Capellania cum expressa conditione, ne teneatur Capellanus (dum non sit initiatus Sacris) officium canonicum recitare. (6)

6. Quintanadueñas *singular. 11. 8. sing. 19. & 26.* Gobat.

10 Capellanus Monialium, quæ non recitant Breuiarium Romanum, potest de Festis illarum celebrare, necnon recitare, (7) vt Missæ conformetur Officium; at non in earum Breuiario, sed in Romano. Et quamvis Capellanus absit per aliquod tempus, valebit de illis Sanctis recitare, quia habetur vt beneficiatus, dum sit is, qui communiter in Monasterio Missas solennes celebrat, & præcipuè si ad Confessiones Monialium audiendas sit destinatus.

7. Tambur. *in Decalog. l. 2. cap. 5. §. 2.* Gobat. Quintanadueñas.

## *Capitulum Sede vacante.*

1 NEquit Capitulum Sede vacante intra annum concedere literas dimissorias ad Ordines suscipiendos, nisi ratione Beneficij obtenti, quod Ordines exigat; (1) aliàs tam Vicarius concedens, quàm obtinens, si ordinetur, incidunt ipso iure in pœnam suspensionis ab officio, & Beneficio, & Capitulo concedenti eas pœna interdicti infligitur.

1. Trid. *sess. 7. c. 10. de refor. & sess. 23. c. 10. de reform.*

2 Capitulum Sede vacante succedit in his, quæ sunt de iustitia, tum spiritualia, tum temporalia, quæ ad Episcopum pertinent; non verò in rebus gratiosis, nisi expressè in iure concedantur: (2) nec in alienationibus bonorum Ecclesiæ, (3) quæ licèt nequeat Episcopus alienare, at in casibus necessitatis grauissimis, (de quibus verbo *Ecclesia*) quando non datur facilis recursus ad Pontificem, potest Episcopus post omnes prius circunstantias adhibitas, quæ *ibidem* dicentur, consensum præbere, vt alienentur. Et in his

2. *Cap. 2. Ne Sede vacante, & ibi* Ioan. Andr. & alij.

3. Geminianus *ad 6. Decret.*

his casibus si Sedes vacaret, Capitulum, & Clerus non ob iurisdictionem, sed ob legem, & æquitatem naturalem, & moralem, consentirent in alienationem inexcusabilem.

Pius Vines *tr. de immunit. Eccles. pag. 69.* & alij apud eum.

3 Capitulum, Sede vacante, non est salutandum verbis, seu venia verbali à Concionatoribus, sicut hi tenentur salutare Episcopos. (4)

4.

4 Etsi possit Capitulum Sede vacante conferre Beneficia, quæ ad Episcopum simul cum ipso pertinebant, nequit tamen conferre (5) Pœnitentiariam. Nequit conferre Beneficia, quæ iure deuoluto pertinerent ad Episcopum, nec admittere permutationem Beneficiorum, quæ ad Episcopum spectant. Potest verò instituere Beneficiarios præsentatos à Patronis. Præterea dispensare in interstitiis: Præbere licentiam alij Episcopo, vt Regulares ordinet, adhuc intra annum, & exerceat Pontificalia in territorio ipsius Capituli; & indulgentias concedere per illum; & ferre censuras, ac similia, quæ sunt actus iurisdictionis. (6)

Ill. Arauio *in dec. f. mor. tr. 1. q. 15. n. 15. & n. 6.* affereS Rituales, & plures Authores.

5.

Diana *p. 8. tr. 4. res. 52.* Barbosa. Garcia.

6.

5 Vbi exspirat Episcopus, vel ad alium Episcopatum eius mutatio confirmata à Pontifice refertur, antequam possessionem secundi Episcopatus ille susciplat, Sedes vacare dicitur, & ad Capitulum iurisdictio pertinet. Illud autem eligit vnum, vel duos, iuxta cuiusque Ecclesiæ consuetudinem, per quos iurisdictionem exerceat; & præterea visitatores diœcesis, aliosque omnes Officiales.

Molina. Diana. Azor. Barbosa, & passim alij.

6 In casu excogitabili, quo Episcopus post denuntiatos Ordines à se faciendos, & aduentum plurium ex variis locis, etiam distantibus, examinatis iam eis, & approbatis, repente moreretur Feria sexta quatuor temporum, videtur posse Capitulum concedere, quod alius Episcopus ibi ordinaret adhuc non coarctatos Beneficio, per epikeiam, & interpretationem prudentem; nollet enim Pontifex, post expensas, & fatigationes tunc eos omnes ordinandos redire absque Ordinum susceptione. (7)

7.

Th. Sanchez *l. 7. consil. mor. cap. 1. dub. 26.* Gobat. Quintanad. & alij.

## *captiuus.*

1 CErtò probabile est, (1) captiuos Christianos aduentantes cum Turcis ad littora Christianorum, posse ob vitandam sibi mortem imminentem cooperari ad incendia, & rapinas; nam in casu extremæ necessitatis, qualis est mors imminens, siue metus ab extrinseco proueniat, siue ab intrinseco, bona omnia sunt communia, quantum attinet ad eam necessitatem vitandam; & cum eo metu licet exequi actiones, quæ non sunt intrinsecè ita prauæ, vt sub aliquibus circunstantiis nequeant cohonestari. (2) Et illi quidem materialiter cooperantur ad malum, non mouentes ad illud, nec potentes impedire; sicut licitè remigant in triremibus Turcarum, & afferunt farcinas, ac arma bellica ad propugnacula, & pugnas.

2 Verùm si in aliquo casu verlaretur maximum nocumentum Christianorum, veluti si captiuis denegantibus id auxilium Turcis, Christiani obtenturi essent victoriam in bello nauali, aut liberandi essent ab ingenti aliquo periculo, tenentur captiui cessare ab eis actionibus, etiam cum vitæ dispendio, quia tenentur lege charitatis anteponere (3) bonum Reipublicæ Christianæ vitæ propriæ.

1. Lorca. Castr. Palao. Diana, & alij apud Me *in Statera, d. 6. q. 10.*

2. Victoria. Basil. Legion. Nauarra. Gallet. Apud Me *vbi super.*

3. Card. Toletus. Th. Sanchez. Vasquez. Layman. Busembaum, & plures apud Me *vbi sup.*

## *Cardinalis S. R. E.*

1 CArdinales sunt Patricij (1) scripti in diademate Principis, & pars corporis eius. Sunt clerici, & Cardinalatus est Beneficium Ecclesiasticum. (2) Eius sunt authoritatis, vt illis fides danda sit quoad sibi commissa per Pontificem. (3) Ex eorum numero, Sede Apostolica vacante, eligendus est iam per se loquendo summus Pontifex, ipsis, ac non alio, suffragium ferentibus. At si in aliquo casu eligatur aliquis extra Collegium Eminentiss. Cardinalium, valida erit electio.

2 Non ligantur aliqua pœna imposita omnibus vniuersaliter,

1. Nauar. *tom. 3. consil. de dat. & promiss. n. 10.*

2. Authores cõmuniter *in tr. de Beneficijs.*

3. *C. 9. Nobilissimus, dist. 97.*

uersaliter, nisi exprimantur; nec comprehenduntur regulis odiosis (4) Cancellariæ; sic verò sub lege generali Papæ fauorabili, & sub pœnali prohibente ea, quæ de se sunt mala, quippè omnes legi naturæ subiiciuntur.

4. Ancharanus *consil. 196.* Ioan. Andreas. Felinus. Nauarrus. Francus, & alij.

3 Priuilegia concessa Episcopis ratione dignitatis sui status extenduntur ad Cardinales, qui possunt hora post meridiem, & duabus ac dimidia ante auroram celebrare, & facere ante se celebrari; ac in eorum sacellis plures Missæ queunt eodem die dici, ac à quibusvis audiri, qui sic in plebunt præceptum. (5)

5. Diana *p. 5. tr. 2. resp. 48. & 77. & p. 6. tr. 8. resp. 40.* Suarez. Layman, & plures.

4 In Ecclesia, cuius titulum habet Cardinalis, gaudet iurisdictione Episcopali adhuc in criminalibus: quare valet licentiam præbere ad assistendum matrimoniis, absoluere, ac dispensare in casibus, in quibus potest Episcopus; quin & concedere centum dies indulgentiæ. (6) An autem possit sibi eligere Confessarium non approbatum, & concedere familiari, vt illum eligat, vide *Approbatio*, *Confessarius*. Præterea dum sunt Romæ, possunt conferre Beneficia vacantia in suis titulis, & admittere resignationem eorum.

6. Suarez. Lugo. Azor. Vasquez. Sotus. Diana, & alij.

5 Cardinales, qui sunt Episcopi, possunt exercere iurisdictionem in suis diœcesibus post confirmationem Pontificis, antequam adeant possessionem, & quin Bullas Pontificias ostendant. (7) Non comprehenduntur in regula octaua Cancellariæ quoad reseruationem mensium; esto Summus Pontifex soleat sibi reseruare aliquas Dignitates, vt Mediolani obseruaui, cum Archiepiscopus esset Cardinalis. Adhuc existentes Romæ possunt prouidere Beneficia, etiam curata, in suis Diœcesibus vacantia; sed ad curata debet præcedere concursus, & sufficit examen habitum per examinatores à Pontifice deputatos.

7. Barbosa. Diana. Germonius. Castro Palao. Massobrius. Nic. Garcia. Grilenzius.

6 Cum Religiosus creatur Cardinalis, debet vti Habitu suæ Religionis, addito pileo rubeo, ac galero eodem colore ornato. At si sit è Religione Clericorum, veluti è Religione Clericorum Societatis Jesu, ac aliis huiusmodi, vtitur eodem vestitu ac cæteri omnes Cardinales.

7 In fauorabilibus veniunt Cardinales nomine Cle-

ricorum, non in odiosis; & quamvis non includantur (8) in pœnis suspensionis, ac interdicti, nec in legibus pœnalibus modo *suprà* libato, at nequeunt ingredi Monialium Monasteria, quia id in sua Bulla Gregorius XIII. prohibuit. De offendente Cardinales, vide *Bulla in Cœna Domini*; & quidem sunt rei læsæ Maiestatis, & aliispœnis (9) obnoxij, qui eos offendunt.

8. Henriquez. Barbosa. Diana, & plures.

9. *Cap. Felicis, de pœnis, in 6.*

8 Si Cardinalis casu obuiam fiat (& credendum est ei simpliciter affirmanti, casu obuium fuisse) alicui, qui ad mortis supplicium ducitur, liberat eum à morte; nisi eius delictum sit crimen falsi, aut læsæ Maiestatis diuinæ, vel humanæ, seu proditionis patriæ, aut alterius ex atrocissimis. (10)

10. Germonius. Barbosa. Diana, & alij.

9 Ad recusandum Cardinalem iudicem maior causa requiritur, quàm ad recusandos alios iudices. Quando ei committitur causa, additâ clausulâ, *Appellatione remota*, etiamsi iusta videatur appellatio, nequit interponi. Ipsorum verò Cardinalium causæ per Papam deciduntur. Et cum deponunt in facto proprio, faciunt plusquam semiplenam probationem: quin in causa iustificationis suorum familiarium plene probant. (11) Et in causis Cardinalium familiares possunt esse testes.

11. Sacra Rota ita decidit.

10 Concessa eis à Pontifice facultate testandi, sufficiunt duo testes ad eorum testamentum: possunt decedere pro parte testati, & pro parte intestati; valent instituere hæredem incapacem, & mutare testamentum semel factum; nec facultas exspirat morte Pontificis. (12)

12. Azor. Albanus. Diana. Molina.

11 Cardinalis hoc ipso soluitur à patria potestate, si ante creationem sub illa erat. Et quia censetur vnum quid cum ipso Pontifice, non tenetur iuramentum fidelitatis ipsi præstare. Cardinalatus non est de iure diuino, (13) sed humano.

13. Th. Sanchez. Diana, & communis.

## *Carnium esus.*

1 ESus carnium prohibitus est in Quadragesima, Vigiliis, Quatuor temporibus, & diebus Vene-

ris, ac Sabbati, & quotiescumque ieiunatur ex voto, consuetudine, aut ob implendam pœnitentiam ieiunij sacramentalem; seu si ex consuetudine in diebus Rogationum, aut similibus abstineatur à carnibus. In Archiepiscopatu Mediolanensi ieiunatur tribus diebus Rogationum, in supplementum quòd Quadragesima ibi non incipit respectu eorum, qui ritum Ambrosianum sequuntur, & respectu omnium sæculatium, nisi à prima Dominica Quadragesimæ. Hinc Regulares, qui sequuntur ritum Romanum, non tenentur ieiunare illis tribus diebus, qui sanè sunt in hebdomada sequenti ad Rogationes Ritus Romani; nam Ambrosianus inibi obseruatur. In die Natiuitatis Domini, si incidat in diem Veneris, aut Sabbati, licet carnibus vesci. Et in Regnis Castellæ diebus Sabbati (dum non sint dies ieiuniorum) licitum est edere extrema, & intestina volucrum, & animalium. In aliquibus Sacris Religionibus prohibitus est vsus carnium; & in Carthusiensi nec cum vitæ discrimine possunt edi, (1) vt sic virtutis officium firmetur, & institutum, ac regula, ne paulatim decidant, obseruentur. Qui non tenetur ieiunare, adhuc nequit propterea edere carnes, sicut nec qui frangit ieiunium; nam præceptum ieiunij duo continet, & non comedere, nisi vna vice, à quo aliqui excusantur; & non vesci carnibus, quod obligat omnes, nisi necessitas saltem probabilis detur. Qui autem ob eam vescitur carnibus, non tenetur ieiunare, quamvis aliàs teneatur ex præcepto, aut voto. (2) Qui carnes edit die ieiunij, non peccat contra præceptum ieiunij, si pisces edat; poterit tamen peccare contra aliam virtutem, si ipsi noceant; sicut si in die, in quo non prohibetur carnium esus, eas ederet; respectu autem illius dies ieiunij se habet, vt cæteri dies, in quibus carnes non prohibentur. Si necessitas non sit practice probabilis, sed anceps, dubiusque sit medicus de ea, in hoc casu potest Episcopus, & in eius absentia Vicarius, & in vtriusque absentia Parochus dispensare, ex consensu tacito Episcopi. (3)

1. P. Azor, & alij apud Me *de Bella Cruciat. d.* 17. *c.* 1.

2. Card. Caietan. Palacios. Medina. Corduba. Azor, & plures *vbi supra.*

2 In hoc casu necessitatis dubiæ (nam in necessitate practice probabili non est opus priuilegio) potest quis

3. Caietanus. Lopez. Basseus.

Trullench. Henriquez. Azor, & plures *vbi super.*

virtute Bullæ Cruciatæ, dum non versetur extra Regna Hispaniarum, vesci carnibus in die prohibitis, de consilio vtriusque medici, spiritualis, & corporalis. Medicus spiritualis non est solùm Parochus, sed quilibet Confessarius: nec opus est, vt id in Confessione præfetur; (4) nam eius consilium non requiritur vt actus iurisdictionis, sed vt actus viri probi, & prudentis rem docte discernentis: ad quod non est opus Confessario proprio. Medicus corporalis quilibet sufficit: quod si in loco non sit Medicus, sufficiet vir prudens, & expertus; (5) nam dispensatio non ab eo, sed à Pontifice emanat, ipseque, & Confessarius cum scientia, & conscientia exprimunt necessitatem saltem esse dubiam. Hoc priuilegio Bullæ gaudent etiam Religiosi, & Sacerdotes, nam circa hoc exceptio apposita solùm est quoad priuilegium vescendi ouis, & lacticiniis in diebus Quadragesimalibus. (6)

4. Rodriguez. Villalobos. Trullench, & alij *vbi sup. cap.* 2.

5. Ego *vbi super.*

6. Ego *de Bulla Cruciat. d.* 17. *num.* 13.

3 Carnibus humanis vesci prorsus est illicitum. Nec in extrema necessitate licet occidere aliquem ad vescendum eius carnibus; nec in ea potest quis eas comedere, cum id natura abhorreat. Præterea non licet medicis vti carnibus, aut ossibus humanis ad medicamenta paranda.

4 Pueri ante septennium completum possunt vesci carnibus toto anni tempore, nisi malitia ita suppleat ætatem, vt queant grauiter peccare, tunc enim iam adstringuntur præceptis Dei, ac Ecclesiæ Præterea valent edere carnes amentes, ægrotantes, & hi quibus esus aliorum cibotum graue damnum infert; & ne quis in sua causa sit iudex, consultius est, medici expectare iudicium, quo opus non est, cum manifestum est graue damnum. Ex priuilegio Pontificio possunt diebus prohibitis edi carnes, quale ab vno, aut alio haberi, certò agnoui.

5 Si quis in itinere, aut alibi non reperiret oua, nec pisces, quos die prohibito ederet, non tenetur solo pane, aut fructu vesci, potestque carnem manducare; cum pia mater Ecclesia non intendat cum tanto detrimento suos filios obligare.

6 Quoties in die prohibito carnes eduntur, graui-

ter peccatur; præceptum enim non edendi illas est negatiuum obligans pro semper. Aliud est in fractione ieiunij; si enim semel frangatur, postmodùm edendo cibum non prohibitum, non patratur nouum peccatum graue.

## *Castitatis votum.*

1 QVi emisit votum castitatis peccat contra illud habendo delectationem morosam; (1) hæc enim opponitur virtuti castitatis, cum non sit alia virtus, cui opponatur; & id votum extenditur ad actus exteriores, & interiores; & quidquid opponitur castitati in habente votum est sacrilegium. Id autem si sit solenne, est impedimentum impediens, & dirimens matrimonium: item vota simplicia in Societate Jesu emissa expleto nouitiatu; cætera autem vota simplicia castitatis sunt impedimentum solùm impediens matrimonium; & peccat grauiter, qui voto eo adstrictus contrahit nuptias, egetque dispensatione Episcopi, aut Regularium habentium ad id priuilegium, vt petat debitum; & nisi Pontifex absolutè dispenset in eo voto, manet ille ligatus ipso post obitum vxoris, ac ea viuente, respectu cuiusvis alterius.

1. Leffius. Diana. Bonacina. Vasquez. Reginaldus. Ego cum aliis *de Ordin. Militar. d. 5. q. 1.*

2 Sacris initiatus in quovis actu venereo, etiam interno, peccat (2) contra votum castitatis, quod emittit in susceptione Subdiaconatus. Quòd si quis hunc Ordinem suscipiens noluit emittere id votum, non peccabit contra illud in actibus venereis: at semper existet in peccato lethali, donec emittat id votum, quia lege ecclesiastica grauiter ad id vrgetur pro omni instanti.

2. Communis.

3 Voto castitatis obstrictum, si alium exponat periculo luxuriæ, ob id præcisè non violare suum votum, certò probabile est, quia ea actio solùm tendit ad ruinam proximi. (3) Similiter non violat votum, estò grauiter peccet, si quis absque propria delectatione per actus internos desideret pollutionem alterius, (4) aut fornicationem.

3. Caramuel, & alij.

† Arriaga *tom. 1.*

d.32. *de pœnit.* Th. Sanchez. Caramuel. Castr. Palao. Cardenas.

4 Qui alium polluit, etiamsi detur possibile, quod absque propria delectatione id præstet, ob cooperationem votum castitatis, si eo sit obstrictus, violat. Etiam est contra votum castitatis exponere se periculo violandi illam; (5) quia ea expositio habet oppositionem cum eo voto, vtpotè quod continet omnia, quæ præcepto naturali castitatis continentur; hoc autem præcepto continetur, non exponere se periculo violandi castitatem: iuxta qualitatem autem periculi erit culpa grauis, aut leuis.

5. Cardenas *in Crisi Theologica, tr. 5. d. 39.*

5 Si quis emittat id votum; *Voueo castitatem, si hoc anno me inebriauero*; non tenetur expectare finem anni, sed ante potest licitè contrahere nuptias, si non sit inebriatus; nam non tenetur expectare euentum pendentem à sua libertate, qualis est ille, (6) sic verò non pendentem. At si is post contractum matrimonium inebriaretur ante finem anni, teneretur seruare castitatem eodem modo, ac si post emissum votum absolutum castitatis iniisset nuptias.

6. Castr. Palao *part. 3. tr. 15. disp. 1. de voto, punct. 16. n. 6.* Th. Sanchez. Gobat.

6 Quamvis votum ingrediendi Religionem non sit votum castitatis, impedit matrimonium; nam cum eo voto contrahere matrimonium est sacrilegium, & violatio voti, siquidem nequit stare vnum cum adimpletione alterius. Idem dic de voto virginitatis: nam etsi id non sit castitatis, siquidem ex se solum obligat ad seruandam virginitatem, qua semel amissa, illud non subsistit, nisi vouens virginitatem simul se obstringere voluerit ad perpetuam castitatem; tamen cum eo voto nuptias contrahere animo consummandi matrimonium, est peccatum lethale contra votum. Idem etiam est de voto suscipiendi ordinem sacrum.

7 Voto castitatis obstrictus deflorans virginem, & non potens compensare iniustitiam, si ei obtulit nuptias, tenetur ducere, quia non obligat votum, cum impleri nequit sine iniustitia. Si autem virgo erat conscia voti, deflorans non tenetur eam ducere, quæ sibi imputare debet consensum in copulam. (7)

7. P. Gobat *in experient. Theologic. tr. 10. n. 10.*

8 Votum castitatis, aut Religionis irritat sponsalia superuenientia, nisi sponsa sit imprægnata ab eo, qui vouit. Post facta sponsalia votum castitatis, aut Religionis,

Religionis, seu suscipiendi Ordinem Sacrum, dirimit illa. (8) De voto Castitatis vide plura verbo *Votum*, & *Luxuria*.

Perez.
Gasp. Hurtadi 8.
D. Thom. in *supplement. q. 53. art. 1. ad 1.*
Sotus.
Lessius.
Diana.
Gobat, & alij.

## *Censura.*

1 NOn cessant censuræ, nec quoad forum conscientiæ, ex eo quòd Reus sit correctus, eiusque contumacia cessauerit. Contraria propositio damnata est ab Alexandro VII. anno 1666. Quare semper est necessaria absolutio, vt censura, quæ iam erat contracta, cesset.

2 Censura Ecclesiastica est pœna spiritualis, per quam homini baptizato delinquenti ac contumaci aufertur per Ecclesiasticam potestatem vsus quorundam bonorum spiritualium. Solus, & omnis Prælatus Ecclesiasticus iurisdictione gaudens potest (1) ferre censuras. Et qui potest eas de iure ordinario ferre, potest delegare potestatem alteri capaci. (2) Consuetudine potest adquiri potestas ferendi censuras, (3) & censetur tunc à Pontifice concedi. Nequit vlla fœmina ferre censuras, quia incapax est iurisdictionis (4) Ecclesiasticæ. Quare nec Pontifex valet ei committere eam (5) potestatem. Certò probabile est oppositum. Nec laicus potest ferre censuras, nec incidenter noscere de nullitate censuræ, nec tollere è tanuis eius transcriptum, nec cogere Prælatum, ne eas ferat.

1. *Cap. Ab Ecclesiarum, de offic. Ordinarij.*
2. *Cap. Prætereà, de officio delegati.*
3. Mercerus, Ego *de Bullæ Cruc. d. 25. n. 1.*
4. *Cap. Nouit, de pœnit. & remiss.*
5. Diana *p. 8. tr. 1. res. 39.* Suarez, & plures.

3 Debet esse is, in quem fertur censura, viator, baptizatus, contumax, nempe nolens parêre noscens censuram & non nisi propter peccatum valet ferri.

4 Censura alia est à Iure, lege, vel statuto lata in omnes fideles, aut in incolas alicuius Regni, Diœcesis, seu Religionis. Alia ab homine, lata per Iudicis sententiam quo moriente, hæc amittit vim; illa autem retinet, donec abrogetur. Hæc cæterùm alia est generalis, lata in quemlibet, qui tale crimen committat; alia est particularis lata in personam determinatam. Tam à iure, quàm ab homine, quædam est lata, quædam ferenda, quæ solet nuncupari ad terrorem,

rem; & hæc non incurritur per criminis commissionem, nisi accedat sententia iudicis potentis eam illicò ferre. Lata verò incurritur statim ac crimen committitur. Et dignoscitur ex formula ferendi illam; nempe *Excommunicamus, suspendimus*, &c. *sub excommunicatione latæ sententiæ ipso facto incurrendæ*, &c. In dubio autem an sit censura lata, vel ferenda, iudicandum est, esse ferendam, (6) quia odia sunt restringenda; sicut in dubio an quis inciderit in censuram, estò tutius sit petere absolutionem, non se debet iudicare (7) excommunicatum, cessante scandalo, quia melior est conditio possidentis. Potest ferri censura sub conditione, (8) quæ non incurratur ante impletam conditionem. Necnon sub disiunctione, v. g. præcipimus sub pœna excommunicationis, (9) aut suspensionis. Verùm peccabit iudex, nam est contra rationem pœnæ, (10) vt relinquatur arbitrio delinquentis.

6. Diana, & alij apud Me *sup. n. m.* 5.

7. Tannerus, & alij *vbi sup.*

8. *Cap. Præterea, de appellation.*

9. Turrian. & alij apud Me *de Bulla Cruciat. d.* 25. *num.* 6.

10 Cornejo *vbi super.*

5 Triplex solùm est censura, nempe excommunicatio, suspensio, & interdictum. (11) Quare irregularitas, & cessatio à diuinis sunt purè quædam canonicæ pœnæ; quod ex Iure (12) satis probatur: atque adeò nequit absoluere ab his, qui solùm potest à censuris. Qui violando censuram celebrat, fit irregularis; & tamen irregularis non fit, qui solam cessationem violat; vnde etiam cernitur, cessationem non esse censuram.

11. Panormitan. Nauarrus. Acosta. Th. Sanchez. Suarez. Aulia. Trullench, & innumeri *sup. num.* 7.

6 Quando absoluitur à censura contracta propter crimina enormia generantia scandalum, solet iuramentum exigi (non tamen ab impuberibus) quòd Ecclesiæ, & iudicis mandatis stabit absoluendus. Verùm sufficiet eum de sua obligatione admonere, si is sit, cuius veracitas, & promissio est constans etiam absque iuramento. Si præmittenda sit cautio iuratoria ob læsionem partis, non est necessum, vt iuramentum coram testibus fiat. A censura dubia, scilicet cum dubitat quis, an illam contraxerit, absolui debet sub conditione; nam in absolutione eiusmodi non est periculum, vt fiat inualidum Sacramentum, sicut esset, si quis sub conditione absolueretur à peccatis. Si dubium est de læsione partis, facta sedula inuestigatione, satisfactio

12. *Cap. Quærenti, de verbor. significat.*

satisfactio est petenda ante absolutionem pro qualitate dubij; nam est idem, ac si dubitaret de obligatione restitutionis. Plures censuræ possunt vnica absolutione tolli ab eo, qui iurisdictione gaudet absoluendi ab illis; & si generalis sit absolutio, quamvis pœnitens non recordetur alicuius ex censuris à se contractis, cùm actu absoluitur, manet absolutus, & absque obligatione poscendi iterum absolutionem.

7 Vt incurratur censura, necessum est, illius notitiam habere; (13) idemque est de aliis pœnis Ecclesiasticis, maximè si sint extraordinariæ, à quibus etiam ignorantia culpabilis excusat, præter irregularitatem ex homicidio.

8 Censura lata contra exemptum, in ea re, super quam fertur, est nulla. (14)

9 Quælibet censura arcet Sacerdotem à celebratione Missæ. Qui censura ligatus celebrat, satisfacit, si in Confessione dicat, se fecisse Sacrum sacrilegè: quia oppositio est contra virtutem Religionis, siue ob censuram, siue ob aliud peccatum graue quis indignè celebret. (15)

10 Ad absoluendum à quavis censura pro foro interno sufficiunt verba communia, *Absoluo te à censuris*, &c. At pro foro externo necessum est addere iuxta qualitatem censuræ: *Et auctoritate Sanctissimi Domini nostri Papæ, aut Illustrissimi Domini Episcopi*, &c. *à tali censura, in quam incurristi ob talem causam, aut factum*, &c.

11 Pueri ante annum decimum non incurrunt censuras. (16) Quin aliqui ad annum duodecimum, & alij ad quatuordecimum id extendunt.

12 Monitio præuia ante censuram ex Iure est requisita: quare absque illa erit illicita censura, sed tamen valida.

13 Cum de occultis non iudicet Ecclesia, censura nequit ferri ob actum internum, nisi is coniungatur cum externo, qui sit peccatum mortale; & sanè in suo genere consummatum. Quare si feratur contra mandantem aliquid, si mandans ante executionem reuocet mandatum, non contrahit illam; & sic de aliis. (17)

13. Nauarrus *in Enchirid. cap. 27. n. 16.* Bonacina. Suarez. Henriquez. Th. Sanchez. Filliucius, & plures alij.

14. *Cap. Cum ad quorundam, de excessib. Prælator.*

15. Diana *p. 9. tr. 3. resol. vlt.* Card. Lugo. Gasp. Hurtad. Gobat.

16. Valent. *tom. 4. d. 7. q. 9. p. 4.* Sotus. Sà. Diana. Vasquez. Castr. Palao. Auila. Suarez.

17. Diana *p. 5. tr. 9. ex res. 56.*

14 Quando

Anila. Suarez. Conineh: Hurtado, & alij.

14 Quando sub conditione fertur censura, v.g. si non soluat intra tot dies, non contrahitur ante impletam conditionem. Quòd si ante adimplerionem appelletur, suspenditur. Etiam suspenditur, si creditor tempus proroget.

15 Judex censura occulta ligatus validos actus facit; (18) secus si sit publicè denuntiatus. De censuris vide *Excommunicatio*, *Suspensio*, *Interdictum*, *Absolutio*. Vbi de censuris in particulari agitur, eis verò aptantur, quæ in communi de censura præfiximus.

18. *Cap. Ad probandum, de re iudicat.*

## *Censuræ propositionum.*

1 NVllus potest censura notare opiniones non damnatas vel ab habente potestatem, vel communi omnium suffragio: id enim & prohibitum est, & esset assumere sibi munus iudicis, superioremque sibi arrogare potestatem. Aliud est, si quis non absolutè, sed dictum suum temperans, asserat, ob hæc, aut illa fundamenta, videri sibi hanc, aut eam propositionem tali censuræ esse obnoxiam.

2 Cùm aliqua propositio ab habente potestatem, veluti à Summo Pontifice, seu à Quæsitoribus Sanctæ Fidei, committitur examinanda, inspiciendum est, an, & quam censuram mereatur, præ oculis habendo sequentia. Nempe

3 Propositio hæretica est, quæ habet omnimodam contrarietatem cum obiecto fidei, seu negat quod in se, & expressè à Deo est reuelatum, seu ab Ecclesia definitum.

4 Erronea est, quæ contradicit obiecto fidei mediatè, non immediatè; seu negat obiectum non reuelatum in se, sed in sua causa. Vt si quis in Christo neget aliquem effectum, seu proprietatem omninò annexam humanitati, non reuelatam in se, cum reuelatum sit, Christum esse hominem.

5 Hæresim sapiens est, quæ obiecto fidei contradicit per consequentias non euidentes, sed probabilissimas,

mas, & moraliter certas; ideóque est suspectus de hæresi, qui eam profert.

6 Malè sonans est, quæ duplicem sensum proprium habet: alium catholicum, alium hæreticum, & frequentiùs accipitur secundùm hæreticum. Et in ea attendendum est ad proferentem, si suspectus sit; nam in eo propositio est malè sonans, estò non esset in alio.

7 Temeraria est, quæ procedit absque ratione in rebus ad fidem, vel bonos mores pertinentibus; vtpotè si aduersus receptam Doctorum sententiam sit, vel si dicatur improbabile quod est probabile.

8 Scandalosa est quælibet ex dictis; & præterea quæ est alteri occasio errandi, vel malè de Fide sentiendi.

## *Census.*

1 CEnsus est ius percipiendi aliquam pecuniam, aut aliam rem vtilem in singulos annos, aut menses. Est vendibilis iusto pretio; vel dum capitale non redimatur; vel ita vt finiatur morte emptoris, seu vendentis, aut vtriusque.

2 Vendens censum non tenetur redimere illum, nec conditio redimendi, vtpotè vsuraria, potest apponi. Emptor verò tenetur præstare illicò totum pretium. Imponitur census super rem stabilem, tanquam hypothecam, qua perente, census perit.

3 Pius V. edidit Constitutionem de censibus, in qua conditiones communes census approbauit, & alias addidit. Nempe quòd non imponatur census super personam, nec super rem spiritualem, sed super corporalem immobilem, & frugiferam. Potest autem imponi super annuos redditus, qui habentur (1) pro re immobili. Præterea quòd non derogetur vlli exceptioni casus fortuiti, nisi ei, qui naturæ contractus conuenit. Quare non vale renuntiatio casuum fortuitorum. Rursùs quòd constituens censum non se obliget ad non alienandum rem censui subiectam. Quòd si prædium censuale sit vendendum, ante mensem est denuntiandum

1. Clementina *Exiui, de verb. significat.*

denuntiandum domino census, qui poterit illud emere, præferenduſque est aliis. Nec constituens censum debet se obligare ad subeundum alia onera, præterquam ad soluendum censum. Adhuc super re, supra quam census est impositus, alius non potest imponi. Quod ego limito, nisi census sit exiguus, & res magni valoris; v. g. si supra prædium, quod viginti mille aureis æstimatur, census imponatur, cuius capitale sint mille aurei, sine alius census super illo imponi poterit.

4 Vlterius iuxta eam Bullam, si constituatur census cum pacto, vt liber sit ab omni onere, etiam quoad gabellas, & impositiones, inualidus est. Quòd si venditor census tenetur ad aliquod onus propter pretium, quo vendit censum, emptor potest pactum adiicere, quòd ipse liber maneat ab eo onere, cum non teneatur iure ad illud subeundum. (2) Cæterum conditio, quam apposuit Pius V. ad licitam emptionem census, quod coram Notario, & testibus vendens censum tradat pecuniam, quæ ante eos numeretur, non est vlu eecpta. (3) Nec omnes conditiones ab eo appositæ obligant in foro conscientiæ, (4) sed eæ quæ iure naturæ obligabant, independenter à Bulla Pij V. Quare non erit vsurarius contractus ille ex eo, quòd aliqua ex his conditionibus deficiat; erit verò si pallietur lucrum annuum non correspondens pecuniæ traditæ pro capitali. Verè autem, & realiter debet tradi pecunia ab emente censum.

2. Nauarrus *lib. 3. conſ. 24. de cenſib.*

3. Azor *part. 3. lib 10. cap. 8. in fin.*

4. Nauarrus *comment. de vſur. num. 98.* Salon. Molina. Salas.

5 Si capitale census sit in argentea moneta, quæ habebat à principio valorem certum, ac immutatum, & postmodum id pretium crescat, redditus non debent solui iuxta valorem primum, sed iuxta currentem, quāvis conditio contraria (quæ foret vsuraria) appositа fuisset in contrau; nam aliter non seruaretur æqualitas, & emens censum haberet lucrum absque titulo vltra sortem; quare etsi in eadem moneta soluantur redditus, quin & redimatur capitale, non tamen est seruandus valor primus, sed currens. (5) Aliud erit, si ea moneta obnoxia erat moraliter decremento, & incremento; tunc enim par esset periculum, & censuarius minus solueret, dum non præstaret redditus

5. Molina *de iuſt. d. 312.* Card. Lugo.

correſpon

correſpondentes, ſi id fuiſſet pro conditione præfixum: nam ſæpè, vt ſecurius ſit capitale, in moneta argentea collocatur & redditus non exiguntur maiores, quàm ſi in moneta ærea fuiſſet collocatum. Deberentur etiam maiores redditus, ſi conſtaret eum, qui emit cenſum, ſeruaturum fore pecuniam argenteam, donec eius pretium augeretur, de quo ſpes daretur; & tunc fore perituram redditus correſpondentes. In cenſu tamen erit vſurarium quodlibet pactum appoſitum, quod non eſt de natura eius contractus, & onus imponit cenſuario, quod ſuſtinere non debebat. Vide *Mutuum*.

Couarruuias. Sâ. Medina. Rebellus. Bonacina. Filliucius. Menochius. Cenchius. Crauetta. Gaillius. Ant. Gabriel.

6 Cenſuarius poteſt redimere capitale (dum non ſit cenſus perpetuus) quandocumque velit, nec hoc pendet à voluntate cenſitoris; idque pro forma contractus iniungitur in Bulla Pij V. Debet autem præmonere cenſitorem duobus menſibus ante redemptionem.

7 Nequit cenſus emi maiori pretio reddituum ſoluendorum, quàm communi, & taxato à lege, ſeu Principe. Minori quidem poteſt emi, vt tutius reddatur capitale; & venditor reddituum non tenetur ſoluere amplius, quàm id, in quo cum emptore conuenit: id pro foro externo; pro interno illicò dicemus.

8 Non poteſt apponi conditio, quòd propter moram ſoluendi venditor cenſus amittat rem cenſuariam, aut eius partem. Sanè propter moram, ſi damnum emerſit emptori, tenebitur ad damnum ſoluendum ob regulam generalem, quòd qui culpam damni dat, illud tenetur reſarcire.

9 Si quis indiget, & non inuenit qui emat, minoris valet cenſus; & è conuerſo, ſi multi ſint, qui emere velint, ac rogant, (6) pluris valet, dum tamen iuſtum pretium ſeruetur. Etenim in foro conſcientiæ iuſtum pretium non conſiſtit in indiuiſibili.

6. Nauarrus *in man cap 23. num. 78.*

10 Si debitori cenſus ſumma debeatur à domino illius æquiualens capitali, aut parti redimibili, poteſt eum cogere, vt eam in redemptionem accipiat.

11 Prohibitum eſt Eccleſiis, ac earum Prælatis, nouos

nouos census imponere (7) absque licentia Pontificis. Nec Regularium domus, aut Prouinciæ possunt eorum sibi nouum onus imponere absque licentia Sactæ Congregationis Regularium, præmissa informatione euidentis necessitatis, seu vtilitatis.

7. *Cap. Prohibemus, de censib.*

12 Quia in Bulla Pij V. id præcauetur, ne vsuræ, aut fraudes in censibus reperiantur, inde vbi illæ absunt, non pauca licent; sic potest pactum iniri, quòd census non possit redimi, nisi (8) totus simul.

8. Eman. Sà. *verbo Census.* Nauarrus.

13 Pro census pensione potest designari aut pecunia, aut fructus, nempe frumentum, vinum, oleum, & similia. Nec pendet solutio census ex eo, quòd res pro hypotheca adiuncta hoc anno ferat fructum, vel non.

14 Vbi recepta est Bulla Pij V. (quod in singulis dominiis constabit) non licet obligari personam, nec generaliter bona possessa, & possidenda; sed solùm rem certam possessam.

15 Censum irredimibilem, dum maiori pretio ematur, quàm redimibilem, non includi sub prohibitione Bullæ Pij V. certò probabile est, cum ipse non prohibeat, nisi quòd censibus communi pretio emptis apponatur conditio de non rediniendis, (9) nec loquatur de his, qui maiori pretio emuntur.

9. Diana *p.* 10. *tr.* 12. *resp.* Molina, & innumeri.

16 Census inter bona immobilia computatur; quare venditor noui census potest in hypothecam apponere censum, quem ipse emptum possidet, dum emptor noui illius census id ratum habeat.

## *Cessatio à diuinis.*

1 CEssatio à diuinis est prohibitio Ecclesiastica, ob quam Clerici debent cessare à diuinis Officiis, & Sacramentorum administratione, quam necessitas non exposcit. Non est censura. (1) Qui potest indicere interdictum, potest & cessationem. (2) Omnes possunt tempore cessationis donari sepultura Ecclesiastica, (3) cùm hæc non sit Officium diuinum. Si in loco sit Ecclesia, in qua non detur cessatio, tenentur Fideles in ea audire Missam, quia Iudex indi-

1. *Cap. Quærenti, de verb. signif.*

2. *Cap. Irreparabilis, de officio Ordinarij;* cum alijs.

cens

cens ceſſationem, non tollit obligationem audiendi Miſſam, nec quidquam decernit circa præfatam Eccleſiam, ſed circa alias. Bulla Cruciatæ (4) nihil concedit circa tempus ceſſationis à diuinis. Regulares abſque offenſione Prælatorum poſſunt virtute ſuorum priuilegiorum celebrare Miſſam in ſuis Eccleſiis, ianuis clauſis, ſubmiſſa voce; campanis non pulſatis, & nullo externo admiſſo, qui aſſiſtere nequeat; præter vnum aut duos, qui Miſſæ miniſtrent. Vnde Regulares eo tempore tenentur celebrare, aut audire Miſſam, cum poſſint, & inſtet præceptum, à quo coguntur, non à priuilegio, ſed quia hoc eos expeditos relinquit. Externi verò non tenentur curare, vt admittantur ad miniſtrandum Miſſæ; ſicut non tenentur accipere Bullam Cruciatæ, vt audiant eam tempore interdicti. (5)

2 Nulla ceſſatio à diuinis eſt à Iure impoſita; quare ſemper eſt ab homine. Si abſque cauſa legitima quis ſtatuat ceſſationem, compellendus eſt reddere Canonicis, Beneficiatis, & Eccleſiis emolumenta, quæ ob ceſſationem amiſerunt. Item ſi ipſe dedit (6) ei cauſam. Communiter apponitur poſt interdictum, at poteſt ſenſim ab illo apponi, & nunquam abſque grauiſſima cauſa. Tempore ceſſationis, ſicut & interdicti, (7) poteſt celebrari in feſtiuitatibus quatuor præcipuis anni, & in Octaua Corporis Chriſti. (8) Sacramenta tempore ceſſationis poſſunt adminiſtrari in caſibus, in quibus poſſunt tempore interdicti generalis; & hac benigna interpretatione Iura (9) ſunt donanda. Recitatio diuini Officij cum vno vel duobus ſociis, etiam intra Eccleſiam, non prohibetur tempore ceſſationis, quia cenſetur (10) oratio priuata.

3 Poteſt dari ceſſatio à diuinis generalis, quæ omnes loci Eccleſias comprehendat; & particularis, quæ aliquam dumtaxat, vel aliquas. Qui violat ceſſationem à diuinis, non fit irregularis, cùm illa non ſit cenſura.

5. *Cap. Non eſt, de ſponſalibus.*

4. Communis. Ego *de Bulla Cruciat. d. 25. num. 37. & de iure Academ. l. 3. q. 47.*

5. Communis apud Me *vbi ſuper.*

6. *Cap. Si Canonici, de officio Ordinarij, in 6.*

7. *Cap. Almæ mater, de ſent. excomm. in 6.*

8. Henriquez. Th. Sanchez, Suarez. Henriq. & alij apud Me *de Bulla Cruciat. d. 25. num. 37.*

9. Layman *vbi ſuper.*

10. Suarez & alij *ſuper.*

# cessio bonorum.

1 CEssio bonorum est ea, qua debitor relinquit bona sua creditoribus; (1) qua præstita nihil ille amplius tenetur restituere illis, nec ex contractu, nec ex delicto. At quoad publicum, qui ex delicto est debitor, dum non habet in bonis, (2) luit in corpore. Hinc qui per fraudem, aut dolum malum, seu vitia suas facultates dissipauit, quamvis bonis cedat, non euitabit carcerem, cum sit debitor ex delicto; quem euitat, qui non est soluendo absque culpa, & bonis cedit. Nec tenetur debitor non cedere bonis, quamvis creditores ei concedant aliquorum annorum expectationem; nam ei leges cessionem bonorum permittunt. Idque potest præstare, quamvis prius conuenerit (3) cum creditoribus, quòd non foret cessurus.

1. *Tit. ff. de his, qui bonis cedit.*

2. *Leg. 1. §. fi generaliter, ff. de pœnis.*

3. Communior.

2 Non tamen gaudent præfata immunitate, & beneficio legis omnes; nam aliqui impunè nequeunt cedere bonis, nempe hi qui iam semel bonis cesserunt; dilapidatores facultatum, qui soluentes posterioribus creditoribus, se inhabiles reddidere soluendo anterioribus culpabiliter; qui in fraudem creditorum bona alienarunt; qui dolosè debita contraxit, sciens non habere vnde solueret; qui spe beneficij (quæ probari debet) cessionis bonorum debita contraxit; qui occultauit bona aliqua, quod pro foro externo non admittitur. (4) At pro foro conscientiæ potest occultare aliqua, quibus se, & familiam suam parcè sustentet; (5) & parciùs adhuc, si debita contraxerit ex iniustitia, aut delicto notorio. Quòd si post cessionem bonorum aliqua bona adquisierit, pro foro externo debet iudex ei designare partem ex illis pro sustentatione. Quin vbi iuxta leges quis cedit bonis, iudicem teneri relinquere (6) partem pro parca sustentatione cedentis, certò probabile est; estò contrarium sit certius, & in praxi communiter obseruatum.

4. Diana *p. 7. res. 11. & 13. & 19.* Bartolus. Zasius. Natta. Rebuffus. Molin. & alij.

5. Card. Lugo. Molina. Diana.

3 Si quis cedit bonis, adhuc si fideiussores illius detur, ad debita soluenda obligatur. Quòd si clericus

ticus sit fideiussor, gaudet priuilegio iuris, (7) quòd præstita cautione iuratoria de soluendo cum poterit, liberetur. 6. Lessius. Diana, & plures.

4 Qui iuxta legum formam publicè cedit sua bona creditoribus, tenetur præstare cautionem de soluendo debita, quibus sua bona non sufficiant, si postmodùm bona adquirat, quibus soluere queat; & hæc cautio debet esse fideiussoria; vel si non reperiantur fideiussores, debet esse iuratoria. Et quidem pro foro conscientiæ non liberatur absolutè ab obligatione soluendi; nam si bona adquirat, soluere tenetur. Quod est verum adhuc si in aliquo loco mos sit, vt ea cessio bonorum fiat cum publica ignominia; nam per hanc non satisfit creditoribus. (8) 7. *Cap. Odoardus, de solut.*

5 Quòd si creditores se cum debitore componant, ita vt singuli cedant parti sui debiti, ac omnibus sic fiat satis, sanè si illi eo animo fiat, quod voluntariè cedant, tunc non tenebitur debitor postea reliquam partem restituere, etiamsi alia bona adquirat, dum ipse dolosè non egerit, compositionem solicitans animo lucrandi postmodùm bona, ac liberandi se ab integra solutione debitorum. Cæterùm si creditores cedentes parti debiti, non manifestent, nec innuant animum contrarium, iudicandi sunt spontaneè cedere solutioni; cum rectè præuideant, posse illum ad pinguiorem fortunam peruenire, in qua constitutus integrè soluere valeret; & scienti, ac volenti nulla fit iniuria. 8. Molina. Diana, & alij.

6 Cessio bonorum non constituit cedentes sub infamia, quæ inducat irregularitatem; imò vbi publicè cum ignominia fit, eam non inducit, cùm non detur ibi infamia ex delicto, nec infamia iuris; & cum odia sint restringenda, non videtur sufficiens ea ignominia, vt inducat infamiam ex facto, ac irregularitatem, eo quòd sit ea quasi cæremonia quædam alibi non vsitata; & quod legibus permittentibus fit, & alibi nullam infamiam inducit, non est, cur in eo loco inducat infamiam grauem.

7 Hæres in testamento relictus potest repudiare hæreditatem, & eius bonis cedere; nec tenebitur ad vlla debita defuncti. Potest adhuc hæreditatem adire cum

beneficio inuentarij, & tunc tenetur soluere ordine præscripto debita, ad quæ soluenda sufficiunt bona in inuentario præfixa, nec ad vlteriora soluenda tenetur. (9)

9. Communis.

## *Character.*

1 Character est spiritualis qualitas, seu habitus indelebilis in anima impressus; ac potestas actiua, vel passiua ad exercendum, aut recipiendum ea opera, ad quæ quis per gratiam (1) eleuatur; qui etiam nuncupatur signum spirituale, significat enim gratiam, ac disponit ad eam, distinguitque illud habentes ab aliis.

1. *Cap. Quod quidam, 1. q. 1. Cap. Licitè, 23. q. 7.*

2 In tribus Sacramentis imprimitur character; nempe in Baptismo, in Confirmatione, ac in Ordine; nam solùm per hæc mancipatur homo ad aliquod Sacramentum passiuè, aut actiuè exercendum. Per baptismum quidem potest alia Sacramenta suscipere, atque ad id etiam quodammodo ordinatur Confirmatio; per Ordinem verò potest quis Sacramenta conferre.

D. Thomas *3. p. q. 63. art. 1.*

3 Per characterem baptismi distinguitur Christianus à cæteris non Christianis: per characterem autem Confirmationis, & Ordinis, ab aliis non confirmatis, nec ordinatis. Hæc autem Sacramenta, quæ imprimunt characterem, reiterari nequeunt, sic verò quatuor alia Sacramenta. Character Ordinis per degradationem non deletur: quin & omnes præfati characteres permanent in anima in alia vita æterna.

4 Si quis non baptizatus, aut fœmina sexum occultans, reciperent Sacramentum Ordinis, id verè non daretur, nec imprimeretur character. (2)

2. D. Thom. *in 4. d. 25. q. 2. art. 6.*

5 Sicut Sacramentum Ordinis est vnum, estò sint multi Ordinum gradus, qui ad vnum Sacerdotium ordinantur; sic etiam character impressus per Ordinem est vnus, quia quodammodo extenditur, dum nouus Ordo recipitur. Si Episcopatus iudicetur Ordo, character similiter extenderetur; isque Ordo tunc recipietur, cum quis consecratur Episcopus, non verò cum

cum ab vno ad alium Episcopatum promouetur. Cardinalatus autem non est Ordo.

6 Prima tonsura in recepta sententia non est Ordo, indeque non imprimit characterem; sed tamen reiterari nequit, id enim lege Ecclesiastica est prohibitum, cum omnino inutilis esset reiteratio, siquidem accepta semel prima tonsura, quis in sortem Ecclesiæ, seu clerum habet aditum.

## *Charitas.*

1 PRimum Decalogi præceptum amandi Deum, quod est distinctum à cæteris præceptis, obligat ad amandum Deum non solùm in mortis articulo, sed etiam vitæ decursu; 1) quare, vt aliquod determinetur tempus, censeo semel in anno hanc obligationem instare; nam cum sit præceptum primum, & præcipuum, aliquod tempus designari debet, quo obliget; nec par est, vt multùm differatur: & cum per beneficia, quæ nobis Deus confert, sat eius bonitas vt amore dignissima nobis innotescat, quod tempus latiùs, quam vnius anni, designandum est, vt eam teneamur amare, & sic etiam apponamus medium valde efficax ad cætera adimplenda præcepta? Amare autem Deum super omnia, est appretiatiuè diligere eum præ cæteris creaturis, ita vt potiùs eligatur mors, quam eius offensa. 1. Card. Toletus, Suarez, Torres, Arriaga, Busembaum, Castr. Palao, & plures apud Me *in Statera*, d. 1. q. 13.

2 Tenetur etiam quis ex amore Dei elicere actum doloris, si conscius peccati mortalis opus habeat celebrandi, seu administrandi Sacramentum, & non detur copia Confessarij. Præterea si nequeat tentationem grauem, & periculum consensus euadere, nisi eliciens actum amoris Dei.

3 Qui subiturus est martyrium, si sit conscius peccati mortalis, tutius est, quòd debeat elicere actum amoris Dei, non data copia Confessarij; quod si bona fide actum attritionis eliciat, iustificabitur cum martyrio. Quin probabile est, non teneri ad eum actum, (2) quia martyrium est baptismus sanguinis, & voluntas illud pariendi est dilectio virtualis Dei, & 2. Fernandez apud Me *eod. loco.*

diſplicentia virtualis peccatorum: ſiquidem maiorem charitatem nemo habet, quàm is qui ponit animam ſuam pro amicis ſuis.

4 Charitati erga proximum opponitur ſcandalum, cùm ei præbetur occaſio ruinæ: necnon omiſſio correctionis fraternæ; de quo verbo *Correctio fraterna*, & alia peccata, quæ variis verbis inuenies.

5 Inimicum ſalutare non teneris, niſi inde oriretur (3) ſcandalum: ſed eum odio habere, lethale peccatum eſt.

3. Communis.

## *chymica ars.*

1 ARs chymica tendit ad tranſmutationem metalli vnius in aliud, maximè in aurum. Quæ ſanè potiùs eſt deceptio quædam, & minimè probanda, nec toleranda; nam licèt illicitum non ſit ex ſe vti naturalibus cauſis ad effectus naturales, & ea ars ſpeculatiuè conſiderata nihil illicitum contineat, at nunquam (niſi fides detur rariſſimo alicui euentui) fuit ad praxim reuocata, cum toties tentata fuerit; atque adeo affert ſecum diſpendium temporis, & facultatum: (1) vnde Joannes XXII. ſuo Decreto curauit amouere homines à vano hoc ſtudio; (2) & coram D. Paulo combuſti ſunt libri curioſa tractantes Epheſi; hos autem fuiſſe chymicos, plures declarant. (3)

1. D. Thomas. Tabiena. Palacios. Comitolus. Pineda, & plures apud Me *in Statera, d.13. q.25.*

2 Itaque hæc ars ex obiecto non eſt illicita, (4) ſi fiat abſque fraude; at communiùs ex circunſtantiis erit graue peccatum ei inſiſtere, quia datur prodigalitas, ac ſumptus inanis cum damno familiæ, & patrimonij, ac ſimul ignorantia eorum, quæ omnino requiruntur. Cæterùm ſi Princeps ob curioſitatem, ſeu experientiam deſumendam, inquireret aliquos eius artis vtcumque peritos, eoſque laborare præciperet, non eſſet damnandus peccati grauis, cum reſpectu illius ſumptus, & expenſæ ad ſibi iucunda, ac delectabilia non damnentur culpæ grauis, nec iudicentur prodigalitas.

2. Apud Cordub. *lib.1.q.17.§.1.*

3. Mariana, & alij apud Me *vbi ſuprà.*

4. Caietanus *in Summ. verbo alchimia.* Syluester. Nauarra.

*Chorus.*

## *Chorus.*

1 Estò expediens non sit, sæculares in chorum ingredi, nullam tamen ingredientes contrahunt (1) excommunicationem. Tolerari in eo nimios risus, aut confabulationes peccatum mortale est in illo, ad quem cura, seu moderamen spectat. Vt lucretur quis distributiones, standum est consuetudini, quo tempore teneatur ad chorum ingredi.

1. Nauarrus *cons. de orat. c. 18. n. 73.*

2 Choro addicti Religiosi, & Moniales, an teneantur horas canonicas persoluere post Professionem, etiamsi Religiosi non sint initiati sacris, vide verbum *Horæ Canonicæ*. Prima Sedes chori, absente Prælato, nequit ab alio occupari; potest tamen Episcopus alij Episcopo verbanitatis gratiâ eam indulgere.

## *Cimiterium, seu Cæmeterium.*

1 Cimiterium est statio, seu locus, vbi defunctorum corpora, aut ossa sepeliuntur, vel seruantur. Si contiguum sit Ecclesiæ, polluta Ecclesia, polluitur cæmeterium, non autem (1) è conuerso. Polluitur autem cæmeterium per sanguinis, vel seminis effusionem, atque etiam si in eo aliquis (2) excommunicatus, seu infidelis sepeliatur. Si duo sint cæmeteria muro diuisa, quamvis detur atrium, per quod ab vno ad aliud pateat ingressus, polluto vno, non polluitur aliud. (3)

1. *Cap. vnico, de consecr. Eccl. lib. 6.*

2. *Cap. Consuluisti, de consecr. Eccl.*

2 Si in medio portæ, quæ est intra duo cæmeteria, detur effusio iniuriosa sanguinis, seu emissio seminis, id cæmeterium polluitur, cuius gratiâ principaliter porta fuit confecta. Quòd si æquè pro vtroque (4) fuit facta, vtrumque polluitur. Si verò vnicum sit cæmeterium clausum, & in porta illius (idem dic de porta Ecclesiæ) pollutio fiat, dum sit extra lineam, ad quam percutiunt valuæ in liminibus, non polluitur cæmeterium; sic verò, si sit intra eam lineam.

3. *Cap. vnico, vbi supra.*

4. Angelus *in sum. verbo consecratio.* Rumus. Imola. Ioan. Andreas. & alij.

3 In cæmeterio violato nemo potest sepeliri, donec

reconcilietur; ante reconciliationem autem debent exhumari, ac extrahi corpora excommunicatorum, aut infidelium ibi sepulta, (5) si discerni ab aliis queant.

5. *Cap. Ecclesiam 2. de consecr. Eccl.* Idem dic ante consecrationem, aut benedictionem loci, qui de nouo in cæmeterium designatur, si fortè ibi essent priùs sepulta corpora excommunicatorum, aut infidelium.

4 Reconciliata Ecclesia, cæmeterium contiguum reconciliatur: at si id sit distans, & pollutum, non reconciliatur per Ecclesiæ reconciliationem. Si corpus sit depositum in cæmeterio, aut Ecclesia, & non traditum perpetuæ sepulturæ, potest transferri absque authoritate vlla, (6) secùs si fuisset in perpetuum sepultum.

6. *Leg. Ossa, ff. de Religios. & sumptib. funer.* Hostiensis. Sylvester.

5 Cæmeterium gaudet eadem immunitate, (7) ac Ecclesia; reconciliaturque ab eodem, ac eisdem cæremoniis ac illa, dum illa non sit consecrata. Si Ecclesia destruatur, non ideò cæmeterium amittit benedictionem, nec immunitatem, nisi inde omnia ossa fidelium extrahantur, & fiat locus communis.

7. Communis.

## *Circunstantiæ.*

1 VXoratus, qui cum vxorata adulterium commisit, tenetur in Confessione aperire statum vtriusque, quia duplex malitia moralis reperitur in eo actu, cum detur duplex iniustitia; vnde vt indiuiduatio actus explicetur, necessum est vtrumque aperiri, estò vtraque iniustitia sit contra eandem virtutem. (1) Idem dic, si vterque peccans sit adstrictus voto castitatis.

1. Lugo. Th. Sanchez. Layman. Busembaum. Ego *in Stat. d. ff. 5. q. 22.* Bonacina. Vasquez.

2 Coniugatus, qui desiderium copulæ cum soluta habuit, tenetur sui status circunstantiam in Confessione declarare, (2) nam eadem est malitia quoad speciem in desiderio, ac in actu; & sicut in actu esset malitia adulterij necessariò declaranda, ita & in desiderio. Idem dic de aliis desideriis circa diuersa obiecta.

2. Ego *ibid.* cum communi.

3 Sodomita tenetur in Confessione exponere, an fuerit

fuerit agens, an patiens; (3) nam circunſtantia agentis mutat ſpeciem, cum ex ſe afferat pollutionem, quæ in patiente non ſupponitur, niſi ex accidenti habeatur. Et maius quidem delictum iudicatur agentis, quam patientis, & inde grauiori ſupplicio punitur, ſaltem in noſtra Hiſpania. 3. Th. Sanchez. Card. Lugo. Buſembaum. Ego *in Statera, diſſ. 5. q. 24.*

4 In peccato beſtialitatis (quod ſpecie diſtinguitur à ſodomia, nam in hac datur diſſonantia ad generationem propter indebitum vas; in illa propter ſuppoſitum alienæ ſpeciei; quæ eſt diuerſa diſſonantia ad rationem naturalem, atque ſunt peccata diuerſæ ſpeciei infimæ contra caſtitatem, cum caſtitas ſit ſpecies ſubalterna) non eſt neceſſum exponere, quæ beſtia fuerit; nam id conſtituit actum in genere entis, non in genere moris. At opus eſt declarare, an brutum fuerit maſculini, aut fœminini ſexus, (4) nam ſunt diuerſæ ſpecies peccatorum; cum in vno mutetur ſpecies, & vas; in alio ſolùm ſpecies. Idem dic in ſodomia, ſi ſit cum fœmina in vaſe præpoſtero; quod eſt peccatum diuerſæ ſpeciei, ac viri cum viro: & ideo vocatur illa impropria ſodomia, nam mutatur vas, non ſexus. 4. Azor. Filliucius. Bonacina. Buſembaum. Ego cum pluribus *in Statera, diſſ. 5. q. 25.*

5 Si pollutio voluntaria cum alio habeatur, neceſſe eſt explicare in Confeſſione circunſtantiam complicis, quia datur occaſio ruinæ proximi, & à qualitate perſonæ complicis malitia participatur.

6 Similiter ſi quis peccet cum fœmina Mahometana, Judaïzante, aut hæretica, tenetur exponere circunſtantiam ſectæ illius, (5) quia mutat ſpeciem; nam id peccatum vergit in dedecus Religionis Catholicæ, & id exequens, cùm copula amorem valde conciliet, exponitur periculo deficiendi à vera fide; & ſi fœmina concipiat, datur etiam periculum, vt educet in ſua ſecta prolem. 5. Card. Lugo. Henriquez. Th. Sanchez. Leſſius. Ego *in Statera diſſ. 5. q. 26.*

7 Si quis peccet cum matre ſua, tenetur in Confeſſione aperire circunſtantiam matris, quæ præter inceſtum, mutat aliam ſpeciem; (6) irrogatur enim naturæ ipſi iniuria, & eſt contra pietatem, & honorificentiam iure naturali debitam; hinc & ipſa bruta ad hunc acceſſum horrent. Idem dic proportionatè de coniunctis in primo gradu. 6. D. Thomas. Ego *vbi ſup.* cum pluribus.

8 Optare

8 Optare mortem alterius, aut gaudere de illa ob commodum proprium, v. g. ob hæreditatem, aut quid ſimile, dupliciter poteſt contingere; vel immediatè habendo vt obiectum volitum mortem ob circunſtantiam, vel finem temporalem; vel habendo vtilitatem pro obiecto immediatè volito. Primo modo illicitum eſt deſiderium, vtpotè contra charitatem, cum anteponatur res temporalis propria vitæ alterius, quod (7) non licet, vt videre eſt ſi alius ſit in extrema neceſſitate, non poteſt quis eius vitæ anteponere commodum ſuum temporale. Secundo modo non eſt peccatum, cum ſit ſolùm deſiderium, aut delectatio de vtilitate, & morte ſecuta, vel ſequenda. (8)

7. Nauarra *de reſt. l.2. cap.3. n.213.* & alij.

8. Caietanus. 2. 2. *q.88. art.3. dub.4.* Nauarrus. Sotus. Durandus. Medina. Syluester. Armilla, & alij.

9 Circunſtantiæ notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem (9) non ſunt neceſſariò confitendæ; quia Tridentinum recenſens peccata exponenda in confeſſione, ſolùm memorat numerum peccatorum, & circunſtantias mutantes ſpeciem, vnde alias non fore ex neceſſitate exponendas ſatis innuit; & quia ingens onus, & ferè impoſſibile eſſet eas examinare, & exponere: nam ea circunſtantia notabiliter aggrauat, quæ ſeorſim ſumpta ſufficeret ad conſtituendum vnum peccatum lethale. V. g. ſi furtum vnius aurei ſit peccatum lethale, furtum duplicis aurei circunſtantiam addit notabiliter aggrauantem; nam illud aureum ſecundum per ſe ſolum ſurreptum ſufficeret ad peccatum lethale. Quis autem non videat, ferè impoſſibile eſſe in quouis peccato odij, vindictæ, delectationis turpis, & ſimilium inueſtigare inſtantia durationis, & intenſionem, cum per quodlibet inſtans, & per quemvis gradum intenſionis poſſit conſtitui vnum peccatum mortale? Nec circunſtantiæ notabiliter minuentes (10) exponuntur ex neceſſitate in confeſſione; cum tamen Confeſſarius poſſet variare iudicium, & ſatisfactionem, eis auditis, ſicut auditis circunſtantiis notabiliter aggrauantibus. Et cum iudicium ſacramentale non ſit ſicut externum, ſed pium, ac medicinale, ſat eſt ſpeciem peccati, & numerum dignoſcere, quin ad alia ſit opus peruenire.

9. D. Thom. *in 4. d.16. q.3. art.2.* Medina. Zerola. Bonacina. Vaſquez. Reginaldus. Diana. Sayrus. Valentia. Peſantius. Nauarrus. Adrianus. Richardus. Paludanus, & plurimi.

10 Cæterùm circa quantitatem furti eſtò idem dicendum ſit ſpeculatiuè; at practicè quaſi per accidens

10. Victoria *de Sacr. n.9.175.* Henriquez. Suarez. Bonacina. Reginaldus.

opus est eam exponere, ex eo quòd Confessarius debet designare obligationem restituendi, tempus, modum; quæ nequit præstare, nisi quantitas aperiatur. V. g. Furatus sit quis duo mille aurea, nec possit ea habere vt restituat; Confessarius debet ei suggerere obligationem moderandi familiam, luxum, sumptus, vt soluat; & sic ferè in omnibus casibus. Solùm excipe-rem obligationem propalandi quantitatem à viro docto, qui sciret quæ agere deberet. Pitigianus. Zerola. D. Bonauent. Nauarrus. Coninch. Pesantius, & plurimi.

11 Non tenetur vir dicere in Confessione, se fuisse virginem, cum primò cum fœmina peccauit, non enim datur specialis malitia peccati. (11) Qui autem virginem defloravit, si ipsa non fuit inuita, certò probabile est, non teneri eam circunstantiam exponere; sed oppositum est communius, & certius, ob violationem clausti virginalis. 11. Bonacina *de Sacram. d. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. n. 7.* Sotus. Nuñus. Suarez, & communis.

12 Confessarius, qui copulam habuit cum pœnitente non solicitata in Confessione, non tenetur circunstantiam eam, quòd sit sua pœnitens, exponere; non enim addit malitiam specialem, (12) nisi sit Parochus illius; nam tunc peccat contra proprium officium, ratione cuius ei incumbit procurare salutem animæ illius. 12. Azor 3. *p. l. 3. c. 9. q. 5. & 9.* Ledesma. Eman. Sa. Bonacina.

13 Præter primum gradum consanguinitatis, aut affinitatis, in quo elucet specialis malitia, & dissonantia, cæteri sunt inter circunstantias notabiliter aggrauantes recensendi, iuxta certò probabilem opinionem; (confitendus tamen est incestus) nec confitendi necessariò, nisi in diœcesi detur reseruatio vsque ad talem gradum; tunc namque nisi pœnitens sciat, quis possit eum absoluere, gradum exponere debet. Explicari autem debere gradus, quia se habent ex parte obiecti, & constituunt diuersam essentiam actus, est certius, (13) & communius. 13. Rodrig. *in summ. tom. 1. cap. 209.* Nuñas. Suarez. Clauis Regia. Bonacina. Valentia. Conninch.

14 Qui peccauit cum pluribus fœminis eiusdem conditionis, tenetur dicere numerum actuum, non verò fœminarum; nam id peccatum eandem habet malitiam iteratum cum eadem fœmina, ac cum diuersis. (14)

15 Datur circunstantia diuersæ speciei, cùm quis iniuriam committit aduersus suum patrem, Regem Religiosum,

14. Azor 1. *p. l.4. c.4. quæſt.6.* Bonacina, & alij. Religioſum, aut Sacerdotem; (& idem dic de percuſſione, occiſione, aut deſiderio horum) quia ſpecialis reuerentia eis debetur: (15) quin & erga filios, & coniugem datur ſpecialis ratio pietatis, & vinculi coniugalis; quare in damnis eiuſmodi, perſonæ circunſtantia eſt explicanda.

15. Henriquez *l.5.c.6.n.3. in comm. lit. E.* Nauarrus. Bonacina, & alij. 16 Si quis hominem occidat, non ſufficit, ſi dicat, ſe vulneraſſe illum. Poſt occiſum hominem, ſi quis eadem vindicta vulnera alia infligat, non mutat ſpeciem hæc circunſtantia; ſic verò ſi ex feritate, delectationem ex eis (16) vulneribus capiens; nam feritas eſt peccatum diſtinctum ſpecie.

16. D. Thom. 2.2. *q.159. art.2.* & communis. 17 Inductio ad peccatum, quæ eſt ſcandalum, ſeu occaſio ruinæ proximi, tunc eſt explicanda, cum non inuoluitur in ipſo peccato. Etenim ſi quis confiteatur ſe peccaſſe cum fœmina, non opus habet aſſerere, ſe illam inuitaſſe ad peccandum, cum id communiter contingat; at ſi eam ſolicitet, & moueat, cum non eſſet parata ad peccandum, nec facilis ad id, nec de eo cogitaret, neceſſum eſt (17) hanc explicare circunſtantiam.

17. Th. Sanchez *in ſumm. l.1. c.6. num.13.* Henriquez. Bonacina. Suarez. Azor. Salas. Coninch, & alij. 18 Non tenetur quis confuetudinem in peccando confiteri, id enim eſſet obligari ad confitendum peccata iam confeſſa, & bis eadem confiteri; nec circunſtantia conſuetudinis mutat ſpeciem peccati.

19 Qui omittit Miſſam die Dominica, in quam Feſtum Sancti incidit, ſufficit ſi dicat, ſe omiſiſſe Miſſam die Feſto; ſicut Religioſus ordinatus ſacris, non opus habet dicere, ſe bis emiſiſſe votum caſtitatis, in peccatis contra illam: ſimiliter ſi frangat ieiunium in Quadrageſimæ die, in quem incidat vigilia, non datur ſpecies diuerſa; quia etſi multiplicentur præcepta, & vota, ſunt eiuſdem rationis, a quibus non deſumitur diuerſa malitia in actu. (18) Aliud eſſet, ſi quis obligatus ieiunare in Quadrageſima, ſimul vouiſſet ieiunare vno die, vel pro pœnitentia ſacramentali ei fuiſſet iniunctum illius diei ieiunium; tunc enim frangens ieiunium peccaret contra præceptum, & inſuper contra votum, aut contra præceptum diuerſæ rationis inſtans ad pœnitentiam ſacramentalem pro

18. Communis.

peccato

peccato graui impoſitam, adimplendam ſub reatu peccati grauis.

20 Si finis, ob quem opus prauum exercetur, ſit prauus, debet etiam exponi in Confeſſione; ſecùs ſi prauus non ſit. (19) Sic qui furatur ob mœchandum, finem debet explicare; qui Miſſam omittit die feſto ob ſtudium, non tenetur finem declarare.

19. Reginaldus *l. 6. num. 127.* Nuñus. Bonacina. Pitigianus, & communis.

21 Peccare in die feſto (præter peccatum proprium laborandi, & fractionis Feſti,) non addit malitiam ſpecialem, niſi addatur alia circunſtantia diuerſæ rationis, v. g. ſcandali, aut ſimilis. Idem eſt de cæteris diebus anni, ſiue Aduentus, ſiue Quadrageſimæ, ſeu hebdomadæ maioris. (20) Niſi ex malitia quis intendat (21) feſtum ſceleribus violare.

20. Communis.

21 Si quis furetur rem ſacram, vbicunque ſit, vel non ſacram è loco ſacro, tenetur etiam circunſtantiam exponere, vtpotè ſacrilegij. Quin ſi rem ſacram è loco ſacro arripiat, vtrumque tenetur exponere. Similiter ſi polluat Eccleſiam effuſione ſanguinis, vel ſeminis. Quin ſi coniuges intra Eccleſiam copulam habeant, ſacrilegium patrant; niſi caſu quo intus ex aliqua occurrenti neceſſitate degant, & in remotiori Eccleſiæ loco cogantur lectum habere, ac pernoctare.

21. Eman. Sà, *verb. Confeſſio.* Nauarrus. Syluеſter. Medina.

22 Peccatum diuinationis non mutat ſpeciem, quòd fiat per hoc diuinationis genus, aut per illud; quare non eſt opus, id in Confeſſione (22) explanari.

22. Sotus *d. 18. q. 2. art. 4.* Eman Sà.

23 Subdito iniurianti, aut percutienti Superiorem, non ſufficit, ſe confiteri, ſe percuſſiſſe, aut iniuriaſſe Religioſum, ſed opus eſt addere circunſtantiam Superioris, quia ibi adeſt malitia ſpecialis contra obſeruantiam debitam. (23)

23.

24 Si quis ludo prohibito ludens defraudet colludentem, tenetur & fraudem, & ludum exponere, cum peccauerit contra iuſtitiam, & contra obedientiam debitam iuſtæ legi. Hæc enim ſit regula generalis ad dignoſcendas circunſtantias mutantes ſpeciem: Quoties oppoſitio datur ad diuerſam virtutem, vel diuerſa diſformitas ad naturam, ſeu rationem, tunc datur diuerſa

Diana *p. 9. reſ. 28.* Ouiedo.

diuerſa ſpecies, & circunſtantia ſpeciem mutans. Et præterea ex multiplicitate obiectorum deſumitur etiam neceſſitas explicandi illa, eo modo, quo videbis verbo *Confeſſio*, vbi etiam alia reperies ad circunſtantias pertinentia.

24. Squillante. Diana, & alij.

25 Qui omiſit vno die Horas canonicas, vel partem grauem illarum, ſufficit ſi dicat, ſe patraſſe graue peccatum in omiſſione Horarum; (24) nam hæ ſub vno præcepto continentur, & ſolùm eſt circunſtantia notabiliter aggrauans, quòd fuerit omiſſa vna Hora, vel duplex.

25. Henriquez. Diana, & communis.

26 Is, qui mœchatur, non tenetur exponere oſcula, & tactus, quæ actum antecedunt, & immediatè ſubſequuntur; nam in eo peccato includuntur, (25) miſi quis non intendiſſet habere copulam, ſed dumtaxat oſcula, & tactus, ac poſtmodum eam habuiſſet; tunc enim cum non ordinaſſet ea ad copulam, teneretur illa exprimere. Oppoſitum eſt probabile, quia vt vnum peccatum conſtituant, ſufficit, ex ſe ordinari eos tactus, & oſcula ad copulam, ac eſſe quaſi inchoationem illius. (26)

26. Leand. à Sacram. Oniedo.

27 Impotens, aut eunuchus, ſi copulam habeant, tenentur explicare circunſtantiam impotentiæ; (27) nam id reducitur ad peccatum contra naturam. Idem eſt, ſi quis ob debilitatem nequeat penetrare fœminæ vas, ac extra illud ſeminet; eſt enim malitia mollitiei.

27. Th. Sanchez cum pluribus.

28 Peccans cum fœmina, quæ alij eſt ſponſata de futuro, non tenetur eam circunſtantiam explicare, quia non datur malitia adulterij. (28) Peccans cum fœmina mortua in certò probabili ſententia, (29) ſat eſt ſi dicat, ſe habuiſſe pollutionem voluntariam, quia perinde ſe habet, ac ſi iuxta ſtatuam ſe polluiſſet, & datur ſolùm circunſtantia aggrauans. Oppoſitum mihi plus arridet, cum ibi detur ſpecialis diſſonãtia rationi, ac naturæ; & propè beſtialitas ſit concubitus cum corpore carente anima rationali.

28. Couarruuias. Th. Sanchez. Diana, & plures.

29. Diana *p.* 9. *tr.* 9. *reſ.* 1. Th. Sanchez. Tamburinus.

29 Si detur in praxi caſus, quo quis copulam haberet cum fœmina dormiente, iudico hanc circunſtantiam fore explicandam, quaſi cum inuita, & inuoluntaria, vnde ei fit iniuria.

30 Sacerdos

30 Sacerdos, aut Religioſus inducens fœminam ad peccandum cum alio, peccat contra charitatem peccato ſcandali, non contra caſtitatem; indeque tenetur dicere ſtatum fœminæ inductæ, cum id muret malitiam ſcandali, non verò ſuum ſtatum. (30) Idem dic, ſi inducat hominem. 30. Th. Sanchez. Diana, & alij.

31 Explicanda eſt circunſtantia ſtatus complicis in pollutione; non verò id opus eſt, ſi habeatur tactibus pueri non capacis doli, (31) aut propriis manibus, aut tangendo beſtiam citra copulam. 31. Caietanus. Diana, & alij.

32 Parochus, qui geſtaret occultè infirmo S. Euchariſtiam, aut Sacrum Oleum, ſi peccaret cum fœmina, aut ſe polluеret, vel periuriis, aut ludis indecentibus vacaret, teneretur eam circunſtantiam explicare ob ſpecialem irreuerentiam. (32) Epiſcopus, aut Generalis peccans cum fœmina, ſecluſo ſcandalo, non tenetur circunſtantiam ſtatus exprimere. (33) 32. Dicaſtillo. Diana. 33.

33 Ex his circunſtantiæ omnes, ſeu quædam conditiones circunſtantes actum, & eius eſſentiæ ſuperadditæ, manent expoſitæ; nempe *Quis*, *quid*, *vbi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*. Nempe ſtatus perſonæ peccantis: malitia ſuperaddita: locus: complex: finis: modus: tempus. Diana 1. *p. tr.* 7. *reſ.* 6. & 12. *p. tr.* 1. *reſ.* 98. Th. Sanchez.

## *Clericus.*

1 CLerico prohibitum eſt à Pio V. in Bulla, quæ incipit *Quæ Ordini*, relinquere in teſtamento, aut donare cauſâ mortis filiis ſpuriis bona adquiſita ex Beneficiis: & ab eodem in Bulla, quæ incipit, *Ad Romanum*, prohibitio extenditur ad bona patrimonialia. Sed cum nihil ſtatuat contra ius naturæ, id intelligendum eſt, (1) ſi filij habeant aliunde neceſſaria ad ſuſtentationem; nam ſi non habeant, poſſunt ei relinqui bona neceſſaria, & quæ naturali æquitate debentur; & filia ſpuria poterit dotari, nam dos nomine alimentorum continetur. 1. Nauarrus. Villalobos. Trullench. Azor. Filliucius.

2 Clerici in cauſis criminalibus omninò ſunt exempti à iudicibus ſæcularibus, qui nequeunt præſcribere iuriſdictionem contra illos; nam incapax habendi illam Apud Me *de Iure Academ. l.* 3. *c.* 11. *n.* 573.

illam, est incapax præscribendi. Tamen in casu metaphysico, quo nullus Iudex Ecclesiasticus, nec Pontifex occurrerent criminibus Ecclesiasticorum contra sæculares, hi titulo iustæ defensionis secundum rationis regulas possent (2) eos coercere. Nec si iudex Ecclesiasticus sit negligens, potest se intromittere sæcularis, cum sit incapax supplendi. Si autem in fragranti delicto deprehendatur Clericus à Iudice sæculari, potest capi, & statim proprio Iudici debet tradi; sicut si Clericus meditetur fugam, ne soluat debitum, aut quid simile, potest capi à iudice sæculari, vt sistatur Ecclesiastico. Nequit compelli in vlla causa Clericus à sæculari, vt testificetur cum iuramento, nisi præcedat licentia Prælati; nam is est actus iurisdictionis. (3) Potest procedere ille contra concubinas Clericorum, sed nequit horum domos ingredi, vt eas extrahat, quia id esset violentia (4) contra ipsos.

2. Suarez. Azor. Layman *vbi super l.3.q.32.*

3. D.Thom. 2. 2. *q.70. art.1.*

4. Menochius, & alij apud Me *de Iure Acad. l.3. q. 32.*

3 Qui post commissum crimen factus est clericus, nequit ob illud puniri à Iudice sæculari, quia iam gaudet statu Clericali, & fieret ei statui iniuria. (5) Quòd si in fraudem Clericus sit factus, nempè aufugiens è carcere, aut post citationem, seu post litem contestatam, poterit pœna pecuniaria mulctari à Iudice sæculari; (6) & item si solùm Ordines Minores, aut Beneficium assumpserit; ac præterea si ex criminis commissione bona obligata maneant Fisco, potest iudex sæcularis sententiam contra illa proferre; nam non agit tunc contra personam, sed contra bona primariò, & immediatè: quod non euenit, cùm bona non sunt obligata ratione criminis. In causis ciuilibus si Clericus sit Actor, sequitur forum Rei, nisi consuetudo contraria sit, quòd ad suum forum eum trahat: si sit reus, conueniendus est coram suo Iudice. (7) Si verò Clericus percutiatur à laico, potest agere coram Iudice Ecclesiastico. Si Princeps conferat Ecclesiæ bona in feudum, cum dominium directum penes eum maneat, ad ipsum pertinet iudicare de causis super feudo exortis. (8) Præterea laicus potest donare bona Ecclesiæ

5. Farinacius. Nauarrus. Sâ. Suarez, & alij *vbi super.*

6. Ego cum pluribus *supra.*

7. Gaillius. Martha. Mysingerius, & plures *sup.*

8. *Cap. ex transmissa, cap. verùm, de foro competenti.*

reseruans

reſeruans iuriſdictionem laico, vt Aduocato, ſeu Patrono, quia non eſt iniuſta conditio. (9)

4 Clericus, qui gaudet priuilegio fori, gaudet etiam priuilegio Canonis: amittit verò illud, ſi habens Ordines minores, & Beneficium, non deferat tonſuram, & habitum clericalem, admonitus ter ab Epiſcopo, & incorrigibilem ſe oſtendens: Prætereà initiatus Ordinibus minoribus amittit illud, ſi matrimonium ineat, niſi ducat vxorem virginem, deferat habitum Clericalem, & alicui Eccleſiæ deputetur ab Epiſcopo; tunc tamen in cauſis ciuilibus, & in ſolutione tributorum Magiſtratui ſæculari ſubiicitur, niſi conſuetudo aduerſetur. (10)

5 In fauorabilibus nomine clerici comprehenditur Epiſcopus, & Religioſus, (11) ſecùs in odioſis. Et cum in iure aliquid prohibetur Clericis, ſolùm intelligitur de his, qui Beneficio gaudent, aut ſunt Sacris initiati.

6 Clerici tenentur vi directiua obſeruare leges ciuiles, niſi immunitati Eccleſiaſticæ aduerſentur.

7 Conſuetudini eſt ſtandum, an gaudeant priuilegio bonorum Eccleſiæ bona patrimonialia clerici, nec non ea, ad quorum titulum fuerit ſacris Ordinibus initiatus.

8 An, & in quibus cauſis poſſit Clericus aduocare, vide *Aduocatus*. An pugnare, aut alia munia in bello exercere, vide *Bellum*. An negotiari, vide *Negotiario*.

9 Clericus in minoribus, dum non portet ſtolam, nec manipulum, nec vt Diaconum, aut Subdiaconum ſe gerat, nec vt talis miniſtret Miſſæ, poteſt canere Epiſtolam, Paſſionem, & Euangelium, (12) vt nerus Cantor.

10 Cerici familia gaudet (13) eodem illius foro. Clericus autem pro debitis non tenetur cedere bonis, nec cogi vt ſoluat, niſi quantum poteſt. Etenim clerico congruunt omnia militis priuilegia, (quæ eis conuenire poſſunt,) & id eſt priuilegium militum. (14) Nec tenentur ſoluere gabellas, niſi Pontifex id conceſſerit. In quo videndum eſt, quid in vnoquoque loco obſeruetur.

9. Baldus. Gaillius. Abbas. Martha. Suarez, & alij apud Me *de Iure Academ. l. 3. q. 32.*

10. *Cap. vnic. de Cleric. coniug. in 6.*

11. Sylueſt. *verbo Clericus 1. n. 1.* Fumus. Gimonteus. Sà.

12. Nauarrus *l. 5. conſil. 5. de Cleric. non ordin. min.* Sà.

13. *Cap. Clericum 1. 11. q. 1.*

14. *Leg. Miles, ff. de re iudic.* Panormitan.

*in c. Episcopus de præbend. & alij.*

## *Commissarius Generalis Cruciatæ.*

1 COmmissarius Generalis Cruciatæ habet facultatem examinandi quascumque grarias, ac indulgentias à Sede Apostolica concessas, vbi Bulla Cruciatæ viget, atque id est in praxi.

2 Potest applicare pœnas pecuniarias ab Ordinariis inflictas in subsidium Cruciatæ, ex quibus medietas nunc applicatur. Et peccarent, qui eas retinerent, aut non applicarent, (1) cum id eis à Pontifice in Bulla Latina in virtute sanctæ obedientiæ præcipiatur. Eiusdem peccati essent rei, si illas minuerent, ne peruenirent ad Cruciatam. Quin si pœna infligenda esset à Iure taxata, & malitiosè minueretur, aut non imponeretur, deberet à Iudice restitui. Et Commissarius valet inuestigare, an applicetur pœnæ eiusmodi, & compellere ad effectum.

1. Villalobos. Acosta. Rodriguez. Trullench. Apud Me *de Bulla Cruciat. d. 17. num. 3.*

3 Valet præterea procedere contra eos, qui patrauerint aliquid contra expeditionem Cruciatæ, eosque punire.

4 Et quia Delegatus est Summi Pontificis, potest suam iurisdictionem subdelegare. Subdelegati autem, & Notarij ab eo instituti debent ab Ordinariis locorum approbari. Et quidem potest instituere Notarios.

5 Potest suspendere interdictum locale in loco, vbi est faciend. Bullæ publicatio per octo dies ante illam, & totidem post. Quin & interdictum personale, casu quo omnes personæ eius loci essent interdictæ; (2) at communiter datur interdictum locale, vbi omnes essent interdicti.

2. Ego *vbi sup. ex num. 19.*

6 Potest rursùs sub pœna excommunicationis latæ sententiæ monere quoscumque, vt exhibeant bona, aut instrumenta ad Cruciatam pertinentia: Episcopos verò, & alios his maiores Prælatos sub pœna interdicti ingressus in Ecclesiam, & suspensionis à diuinis. Absolutio ab excommunicatione prædicta est reseruata Pontifici, nec potest virtute Bullæ Cruciatæ impertiri; nec enim eius gratiis frui par est eum, qui in

ipsam

ipsam delinquit; (3) & id est tenendum, etiamsi restituat bona, & instrumenta retenta. 3. Ego *sup. n.* 29.

7 Circa lites, dum eius iurisdictio durat, potest ea omnia, quæ Delegato Pontificis conuenire asseremus verbo *Iudex.*

8 Deinde potest dispensare in omnibus irregularitatibus ex delicto prouenientibus, quamvis sint publicæ, etiam pro foro externo, exceptis his, quæ prouenium ex homicidio voluntario, simonia, apostasia à fide, hæresi, mala Ordinum susceptione, celebratione Missæ, aut diuinorum Officiorum, (dummodò sit in contemptum clauium) dum quis inmodatus censurâ illa peregerit. Valet etiam indulgere, vt irregularis, cum quo dispensauit, retineat Beneficium, & fructus, & exequatur Ordines non malè susceptos. Item abolere infamiam, & inhabilitatem quamlibet procedentem ex irregularitatibus, in quibus dispensat. Nequit autem dispensare in vlla irregularitate, quæ ex delicto non proueniat. (4) In irregularitate ex homicidio casuali indirectè in causa volito potest dispensare, quia solùm excipitur, vt non possit (5) in irregularitate ex homicidio voluntario: quod intelligendum est de perfectè voluntario, in se volito. (Vide verbum *Irregularitas.*) Gratia enim non est restringenda; & cum etiam Episcopus nequeat dispensare in irregularitate ex homicidio voluntario, potest tamen cum est casuale.

4. Rodriguez. Villalobos. Trullench. Henriquez apud Me *de Bulla Cruciat. d.* 37. *n.* 42.

5. Rodriguez. Villalobos. Diana. Trullench. *sup. num.* 70.

9 Cæterùm Commissarius generalis potest dispensare in impedimento dirimente affinitatis in primo & secundo gradu, prouenient ex copula illicita, cum eo, qui cum consanguinea illius, cum qua copulam illicitam habuit, contraxit inualidè matrimonium, & è contra, ac potest illud reualidare; ita tamen vt id sit solùm pro foro interno, & si impedimentum publicetur, cesset dispensatio, pro qua adeundus sit Pontifex; & item vt reualidet id matrimonium, requiritur, quòd fuerit contractum iuxta formam Tridentini; (6) itaque ad vsum huius potestatis necesse est, vt impedimentum sit occultum, & matrimonium contractum cum requisitis Tridentini, & quòd vnus ex coniugibus bona fide contraxerit ignarus impedi-

6. *Sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat.*

menti; ac grauia scandala timeantur ex matrimonij dissolutione; ac quòd certior fiat ille ignarus de nullitate consensus, (quin ei declarari expediat qualitatem impedimenti) & renouet vterque consensum.

10 Deinde potest legitimare prolem, quæ ante obtentam ab ipso dispensationem nata fuerat ex eo matrimonio inualido, proindeque erat illegitima. Vnde legitimatio proderit ad Ordines suscipiendos, necnon ad succedendum in bona temporalia; (7) quin si bona fide filij habiti sunt ex matrimonio illegitimo, reputantur legitimi, quoad successionem. (8)

7. Henriquez. Trullench *vbi sup.* apud Me *n* 93.

8. *Cap. Extenore, qui filij sint legitimi.* Th. Sanchez, & alij *vbi super.*

11 Rursùs valet dispensare, vt vir, aut vxor, si copulam illicitam habuit cum consanguinea, aut consanguineo alterius coniugis in primo, aut secundo gradu, vnde affinitas resultat, possit petere debitum; nam nisi dispensetur, solùm potest illud reddere. At quando vir, aut vxor absque necessitate baptizat filium, contrahit cognationem spiritualem cum coniuge, & nequit petere debitum, nec ad petendum (9) potest dispensare Commissarius, cùm sit id diuersum impedimentum, in quo non conceditur ei à Pontifice potestas dispensandi.

9. Trullench, Th. Sanchez apud Me *de Bull. Cruciat. d.37. n. 97.*

12 Adhuc Commissarius potest concedere personis nobilibus, quòd celebrent, vel celebrari faciant Missam, inchoando illam vna hora post meridiem, & vna hora ante lucem, hoc est crepusculum primum diei.

13 Valet item conficere summaria Bullæ idiomate vulgari, veluti præstat; & in eo exprimere dies, quibus virtute ipsius Bullæ visitando Altaria indulgentia plenaria obtinetur.

10. Latè ego cum pluribus *de Bulla Cruciat. in 2. edition. in Appendic. d. 5. cap. 12.*

14 Nequit concedere Oratoria, (10) estò aliquando potuerit. Demùm potest taxare eleemosynam præstandam pro singulis Bullis, & pro gratiis, quas concedit; quod ita exequitur.

15 Commissarius generalis Cruciatæ nequit conueniri nisi ante Summum Pontificem; & eius Ministri ante ipsum solum, in rebus, quæ ad Cruciatam spectant.

16 Quæstori Cruciatæ, dum huius negotiis incumbat,

bat, debet quocumque accedat, hospitium gratis præstari. Administratoribus autem Cruciatæ nulla possunt officia onerosa in populis committi: pluribusque priuilegiis illi gaudent, quæ eis tecta sarta seruari debent.

17 Potest Commissarius censuras ferre, & cum eis compellere ad omnia, quæ Cruciatæ expediunt; & designare Concionatores Cruciatæ, ac conuertere in subsidium Cruciatæ pecunias in locis destinatas ad conuiuia, & ludos; non eas, quæ ab ipsis Oppidis, seu Confraternitatibus destinantur, sed quæ vel ex legato, vel aliunde ad id designarentur. (11)

11.

18 Commissarij subdelegati, & particulares ea potiuntur iurisdictione, quam eis Commissarius generalis concedere voluerit, standumque est literis subdelegationis, & stylo communi. Cum autem bona incerta componunt, debent exigere decimam partem in subsidium Cruciatæ. Ego *vbi supra d.* 38. *num.* 20.

19 Commissarius generalis vti potest iurisdictione Ecclesiastica (12) ad efficiendum seruari priuilegia concessa à Regibus in fauorem Cruciatæ; Pontifex enim concedit iurisdictionem ad ea omnia, quæ ad expeditionem Cruciatæ pertinent; illa autem priuilegia sunt media conducentia ad eum finem.

12. Ego *vbi sup. num.* 57.

20 Concionatores electi à Commissariis tenentur sub peccato mortali recolere, & scire, quæ in Bulla continentur tam communi viuorum, quàm in cæteris, aliter muneri suo non satisfaciunt in re graui.

21 Nullæ gratiæ, aut indulgentiæ possunt typis mandari absque approbatione Commissarij generalis, & inspectione Ordinarij.

## *Commodatum.*

1 COmmodatum est rei ad vsum gratuita concessio. Possunt autem commodari tum res immobiles, tum mobiles, quarum vsus non est earum consumptio; vnde comestibilia non commodantur. Potest etiam commodari pecunia ad aliquem vsum, vtpotè ad cæremonias benedictionum nuptialium, ad

ostentationem, ac similia. In commodato (1) non transfertur dominium.

1. Sotus *l. 4. de iust. q. 7. art. 2.* Nauarrus. Rebellus. Eman. Sà. Oñate, & communis.

2 Si quis commodet rem per tot menses, aut dies, & ante eorum finem indigeat illa, valet petere, & recuperare; nec enim eius animus fuit, non posse in propria necessitate repetere. (2)

2. Eman. Sà *verbo Commodatum.* Molina, & alij.

3 Qui re commodata vtitur diutiùs, aut ad alium vsum, quàm commodans expresse voluit, furtum patrat. (3) Qui rem vitiosam commodaret, non admonito commodatario, & huic inde damnum sequeretur, de eo damno teneretur, vtpotè causa illius.

3. *Leg. Qui cum, §. furtum, ff. de furt.*

4 Si res in potestate commodatarij absque eius culpa perit, commodanti perit. Commodatarius autem tenetur eius rei curam habere, ac si esset propria; vnde si culpa grauis intercedat, (4) tenetur totam restituere deteriorationem, seu amissionem. Si culpa leuis, tenetur partem arbitrio prudentis restituere. De casu fortuito, si res pereat, non tenetur. In periculo potest commodatarius res suas pretiosiores præponere commodatis minùs pretiosis, vt seruentur; sic enim præstaret, si essent suæ res illæ minùs pretiosæ. Si commodatarius rem remisit per nuntium fidelem, ac idoneum, ac illa pereat, domino (5) perit.

4. *Cap. vnic. de commodato.*

5 Qui potest contrahere, potest commodare. (6) Res commodata nequit retineri ratione debiti. Si commodatarius expensam notabilem facit, vt rem conseruet, quam dominus etiam esset facturus, potest eam à domino poscere. Si non potuit vti re commodata intra præfixum tempus, nequit propterea postmodùm ea vti.

5. *Leg. Argentum ff. commodati, & ibi* Glossa.

6. *Leg. Iulianus, ff. de empt. & vendit.*

## *Communitas, seu Collegium.*

1 COmmunitas, seu Collegium ex tribus saltem personis debet constare; (1) nam si esset discordia inter suffragia, non posset à duobus expediri. Quamvis personæ mutentur, manet idem Collegium; & nomine personæ non intelligitur Collegium. Quæ autem statuuntur ab illo, obligant successores; possunt autem ab his reuocari. Si vnus solùm superstes

1. *Leg. Neratius, ff. de verbor. signific.*

sit,

sit, imò si nullus, (2) remanet Collegium quasi in habitu, vt per futuros successores redeat in actum. Designat procuratorem ad lites, & ad designationem opus est conuocari Collegium de mandato (3) Superioris. Quin si in lite non adsit procurator designatus, potest admitti extraneus, præstita cautione de iudicato soluendo, (4) sicut admittitur in lite absentis, quia per cautionem firmatur persona. Sufficit Collegium citari per procuratorem, sed coram (5) Iudice proprio.

2. Ego *de Iure Academ. l. 3. q. 31.*

3. *Leg. Obseruare, Cod. de decurionib. l. b. 10.*

4. *Leg. 6. 8. Actor ff. Quod cuiusque vniuersitatis, &c.*

2 In causis Communitatis, aut Collegij, quæ nequeunt per alios testes probari, vt si lis sit super aliqua electione, admittendi sunt ad testificandum quilibet de Collegio, sicut in causis pertinentibus ad commodum, seu honorem ipsius Collegij; nam quod debitum est Vniuersitati, non debetur singulis, (6) nec est causa singulorum. In aliis causis pertinentibus ad commodum singulorum, nequeunt esse testes. Sententia definitiua lata contra Communitatem indefensam ipso iure est nulla, sicut lata (7) contra minorem, & pupillum; interlocutoria autem est valida: (8) & debet restitui, si sit læsa. Potest Collegium, seu Vniuersitas celebrare quoscumque contractus, & ex illis obligari, necnon etiam ex delicto, veluti si teneatur aliquid facere, & omittat; (9) atque etiam ex quasi delicto, cum tenetur aliquid prohibere, aut præcauere, ex quo damnum alteri sequitur, & non prohibet, aut non præcauet.

5. Baldus. Guido, & alij apud Me de *Iure Academ. l. 1. q. 31.*

6. *Leg. Sicut, §. X. ff. Quod cuiusque vniuers. &c.*

7. *Leg. 1. Cod. de Iure Reipub. lib. 11.*

8. *Leg. 1. ff. Quod cuiusque vniuersit. &c.*

9. Ego cum pluribus *de Iure Academ. l. 1. q. 34.*

3 Si Academia, aut Communitas iurisdictione gaudeat, potest condere statuta, & infringentibus illa pœnam adiicere; secus aliter, quia condere statuta obligantia est actus iurisdictionis.

4 Si Collegium ex instituto suo constet clericis, est Ecclesiasticum, quin etsi requirat maiorem partem esse Clericorum. (10)

10. Panormitan. *in c. ex literis, de constit.* Sylueller.

5 Possunt cuiuscumque professionis homines, vt aduocati, negotiatores, ac huiusmodi alij, facere inter se priuata authoritate Collegium, (11) ad causam honestam; & constituere Rectorem, cui obediant in his, quæ ad eam causam pertineant, & qui de his ipsis iudicium ferat, cùm lis se offerat. At collegia

11. Sylvest. *verbo Collegium, n. 3.* Innocentius.

pia, seu Sodalitates, vel Confraternitates nequeunt absque Prælati Ecclesiastici authoritate fieri; nisi forte ex fundatione alicuius Communitatis non religiosæ constet, eam non fuisse, nec esse Ordinario subiectam, sed sub patrocinio laicorum, qui eius gubernationi attendu t: quales esse aliquas in vrbe Mediolanensi, & alibi mihi constat.

6 Ciuitas, & populi minores constituunt Communitatem, à qua nihil dicitur peractum, nisi hi, qui eam repræsentant, more solito conuocentur. Nec delinquit Communitas, etiamsi singuli delinquant seorsim. Cæterùm ciuis est is, qui ab habitatoribus, non per transitum, ibi natus est: atque etiam ille, qui ibi munus permanens (12) obtinet; v. g. clericus, qui beneficium consequitur, & residere obstringitur. Verùm standum est consuetudini locorum; iuxta quam hic, aut ille ciuis iudicetur. Ciuitas autem potest priuilegium ciuis concedere cui voluerit, vt gaudeat priuilegiis aliorum ciuium.

12. Bartolus *in l. 1. ff. ad municip.* Sylvester.

7 Estò Ciuitas, sicut & Ecclesia, gaudeat priuilegio minoris in eo, quòd si læsa sit, possit petere restitutionem in integrum; tamen non gaudet in præscriptione, seu vsucapione bonorum immobilium, aut mobilium; nam minori non præiudicat tempus, (13) nec dum est minor, recensetur ad præscriptionem, vel vsucapionem: at Ciuitati, & Ecclesiæ id non competit, cum possit aduersus eas vsucapi, & præscribi, dum titulus, bona fides, & tempus requisitum concurrant. (14)

13. *Leg. Lex quæ tutores, Cod. de admin. ff. tutor.*

14. Sylvest. *verbo Ciuitas, n. 3.*

## *Compensatio.*

1 COmpensatio occulta licita est, quando debitum est certum, & legale, nec alia viâ potest à debitore vendicari, vel summè difficulter, aut cum magnis expensis; & facta compensatione, nequit iterum peti debitum: quare hoc debet præcaueri. Creditor personalis non potest vti ea compensatione in fraudem aliorum creditorum, qui sunt priuilegiati; (1) nam aliquibus ex his bona debitoris sunt obligata, & fieret eis iniustitia per eam compensationem; alij verò

1. Molina. Leffius. Ego cum aliis

ex

ex iure habent priuilegium, vt etiam cum præiudicio aliorum creditorum suum debitum integrum percipiant; & cum ius non permittat creditori personali titulum, quo suum debitum recuperet in præiudicium illorum, neque in foro conscientiæ id poterit præstari. Quinam autem sint creditores priuilegiati, inuenies verbo *Creditor.* *in Statera. diff. 6. q. 4.*

2 Si creditor apud se habeat bona debitoris, & sit solùm debitum personale, probabile certò est, posse compensatione occulta vti cum præiudicio aliorum creditorum personalium; (2) nam in his non datur in iure ordo, seu ratio anterioritatis: & in illo videtur locum habere axioma; *Potior est conditio possidentis.* Tutius, & verius est oppositum; nam habens ea bona, si nesciat, aut dubitet, an debitor possit soluere cæteris creditoribus, aut sciat non posse, nequit integrè ea retinere, cum sint diuidenda pro rata bona debitoris inter creditores non priuilegiatos. (3) At si ipse debitor soluat creditori debitum, poterit hic retinere illud, quia supponere debet, dum sibi soluitur, superesse bona ad soluendum aliis; nec tenetur inquirere, quot sint creditores, quæ bona habeat debitor, & an sufficiant ad soluendum omnibus. 2. Nauarrus. Homobonus. Trullench. Machado. Diana. Lublinus, & plures apud Me *vbi sup.* 3. Molina. Layman, & plures alij, & ego *supra.*

3 Procurator alicuius ad negotia, designato salario, quod aliis eiusmodi concedi solet, si subeat inopinatos labores, fatigationes, & pericula, quæ si præuidisset, maius petiisset salarium, & si a domino, seu principali illud poscat, non obtinebit, poterit occultè compensare sibi illum excessum; nam adsunt conditiones ad iustam occultam compensationem, nec ille procurator tenebatur ex iustitia, nisi ad ea peragenda, quæ alij communiter procuratores peragunt; (4) & famulus non debet, nec potest ex iustitia occupari, nisi in his, in quibus cum domino conuenit. Quare ille excessus remunerandus est non solùm ex gratitudine, sed ex iustitia: nam propter gratitudinis debita, seu quasi debita, nequit dari compensatio. Cæterùm famuli nequeunt occultè compensationem accipere ob tenuitatem salarij, si id soluatur iuxta consuetudinem loci, vel si eis præstetur sufficiens solutio arbitrio prudentis. 4. Vasq. *opusc. de rest. cap. 5. dub. 10. n. 37.* Nauarrus. Bonacina. Lessius, & alij.

4 Deposita

4 Depositarius, si sit creditor deponentis, nequit occultè dispensari ex depositio; nam ratio fidelitatis præponenda est, & depositum est priuilegiatum, & factum gratiâ deponentis, in quod nullum habet ius depositarius. (5)

5. *Cap. Bona fides, de deposit. Leg. vlt. Cod. de deposit.* cum aliis. Et est communis.

5 Si quis compensationem occultam sibi sumpsit iniustè, quia non erat certus de debito, si postea certus de illo fiat, etsi peccauerit accipiendo, non peccat retinendo. Idem est, si ob quamlibet aliam causam fuisset iniusta acceptio, & deinde causa cessauerit, seu circunstantiæ debitæ concurrant.

6 Si excommunicatio feratur in furem alicuius rei, & in scientes, si non denuntient; qui in illa re occultè compensationem debito modo accepit, non tenetur se manifestare, nec restituere; & qui sciunt, si constet eis de compensatione iusta, (6) non tenentur ad manifestandum illum, nec vllus eorum excommunicationi subiicitur.

6. Nauarr. *de rest. l. 3. c. 1. n. 407.* Corduba, & alij.

7 Compensatio nequit fieri ex debitoris re, quam hic alteri diuersò commodauit, aut quoquo modo tradidit; nam fieret in præiudicium eius, qui non erat debitor. Nec potest fieri, si inde alter periculum vitæ, aut aliud magnum sit subiturus, eo quòd ei certò sit imputandum furtum. (7)

7. Angel. *verb. furtum.* Nauar. & alij.

8 In compensatione non solùm attendendus est valor intrinsecus rei, sed æstimatio, quam apud dominum habet ob specialem affectionem; v. g. debes mihi centum aureos; totidem valet equus tuus, sed ita eo gaudes, vt nec pro ducentis sis venditurus illum, nequeo equum in compensationem accipere. (8) Hinc compensatio nequit fieri, nisi in his, quæ consistunt in numero, pondere, & mensura.

8. Angel. *verb. Compensatio.* Syluester.

9 Si ad creditorem veniat res debitoris, non quidem commodata, aut deposita, sed aliâ viâ alienâ à fraude, ac dolo, potest eam retinere, donec sibi debitum soluatur. (9) Quin apud iudicem potest debitorem conuenire, ac exponere, in sua potestate esse rem debito æquiualentem. Per vim autem nequit compensationem accipere, nam id esset sibi iudicis munus assumere.

9. Syluester *in summ. verbo Compensatio.*

## *Compromiſſum.*

1 COmpromiſſum fit, quando partes inter ſe concordant, vt rem litigioſam vir aliquis, aut aliqui decernant, ad quem ea pertineat, vt lites vitentur. Et etiam in aliis dubiis poteſt fieri compromiſſum, vt in electione ad aliquod munus. Id autem fieri poteſt ſuper qualibet re, (1) quæ alienari poſſit: ita vt ſi ſolennitas aliqua requiratur ad alienandum, eadem detur ad compromittendum. Nec opus eſt, quòd compromiſſarius ſit eiuſdem fori, ac compromittentes; quare in laicum poteſt compromitti ſuper fructibus beneficij. (2)

1. Communis.

2. Poſſunt compromittere hi, qui poſſunt res alienare, ſeu de eis diſponere, ſiue ſint Eccleſiaſtici, ſiue laici. (3) Si per compromiſſionem ſequatur alienatio rei, & non ſola fructuum, nequit tutor abſque authoritate iudicis compromittere; nec qui feudum poſsidet, abſque licentia Domini; (4) nec procurator Principis ipſo inconſulto; nec Eccleſia abſque licentia eius, qui eam ad alienandum concedere valet. Nec exemptus poteſt compromittere ſuper priuilegio exemptionis, cum renuntiari nequeat.

2. Sylueſter *in ſum. verbo Compromiſſum.* Innocentius.

3. Communis.

4. Angel. *verb. Compromiſſum, in gloſſa Vagarelli*; vbi affert iura.

## *Concilium.*

1 COncilium aliud eſt generale: aliud Prouinciale; hoc congregatur authoritate Archiepiſcopi, Primatis, aut Metropolitani ex omnibus habentibus ius ſuffragij in Regno, ſeu Prouincia; illud verò authoritate Papæ ex omnibus id ius habentibus in tota Eccleſia, ac potentibus adire; cui ipſe Pontifex, vel eius nomine Legati præſident, adſtantibus Principum Oratoribus, abſque ſuffragio, vt proponant, ac alia munia exerceant; necnon Theologis electis ab ipſo Papa, Principibus, ac Prælatis, qui abſque ſuffragio materias tractandas diſcutiant.

2. Articuli in rebus ad Fidem pertinentibus in

Concilio

Concilio Generali à Papa confirmato definiti, de Fide sunt; & qui eis contraït, est hæreticus. Decreta cætera quoad mores quoquo modo spectantia obligant in conscientia.

3 Nequit Concilium cum Pontifice errare, seu ipso approbante, quia assistit Spiritus Sanctus, & aliter non esset satis à Deo consultum Ecclesiæ. Papa est supra Concilium, (1) & est eo maior, nec à Papa ad Concilium appellari potest; nec Papa, vt Caput Ecclesiæ, valet errare in rebus ad Fidem, seu mores (2) pertinentibus. Refragante Papa, nihil potest Concilium statuere. Cæterum si Papa, (quod nunquam contingat) in hæresim, seu infidelitatem incideret, desineret esse Caput Ecclesiæ, & à Concilio foret iudicandus; in nullo autem alio casu potest ab illo iudicari.

1. Nauar. *consil. 1. de his, quæ fiunt à maior.* Card. Bellarminus. Caietanus. Bzouius. Fumus, & communis.

4 Archiepiscopus non indiget facultate Primatis, vt congreget Concilium; & statuta in eo confecta obligant omnes è Prouincia. Ab Archiepiscopo potest (3) appellari ad Concilium Prouinciale, & hoc potest illum excommunicare. (4) Etenim non se habet vt Papa respectu Concilij generalis, estò præsit suo Concilio; nam Concilium generale repræsentans Ecclesiam conflatur ex capite, & membris; membra autem nullam supra caput iurisdictionem habent, cum iurisdictio omnis emanet ab eo capite, quod eam contra seipsum non præstat. Secus est in Concilio Prouinciali, cui iurisdictio non conceditur ab Archiepiscopo, qui præest; sed à supremo capite, nempe Pontifice; eaque in aliquibus rebus præstatur aduersus ipsum, qui præest. Sic in Religionibus, v. g. in Societate Jesu, Congregatio generalis est supra Generalem, cum tamen is præsit illi.

2. D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 10.

3. Nauarr. *consil. 7. de offic. iudic. ord. n. 7* & alij.

4. Eman. Sà *verb. Concilium.*

5 Episcopus absque authoritate Metropolitani potest congregare Concilium diœcesanum, quod absolutè non vocatur Concilium, sed Synodus; quæ Decreta potest stabilire pro diœcesi, & non requiritur Cleri approbatio ad illa. (5)

5. Congregatio Concilij sic declarauit, apud Sà *verb. Concilium.*

6 Iuxta Tridentinum (6) Concilium Prouinciale congregari tertio quoque anno debet, & Synodus Diœcesana quotannis. Verùm circa primum video vt

in

in plurimum non obseruari, quasi ex dispensatione tacita Pontificis; quoad Synodos in aliquibus diœcesibus obseruatur, in aliis non ita frequenter. Non damno peccati Episcopos, qui dum non omittant congregare Synodos aliquando pro necessitate reformationis, quotannis tamen non congregant, quia iam id videtur toleratum, sciente, & tacente Pontifice. 6. *Sess. 24. cap. 2. de reform.*

7 Concilij Prouincialis decreta non sunt publicanda inconsulto Pontifice, (7) & tam hæc, quàm decreta Concilij generalis obligant illicò ac publicantur. Decreta Concilij Tridentini obligare cœperunt à prima die Maij anni 1564. Præter Tridentinum celeberrima quatuor Concilia generalia extiterunt; Nicænum: Constantinopolitanum: Ephesinum: & Chalcedonense. 7. Ex Declaratione Congregationis Concilij.

## *Confessio. Confessarius.*

1 COnfessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, censetur solicitare in Confessione, atque adeò est denuntiandus. (1) Contraria propositio damnata est ab Alexandro VII. anno 1665. Nec euadit solicitata, quolibet modo solicitetur, aut solicitatus obligationem denuntiandi, si confiteatur cum solicitante; nec potest absoluere huiusmodi solicitans eam, vel eum, absque impositione oneris denuntiandi. Contraria propositio damnata est ab eodem Pontifice, & eodem anno. 1. Ego *in Stateræ diff. 1. q. 8.*

2 Si quis ob instans vitæ periculum, aut aliam ob causam omisit, seu oblitus est aliquod peccatum graue, tenetur in sequenti Confessione illud exprimere. Contraria propositio damnata est ab Alexandro VII. die 24. Septembris, anno 1665.

3 Præcepto annuæ Confessionis non satisfacit sæcularis, qui confitetur Sacerdoti Regulari reprobato etiam iniustè ab Episcopo, cui fuit præsentatus. Contraria propositio reprobata est ab eodem Pontifice, eodem die, & anno. Vnde sequitur, illum quouis tempore

pore inualidè excipere Confessiones sæcularium ex defectu approbationis à Tridentino requisitæ. Præterea qui cum Confessario approbato facit confessionem voluntariè nullam, ex quacumque causa sit nulla, non satisfacit præcepto Ecclesiæ. Contraria propositio similiter est damnata ab Alexandro VII.

4 Sacerdos sacrificans ex necessitate cum peccato mortali, tenetur quamprimùm confiteri. Id constat ex Tridentino, cuius mandatum circa id non est consilium, sed præceptum; & asserere, quòd sit consilium, est propositio damnata ab eodem Pontifice anno *1666.* Nec illa particula *quamprimùm*, intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitebitur: nam id enuntiare pariter est damnatum ab eodem Pontifice. Quare intelligitur, quamprimùm detur opportunitas Confessarij.

5 Confessarius tenetur obligare concubinarium ad eiiciendam ex sua domo concubinam, quamuis hæc nimis vtilis esset ad ipsius concubinarij oblectamentum, (vulgò *regalo*) & deficiente illa, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ, nisi ab illa conditæ, tædio magno eum afficerent, ac alia famula nimis difficilè inueniretur. Contraria propositio damnata est ab ipso Pontifice Alexandro VII. anno *1666.*

6 In Regnis saltem Hispaniarum quicumque Confessarius solicitans denuntiandus est Sacræ Fidei Quæsitoribus, nec potest absolui pœnitens solicitatus, nisi denuntiet. Solicitans autem est, qui in actu confessionis, siue antè, vel post immediatè, siue occasione, aut prætextu confessionis, etiam hac non secuta, seu adhuc extra occasionem confessionis in loco electo ad confessiones audiendas, simulans eas audire, tentauerit solicitare quascumque personas, seu prouocare ad inhonesta secum, aut cum aliis quomodolibet perpetranda, aut cum eis inhonestos sermones, vel tractatus habuerit. Constat ex Bullis Pij IV. Clementis VIII. & Gregorij XV. Et ad Quæsitores Fidei priuatiuè hæ causæ pertinent. (2) Et quidem denuntiandus est Confessarius solicitans, quamuis non sit diffamatus; aliter posset ille in pluribus locis diuersis solicitare fœminas, quin vlla nosceret, cum esse diffamatum,

2. Ego *in Statera, dis. 1. q. 7.*

famatum, & à nulla denuntiaretur, in præiudicium sacramentalis Confessionis. (3) Pariter denuntiandus est Confessarius solicitans, quamuis eius crimen non possit probari à denuntiante, ob eandem rationem. 3. Suarez. Gasp. Hurtadi & alij apud Me *sup. q. 9. & 10.*

7 Necessariò est aperiendum in Confessione, si quis vno actu plures diffamauit, aut occidit, seu vno impetu plura iuramenta grauiter peccaminosa protulit, si coram pluribus grauiter detraxit, & his similia. (4) Etenim estò circunstantiæ notabiliter aggrauantes non sint necessariò confitendæ, tamen obiectorum numerus aut pertinet ad substantiam, & indiuiduitalem essentiam actus, terminantque illum, & ab eis actus specificatur; actus autem peccaminosus secundum suam substantiam, & essentiam specificam est declarandus in confessione. Aut saltem numerus obiectorum reddit actum æquiualentem pluribus in malitia essentiali, quæ tota est declaranda. Hinc actus occisionis, aut copulæ cum fœmina per totam noctem, etiam sunt explicandi, quamuis ab vna voluntate proueniant: tum quia ea voluntas repetitur in quolibet; tum quia quilibet est peccaminosus. Inde non sufficit confiteri: Habui voluntatem determinatam, v.g. non audiendi Missam per annum integrum; sed est necesse declarare, an eam eo anno integro non audiueris. At si quis plura iuramenta adhibeat vnico mendacio, vt *Per Deum, per vitam meam, per Virginem, &c. hoc ita se habet*, sufficiet si confiteatur, se semel peierasse, quia non datur nisi vnicus defectus veritatis vnica affirmatione expressus. Sic etiam si frangat promissionem pluribus iuramentis confirmatam, sat est, si confiteatur, se non adimpleuisse rem honestam promissam iuratam. 4. Henriquez. Suarez. Vasquez. Bonacina. Busembaum. & ego *in Stanc. disp. 2.*

8 Confessarius, qui per ignorantiam vincibilem non imposuit pœnitenti obligationem restituendi, peccat contra charitatem; sed certò probabile est, non teneri ipsum ad restituendum, (5) quia non tenetur ex iustitia prospicere bonis temporalibus creditorum pœnitentis. Aliud esset, si ex malitia omitteret imponere obligationem restitutionis, cum esset causa moralis damni illati. Tutius est, sed rigidius, teneri in primo casu ad restitutionem, (6) cum incumbat ipsi onus docendi necessaria 5. Serra. Malderus. à S. Fausto. Leander. Diana. Henriquez. Bonacina.

Filliucius, & alij apud Me *in Statera, diff. 6. q. 6.* necessaria pœnitenti, & dum non docet, non satisfacit officio suo, & est causa moralis damni non restituendi.

6. Molina. Layman. Lessius, & alij *vbi super.* 9 Nequit Confessarius interrogare à pœnitente complicem peccati, nam nec pœnitens potest manifestare illum, nisi in aliqua rarissima circunstantia; & dum ipse pœnitens non manifestat illum, debet iudicare Confessarius, non dari iustam causam manifestationis. Quòd si detur, & pœnitens intendat, & poscat, vt complex à Confessario corrigatur, is poterit id præstare, sed cautissimè procedat, ne queat præsumi sigillum confessionis frangi; ita vt si opus sit, à pœnitente licentia præstita habeatur in scriptis. Et quantum fieri possit, adhuc si hæc omnia adsint, abstineat Confessarius ab vsu eius licentiæ. (7) Quòd si vel incautè, vel alia iusta causa pœnitens manifestet complicem, tenetur Confessarius non solùm sub secreto, sed sub sigillo confessionis non propalare illum; tum quia à pœnitente manifestatus est complex sub eodem sigillo, quo proprium peccatum: tum quia directè, aut indirectè manifestaretur peccatum pœnitentis, propalato complice. Hinc si declarando peccatum Confessarius certò venturus esset in notitiam complicis, cum dedecore illius, potest pœnitens reticere peccatum, vsquedum alius adueniat Confessarius, & efficere confessionem formaliter integram, non materialiter.

7. Ego *in Statera, diff. 10 q. 5.*

10 Quòd si pœnitens cum alio fuerit machinatus grauissimum damnum, v. g. contra Rempublicam, aut quid simile, cum teneatur ipse pœnitens corrigere complicem, & denuntiare si non corrigatur, si id offerat, & speretur sic præstiturum, non potest Confessarius cogere eum, vt declaret complicem; oportebit autem absolutionem differre, donec præstet; imò attenta circunstantia personæ, non valebit aliquando absolui, vsquedum id efficiat, ne illud damnum sequatur. At si pœnitens nec possit corrigere, aut denuntiare, nec speretur, alium allaturum esse remedium, nisi ipsum Confessarium, potest, & debet hic compellere pœnitentem, vt declaret complicem; (8) quod quidem non est, Confessarium imponere obligationem pœnitenti, sed admonere eum de obligatione,

8. Soto.

gatione, quam ipse habet vitandi damnum per id medium, quod supponitur vnicum, declarandi complicem. Et par erit eum admonere, vt extra confessionem eam notitiam præstet Confessario. Si autem intra confessionem præstetur, licentia obtinenda est ab illo, vt vtatur cautissimè Confessarius ea notitia. Bañez. Guerrero. Leander. Card. Lugo. apud Me *in Statera, diff.* 10. *q.* 6.

11 Si pœnitens confiteatur peccatum à se patrandum, & non absoluatur, etiamsi vergat in damnum alterius, nequit Confessarius manifestare illud; (9) nam etsi confessio inualida sit, tamen Confessarius nequit manifestare, pœnitentem non fuisse rectè dispositum: & pœnitens ex ignorantia fortassis censuit, se validè confiteri, & sub sigillo peccata aperit; sicut cum ex defectu doloris, aut propositi non absoluitur pœnitens, peccata sub sigillo manent. Et nequit dicere Confessarius, *Ego non absolui pœnitentem*; quia licèt non specificentur peccata, declaratur, illum non fuisse rectè dispositum, & esse aliquius peccati mortalis reum. Quin & peccata venialia reuelare est peccatum graue contra sigillum; nam redditur confessio odiosa, maximè vitis timoratis; & timerent fideles, sua peccata adhuc grauia fore reuelanda. 9. D. Thomas. Sotus. Ioan. à Cruce. Apud Me *in Statera, diff.* 10. *q.* 6.

12 Nequit Confessarius, qui ex confessione nouit, pœnitentem esse indignum aliquo munere, negare ob eam notitiam ei suffragium ad munus, si aliunde erat suffragaturus pro eo, nec eum amouere à munere amouibili, etiam nihil externè reuelando. Clemens VIII. rigidè prohibuit, (10) ne Superiores, aut Confessarij alij vtantur notitia habita in confessione ad exteriorem gubernationem. Idem seuerè cautum est in Societate Jesu. Quippe aliàs confessio redderetur odiosa, & cederet in grauamen pœnitentis, ac posset ipse dignoscere, sua peccata in causa fuisse, vt Confessarius ei non faueat; & sicut post confessionem nequit ille nec indirectè obiurgare verbis pœnitentem, ita nequit obiurgare factis. (11) 10. In Breui, die 26. Maij, anno 1594. 11. Th. Sanchez. Card. Lugo. Coninch. Bonacina. Suarez. & alij apud Me ia

13 Confessio est de iure, vt constat ex Tridentino. (12) Ecclesia autem potest determinare tempus confessionis, indeque annuam confessionem præcepit: potestque punire, ac de facto censuris punit violantem

*Staterra, d. ff. 10. q. 8 & in Bulla Cruciat. d. 24. n. 1.*

id præceptum, cum id delictum queat pro foro externo probari.

12. Trid. *sess. 14. cap. 5.*

14 Licentia concessa ab Ordinario ad audiendum confessiones cum clausula *Donec voluero*, exspirante Ordinario, exspirat; quia ea voluntas nec virtualiter manet. (13) Si concedatur *Donec reuocauero*, nisi reuocetur, durat post obitum Ordinarij, nam requiritur actus positiuus ad reuocationem. Vide verbum *Approbatio*, & *infrà*.

13. Th. Sanchez. Layman, & alij apud Me *de Bulla Cruciat. d. 4. c. 5.*

15 Confessarius sequi debet opinionem pœnitentis, si certò probabilis sit; quamvis ipse iudicet, esse improbabilem: secùs si sit probabiliter solùm probabilis; si verò ille sit in errore inuincibili, & maximum scandalum præuideatur sequendum, (14) poterit in suo errore relinqui. Si rationabiliter dubitet de dispositione pœnitentis, nequit eum absoluere, nisi sit moribundus, & non possit melius disponi; & tunc sub conditione. Quòd si leuiter dubitet, aut nullum fundamentum subsit dubitandi, nec oporteat differri absolutionem, grauiter peccabit non absoluens, quia iniuriam ei irrogat.

14. Communis.

16 Solus Sacerdos etiam in articulo mortis est Minister Sacramenti pœnitentiæ; quin nec ab excommunicatione tunc potest laicus (15) absoluere ob defectum Sacerdotis, quamvis oppositum plures senserint. In Sacedote requiritur potestas Ordinis, quæ cum Presbyteratu conceditur, & potestas iurisdictionis ordinaria, aut delegata, vt validè absoluat à mortalibus culpis; nam à venialibus, & à mortalibus ritè iam confessis quivis Sacerdos, simplex, non approbatus, absoluere potest; Ecclesia namque ei confert iurisdictionem, cum ad id non sit opus approbatione scientiæ, & prudentiæ, sed sola scientia (16) verborum absolutionis. Et id valet præstare Sacerdos Regularis absque licentia Prælati validè, quin & licitè, si ei non fuerit à Prælato interdictum. (17) Si bona fide quis confiteatur peccata venialia, & mortalia cum simplici Sacerdote, is debet eum ad Sacerdotem approbatum remittere; quod si ex ignorantia eum absoluat, manebit is adhuc à mortalibus absolutus in-

15. Nauarrus. Couarruuias. Card. Lugo. Leand. de Sacram. Th. Sanchez. Suarez. Vasquez. Coninch. Layman, & alij apud Me *de Bulla Cruc. d. 22. c. 2.*

16. Bonacina. Granado. Candidus. Fagund. & alij *vbi supra.*

directè

directè; tenebitur tamen, si rem dignoscat, iterum de illis confiteri, vt directè absoluatur.

17. Leand. de Sacram. *ibid.*

17 In articulo mortis, ne moribundus in æternum pereat, potest eumquilibet Sacerdos à quibusvis peccatis, & cęsuris absoluere, etiamsi sit suspensus, excommunicatus, hæreticus, degradatus; nullus enim (18) à Tridentino excipitur. Præsente Sacerdote proprio, seu legitimo Confessario, nequit Sacerdos simplex (19) in articulo mortis absoluere, quia ea fuit Ecclesiæ consuetudo, & non adest necessitas. Oppositum tamen est certò probabile; (20) & in hac secunda sententia poterit quilibet Sacerdos simplex absoluere à reseruatis culpis, adhuc in Religionibus, vbi dantur peccata reseruata; quin teneatur, si superuiuat, componere coram Superiore: secùs est de censuris reseruatis, à quibus, adhuc absente Superiore, & in casu necessitatis, nequit quis absolui, (nisi is, qui priuilegio Bullæ Cruciatæ gaudet quoad absolutionem à reseruatis, qui potest sine necessitate comparendi absolui à peccatis, & censuris reseruatis in eo articulo à Confessario approbato,) nisi cum onere comparendi. Vide *Bulla communis Cruciatæ.*

18. *Sess.* 14. *cap.* 7. Vasq. & alij *supra.*

19. Sotus. Sylvester. Couarruuias. Simancas. Th. Sanchez. Suarez. Molina. Vasquez, & innumeri apud Me *de Bulla Cruc. d.* 22. *c.* 1.

20. Nauarrus. Petr. Ledesma. Rodriguez. Vega. Sa. Henriquez. Barbosa. Villalobos, & plurimi *supra.*

18 In prima sententia, si adsit Superior, & nolit absoluere, poterit alius Sacerdos id præstare. Si absens sit, & commodè nequeat infirmus accersere eum, non tenetur per literas ab eo poscere licentiam, vt absoluatur, sed potest absolui. Si superueniat, incepta confessione, hæc potest perfici, nisi detur censura reseruata, à qua debeat per illum absolui. Si absit proprius Sacerdos, & adsint Sacerdos simplex, excommunicatus, suspensus, aut similes, quilibet indiscriminatim potest absoluere, (21) quin sit opus, hunc illi præferri; tum quia omnes illi ex se carent iurisdictione, & à Tridentino illis indifferenter est concessa; tum quia res esset scrupulis obnoxia, quisnam esset præferendus, & interim posset periclitari moribundus.

21. Lugo. Leand. de Sacram. Ego *sup.*

19 Extra articulum mortis nemo potest confessiones excipere, nisi habeat iurisdictionem ordinariam, aut delegatam circa pœnitentem. Ordinaria datur in Pontifice & in Summo Pœnitentiario (in hoc quoad forum internum) respectu omnium, & respectu suo-

rum subditorum in Archiepiscopis, Episcopis, Parochis, & Prælatis exemptis. Præterea in Vicario Episcopi, non verò in Vicario Prælati Regularis, nisi hic esset absens, & ex vi Regulæ posset præstare quod ipse Prælatus. Iurisdictio ordinaria à Pontifice ad cæteros

22. (22) dimanat.

Suarez, & alij *sup.* 20 Respectu Cardinalium, Episcoporum, Imperatorum, & Regum solus Pontifex gaudet iurisdictione ordinaria; Cardinales respectu suæ familiæ, & Episcopi possunt suam familiam à proprio Parocho excipere, & designare alium Confessarium. Respectu vagorum habet eam iurisdictionem is, in cuius territorio vagantur: respectu iter agentium succedit loco Ordinarij is, ad cuius territorium accedunt; & respectu habentium duplex domicilium Ordinarij vtriusque. (23)

23.

Ego cum communi *de Bulla Cruc. d. 22. c. 1.* 21 Pontifex potest eligere quemvis Sacerdotem, & reddere se illi subditum quoad confessionem. Idem potest Episcopus respectu Sacerdotis subditi; & dum eum eligit, approbat. Si non sit subditus, debet aliàs esse approbatus, ex Decreto Gregorij XIII. (24)

24.

Apud Me *sup.* Cardinales ex consuetudine, & tacita Papæ licentia possunt eligere in Confessarium Sacerdotem approbatum, etiamsi careat iurisdictione, quæ separabilis est ab approbatione; hæc enim requiritur, vt reddatur Sacerdos capax iurisdictionis. Communiter autem qui approbat, confert erga suos subditos iurisdictionem. Parochus nequit eligere in Confessarium Sacerdotem iurisdictione carentem. Qui iurisdictione ordinaria gaudet, & potest eligere Confessarium, ab eo potest absolui à peccatis, & censuris, à quibus ipse eligens potest alios absoluere. Circa Prælatos Regulares standum est statutis Ordinum.

22 Iurisdictio delegata conceditur ab habentibus iurisdictionem ordinariam respectiuè ad suas oues. Vt autem ea detur, non sufficit voluntas præsumpta Prælati de futuro, nec de præsenti, nisi hæc manifestetur per aliquod signum exterius. (25) Nequit quis absoluere cum iurisdictione dubia, sic verò cum probabili; quia etsi esset falsa, tunc Ecclesia præbet iurisdictionem. (26) Non exspirat iurisdictio delegata ad absoluendum

25. Vasq. & alij apud Me *sup.*

26. Bonacina.

soluendum morte delegantis, aut sui officij renuncia-
tione, quia est gratiosa, & radicatur, ac perseuerat in
Confessario, (27) estò possit reuocari à successore. Si
virtute Jubilæi, aut Bullæ, quis gaudeat iurisdictio-
ne delegata ad absoluendum, & incepta confessione,
finiatur tempus Jubilæi aut Bullæ, adhuc poterit ab-
soluere virtute illius. (28)

23 Nullus Sacerdos, dum non sit Parochus, aut
approbatus ab Ordinario, potest excipere confessiones
sæcularium. (Confessiones enim Regularium valet au-
dire Sacerdos deputatus à Prælato Regulari.) Appro-
batio autem est testimonium publicum idoneitatis,
probitatis, doctrinæ, & morum: & supra id cadit
iurisdictio. Nec ipso iure Doctores, Magistri, aut
Licentiati in Academiis (29) sunt approbati. Regula-
ris, si velit ac possit vti priuilegio Jubilæi, aut Bul-
læ, debet eligere Confessarium approbatum ab Ordi-
nario, & non à solo Prælato Regulari, cùm ea appro-
batio requiratur in eo priuilegio. Etiamsi Ordinarius
sine causa nolit approbare Regularem manifestè ido-
neum, nequit eius Prælatus exponere eum ad audien-
das confessiones sæcularium, quia approbatio Ordi-
narij præcisè requiritur in Tridentino vt conditio ne-
cessaria, & derogatur cuicunque priuilegio in con-
trarium. (30) Parochus non solùm in sua Parochia, &
diœcesi, sed vbique terrarum potest excipere confes-
siones; nam est minister publicus Ecclesiæ, ab illa ap-
probatus, habetque conditionem requisitam absolutè
in Tridentino, nempe beneficium parochiale. (31)
Nomine autem Parochi etiam continetur habens Vi-
cariam perpetuam, seu Rectoriam Parochiæ. Verùm
extra suam Parochiam opus est, vt ei ab Ordinario,
vel aliunde aduenial iurisdictio; nam solùm habet
approbationem respectu aliarum omnium, quæ sunt
extra Parochiam suam. Idem dicito respectiuè de eo,
qui est Superior Parocho, & habet iurisdictionem
ordinariam. Prælati Regulares respectu sæcularium
approbatione indigent, nam quoad hoc subiectos esse
Ordinario voluit Tridentinum, nec (32) censentur
ministri publici Ecclesiæ, vt Parochi. Eaque approba-
tio requiritur etiam respectu sæcularium Monasteriis

Lessius, & communis *sup.* 27.
Sayrus. Graffis. Card. Lugo. Suarez. Henriquez. Th. Sanchez *vbi sup.* 28.
Acosta. Th. Sanchez. Quintanad. & alij *supræ* 29.
Tambumnus. Lezana. Land. de Sacram. Suarez. Filliuc. & alij apud Me *de Bulla Cruciat. d. 22. num. 23. & de Iure Academ. l. 2. q. 7.* 30.
Suarez. Coninch, & alij *sup. num. 25.* 31.
Ochagauia. Arboled. Suarez apud Me *sup. n. 26.* 32.
Bossius. Diana. Lugo. Rodriguez.

Henriquez, & alij *sup. n.30.*

inseruientium, (nisi sint continui commensales) nam derogatum per Tridentinum est priuilegium contrarium. Quin si intra Monasterium detur Parochia, & per Superiorem (dum hic non habeat iurisdictionem quasi Episcopalem) eligatur Parochus, seu Vicarius, indiget approbatione Ordinarij, (33) nam ille Superior approbare eum nequit. In Iubilæis ad absoluendum Regulares, approbationem Superioris Regularis sufficere probabile, & tutum est, loquendo adhuc de peccatis, quorum absolutio in Iubilæis conceditur.

33. Leander, & alij *sup. n.32.*

24 Qui fuit, sed iam non est Parochus, non indiget noua approbatione, vt confessiones audiat, (34) nisi constet, Episcopum abstulisse approbationem, quia redditus ille fuit inidoneus. Etenim mens Tridentini est, quod approbatio præcesserit, aut per Beneficium parochiale constet de idoneitate; cum autem id Beneficium præextiterit, iam de ea constat, dum Beneficium non sit ab eo ablatum per dementiam, crimina, aut superuenientem imperitiam.

34. Ioan. à Cruce. Rodriguez. Villalobos. Basil. Legion. Ego *sup. n. 24.* & *in Appendic. d.2. cap.26. & d.5. cap.13.*

25 Non sufficit ad audiendum confessiones petita licentia, & approbatio, & non obtenta, etiam iniustè negata; nam licet Ordinarius peccet negans, aut limitans absque iusta causa (35) approbationem Regularibus, contra ius, quod habent ad audiendas confessiones, tamen de facto non ponitur conditio essentialiter requisita à Tridentino; & lex approbationis vniuersalis esse debet, (36) licèt ea abutatur aliquis: & sanè ob malitiam alicuius potest quis priuari adhuc maiori bono. Sic attritus in articulo mortis, si nolit Sacerdos eum absoluere malitiosè; & infans proximus morti, si quis præsens nolit eum baptizare, priuabuntur salute æterna. Nec est iusta causa negandi Regularibus approbationem, quòd sint in loco, aut diœcesi plures Confessarij; nam ius habent Regulares ex suis priuilegiis ad audiendum confessiones, quod (37) in quouis euentu debet eis illibatum seruari.

35. Card. Lugo. Vasq. & alij *sup. num.44.*

36. Suarez. Vasquez. Filliucius. Coninch. Card. Lugo, & alij apud Me *de Bulla Cruc. d.22.c.2.& in Appendic. d.2. cap. 21.*

37. *Cap. Quantò amplius, de priuileg.*

26 Non sufficit, quem esse approbatum ab vno Ordinario, vt vbique confessiones excipiat, sed opus est, à singulis Episcopis, cum mutantur diœceses, (38) peti approbationem, & obtineri; & ita fert praxis Confessariorum nouam approbationem pe-

38. Ledesma. Miranda.

tentium

sentium: & Vrbanus VIII. anno 1628. reuocauit omnes licentias, & priuilegia Ordinum audiendi confessiones absque præfata approbatione; & præterea Clemens X. Vide verbo *Approbatio.* (39) Approbatio autem debet esse Ordinarij eius loci, in quo audiuntur confessiones; cum ad eum Ordinarium spectet scire, quinam sint Sacerdotes sui territorij, qui confessiones audiunt: & quamvis vel Sacerdos, vel pœnitens sint alienæ diœcesis, subduntur quoad hoc Episcopo eius territorij; (40) sicut delinquentes ratione delicti subduntur Iudici territorij.

Guttierrez. Rodriguez. Card. Lugo. Suarez, & innumeri apud Me *sup. c. 3.*

39. Apud Me *sup.*

40. *Sup. verb. Approbatio.*

27 Limitatio circa personas, loca, aut tempus, apposita in approbatione id operatur, quòd sit inualida absolutio, si Confessarius prætergrediatur illam, cum extra illam non sit approbatus. Potest autem ea apponi, & causæ iustæ solent adesse ad eam apponendam. (41) Approbatio autem Parochi, cum sit eius muneri annexa, & ab Ecclesia immediatè procedat, non potest absque iusta causa tolli, aut suspendi, nisi ab eo tollatur, aut suspendatur Beneficium Parochiale; aliorum autem approbationes, & reuocari, & suspendi possunt; eo tamen modo, quo diximus verbo *Approbatio*; & *Regulares*, cum ex eis non adquiratur ius contra Episcopum, (42) & ab eius voluntate pendeant; ipseque, maximè si de nouo Episcopatum accipiat, possit agnoscere, quos Confessarios suæ oues habeant; in quo debet attentissimè procedere, ne iniuriam irroget, aut offensionem, si absque causa valdè iusta id præstet. Idem autem Episcopus, qui semel approbauit Regulares, nequit (43) approbationem reuocare, nisi ex causa legitima superueniente; & in reuocatione generali approbationum non includuntur Regulares ab eodem Episcopo approbati.

41. Nauarrus. Vega. Portel. Card. Lugo. Diana. Suarez, & alij *sup.*

42. Suarez. Card Lugo. Apud Me *vbi supra.*

43. Trullench, & alij apud Me *de Bulla Cruciat. n. 22. cap. 3.*

28 Approbatio præstita ab Episcopo cum hac clausula, (44) *quandiu placuerit*, idem est, ac si dicat; *quandiu placuerit Sedi nostræ*; & cum Sedes non exspiret, non exspirat approbatio, nisi reuocetur. Si transferatur Episcopus ad aliam Sedem, & illa clausula *Ad nostrum beneplacitum*, esset apposita, non finitur approbatio per translationem; sufficiens enim fundamentum datur, dum eam non reuocauit, vt iu-

44. Nauarrus. Couarruuias. Molina. Th. Sanchez. Layman apud Me *vbi supra.*

dicetur, eam prorogasse, & voluisse esse perinde ac indefinitam.

29 Si Confessarius approbetur, ipse verò suam approbationem ignoret, non excipit validè confessiones; nam cum testimonium idoneitatis requiratur ad operationem, dum ignoratur, (45) perinde est ac si non existeret; illeque Sacerdos, cum ignoret, se esse capacem per approbationem, vt accipiat iurisdictionem ex Bulla, aut Iubilæo, nequit vti iurisdictione ad absoluendum.

45. Ego *de Bulla Cruciat. in Appendic. d. 2. cap. 23.*

30 Quando datur opinio certò probabilis de iurisdictione ad absoluendum, validè quis absoluit; nam estò esset reipsa falsa, Ecclesia supplet, vt suprà attigi, iurisdictionem, & ad actus valorem sufficit opinio probabilis. Circa materiam autem, & formam Sacramentorum, in quibus Ecclesia nihil supplere potest, debemus sequi opinionem certam, & tutiorem.

31 Præceptum confessionis obligat in articulo, aut periculo mortis; & cum quis habens conscientiam peccati mortalis sumpturus est Eucharistiam, & semel in anno, si detur ea conscientia. Vnde si quis absque confessione, & absque peccato mortali sumpsit Eucharistiam tempore Paschatis, si intra annum peccet mortaliter, tenetur intra annum confiteri.

32 Si daretur opinio probabilis certò, quòd quis sit legitimus confessarius; & alia certò probabilis, quòd non esset, validè exciperet confessiones; nam sicut validè absoluit ab vno peccato, & censuta, qui cum opinione probabili certò, de potestate ad absoluendum ab illis, id præstat, ita ille; cum in vtroque casu sint opiniones circa iurisdictionem. (46) Et quidem circa materiam, & formam Sacramentorum necessariò sequenda est tutior opinio; circa iurisdictionem sufficit tuta, quæ est certò probabilis.

46. Ego *de Bulla Cruciat. in Appendic. d. 2. num. 125.*

33 Attritio cognita vt talis sufficit ad confessionem, etiam tempore mortis; in quo tamen tenetur quis elicere actum amoris Dei, nam tunc præcipuè vrget primum præceptum Decalogi amandi Deum super omnia. Dolor pridie habitus in ordine ad confessionem

fessionem hodiernam sufficit, dum non retractetur, nam durat virtualiter.

34 In articulo mortis excommunicatus publicus, aut denuntiatus potest absolui à Confessario ab excommunicatione quoad effectum recipiendi absolutionem à peccatis, (47) non quoad effectum sepulturæ, in ordine ad quem potest adhuc post mortem à iudice legitimo absolui.

Leſſius *in dubitario ad l. 2. verb. Confeſſio, c. 3.* Gobat. 47. *Cap. à nobis 2. de ſent. excom.*

35 Error communis cum titulo colorato præbet iurisdictionem ad absoluendum, tunc enim ab Ecclesia conceditur. A consuetudine etiam prouenit iurisdictio. (48 Sic Cardinales eam habent ad suorum familiarium confessiones excipiendas. Sacellanus Imperatoris ad excipiendam confessionem Impetatricis, & huiusmodi alij.

48. Gobat *in experient. Theolog. tr. 7. n.* 9. Tannerus, & alij.

36 Non tenetur quis scribere peccata statim ac patrat, etiamsi certus sit, se postea obliturum esse non pauca. Si quis scribat sua peccata, potest ea tradere legenda præsenti confessario, & post ea lecta sufficit, si pœnitens dicat: *Confiteor, me patrasse peccata contenta in ea charta.*

37 Cum timet prudenter pœnitens sibi graue malum, aut infamiæ, aut simile, si aliquod peccatum aperiat Confessario, & alius non sit, cui confiteatur, cum instet obligatio confessionis, potest tacere illud peccatum, & postea datâ copiâ alterius Confessarij illud confiteri; sitque confessio formaliter, non materialiter integra: sicut habens reseruata, & confitens ei, qui non gaudet iurisdictione absoluendi ab illis, & etiam confitens vnum peccatum cum in periculo mortis non supersit tempus confitendi omnia peccata; confessionem formaliter integram, non materialiter faciunt.

38 Nunquam tenetur quis facere confessionem publicam de peccatis occultis, nec per interpretem. (49)

49. Card. Caietan. *verb. Confessio, condit. 11.* Victoria. Henriquez. Sylvester. Canus. Tannerus. Gobat. Petr. Scotus.

39 Meminerit Confessarius, qualem se gerere debeat; (50) *Confessor dulcis, affabilis, atque suauis: Prudens, discretus, mitis, pius, atque benignus.*

50. D. Thom. *in 4. d. 17.*

*Confirmationis*

## *Confirmationis Sacramentum.*

1 MAteria remota Sacramenti Confirmationis de neceſsitate illius eſt oleum oliuarum, & ſaltem de præcepto balſamum ei admixtum: & chriſma debet eſſe benedictum ab Epiſcopo, (1) ita vt benedictio ſit de eius eſſentia: nec Pontifex poteſt delegare ſimplici Sacerdoti poteſtatem benedicendi illud: (2) Ordinarius Miniſter huius Sacramenti eſt Epiſcopus conſecratus, & non ſolùm electus; poteſt autem Pontifex delegare poteſtatem miniſtrandi illud ſimplici Sacerdoti, & aliquoties Pontifices eam delegarunt. (3) Unctio chriſmatis ex neceſsitate Sacramenti debet fieri in fronte, vt conſtat ex Concilio Florentino, & aliis. (4)

1. *Cap. Presbyteris, de conſecr. diſt. 4.*

2. Sotus. Cabezudo. Suar. apud Me *in Scatera, diſſ. 12. in Append. §. 1. & alij.*

3. Bellarminus. Suarez, & alij *vbi ſuper.*

4. *Ibidem.*

2 Materia proxima Confirmationis eſt vnctio per modum crucis facta in fronte. Forma autem, *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris*, &c. Vnde Confirmatio definitur, Sacramentum, quod baptizatis confertur cum impoſitione manuum Epiſcopi, & ſacri chriſmatis inunctione. Praxis autem Eccleſiæ eſt, quòd manuum impoſitio non ſit alia, quàm ille tactus immediatus, quo inungitur confirmatus.

3 In qualibet ætate poteſt ſuſcipi hoc Sacramentum. Adultus illud recipiens debet, ſi conſcius ſit peccati mortalis, vel per contritionem perfectam, vel per confeſsionem reuocari ad gratiam. Nequit reiterari, nam imprimit characterem. Reiterans, ſiue confirmans, ſiue confirmatus, non contrahunt irregularitatem, (5) quia non eſt expreſſa ea in iure. Qui dubitat an ſit confirmatus, poteſt confirmari ſub conditione, ſed maius dubium ad id requiritur, quàm in dubio Baptiſmi, cum non ſit adeò neceſſaria Confirmatio, ac Baptiſmus.

5. P. Gonat *in experiet. Theolog. tr. 2. n. 762.* Barboſa. Suarez. Valentia.

4 Non eſt peccatum lethale, ſecluſo contemptu, non recipere id Sacramentum, quia de eo non extat (6) graue præceptum. Atque primam tonſuram diſponit Tridentinum, debere quem eſſe confirmatum. Si non

6. D. Thom. *3. p. q. 72. art. 2. ad 4.*

ſit,

ſit, qui eam recipit, confirmatus, peccat mortaliter, (7) eſtò oppoſitum ſit certò probabile. (8) Eo quòd in verbis Tridentini contendatur non imponi obligationem lethalem.

5 Patrinus confirmandi debet eſſe confirmatus, & contrahit eandem cognationem ſpiritualem, ac patrinus Baptiſmi; ad quod debet illum tenere, ſeu tangere: non autem eſt tanta obligatio in patrino confirmandi in fide ſuum filiaſtrum, ac in patrino Baptiſmi, inſtruendi illum. (9) Quamvis autem non adſit patrinus, valet Sacramentum. Non licet monacho (10) eſſe patrinum in Confirmatione, ſicut nec in Baptiſmo; at id intelligitur de patrino ſæcularis, poterit enim eſſe patrinus monachi confirmandi. (11) Poteſt idem, qui fuit patrinus in Baptiſmo, eſſe in Confirmatione, nec vſu receptum eſt ſtatutum contrarium. (12)

6 Præter characterem effectus Confirmationis eſt robur animi ad fidem profitendam, quod fundatur in magno augmento gratiæ, quod in eo Sacramento confertur; atque ad intuitum huius gratiæ, & characteris Deus ſpeciale auxilium largitur ad ſuperandas tentationes aduerſantes fidei.

7 Qualibet hora, & tempore poteſt hoc Sacramentum conferri, etiam tempore interdicti. Epiſcopus autem Pontificalibus debet ornari: & quidem poteſt confirmare concurrentes non ſubditos, ex manifeſta præſumptione, quòd id gratum erit eorum proprio Epiſcopo; (13) at nequit in aliena diœceſi ſine licentia confirmare. Cæterùm Epiſcopus adhuc excommunicatus validè poteſt (14) conferre Confirmationem.

8 Si plures ſint patrini confirmati (vnus autem ſolus eſſe debet) omnes contrahunt cognationem ſpiritualem. Si parens teneat filium, vt patrinus, nequit petere debitum, donec obtineat diſpenſationem. (15)

9 Quamvis chriſma ſit anni præcedentis, eſt validum Sacramentum Confirmationis: at peccat Epiſcopus illo vtens.

10 Qui poſt vſum rationis incidit in amentiam, confirmari

7. Card. Toletus *in ſumm. l. 1. cap. 71.* Nuñus. Caſtr. Palao. Bonacina, & alij.

8. Barboſa plures afferens *ad Trid. ſeſſ. 24. c. 4. de reform.*

9. Bonacina. Layman. Gobat.

10. *Cap. Non licet de conſecr. diſt. 4.*

11. Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg. 30. n. 36.* Iordanus. Caſtr. Palao. Gobat. Quintanad.

12. Sylueſt. *verb. Confirmatio.* Quintanad. Gobat.

13. Eman. Sà *verb. Confirmatio, num. 2.* Diana. Tannerus, & alij.

14. Suar. *de Sacr. d. 36. ſect. 1.* Eman Sà.

15. Sot. *lib. 2. de Confirm. d. 18. art. 10.*

Sà, & communis.

confirmari poteſt; (16) at perpetuò amentes confirmandi non ſunt.

16. Diana p. 3. tr. 4. reſ. 20. & tr. 6. reſ. 93. Suarez. Sotus. Valentia.

11 Non eſt de neceſſitate, nec de præcepto huius Sacramenti, alapam infligere; quæ pueris infligi ſolet, vel vt poſteà recordentur Sacramenti ſuſcepti, vel vt innuatur, debere eſſe fortes, ac patientes, ſi pro fide, in qua confirmantur, ſeſe illis offerat occaſio patiendi iniurias, aut tormenta.

17. Sylueſt. in ſum. verb Confirmatio, n. 4.

12 Conferri poteſt Confirmatio in quouis loco honeſto, nec opus eſt, quòd in Eccleſia conferatur; (17) in ea tamen benedicendum eſt chriſma.

## Conſcientia.

1 COnſcientia eſt iudicium practicum, quo hic, & nunc iudico, aliquid factum, aut faciendum honeſtum eſſe, vel turpe; ſeu iudico, me peccaſſe, aut non peccaſſe in aliqua actione; ſeu peccaturum, aut non peccaturum in ea, quæ ſeſe offert. Alia eſt erronea, quæ ex errore procedit; v. g. ſi abſque fundamento iudicem, aliquid eſſe prohibitum, vt non lotis manibus manducare. Error verò alius eſt inuincibilis, cui nulla cauſa datur, & hic à peccato liberat; alius culpabilis, cum quis tenetur ad aliquid ſciendum, & negligit ſcire; quin & affectatus, cum data opera non vult ſcire; & hi errores non liberant à culpa. Conſcientia dubia eſt, quæ coniungitur cum dubio de turpitudine obiecti, quam ſequi illicitum eſt. Conſcientia certa eſt, quæ ex certis principiis deducitur. Probabilis, quæ ex probabilibus: de qua vide Diſcurſum initio operis. Conſcientia ſcrupuloſa eſt, quæ leui dubio laborat, cum qua operari non eſt peccatum, imò ſæpè expediens.

2 In dubiis tutior pars eſt eligenda (quod non opponitur regulæ ſuperiori) nempe quando debet præcaueri aliquod maius malum, quod tunc timetur: vt ſi timeretur, ſequendum fore homicidium, vel quid ſimile, quod eſt maius malum, quàm carere poſſeſſione libertatis, cum illud opponatur humanitati, & inclinationi

inclinationi benefaciendi; quo caſu non ſtat poſſeſſio pro libertate. At vbi id malum non timetur, ſtat poſſeſſio pro illa; nam eſtò ſit periculum violationis legis, ea violatio eſt materialis, & eius carentia non eſt magis bona, quàm vſus libertatis. (1)

1. P. Ant. Perez *tr. de reſtitut. diſp. 2. §. 4.* Ego *vbi ſup.*

3 Cæterùm peccata dubia, licet poſſeſſio ſtet pro innocentia, ſunt confitenda; nam omnia peccata, prout ſunt in conſcientia, (& quidem datur conſcientia dubia) ſunt exponenda in confeſſione; quia reuerentia Euchariſtiæ exigit ſummam munditiem animæ, & inde confeſſionem peccati dubij, cum homini incumbat onus probandi munditiem ab eis peccatis dubiis: quare abſolutè poſſeſſio non ſtat pro pœnitente reſpectu Sacramenti; & quidem confeſſio, quæ inſtituta etiam eſt in medicinam, adhibenda eſt, non ſolùm quando vulnus lethale eſt certum, ſed etiam quando eſt dubium.

4 Conſcientia dubia eſt, quæ neutri parti probabiliùs ſaltem adhæret. In dubiis melior eſt conditio poſſidentis: id in materia iuſtitiæ eſt habere aliquid vt ſuum potens de illo diſponere abſque peccato iniuſtitiæ, niſi ſit cauſa poſſeſſione potentior. Extendendumque eſt ad materiam aliarum virtutum; (2) ita vt in dubiis habeat quis libertatem à lege, & tanquam exemptus ab illa poſſit abſque peccato operari; nam cum lex poſsidet, nequit quis operari niſi iuxta illam, vt ei ſubditus. Poſsidens enim libertatem habet facultatum ex natura ſua operatiuam, & exemptam à lege, dum lex non poſsideat; quare poteſt operari, ſicut poſsidens in materia iuſtitiæ poteſt de re diſponere, dum non probetur oppoſitum. Præſumptio autem ſtat pro poſsidente, quia ei nullum incumbit onus probandi, ſed legi; ſicut ſi lex poſsideret, incumbit alteri onus probandi, ſe eſſe ab illa exemptum, aliter ab illa obligatur. V. g. die vigiliæ dubitas, an ſonuerit hora duodecima noctis, non poteris edere carnes, quia poſſeſsio ſtat pro præcepto. Die ante vigiliam dubitas id ipſum, poteris carnes edere, quia poſſeſsio ſtat pro libertate, dummodò dubium ſit anceps; nam ſi debilius ſit pro poſsidente,

2. Bonacina. Th. Sanchez. Suarez. & alij apud Me *de Iure Academ. l. 3. q. 30.*

incumbet

incumbet ei probare, ſe recto iure poſsidere illam libertatem.

5 Conſcientia dubia alia eſt directa, nempe cum quis dubitat, an ſibi liceat hoc vel illud; alia eſt reflexa, qua intellectus confirmat, ſibi non apparere rationes, quibus huic parti, aut illi aſſentiatur. Et in rebus fidei dubium directum, aut negatiuum, in quo occurrunt rationes pro vtraque parte, ſed nec retractat quis fidem, nec voluntas imperat reflexam, & poſitiuam dubitationem, non eſt peccatum; ſic verò dubitatio reflexa, qua quis (3) iudicat, articulum fidei eſſe dubium, & poſſe aliter ſe habere; & in hoc ſenſu dicitur, *Dubius in fide hæreticus*: vel cum ex profeſſo vult quis dubitare de articulo.

3. Bretſerus *de conſc. l. 4. c. 1.* & alij.

6 Dubium poteſt eſſe vel facti, v. g. an commiſerim tale peccatum; vel iuris, an ſcilicet ſit talis lex, an actio ſit prohibita. Et rurſùs aliud dubium eſt ſpeculatiuum, aliud practicum; & cum primo poteſt quis licitè operari: v. g. dubitat quis, an res ſua ſit, quin habeat rationem aſſentiendi, aut diſſentiendi; & ſimul iudicare poteſt practicè, poſſe à ſe retineri, quia poſsidet; (4) & dubitare ſpeculatiuè, an talis lex extet, & iudicare ſe hic & nunc non conſtringi, quia poſſeſsio ſtat pro libertate.

4. Communis.

7 Stante conſcientia dubia practica non poteſt quis licitè operari. (4) Nam qui amat periculum, peribit in illo: (5) exponitur enim quis periculo peccandi. Et qui dubitat, an res ſit bona, vel mala, conſentit in illam, ſiue ſit bona, ſiue mala; & ſanè cognoſcit, rem non ex integra cauſa habere honeſtatem, & inde nec eſſe bonam; & paruipendit Deo diſplicere, cum non curet dignoſcere, an opus Deo diſpliceat, ſed dubitans operetur.

4. Molin. *tom. 1. de iuſt. tr. 2. d. 5. in fin.* & alij.

5. *Eccleſiaſtic. 3. Cap. Non eſt ſine culpa, de reg. iur. in 6.*

8 Quòd ſi neceſsitatus ſit ad vnum è duobus, & de vtroque dubitet, debet eligere tutius: quòd ſi nec id agnoſcat, in neutro peccat.

9 Peccatum operantis cum dubio eſt eiuſdem ſpeciei, & grauitatis, ac eſt illud, de quo dubitatur; nam eſt malitia actus, quæ agnoſcitur, & eligitur: agnoſcitur autem ea, de qua dubitatur, & eligitur ſub diſiunctione præfata.

10 Qui

10 Qui dubitat, an licitè ſibi aliquid à Prælato præcipiatur, poteſt deponere dubium, quia in dubiis pro Prælato eſt præſumendum, indeque poteſt formare conſcientiam, quæ ſit regula operationis.

11 Qui ſub dubio aliquid patrauit, rectè confitebitur, ſi dicat, ſeſe expoſuiſſe periculo peccandi in tali materia.

12 Si cenſuræ ſint impoſitæ ob tale crimen, & quis operetur dubitans, an eius operatio ſit illud crimen; ſi non ſit, non contrahit cenſuram: v.g. percuſſit Petrum, dubitans, an eſſet clericus; ſi non ſit, non incidit in cenſuram.

13 Cæterum ſemper ſupponi debet diligentia ſufficiens, vt quis dubius eſſe deſinat; aliàs ſemper tutiorem partem ſequi debet. Facta autem ea diligentia, redditur tutior pars in quavis materia, illa pro qua ſtat poſſeſſio libertatis, rei, aut legis, ſiue præcepti: qui titulus poſſeſſionis eſt communis iuſtitiæ, & cæteris virtutibus; nam ius poſſeſſionis eſt certum, & alterum vincit. Inde ſi poſſeſſio ſtet à parte minus tuta, redditur licita; ſi à parte magis tuta, redditur neceſſariò exequenda, & pars contraria eſt illicita. Quòd ſi in iure aliquid circa caſus dubios extet, pro eo ſtat poſſeſsio, quod ſpeciali ratione fuit inductum, vt irregularitas in dubio homicidij; (6) & vbi in iure aſſeritur, (7) partem ſecuriorem eſſe tenendam, eſſeque ſequendum certum, vnde aliquæ deciſiones emanarunt, ſanè poſſeſſionem fauere conſpicitur, & cum poſſeſſione non manet res incerta.

6. *Cap. Ad audientiam, cap. Significaſti, cap. petitio, de homicid. voluntar.*

7. *Cap. Iuuenis, de ſponſalibus. Cap. Si quis autem, de punit. diſt. 7. Clement. Exiui, de verb. ſignif.*

14 Itaque non exponitur quis periculo peccandi, cum in dubio efformat ratione poſſeſſionis iudicium practicum, quòd ſibi liceat hoc, aut illud; indeque honeſta regulatur actio.

15 Ex his omnes caſus ſequentes fiunt plani. Si quis dubitet, an emiſerit votum, non tenetur ad illud, quia poſſeſſio libertatis eſt certa, & incerta obligatio voti. Si autem dubitet, an impleuerit votum emiſſum, aut legem latam, tenetur ad implendum, quia poſſeſſio ſtat pro voto, aut pro lege. Idem eſt, ſi dubitet, an contraxerit debitum, non

tenetur

tenetur ſoluere; ſi dubitet, an contractum debitum ſoluerit, tenetur ſoluere.

16 Si dubitet, an lex ſit, aut excommunicatio lata, ad eam non tenetur. Si verò dubitet, an lata excommunicatio ſit iuſta, & in eam inciderit, debet ſe gerere tanquam excommunicatum. Si dubitet an lex ſit recepta, ad eam non tenetur, cum non ſufficiat promulgatio, ſi vſu non ſit recepta, & lex non obligat niſi acceptetur. At ſi dubites, an lex ſit abrogata, aut an tecum ſit diſpenſatum in illa, ad eam teneris, quia poſſeſſio ei fauet. (8)

8. Caſpenſis *tr. de conſcient. tom. 1. d. 4. ſect. 3.*

17 Si cauſa ſit par, & non conſtet, à quo ſtet poſſeſſio; vel è conuerſo, ſi conſtet de poſſeſſione, & cauſa ſit impar, iudicandum eſt adhuc pro interno foro pro eo, pro quo ſtat præſumptio pro foro externo; (9) v. g. dubitas, an habueris vſum rationis, cum emiſiſti votum; præſumeris habuiſſe, ſi eras ſeptennis, ſecus ſi non eras. Sic vbi Tridentinum, aut ſtatutum ſimile non eſt acceptatum, nec extat lex circa ritum matrimonij, ſi quis poſt ſponſalia acceſſit ad ſponſam, & dubitet an affectu maritali, ita vt ſponſalia tranſiuerint in matrimonium, cenſetur eo affectu acceſſiſſe; nam in dubio (10) non præſumitur, fuiſſe commiſſurum delictum.

9. Th. Sanchez *lib. 1. in Decalog. c. 10. n. 13.*

10. *Leg. Marito, ff. pro ſocio.*

18 Si dubitetur, an quis ſit filius legitimus, præſumitur eſſe; indeque poteſt (11) adire hæreditatem, quamvis naſcatur ſimilis adultero, (12) & etiamſi affirmet mater, eſſe illegitimum, quia (13) ei non debet credere: ac etiamſi ſit rumor, & fama adulterij matris, & illegitimatis filij, cum ea ſoleat falſo fundamento niti.

11. Suar. *de cenſur. d. 10. ſect. 4.*

12. Gloſſa *in leg. quæret aliquis, ff. de verb. ſign.*

13 Sylueſter *verb. adulterium, n. 4*

19 Si quis leget in teſtamento Petro centum, & dubitetur, an ſint centum, quæ illi debebat, iudicandum eſt, eſſe diuerſa.

20 Si poſt contractum matrimonium dubitet vnus ex coniugibus de validitate matrimonij, debet reddere debitum, cum poſſeſsio ſui corporis ſtet pro altero coniuge, ſed nequit petere. (14) Si ante conſummatum matrimonium dubitet de validitate illius, tenetur ſimiliter reddere, ſed non petere, quia præſumptio ſtat pro valore actus.

14. *Cap. Dominus, de ſecundis nuptiis.*

21 Si

21 Si quis dubitat, an poſſideat rem alienam, cum dubitatio non inceperit in apprehenſione illius rei, non deſinit eſſe poſſeſſor bonæ fidei. (15) Et ideò, dum certus non comparet dominus, non tenetur (16) fructus reſtituere, etſi non inueſtigando illum peccet. Quod etiam eſt verum, quamvis magis propendeat, rem eſſe alienam, quia poſſeſſio præponderat. Et qui ab illo eam rem emit, ſuccedit in bonam fidem. Secus eſſet, ſi emeret rem, dubitando eſſe furtiuam, nam deeſt bona fides, & poſſeſſio ſtat pro vero domino.

15. *Cap. Si virgo. 34. q. 1.*

16. Caſtr. Palao *de conſcient. d. 3. punct. 2.* Rebellus.

22 Si quis dubitet, an ſit lata irregularitas ob factum, (17) quod patrauit, non manet irregularis; nam in iure non eſt expreſſum, contrahi irregularitatem in eo dubio iuris.

17. *Cap. Is qui, de ſent. excom. in 6.*

23 Si dubitet, an vouerit religionem minùs, aut magis arctam, & alia huiuſmodi, pro ipſo vouente (18) facienda eſt interpretatio. Si dubitet, an animum vouendi habuerit, & verba fuerint ambigua, dubium manet, an fuerit votum, & ideo non tenetur illo. Quòd ſi verba fuerint certa, & dubitet, an habuerit animum ſe obligandi, tenetur; nam poſſeſſio ſtat pro communi humano modo, quo verba proferuntur: nam nullus (19) præſumitur dicere, quod non ſentit. Quòd ſi dubitet, an in dementia, ſomno, vel ebrietate emiſerit votum, poſſeſſio ſtat pro libertate, & non tenetur. At ſi calore iræ emiſerit illud, & dubius ſit, an habuerit deliberationem, poſſeſſio ſtat pro voto, quia ira (niſi maxima) non tollit voluntarium. Si dubitet de honeſtate materiæ, adhuc conſulto ſuperiore, non tenetur ad votum, quia non eſt melius bonum id, de quo dubitatur, an ſit malum.

18. Gloſſa *in cap. ex parte, de cenſib.*

19. *Leg. Labeo, ff. de ſupellect. legata.*

24 Si ſubditus dubitet, an poſſit celebrare, quia dubitat, an homicidium patrauerit, non poteſt celebrare, etiamſi iubeat Superior non potens in irregularitate diſpenſare; ſimiliter ſi iubeat ſubdito manifeſtare crimen dubium alterius, non poteſt obedire, (20) quia poſſeſſio ſtat pro alterius fama.

20. Th. Sanchez *lib. 2. de matr. d. 41. num. 43.*

25 Si dubitet quis, an crimen commiſerit, ob

quod priuetur beneficio, aut fructibus, poteſt vtrumque retinere, vtpotè poſſidens. (21)

21. Suar. de cenſur. d. 40. ſect. 6. num. 5.

26 Si quis hæreſim verbis protulerit, dubitetque de aſſenſu interno, præſumptio eſt contra illum, & nequit abſolui niſi ab habente poteſtatem abſoluendi ab hæreſi.

27 Si in die ieiunij dubitet quis an ſit media nox, poſſeſſio ſtat pro præcepto ieiunij; (22) ſi in illo dubio extet, & ſolum ſequens dies ſit ieiunij, poterit manducare, quia poſſeſſio ſtat pro libertate. Idem dic de ſimilibus dubiis circa communionem Euchariſtiæ die ſequenti.

22. Th. Sanchez, & alij.

28 Cum dubitatur, an ad pubertatem acceſſerit is, qui emiſit votum, poteſt illud irritare, qui poteſtatem habet irritandi; nam pro ea poteſtate ſtat poſſeſſio, eſtque fauorabilis vouenti, ſicut poteſtas diſpenſandi, & ideò non eſt reſtringenda. (23)

23. Laym. tom. 1. tr. 1. c. 5. n. 34.

29 In dubio rectitudinis præcepti, conſuli debet ipſe Superior; (24) ſi nequeat conſuli, & ſit magna difficultas in cuſtodiendo præcepto, prudentia, & æquitas dictant, pro dubia obligatione non eſſe ſubeundum graue incommodum.

24. Leg. Imo æquitatem, Cod. de legib. Bonacina de legib. d. 1. punct. vlt. num. 10.

30 Qui dubitat, an actio proximi ſit praua, aut bona, non tenetur iudicare poſitiuè eſſe bonam, ſic verò negatiuè, non iudicando eſſe malam; id enim eſſet iudicium temerarium, contra poſſeſſionem ſuæ famæ, quam ille habet. (25) At dubitatio, aut ſuſpicio non ſunt peccatum lethale, quia non ſunt graues iniuriæ proximi, (26) ob imperfectionem cognitionis, & determinationis. Nec eſt illicitus timor prudens, quo quis, vt ſibi, ſuiſque conſulat, interpretatur res dubias in peiorem partem; non autem ideò eſt licita auerſatio ab eo, à quo timetur. Et præterea cum ex parte obiecti datur opinio de eius prauitate, non eſt illicitum dubitare poſitiuè, proximum amplectentem id obiectum, eſſe prauum: eſtò ſit perfectior charitas oppoſitum; at illud cum non ſit contra prudentiam, non eſt contra charitatem.

25. D. Thom. 2. 2. q. 60. art. 4.

26. Filliuc. tr. 40. c. 1. num. 12. & alij.

31 Dubitans, an peruenerit ad annos requiſitos ad ſacros Ordines, nequit eos recipere, (27) quia poſſeſſio

27. Laym. vbi ſup. num. 35.

poſſeſſio ſtat pro ſacris Canonibus deſignantibus ætatem.

32 Dubitans, an teneatur recitare, eo quòd tenue ſit Beneficium, tenetur; (28) nam obligatio Beneficij poſſidet, & opus eſt, vt cum de lege conſtat, probet quis excuſationem. 28. Gonzal. *reg.* 8. *Cancellar. gloſſ.* 8. *num.* 72. Vaſq. *in* 1. 2. *d.* 65. *c.* 3. *num.* 11.

33 Si vidua ſtatim poſt mortem mariti nubat, & poſt nouem menſes pariat, & poſt diligentiam ſufficientem dubitetur, an ſit filius primi, aut ſecundi mariti, habendus eſt pro filio ſecundi, quia actualis poſſeſsio matrimonij, in qua is eſt, præualet. (29) 29. Salas *tr.* 8. *d. vnic. ſect.* 24. *num.* 245.

34 Si dubitetur, conſtando vnum è duobus eſſe patrem, an filius ex vno ſit naturalis, an ex alio ſpurius, cenſendus eſt naturalis: nam in dubiis ſtat pro fauorabiliori præſumptio. (30) 30. Caſtr. Palao *de conſcient. d.* 3. *punct* 5. *num.* 14.

35 Dubitans, an ex ſua actione ſecutum ſit damnum, non tenetur reſtituere, (31) quia damnum eſt dubium, & poſſeſsio pro libertate certa. At ſi præſtitit conſilium, aut fauorem ad damnum inferendum, & dubitet, an abſque ſuo iuuamine inferendum eſſet, tenetur ad reſtitutionem; nam contra ipſum eſt præſumptio, dum non probet oppoſitum. 31. Tabiena *verbo Reſtitutio, q.* 23. *num.* 24.

36 Dubitans, an culpa ſua depoſitum, aut commodatum perierit, non tenetur reſtituere; nam delictum non præſumitur, niſi probetur. (32) 32. Communis.

37 In dubio, an aliquod factum ſit contra immunitatem Eccleſiæ, pro hac eſt iudicandum, (33) quia poſsidet, & in dubio ſequenda eſt opinio, quæ Eccleſiæ fauet. (34) 33. Caſpenſis *tr. de conſcient. d.* 4. *num.* 16. 34. *Cap. fin. de ſent. & re iudicata.*

38 Conſcientia ſcrupuloſa, ſeu ſcrupulus, dupliciter contingit; vel cum iudicio orto ex leuibus coniecturis; vel cum ſola apprehenſione, ſtante iudicio contrario. In appetitu ſolo non eſt ſcrupulus, (35) quia voluntas nequit ferri in incognitum. Contra conſcientiam ſcrupuloſam licitum eſt operari, (36) aduertendo ibi ſolum eſſe ſcrupulum, iuxta Confeſſarij, aut viri docti iudicium, ſeu propriam experientiam. Nam ſcrupulus, leuiſque credulitas nequit obligationem inducere, indeque non exponitur quis periculo peccandi. Quin laudabile, & honeſtum eſt, 35. Baldell. *lib.* 4. *de conſcient. d.* 18. *n.* 2. 36. Communis.

37. Tannerus *in* 1. 2. *d.* 2. *de actib. hum. dub.* 5.

contra ſcrupulos agere; (37) cum oporteat friuolas animi anxietates ſedare, quæ impediunt attentionem ad pietatis opera. Equidem timere culpam vbique, bonarum eſt mentium, ad id dumtaxat, vt cum circunſpectione quis operetur. Imò aliquando tenetur quis agere contra conſcientiam ſcrupuloſam, vt vitentur damna animæ, & corporis inde ſecuta. (38)

38. Caſtro Palao *tom.* 1. *d.* 4. *punct.* 1. Bretterus *de conſcient. l.* 4. *cap.* 4.

39 Confeſſarius non debet ſcrupuloſi nimias dubitationes admittere, (39) maximè cum hic non eſt in ſuæ conuerſionis initio, ſed in progreſſu virtutis, in quo non eſt aſſuetus conſentire peccatis; & cùm ſint variæ cauſæ ſcrupulorum, debet eas ſcire, & inueſtigare, vt remedia opportuna apponat; ſcrupuloſus autem poteſt, & debet Confeſſarij, & viri docti conſiliis acquieſcere, ſiue circa confeſsionem peccatorum, ſiue circa aliá.

39. Th. Sanchez *in Decalog. l.* 1. *c.* 10. *num.* 83.

40 Conſcientia erronea ſemper ex aliqua ignorantia oritur: & vel eſt poſitiua culpabilis, orta ex iudicio falſo, quod tenebatur quis noſcere eſſe falſum, v. g. ſi quis iudicaret, mentiri ob cultum Dei eſſe honeſtum, indeque mentiretur; vel eſt negatiua inculpabilis, v. g. ſi omninò quis ignoraret, aut eius memoriæ non occurreret, hodie eſſe diem ieiunij, & carnes ederet. Ignorantia autem poteſt eſſe aut iuris, aut facti; & rursùs vtraque vincibilis, aut inuincibilis. Dicitur vincibilis, quia potuit vitari, vnde eſt culpabilis, prout ad res morales attinet. Ea autem diuiditur in leuem, craſſam, ſeu ſupinam, & affectatam. Hæc datur, cum quis directè, determinatè, aut in confuſo non vult diligentiam adhibere, vt expellatur, ne ſuam obligationem agnoſcat, v. g. circa dies feſtos, ieiunia, & ſimilia. Supina ſeu craſſa datur, quando eſt magna inquirendi ſocordia, vel cum quis officium acceptat, ad quod ſcit, ſe ſatis doctrinæ non habere; tunc enim indirectè in alio, hoc eſt, in ea acceptatione vult ignorantias ſecutas: ſeu cum diſtrahitur ad alia negotia, quæ ei non permittunt expellere ignorantias circa ſuum munus; ſeu cum quis ſuis peccatis, non faciendo quod in ſe eſt, obſtaculum apponit, quo ſuæ ignorantiæ non expellantur. Qua ignorantia laborant Gentiles, qui non euangelizantur. Ignorantia leuis

amatur

amatur in leui ſocordia, quæ communiter datur, dum non nimis attenditur. Hæc non eſt mortaliter culpabilis, ſic verò craſſa. (40)

41 Pro foro iudiciali aliquando ignorantia, quæ non eſt mortalis, iudicatur craſſa, ea nempe (41) quæ oritur ex culpa iuridica lata, ſeu ex negligentia excedente mediocritatem, in quibus præſumitur dolus.

42 Ignorantia alia eſt antecedens, alia comitans, alia conſequens. Comitans præcisè eſt, quæ opus non cauſat, vt ſi quis iudicans ſe occidere ceruum, occideret inimicum, quem ibi eſſe ignorabat, eſtò occiſurus eſſet eum, ſi noſceret. Ea tamen ignorantia eſt inuoluntaria. Conſequens eſt, quæ ſequitur actum voluntatis, ab eo dependens directè, vel indirectè; eſtque culpabilis, vt in caſu poſito ſi quis dubitaret, an eſſet ceruus, vel inimicus is, in quem ſagittam iaceret, quin curaret expellere illam, ſanè ab ea volita penderet actus; & hæc conſequens ignorantia ſimul poteſt coniungi cum ignorantia comitanti, cum ſcilicet ille paratus iacere ſagittam, eodem modo eam iaceret, ſiue dubitaret de inimico, ſiue non, indeque non eſt cauſa actus; dubitans autem ſimul indirectè vult ignorantiam in ea actione. Ignorantia antecedens, & non pendens ab actu voluntatis, nec indirectè in alio volita, non eſt cauſa operis, indeque inuincibilis, cum præcedat omnem actum voluntatis.

43 Si ex inuincibili ignorantia ob finem honeſtum quis rem malam operetur, v. g. mendacium, meritorie, & moraliter honeſtè ſe geret, (42) ob affectum, intentionemque finis, qua iudicat, ſe rectè operari.

44 Si ſubdito habenti conſcientiam erroneam in aliqua re præcipiatur à Superiore contrarium, dum ipſe eam non deponat, nec Superior poſsit in ea re diſpenſare, nequit ei obedire; quia ea conſcientia, dum non deponitur, eum obligat ac ſi eſſet vera. (43) Quòd ſi obediat, peccabit contra eam legem, quam erroneè iudicat extare. Et quidem æquè peccat (44) qui agit contra conſcientiam erroneam, ac qui contra veram; nam dum illa non deponitur, æquè obligat; & quidem erronea obligat ſecundum quid, nempe

40. Suar. *de cenſur. d. 4. ſect. 10. n. 10.* & alij.

41. *Leg. 9. §. 2. ff. de iuris, & facti ignorant. cap. Quæſitū, de pœnit. & remiſſ.*

*Leg. 1 ff. de oblig. & actionib.*

42. Laym. *tom. 1. tr. 1. c. 3. n. 2.*

43. Monteſinoſus *d. 71. art. 7.*

44. Vaſq. *in 1. 2. q. 19. d. 59. c. 3. n. 11.*

dum durat, & debet deponi; vera autem obligat ſimpliciter, & nequit abſque errore deponi. (45)

45. D. Thom. *q.17. de veritat. art. 4.*

45 Si quis initio hebdomadæ v.g. habuit errorem, quòd in illa nullus eſſet dies feſtus, accedente die feſto, ſi id ſibi non occurrat, tunc non peccabit in non auditione Sacri, (46) quia actu inuincibili ignorantia laborat, nec primus error influit in eam operationem, cum non detur moralis perſeuerantia; ſiquidem in nullo effectu permanſit, ſed obliuione obliteratus eſt.

46. Caſtr. Palao *tom.1. tr. 1. d.1. punct.4.* Azor *tom.1. l.2.c.8.q.12.*

46 Confeſſarius, & quiuis alius videns alium conſcientia erronea laborare, nequit ei ſuadere, vt continuet operationem; nam eſtò ille non peccet operando cum ea ignorantia inuincibili, at ea non ſuffragatur conſilianti: (47) quòd ſi ex oppoſito maius malum ſequatur, licitum eſt tacere, aut diſsimulare. (48) At ſi pœnitens taciturnitatem Confeſſarij iudicaturus ſit, eſſe conſilium, aut confirmationem ſui erroris, tenetur ille ipſum commonefacere, (49) niſi inde ſcandalum timeat, & commodum non exſpectet.

47. Baldellus *de conſcient. l.4. d.4.n.7.* & alij.

48. *Cap. Quia circa, de conſanguinit. & affinit.*

47 Quamvis verum ſit axioma, *Omnis peccans eſt ignorans*, tamen non ſemper datur error in intellectu peccantis; ideò autem eſt ignorans, quia agit contra prudentiæ regulas, & deuiat à regula morali actionum, defectumque habet conſiderationum, quibus ſi ſeriò attenderet, non peccaret. (50)

49. Sotus *in 4. d.18.q.2.art.4. §. at verò.*

50. Breſſerus *de conſcient. l.5. cap.13.*

48 Conſcientia erronea oritur vel ex pigritia diſcendi, vel ex ſuperbia, proprioque iudicio non aſſentienti, aut fugienti conſilia aliorum; (51) vel demùm ex immoderato affectu, aut paſsione animi; & per contraria his media eſt deponenda. Si prudenter formata eſt, & non conſtet eſſe erroneam, nequit pro libito abſque ratione deponi; ſecùs ſi temerè fuit formata.

51. D. Auguſt. *l.1. de Trinit.c.2.*

# *Conſeruator Iudex.*

1 IVdex conſeruator inſtitutus eſt, vt aliquos defendat à manifeſtis violentiis, & iniuriis. (1) Poſſunt eſſe Iudices Conſeruatores Epiſcopi, Abbates, Dignitates Eccleſiarum, atque etiam Canonici Eccleſiarum Cathedralium, (2) quin & Collegiatarum; (3) necnon Prælati Regulares: (4) præterea Vicarij generales Sede vacante; atque etiam (5) Coadiutores Canonicorum. In Synodo diœceſana debent eligi; quòd ſi in illa non ſint electi, adhuc poſſunt eligi deinde; quod conceſſum eſt à Gregorio XV. Societati Jeſu in Bulla, quæ incipit, *In ſupereminenti*, dum aliunde requiſita neceſſaria habeant. Modus autem, & cauſæ, in quibus Conſeruatores proceſſuri ſunt, & cuncta ab eis obſeruanda ſtatuta ſunt ab eodem Gregorio XV. in Bulla expedita die 20. Septembr. anno 1621.

1. *Cap. 1. & vlt. de offic. ind. deleg. in 6.*

2. Eman. Rodrig. Gomez. Machad. & alij apud Me *de Ordinib. Milit. d. 2. q. 4.*

3. Seraphinus Riccius *vbi ſuper.*

2 Quando inter Iudicem Conſeruatorem, & Ordinarium oritur competentia ſuper iuriſdictione, non poteſt procedi in cauſa, donec per arbitros in forma iuris electos ſuper illa fuerit iudicatum. Sic ſtatuit (6) Tridentinum. Et quamvis id limitetur in cauſis Regularium, tamen id eſſe obſeruandum circa illos, conſtat ex Bulla Gregorij XV. quæ incipit *Sanctiſſimus*, expedita anno 1621. vbi loquens de Regularibus repetit verba Tridentini, quaſi comprehenſiua omnium. (7)

4. Imola. Miranda. Moneta. Fumus. Bonacina. Cochier. Th. Sanchez. Apud Me *vbi ſupra.*

3 Conſeruator nequit procedere niſi in caſu manifeſtæ iniuriæ, debetque præcedere informatio notorietaris illius; vel eſſe ita notoria iniuria, vt per ſe conſtet.

5. Ego cum aliis *ibidem.*

6. *Seſſ. 14. c. 5.*

4 Nequit Conſeruator excommunicare Epiſcopum in prima contumacia, quin primùm debita obſeruantia præcedat, & per gradus procedatur, incipiendo à pœna priuationis ingreſſus in Eccleſiam, (8) deinde ſuſpenſionis. Et quiá hæc in Iure ſtatuta ſunt, cenſeri debent requiſita pro forma ſubſtantiali, indeque aliter acta erunt nulla.

7. Ep. Vrrutigoyti *in Paſtorali, part. 1. clauſ. 12.* Lezana *tom. 1. cap. 10.* Cortiada *t. 1. deciſ. 14. n. 145.* Barboſa. Peyrinis.

5 Poteſt compellere (9) Conſeruator per excommu-

8. *Cap. 2. de offic.*

& poteſt. Iud. deleg. lib. 6. 9. Sylueſter *in ſumm. verbo Conſeruator, num.* 4. Eman. Sà. Victorellus. 10. In Bulla 36. *tom.* 4. *Bullarij Cherubini.*

nicationem brachium ſæculare, vt ei in neceſſariis præbeat auxilium.

6 Tenetur ille, antequam ſuam iuriſdictionem exerceat, exhibere inſtrumenta authentica ſuæ electionis, vel deſignationis in Iudicem Conſeruatorem coram Ordinario; ſic enim diſpoſitum eſt à Gregorio XIII. & à Gregorio XV. & confirmatum (10) ab Innocentio X.

## *Conſuetudo.*

1. Ego cum communi *de Iure Academic. l.* 1. *q.* 36.

1 CONſuetudinem poſſunt inducere Regna, ciuitates, & Academiæ reſpectu ſubditorum; & quidem obligantem ſub graui peccato, ſi materia ſit grauis, attentis circunſtantiis; & dum conſtet, (1) introductam fuiſſe animo obligandi grauiter, cum poſsit animus contrarius dari.

2. *Cap. Cum dilectus, de conſuet. Cap. In iſtis, diſt.* 4.

2 Conſuetudo ſumpta pro facto ipſo, *eſt vſus frequens*; ſumpta pro iure, *eſt ius non ſcriptum, quod ex longo, & continuo vſu ortum eſt.* Differt à ſtylo fori, quia hic eſt conſuetudo limitata ad actus iudiciales; item à præſcriptione, quia hæc datur inter particulares, egetque bona fide, & titulo; conſuetudo autem obligat Communitatem, & aliquando abſque bona fide, & titulo introducitur. Conſuetudo vel eſt ciuilis, vel canonica. Rurſus aut eſt nationalis, aut municipalis. Dicitur alia ſecundum legem, quæ eam interpretatur, vt ſeruetur, de qua dicitur, *Conſuetudo optima legum interpres*; (2) alia præter legem, quæ nouam inducit obligationem; alia demùm contra legem, quæ ſi contrarietur legi humanæ, poteſt prævalere; ſi verò naturali, aut diuinæ, eſt abuſus exſtirpandus. (3)

3. *Cap. Quæ cõtra mores, diſt.* 8.

3 Conſuetudo, vt habet æquitatem, debet eſſe de materia honeſta, & vtili Communitati. (4) Qui introducunt aliquid contra legem, peccant; opuſque eſt notitia legis, cum inducitur conſuetudo, vt hæc poſteà obliget; poſtmodum tollitur lex per conſuetudinem, & non peccatur. (5) Præſcripta eſſe debet, & ſufficit per decennium, (6) ſiue ſit conſuetudo ciuilis, ſiue

4. Bonacina *de leg. d.* 1. *q.* 1. *punct. vlt.* §. 3. & alij.

5. Suarez *de leg.*

siue canonica, etiamsi absens sit Princeps: nec actu iudiciali opus est ad eius approbationem. Requiruntur autem actus per decennium frequentes, seu vsus crebrò iteratus; (7) & quod actus sint voluntarij, & à populo non fiant per vim, aut metum grauem; & hi actus debent fieri ex intentione introducendi consuetudinem, & præterea se obligandi; nam si populus ob pietatem per longum tempus ieiunet, aut non laboret tali die, sine intentione se obligandi, non erit consuetudo obligans. Noscetur autem ea intentio dari, si iudex puniat secùs facientes, aut scandalizentur cæteri, aut malè sentiant timorati, aut in materia difficili omnes conueniant, quia non videtur conuenturos, nisi se obligatos iudicarent; aut demùm si valde conducat materia, & obligatio Communitati. In dubio autem censendum est, consuetudinem ex deuotione inductam fuisse. (8) Actus, quibus inducitur consuetudo, debent esse externi, & manifesti maiori parti Communitatis, pacifici, quibus non contradicat maior pars, (9) & demùm vniformes.

*l.7 c.18. n 24. & communis.*

6.

*Sà verbo consuetudo, n. 3. Lessius. Vasq. & alij.*

7.

*Leg. 1 Cod. quæ sit longa consuet. Basilius lib. 6. de matrim. c. 6. Bellarminus. Salas. Castr. Palao. Suarez. Bonacina.*

8.

*Bonac. d. 1. q. 1. punct. vlt. §. 3. & alij.*

4 Consensus legislatoris est necessarius; (10) sed cum legislatores decreuerint iam, consuetudinem vim habere legis, habetur eorum consensus, (11) ratione cuius etiam Communitas subiecta Principi potest introducere consuetudinem; non verò potest vna familia, aut vna persona, nec ipse legislator sua vniformi, ac frequenti operatione. (12)

9.

*Vasq. in 1. 2. d. 177. cap. 7. num. 56.*

10.

*Leg. de quibus. ff. de legib.*

11.

*Azor t. 1. l. 5. c. 18. q. 1. cum pluribus.*

5 Vnius Communitatis actus non obligant aliam, v.g. Communitas laicorum non obligat Clericos, nisi vt ciues, & non vt laici operentur, vt in ieiunio, aut die festo. (13) Communitas mercatorum potest quoad se inducere consuetudinem. Item & Moniales.

12.

*Suar. l. 7. de legib. cap. 3. Bonacina, & alij.*

13.

6 Potest induci consuetudo, quæ obliget ad pœnam, non ad culpam. (14) Quando non est lex, aut consuetudo in aliqua Ciuitate, vt aliqua lis decidatur, tunc decidenda est iuxta consuetudinem consentaneam vicinarum Ciuitatum, (15) si is sit casus, circa quem non extet ius commune, aut Regni.

*Salas de legib. d. 19. sect. 6. num. 91. Suarez sup. cap. 16. n. 12.*

14.

*Castr. Palao de legib. d. 3. punct. 4. §. 4. & alij.*

7 Consuetudo potest tollere pœnam impositam à le-

ge,

ge, quin tollat obligationem legis; & sic sunt aliquæ pœnæ abrogatæ.

15. *Cap. Cum eo, de censib.*

8 Si lex asserat, non posse abrogari per consuetudinem contrariam, nequit per illam derogari, quia non censetur consuetudo conueniens, quæ fuit prohibita, (16) nisi ita mutentur circunstantiæ conuenientiæ legis, vt prudenter legislator possit velle, quòd per consuetudinem ei derogetur. (17)

16. Th. Sanch. *l. 7. de matrim. d. 4. num.* 13.

17. Basil. Legion. *de matrim. l. 6. cap. 6. n. 9.*

9 Consuetudo per legem subsequentem potest derogari, (sicut lex antecedens per subsequentem;) si ex diametro opponatur consuetudini, & hæc nequeat cum illa componi.

10 Possunt consuetudine derogari leges circa Sacramentalia, (18) & ritum administrandi Sacramenta, sicut possunt leges circa eadem statui; nec vlla lex positiua excipitur, quæ nequeat rationabili consuetudine abrogari. (19)

18. Th. Sanchez *sup. d. 82. n. 20.* & plures.

19. *Cap. fin. de consuetud.*

11 Si sit consuetudo contra legem, debet iudex secundum consuetudinem ferre sententiam, quia est ius; & pariter secundùm interpretationem legis factam à consuetudine, quia habet ea interpretatio vim legis, sicut habet interpretatio authentica Principis. (20)

20. *Leg. Nam Imperator, ff. de legib.*

12 Lege vniuersali non derogatur consuetudo, aut statutum alicuius loci, nisi apponatur eius mentio, (21) aut clausula derogatoria cuiusvis consuetudinis, etiamsi lex sit pro Prouincia, in qua est consuetudo; nam præsumitur, Principem ignorasse consuetudinem, & ideo statuisse legem: quare hæc suspensa maneret, donec subditi certiorem facerent Principem, qui postea posset statuere, quod vellet. In quo sensu dicitur, *Consuetudo Principum leges silere facit.*

21. *Cap. 1. de consuetud. in 6. & verbo Lex, num.* 19. Castr. Palao *vbi sup. punct. 5. §. 1.*

13 Si consuetudo sit immemorialis, non abrogatur per legem contrariam (22) nisi in ea addatur derogatio consuetudinis etiam immemorialis; sicut nec priuilegium per clausulam generalem derogatur.

22. Communis.

14 Vna consuetudo potest derogari per consuetudinem contrariam, sicut lex per legem.

15 Si consuetudo consistat in omissione facti, vt præscribatur, debet dari casus legis contrariæ per tempus decennij necessarij ad præscriptionem; nam si casus eius legis non se offerat, non præscribitur consuetudo;

suetudo; hoc est, debent dari ad consuetudinem actus priuatini, quia se offerebat occasio legis contrariæ, & non sufficiunt actus negatiui. (23)

16 Alleganti consuetudinem incumbit onus probandi illam; (24) nam quæ in facto consistunt, non præsumuntur, nisi consuetudo sit notoria; seu non spectet ad decisionem causæ, sed ad modum procedendi in illa, quia iudex tenetur eum modum scire, & se informare; seu ea consuetudo sit stylus fori, aut Curiæ, quia hunc debet iudex callere: demùm si constet de consuetudine, & dubitetur, an sit honesta, hoc discernere ad iudicem pertinet.

17 In foro externo duo testes sufficiunt ad consuetudinem probandam. (25) Pro foro conscientiæ sufficiet, si vnus Doctor excellens de ea deponat, dum ei alij non contradicant, vt ei fides adhibeatur; (26) qui tamen non sufficiet in foro iudiciali, quia in rebus facti non magis ei, quam aliis in eo foro est credendum.

18 Quando sunt duæ opiniones contrariæ, si vni ex illis fauet consuetudo, ea est in praxi sequenda. (27)

19 Consuetudo alicubi inducta, quòd primo anno viduitatis fœminæ domi inclusæ maneant, quin exeant ad audiendam Missam diebus Festis, aboleri debet ab Episcopis; nam, vt ait D. Gregorius: (28) *Qualibet consuetudo, quantumvis vulgata, veritati tamen est postponenda, & vsus, qui veritati est contrarius, abolendus.* Nec enim ea gaudet conditionibus requisitis ad consuetudinem excusantem ab impletione præcepti.

20 Consuetudo immemorialis, seu longa, potest, adhuc ignorante Pontifice, abrogare aliqua impedimenta dirimentia ex iure humano matrimonium, & etiam noua introducere valet. (29)

21 Consuetudo, quæ est contraria iuri, est restringenda, (30) & non extendenda ad actus alterius rationis, eosque non consuetos, maximè cum à diuersis (31) non valeat illatio. V. g. est consuetudo in aliquibus locis, vt tempore vindemiæ, vel segetis laboretur diebus festis; ea quidem non est extendenda ad id,

27. Bonac. *d. 1. q. 1. punct. vlt.* & communis Iurisperitorũ.

24. Parisius *consil. 31. n. 14. vol. 1.* Tiraquell. *tr. de præscript. §. 1. gloss. 2.* Mascard. *de probat. verbo Cons. etudo, conci. 423.*

25. Bartolus *in leg. 2. Cod. quæ sit longa consuetudo, q. 26.*

26. Suarez *l. 7. de legib. c. 11. n. 8.* Th. Sanchez *l. 7. de matrim. d. 17. num. 8.*

27. Abb. *in cap. Cum dilectus, de consuet.* Solorzano *de iur. Ind. l. 3. c. 2. n. 45.* & ibi plures.

28. *In cap. Si consuetudinem, dist. 8.* Eman. Rodrig. Gobat.

29. Th. Sanchez *de matrim. l. 7. d. 4.* Coninch. Martin. Perez. Gobat.

30. Peckius *tr. de restaurat. Eccl. cap. 9.* Gobat.

id, quod Missa in eis, non debeat audiri; nam ea consuetudo est contraria iuri; & omissio Missæ, ac labor sunt diuersæ rationis, eaque omissio non est consueta.

31. *Leg. Papinianus. ff. de ædilit. edict.*

22 Fundamentum obligationis (nec aliud facilè inuenies) sub mortali, quòd Horæ Canonicæ recitentur ab initiatis Ordine sacro non habentibus vllos reditus Ecclesiasticos, est consuetudo, quæ probatur tum ex constanti obseruantia, etiam cum non leui incommodo; tum quia omnes pij pessimè sentiunt de negligente recitationem. Quæ rationes sunt eæ, quæ ostendunt consuetudinem inductam de aliqua re obligare ad mortale. Is cæterùm vnanimis omnium consensus est testis irrefragabilis consuetudinis vrgentis sub mortali, & nullam vmbram probabilitatis relinquit oppositò asserto; non enim minorem vim habet hæc lex non scripta, ac si esset lex scripta, in aliquo Concilio generali approbato acceptata, quæ obligaret prædictos ad recitandum. (32)

32. P. Gobat. *in experiet. Theolog. tr. 5. n. 560.*

## *Contractus.*

1 CContractus est *vltrò citroque obligatio.* Multiplex est, vt toto Opere constabit. Pœna apposita in contractu, si sit immoderata, & improportionata, est nulla, & illicita; (1) v. g. si non solutis intra mensem quinquaginta, quæ debes, transacto mense soluturus es centum; pœnæ enim appositio pro communi bono instituta est, & immoderata in commune damnum cederet, ac vsuram implicitam contineret: & sicut iudex nequit imponere pœnam excedentem delictum, ita nequit imponi pœna excedens conditionem moræ, aut similem appositam in contractu.

1. Diana *p. 1. tr. 8. resol. 29.* Tamburinus. Card. Lugo. Gibalinus. Molina. Salas. Nauarra.

2 Minores puberes nequeunt celebrare contractus de rebus immobilibus absque authoritate Prætoris, nec de mobilibus sine authoritate curatoris. Si sint impuberes, authoritas tutoris est necessaria. Si minor pubes iuret contractum, (2) tenetur ad illum; gaudet verò beneficio restitutionis, si vltra dimidium sit læsus,

2. Communis.

læſus, niſi expreſsè exceperit hanc reſciſſionem. Impubes gaudet beneficio reſtitutionis, & relaxatione iuramenti. Et quia contractus impuberum in ſententia probabili nullam naturalem obligationem inducunt, iuxta eam non tenentur impuberes (3) in conſcientia ad iuramentum ſeruandum. Cæterùm contractus maioris cum minore obligat maiorem.

3. Plures apud Me *de Iure Academ. l.3. q. 17.*

3 Contractus ſponſionum, nempe cùm duo contendunt, quis id, vel illud ſit obtenturus, aut quod id, vel illud ita ſit, licitus eſt, quia eſt contractus quidam fortunæ, in quo vterque exponitur periculo iacturæ, & lucri. Quòd ſi alter per ſcientiam, & experientiam res noſcat, nequit lucrum reportare, niſi alteri id notum faciat, & tamen is neget fidem, & ſponſionem velit facere; tunc enim is ſuæ temeritati debet imputare iacturam ſine fraude prouenientem. (4) Quin ſi alteri liqueat, rem conſtare alteri, non eſt opus conteſtari ſcientiam, neque quando ſponſio eſt de prandio v. g. inſumendo ab vtroque, aut eſt paruæ quantitatis: nam veriſimile eſt, alium conſentire. Cum autem quis abſque ſcientia, aut experientia, tamen credit ſe excedere alium in notitia rei, ſuper qua ſpondetur, non tenetur reſtituere lucrum; nam ad onus reſtitutionis non ſufficit (5) credulitas, ſuſpicio, aut fides humana. Quòd ſi quis ſciat ſe excedere alium in aliquo, v. g. in recitandis pluribus carminibus, aut in arte ludendi, vel in alio ſimili, & ſuper hoc ſpondeat, monens illum de exceſſu, non tenetur reſtituere lucrum; (6) ſcienti enim, & volenti nulla fit iniuria.

4. Nauarrus. Lud. Lopez. Medina. Alcozer. Franc. Garcia.

5. Th. Sanchez *vbi ſuper q.18.* apud Me.

6. Philiarchus. Pet. Couarruu. Medina. Nauarrus. Rodriguez. Alcozer, & plures apud Me *ſup.* & *de Bulla Cruciat. d.34. c.14.*

4 Quando aliquid ſoluendum eſt ratione contractus in diem deſignatum, accedente die, tenetur quis ſoluere, quamuis creditor non poſcat; quia dies (7) interpellat pro homine. Non ſoluens abſque cauſa, peccat contra iuſtitiam. Si non ſit præfixus dies, ſoluere tenetur cum primùm poſſit; ſcilicet non ſumendo tempus mathematicè, ſed moraliter.

7. *Cap. fin. de locat. leg. Magnum, Cod. de*

5 Leges humanæ tum ciuiles, tum Eccleſiaſticæ poſſunt irritare contractus, declarando ab initio fuiſſe inualidos, niſi facti fuerint cum hac vel illa ſolennitate. Sic in Tridentino (8) declaratur inualidus contractus

*contrahend. ſtipulat.*

ctus matrimonij clandeſtini, nempe ſine Parocho, & teſtibus. Et etiam iure Canonico, & Ciuili irritantur

8. *Seſſ. 24. cap. 1. de reform.*

contractus minorum, & alienationes rerum Eccleſiaſticarum factæ ſine ſolennitate. Leges autem irritantes contractum obligant in vtroque foro, quamuis fundentur in præſumptione; eſtò enim hæc aliquando non verificetur, tamen communiter præcaueri debet malum imminens. Sic obligat ea lex irritans matrimonium clandeſtinum, lata ad vitandos dolos, ac fraudes, quamuis contingat, aliquos ſine fraude contraxiſſe illud.

6 Qui impedit prauis mediis, ne ſententia proferatur à iudice, aut inique proferri facit, ne reſcindatur contractus, qui inualidus fuit, tenetur ipſe reſcindere, cum iniuſtitiam faciat collitiganti. (9)

9. Suarez *l. 5. de legib. cap. 20.* & alij.

7 In contractibus innominatis, ſeu qui nomen ſpeciale non habent, veluti do vt des, facio vt facias, do vt facias; ſi vnus ex contrahentibus aliquid promiſit, & non adimplet, reſcinduntur contractus. Secus eſt in contractibus nominatis, v. g. in emptione, & venditione: promiſit emens, ſe ſoluturum poſt menſem; ſi non ſoluat, (10) contractus emptionis non reſcinditur, ſed compelli poteſt emptor, vt ſoluat.

10. *Leg. 1. Cod. quando liceat ad emption. recedere,* cum aliis, & communi, apud Raymũdum Richardũ *in riſſeſſioni Belghiche, pag. 20.* Oñate, & alij.

8 Si quis ſciens imminuendum eſſe à Principe valorem monetæ, ante promulgationem ſuam monetam expendat mutuando, emendo, ſoluendo, aut aliter, contractus valet, quin illi quidquam ſit ex valore detrahendum poſtmodum; (niſi forte in promulgatione decreti imminutionis valoris reſcindantur contractus peracti per duos, aut plures dies antecedentes.) Etenim illa lex imminutionis non obligat ante promulgationem, ſicut nec aliæ; (11) & ille vtitur iure ſuo, nec aliqua lex vetat, ne quis vtatur notitia legis promulgandæ in ſuum commodum. (12)

11. Communis.

12. Barth. à S. Fauſto. Leſſius. Comitolus. Homobonus. Couarruuias. Bañez, & alij apud Dianam *p. 1. tract. 4. reſol. 54.*

9 Contractus ex natura ſua parit obligationem in vtroque foro, ita vt neuter contrahens poſſit recedere, altero inuito. Quare recedens peccat contra iuſtitiam, cùm hæc obliget ad ſeruandam æqualitatem inter contrahentes.

10 Non eſt vſurarius contractus, (13) quo quis tradit Petro v. g. mille aureos, vt negotietur, ac lingulis

gulis annis ille ei ſoluat ſeptuaginta aureos ; & cum petierit principale, ſibi ab eo reddatur. Nam hi tres contractus cum tribus celebrati ſunt liciti ; cum Petro contractus ſocietatis, vt negotietur cum mille aureis, & aliis mille ſuis, & lucrum correſpondens ei ſoluat. Deinde poteſt contrahere cum Joanne, quòd aſſecuret illud principale, ei tradens aliquam ſummam. Demùm cum Franciſco, quòd incertum illud lucrum emat, ipſique præſtet certam ſummam. Totum hoc eſt licitum. Vnde & cum eodem poteſt fieri, & ratione aſſecurationis, & lucri incerti petere ab eo ſeptuaginta ſolùm, & relinquere reliquum lucri. Quare non eſt lucrum ex mutuo, nec transfertur dominium mille aureorum in Petrum, eſtò ſi pereant, non pereant domino : at id eſt ob contractum aſſecurationis, aliter domino perituri.

13. Nauarrus *in Manuali, c. 27. num.* 255. Molina. Leſſius. Bonacina. Card. Lugo *tom. 2. de iuſt. d. 30. ſect. 4. num.* 40. & plures alij.

11 In contractu ſocietatis attendendum eſt, vt lucri quantitas menſuretur ad quantitatem ſummæ, induſtriam, laborem, & periculum. Si pereat capitale, perit ei, qui illud dedit, dummodo nullum pactum appoſitum fuerit ; nam dominium non fuit tranſlatum in ſocium : (14) ſi verò pactum fuit initum, quod ex pecunia vnius, & induſtria alterius fieret cumulus communis vtrique, pro medietate peribit vtrique capitale, aut pro rata : ſi ſocius aliquam pecuniam ſuperaddidit, aut ſi pro ſola induſtria minus lucri reportaturus eſſet, pro rata peribit. Expenſæ, ac damna ſecuta, tanquam ex cauſa proxima ex ſocietate, ſunt communia ſociis, ſicut & caſus fortuiti ; veluti ſi ſocietatem pecudum haberent, & hæ ob contagium perirent. Attendendum tamen eſt in omnibus ad conuentiones in ſocietate præfixas, dum vſuram palliatam non contineant.

14. Nauarra *de reſti. l. 3. c. 2. num.* 461. Bartolus. Sylueſter. Angelus. Armilla. Sotus. Nauar. & alij.

12 Contractus, cui dolus cauſam dedit, eſt inualidus, (15) ſicut & qui fit ex metu graui iniuſtè incuſſo ; quod euenit in contractibus bonæ fidei, qui ſunt emptio, venditio, locatio, conductio, mandatum, depoſitum, ſocietas, pignus, commodatum, & permutatio. Quòd ſi poſtmodùm accedat conſenſus omninò voluntarius, validatur. Non annullatur contractus ex eo, quòd in Eccleſia celebretur. (16)

15. Eman. Sà *verb. Contractus.* Syluester, & alij.

16. Panormitan.

13 Succeſſor *in cap. cùm Ec-*

*cleſia, de imm. Eccl. c. 6.*

13 Succeſſor in aliqua Dignitate obligatur ex contractu inito à prædeceſſore nomine ipſius Dignitatis. Cæterùm contractus ſubditorum poſſunt ex cauſa iuſta à Principe diſſolui.

14 Pactum in contractu contra bonos mores nec iuramento firmatur, ſed nullum euadit. (17) Si apponatur conditio à principio per vtrumque contrahentem contra ſubſtantiam ipſius actus, eum vitiat. Si conditio ſit turpis, pariter eum infirmat, (18) & in ſpiritualibus reiicitur.

17. Communis.

18. Sylueſter *in ſumm. verbo Pactum, n.* 10. Fumus. Eman. Sà, & plures.

15 Pactum de non reuocanda donatione, etiam ob donatarij ingratitudinem, eſt contra bonos mores, adeoque nullum. (19) Pactum de pignore non recuperando, ſi debitum præfixo tempore non ſoluatur, tunc valet, cùm iuramento firmatur, aut ratione pœnæ adiungitur, aut pignus non amplius valet, quàm debitum, (20) ſecus aliter.

19. Communis.

20. *Cap. 7. de pignor. in gloſſ.*

16 Quando datur inſtrumentum longo antè tempore confectum, & in eo aliqua neceſſaria ad valorem non exprimuntur, præſumitur ea omnia adfuiſſe, atque adeò validus eſt iudicandus. (21)

21. Eman. Sà *verb. Contractus.*

17 Pactum initum de futura ſucceſſione hæreditatis, ſi æquiualeat donationi cauſa mortis, valet, & ſecuta morte tenet; ſi non æquiualeat, non valet, quia tollit libertatem teſtandi. (22)

22. Angel. *verbo Pactum, n.* 18. Sa, & alij.

18 In contractu permutationis, ſi vna res excedat aliam in valore, & ſciant contrahentes, cenſetur ille exceſſus donari, & inde valet contractus.

19 Contractus ſtricti iuris ſunt ſtipulatio, mutuum, & ſimiles; & in his nequit iudex, vt in contractibus bonæ fidei, ex bonò, & æquo æſtimare, quid ſit reſtituendum, aut recompenſandum, ſed ſtrictè ſunt interpretandi. Contractus innominati ſequuntur naturam eorum contractuum (23) nominatorum, quibus aſſimilantur. Aliqui vocantur contractus qui ſtrictè tales non ſunt, cum non detur vltrò citróque obligatio ex voluntate partium conſurgens: ſic in donatione ſolus donans obligatur; in ſtipulatione vna ſolùm pars contrahit obligationem. In mutuo ſolus recipiens obligatur. In tranſactione nudo pacto, nulla pars, ſed potiùs vtraque ab obligatione eximitur.

23. *Leg. Naturales, §. Sed ſi facio, ff. de præſcript. verb.*

20 In

20 In aliquibus contractibus dominium rei, seu pecuniæ transfertur: in aliis solùm vsus. Transfertur dominium in donatione, in permutatione, in cambio, in emptione, in mutuo. Vsus verò solus transfertur in locato, & commodato. Contractus autem celebrari possunt quatuor modis, scilicet re: verbis: literis: & consensu. Sanè consensus in omnibus est necessarius, sed accedunt consensui verba, aut literæ; aliquando verò solo consensu sufficienter insinuato perficitur contractus.

21 Contractus intelligitur peractus (24) iuxta consuetudinem loci, in quo perficitur; nisi fiat ab exteris in tempus futurum, in quo in alio loco effectum sortiturus est: at si instrumenta fiant, adhuc tunc solennitates consuetæ in illo loco sunt seruandæ in confectione instrumentorum. 24. Communis.

22 Si contractus perficiatur conferendo illum in arbitrium alterius, aliquando validus est, aliquando inualidus. Validus est, si committatur arbitrio certæ personæ: (25) v. g. emis equum eo pretio, quod æstimauerit Petrus; vel arbitrio boni viri: tunc enim intelligitur iudex. Si verò arbitrio incertæ personæ committatur, non est firmus (26) contractus. At si certa persona arbitrari nolit, contractus non subsistet. 25. Syluester. *verbo Contractus, q. 9.* Grassis. & alij. 26. *Leg. si merces. ff. locat.*

23 Prodigus ex contractu non obligatur ex iustitia; si verò illum iuramento confirmet, obligatur ex virtute Religionis. (27) 27. Diana. *p. 8. tr. 7. res. 20. & 25.* Gasp. Hurtadi

24 Contractus, qui in Hispania vocatur *A gozar, y gozar*, in Italia *godere à goiere*; v. g. tradis Petro mille aureos, ille tibi prædium cuius fructus percipias, aut monilia pretiosa, seu ornamenta domus, quibus vtaris, ita vt cum restituat aureos, tu ei reddas pignus; si vsus huius non excedat in æstimatione redditus illius pecuniæ, quos percipere posses, si censum, aut prædium emeres, licitus est: si verò excedat, erit vsurarius, cum sit lucrum ex mutuo absque alio titulo.

25 Si apponatur in contractu pœnæ conuentionalis, hæc non debetur ante sententiam iudicis; maximè quando apponitur pro solutione tempore præfixo fa-

cienda, si debitor non fuit in mora culpabili soluendi. (28)

28.
Barth. à S. Fausto. Vasquez. Diana, & alij.

26 Non est illicitus contractus, qui Mediolani vocatur *lotto*; nempe vt operi pio succurratur, apponuntur res argenteæ, artefactæ, ac variæ, & vnusquisque pro qualibet schedula, quam è cumulo extrahit, monetam designatam exiguam concedit; quæ schedula si vacua sit, nihil lucratur accipiens illam; si verò in ea sit numerus, aut signum appositum etiam in aliqua ex illis mercibus, eam lucratur; sic quis exponitur periculo extrahendi plures schedulas, quia aliquid obtineat; & simul etiam spei obtinendi rem, quæ decem, aut viginti aureos valeat, præstita vnica moneta exigua pro vna schedula; vel tribus, aut sex pro totidem schedulis. Lucrum autem accrescit operi pio ex eo, quod emit illa munera v. g. quingentis aureis; & totidem schedulas apponit, quæ septingentis correspondeant. Et ipsum opus pium exponitur periculo amittendi; nam si extraherentur omnes schedulæ, in quibus sunt numeri, aut signa munerum, acceptis solùm v. g. sexcentis schedulis, sanè nec viginti aureos compararet, cum insumpsisset quingentos.

27 Non licet contractus perficere cum Turcis, & Infidelibus, (excipe hæreticos toleratos, & Regna, quæ cum Turcis fœdus, ac commercium habent) at in necessitate licet; nam tunc non censentur prohibiti. (29)

29.
Diana *p. 2. tr. 16. res. 34.* Sotus, & alij.

28 In contractibus si detur læsio supra dimidium, potest pro foro externo peti; si infra dimidium, in conscientia debetur restitutio, & iudex Ecclesiasticus valet per censuras compellere ad restituendam (30) læsionem; dum læsio non sit modica.

30.
Couarruuias. Ant. Gomez. Card. Lugo. Diana. Salas.

29 In læsione ratione contractus gaudent restitutione in integrum Ecclesia, & minor, ac in sententia certò probabili Ecclesia etiam aduersus aliam Ecclesiam, & minor aduersus (31) minorem. Cum autem læsio datur ratione contractus gratuiti, vt donationis, restituenda est res cum fructibus perceptis; absque illis autem, si detur ratione alterius contractus iusti. Ecclesia autem læsa à laico potest coram Iudice

31.
Castr. Palao. Diana, & alij.

Ecclesiastico

Ecclesiastico restitutionem poscere. Nec ei præiudicat iuramentum in contractu factum à Prælato, quominùs (32) gaudeat beneficio restitutionis. Cæterùm beneficio restitutionis non gaudent minoris fideiussores, nec socij in lite, aut in contractu; cum illi id sit concessum ratione iudicij, ac ætatis debilioris. Plura de contractibus reperies in singulis contractibus in particulari. 32. Dicastillo. Diana, & alij.

*Contritio.* Vide *Charitas, Confessio.*

## *Contumelia.*

1 SI quis in alium contumelias proferat, v. g. vocans eum latronem, vel quid huiusmodi, ita vt attenta circunstantia personæ, honor eius lædatur, nec verbis minùs asperis possit iniuriam repellere, poterit læsus respondere licitè alteri, *Mentiris.* (1) Nam cum possit quis ad defendendum res suas cum moderamine inculpatæ tutelæ alium vulnerare, imò & aliquando occidere; ad defendendum honorem, qui est æstimabilior bonis, poterit eo verbo iniurioso alium lacerare, cum adsit etiam moderamen inculpatæ tutelæ. Sic etiam si quis tuam famam lædat, nec possis alia via eum cohibere, valebis eius famam lædere absque mendacio, non lædendo magis quàm lædaris. Id enim est vim vi repellere. (2) Non tamen licèt percutere proferentem contumelias, quia non est medium aptum ad ostendendum innocentiam, sicut est respondere *Mentiris.* Nec sermo est de Religiosis, & Ecclesiasticis, quorum maior honor in mansuetudine, ac patientia consistit, nec apud cordatos ob iniustas contumelias læditur. 1. Aragon. Sayrus. Pasqualigus, Peregrinus, Petigianus, & alij apud Me *in Statera, d. ff. 1. q. 19.* 2. Lugo. Rusembaum. Ego *supra.*

2 Contumelia importat dehonorationem alicuius, (3) siue per verba, siue per facta; & defectus culpæ per illam aperitur, veluti si voces aliquem latronem, leonem, vel quid simile, aut literis id publicè manifestes, vel ad eius ostium signa dehonorantia appingas. 3. D. Thom. 2. 2. *q. 72. art. 1.*

3 Æquo animo sustinere contumelias, laudabile est;

ac debitum ; non tamen tenemur eas ſilentio tolerare, cum ita cedunt in malum animæ irrogantis illas, vt inde fiat audacior, (4) vel quando ex tolerantia tacita earum impeditur profectus aliorum.

4. D. Gregorius *hom. 9. in Ezech.*

4 Qui contumeliis alium dehonorauit, tenetur ad reſtitutionem honoris : ita vt ſi nullus alius aderat, ab ipſo per ſe, aut per alium veniam expoſcat, ſeu ei pœnitentiam facti manifeſtet ; ſi verò coram aliis eum dehonorauit, teneatur coram ipſis illius honorem ſartum tectum curare. Vide *Honor, Reſtitutio.* Vbi inuenies, in quo differat contumelia à conuicio, ab improperio, & à detractione. Contumelia autem tunc eſt peccatum graue, cum eſt grauis dehonorantia ; quin ex animo dehonorandi grauiter erit culpa grauis, eſto de facto alter grauiter non dehonoretur.

5. Eman. Sà *in ſumm. verbo Contumelia.*

5 Omnes contumeliæ, ac iniuriæ, quæ honorem lædunt, (5) ſunt eiuſdem ſpeciei ; veluti omnes detractiones, quæ lædunt famam, eiuſdem ſpeciei ſunt, ſed tamen diuerſæ ab illis ; cum ſit diuerſum bonum in genere moris honor, quàm fama.

6. Sylueſter *verb. Contumelia, q. 3.* cum D. Thom. & aliis.

6 Corrigens ſubditum nequit liuore vindictæ contumeliis eum afficere ; at ſi ad opportuniorem correctionem pertineat, aliquam ei obiicere contumeliam, non iudicatur eum dehonorare, eſtò iraſcatur aduerſus illum, dummodò correctio ſit cauſa principalis improperandi. (6) Abſtinendum eſt tamen ab hoc correctionis modo, maximè aliis præſentibus.

## *Corporalia.*

1. *Cap. Conſulto, de cõſecr. diſt. 1.* D. Thom. *in 4. d. 13. q. 1. in reſp. ad 3.* & communis.

1 Corporalia nequeunt eſſe de panno ſerico, (1) aut intincto, ſed lineo, ac benedicto ab eo, qui benedicendi ſacra ornamenta poteſtatem habet. Et ſuper altare tres debent eſſe panni linei, in quibus ipſæ mappæ includuntur, ſuper quos Hoſtia, & calix apponantur. Cum abluuntur, prima ablutionis aqua in ſacrarium eſt immittenda ; id enim ſufficit, vt fragmenta Dominici corporis, ſi quæ remanſerint, reuerenter tractentur. (2)

2. Angel. *verb.*

2 Poſtquam

2 Postquam lauantur corporalia, non indigent noua benedictione; si verò rumpantur ita, vt quasi noua forma mutetur, nec sit exigua ruptura, benedictionem amittunt, quod est commune cæteris sacris ornamentis. *Corporalia, & in gloss. lit. C.*

3 Quamvis stando iuri (3) non possit fieri planeta ex vestibus fœminæ, & consequenter nec panni linei delicati, quibus illa aliquando vsa fuisset, in corporalia valerent mutari, at consuetudo id abrogauit; tum quia benedictione præstita, fit sacrum, quod fuerat profanum; tum quia pium, & laudabile est, in Dei cultum transferre vestes pretiosas, & pannos lineos delicatos, qui tamen solùm in manibus gestati fuissent; nam indusia, & his similia ob indecentiam non licet ad sacros vsus transferri. 3. Glossa *in c. ad nuptiarum, de consecr. dist. 1.*

## *Correctio fraterna.*

1 TEnetur quis denunciare delicta occulta, etiam sine correctione fraterna, quando vergunt in damnum publicum, seu Communitatis; (1) quia maior est iactura, quæ timetur, quàm iactura proximi denuntiandi. 1. Valentia, & plures apud Me *in Statera, dist. 1. q. 10. num. 112.*

2 Correctio fraterna contenta in verbis Christi D. *Si peccauerit in te frater tuus*, &c. est de præcepto, non solùm de consilio, iuxta Ecclesiæ Patres, & Expositores; (2) datur etenim præceptum naturale, & diuinum eiusmodi correctionis: vnde ea materia non est consilij, sed præcepti; sicut quando Christus monet, non esse mœchandum, non est consilium, quia ea est materia præcepti. 2. Maldonatus. Vasquez. Oviedo. Amicus, & plurimi apud Me *in Statera, dist. 1. q. 14.*

3 In Societate Jesu quilibet potest reuelare Superiori, vt patri peccata occulta aliorum ex ipsa Societate; extat enim regula de hoc approbata à Summis Pontificibus. Præceptum autem correctionis fraternæ obligat, dum quis suo iuri, & famæ propriæ non renuntiat; religiosi autem Societatis ei renuntiant. Potest autem hæc renuntiatio meritorie fieri. (3) In aliis autem sacris Religionibus non licet absque præeunte ea correctione deferri crimen Prælato, nisi vergat in 3. D. Thomas. Bañez. Pet. Ledesma. Zanardus.

damnum Communitatis ; vel casu quo Prælatus melius esset correcturus subditum, & simul hic non esset id ægrè laturus, nec eius bonæ opinioni esset detrahendum, nec in eo angor aliquis, ac metus ingenerandus. Si enim hæ circunstantiæ concurrant, non violatur præceptum, & finis illius melius obtinetur. (4) Ita tunc quidem nequit Prælatus, vt iudex procedere contra subditum delinquentem ; sed debet, vt pater, corrigere illum.

Serra, & plurimi apud Me *sup. q.15.*

4. D. Thomas. D. Antoninus. Tabiena. Armilla. Bonacina. Valentia, & alij apud Me *supra.*

4 Quando præcedente correctione fraterna, crimen denuntiatur Prælato, nequit hic totam pœnam legis infligere ; nam aliud est denuntiatio Euangelica, qua intenditur delinquentis emendatio ; aliud accusatio, in qua licet pœnam legis includere, vt detur satisfactio accusatori, & Reipublicæ. (5)

5. Nauarrus. Sotus. Th. Sanchez apud Me *sup.*

5 Nequeunt Prælati inferiores denuntiare delictum subditi Prælatis Superioribus, si non vergat in damnum Communitatis, ipseque Prælatus inferior possit delinquentem corrigere. Etenim ea denuntiatio esset contra iustitiam, notam subdito infligens ; charitati aduersaretur, rectam Religionis gubernationem inuerteret, diriſſiméque subditos grauaret. Idipsum est tenendum in Societate Jesu, & sic cauetur in Congregatione VI. Generali ; (6) & in Congregatione VII. (7) ac in plurib⁹ epistolis Generaliu⁹ ad vniuersam Societatem.

6. Decreto 60.

7. Decreto *de max. fest. delict. cap. 15. n. 2.*

8. Lugo. Th. Sanchez. Filiucius. Hurtado. Castr. Palao. Busembaum, & alij apud Me *in Scriera, a. ſſ. 1. q. 17.*

6 Culpa emendata non potest licitè denuntiari Prælato, neque vt patri, nec in Societate Jesu ; (8) nam emendatione posita, & ablato proximo periculo morali relapsûs, cessat motiuum charitatis, quod est spes emendationis ; & eo cessante, nullus titulus datur, quo honestetur denuntiatio. Emendatus autem censendus est delinquens, si post commissam culpam fuerit confessus Sacramentaliter, aut Eucharistiam sumpserit ; vel si occasio peccandi omninò cessauerit ; vel si delinquens seriò significet, se pœnitere culpæ, & in illam non relapsurum ; esset enim iudicium temerarium censere eum non esse emendatum, nisi aliunde eius contumacia in delicto constaret. Quin in dubio emendationis nequit denuntiari culpa, quæ non vergit in damnum Communitatis ; nam tunc etiam dubitatur an

an detur ratio honestans infamationem delinquentis: quo stante dubio, nequit vllus licitè operari. Hinc tenendum est, non dari in Societate Jesu cessionem iuris quoad manifestationem culpæ emendatæ, absque periculo morali relapsûs.

7 Correctio fraterna obligat, etiam repetia, cum spes emendationis datur, secùs aliter. Et præstanda est, cum crimen est occultum, *si peccauerit in te frater tuus*; id est, te sciente. Et eo non emendato, adhibendi sunt duo, aut tres testes, vt sic ille erubescat ampliùs, & consiliis eorum possit faciliùs à culpa auerti, timeatque eos, non vt exploratores vitæ alienæ, sed zelo recto in eius actiones intentos.

8 Vt præceptum correctionis fraternæ obliget, debent adesse hæ circunstantiæ, quòd adsit peccati non dubia cognitio, spes emendationis, opportunitas loci, temporis, & personæ; quòd non sit publicum, quòd non respuerit peccator, & quòd aliâ viâ opportuniori correctio ei non fiat. Hinc excusantur vt in plurimum sæculares, apud quos non videbis correctionis fraternæ communiter vsum. At Prælati regulares tenentur corripere subditos non solùm de culpis mortalibus, sed de venialibus, & de inobseruantia regularum. Et seruata proportione obligantur Prælati sæculares, & Magistratus ad corrigendum subditos.

## *Creditor.*

1 CReditores priuilegiati in solutione debitorum sunt anteponendi cæteris. Creditrix dotis. Creditor hypothecarius, qui res debitoris habet obligatas. (1) Creditor chirographarius, qui personam debitoris obligatam habet. Respublica creditrix: (2) qui deposuit pecuniam apud depositarium constitutum à Republica, ita vt consumpta pecunia transierit in mutuum, dum creditor vsuras non perceperit: (3) qui credidit pecuniam ad nauem fabricandam, emendam, aut instruendam. (4) An autem debita personalia ex delicto sint priùs, aut æqualiter soluenda, quàm

1. *Leg. Eos, Cod. qui potiores in pignore*, cum aliis.

2. *Leg Bonis venditis, ff. de priuileg. creditor.*

debita personalia ex contractu, sub lite est. Est probabilius, quòd debita ex delicto sunt anteponenda. (5) Si in aliqua Prouincia, aut loco peculiaria statuta dentur de anteponendis his, vel illis debitis, eis est standum. Dum autem ea non dentur, inter creditores æquè priuilegiatos, aut æquales, si bona cunctis debitis soluendis non sufficiant, pro rata sunt diuidenda, quin ad temporis anterioritatem attendatur. Ea autem in Hispania attenditur, cum datur concursus creditorum, & etiam in creditoribus gazæ regiæ, qui redditus annuos in illa sibi vendicant. Si autem creditor in sua potestate habeat bona aliqua debitoris, posse ex his recuperare suum debitum, quin ea diuidat inter alios, probabile est.

2 Creditor ex contractu oneroso præferendus est creditori donatario, ex sola gratuita donatione, necnon & legatariis. (6) Creditor qui mutuauit pecuniam ad reparandam hypothecam, præfertur creditoribus, quorum ius in illa hypotheca firmatum fuit. (7)

3. *Leg. Si venari, §. in bona, ff. de priuil. creditor.*

4. *Leg. Qui in nauem, ff. de priuil. creditor.*

5. D. Thomas. D. Antoninus. Medina apud Me *in Statera, d. ff. 6. q. 4.*

6. Bonac. *tom. 2. de restit. in genere, d. 1. q. 8. p. 2.* Nauarrus. Sylvest. & alij.

7. *Leg. Interdum, ff. qui potior. in pignore.*

## *Crimen læsæ Maiestatis.*

1 CRimen læsæ Maiestatis diuinæ est hæresis, apostasia à fide, & hisce similia, quæ ad sacrum Inquisitionis tribunal spectant. Crimen læsæ Maiestatis in primo capite est, machinari quidquam contra Principis supremi vitam, Statum, Dignitatem, hisque concernentia; necnon (1) occidere Magistratum Supremum, loco Regis gubernantem Regnum, aut Prouinciam.

2 Crimen læsæ Maiestatis minimè patrari à non subdito, aliqui aiunt. (2) Oppositum censeo, nam principaliter attenditur ad personam offensam. Filij eorum, qui sunt rei læsæ Maiestatis, priuantur bonis parentum; at si hi filij sint clerici, (3) non priuantur eiusmodi bonis.

1. D. Raphaël Vilossa in opusculo de hac materia.

2. Sylvest. *in sum. verb. Maiestas.* Eman. Sá.

3. Graffis *tr. de effect. Cleric. effect. 45.* Rolandus à Valle. Bartol. & alij.

*Cultus*

## *Cultus Dei, & Sanctorum.*

1 NVlli Sancto, qui non ſit canonizatus, aut beatificatus poteſt præſtari cultus; nec poteſt depingi cum radiis, aut aureola; his exceptis, qui per conſuetudinem immemorialem cultum habent, & pinguntur radiis, & aureolis inſigniti. Sic decreuit Vrbanus VIII. die 2. Octobris, anno 1625. in ſua Bulla. (1) Quæ conſuetudo exponitur per communem Eccleſiæ conſenſum, aut per immemorabilem temporis curſum, ſeu per Sanctorum Patrum ſcripta, ſiue per longiſſimi temporis ſcientiam, & demùm per tolerantiam Sedis Apoſtolicæ, ſeu Epiſcoporum conſenſum. 1. Habetur *t. 4. Bullarij, inter Conſtitutiones Vrbani VIII. num. 37.*

2 Cultus Dei alius eſt interior, quem ei interiùs præſtamus per tres virtutes Theologicas; (2) alius exterior, quo cum exteriùs adoramus. Adoratio autem eſt triplex; Latria, Hyperdulia, & Dulia. 2. D. Thom. 2. 2. *q. 8. art. 5.*

3 Latria eſt adoratio, qua Deum honoramus, & colimus, & eſt ſeruitus quædam, quæ ſoli Deo per ſe, & quibuſdam aliis ratione Dei debetur. Hæc adoratio præſtatur toti Trinitati, ſinguliſque diuinis perſonis; humanitati Chriſti, quatenus eſt vnita Verbo; imagini Chriſti; Hoſtiæ Conſecratæ, & ſanguini; Cruci repræſentanti Chriſtum extenſum, eum tangenti, ipſiuſque ſanguine perfuſæ, ſimiliterque ratione contactus, & perfuſionis ſanguinis, claui, lancea, corona, & huiuſmodi cætera hac adoratione coluntur.

4 Hyperdulia eſt adoratio, ac ſeruitus præſtita creaturæ ex vnione, aut ſpeciali conuenientia cum Deo. Sic adoratur Deipara Virgo, quatenùs eſt mater Chriſti. Et præterea ſi humanitas Chriſti ſecundum ſe, vt creatura conſideretur, hac adoratione eſt colenda; verùm nunquam, dum Chriſtum colimus, eam præciſionem cogitamus, Chriſtum autem adoratione latriæ tenemur colere, cum Chriſtus ſit Deus.

5 Dulia eſt adoratio, ac ſeruitus, qua honoramus creaturam

creaturam ratione ſanctitatis, ac amicitiæ cum Deo; hæc autem ſanctitas debet conſtare per declarationem Sedis Apoſtolicæ; quare etſi eximij ſint fama ſanctitatis aliqui viri, aut fœminæ, nequeunt adoratione duliæ coli, donec accedat Pontificia declaratio. Id tamen non tollit, quominùs quis interiùs poſſit ſe commendare precibus, ac patrocinio alicuius, quem certò iudicat, ob eius vitæ ſanctimoniam, cœleſti patria gaudere; quod enim prohibetur, eſt cultus exterior, & adoratio, quæ per ſigna exteriora præſtatur.

## D

## *Debitum coniugale.*

1. *Cap. Ad limina, 30. q. 1.*
2. D. Thomas. Abbas. Sotus. Neuo. Nauarrus. Cañedo, & plures apud Me *in Stateta, diſſ. 5. q. 20.*
3. *Cap. 1. & 2. 30. q. 1.* D. Thomas. Suarez. Th. Sanchez *vbi ſuper.*
4. Suarez. Henriquez.

1 CONIVX baptizans in caſu neceſſitatis filium, non prohibetur à petitione debiti, (1) vt ex Iure conſtat. Neceſſitas autem datur cum alius non adeſt, qui baptizet. Idem dicito, ſi in caſu neceſſitatis ſit patrinus in Sacramento Baptiſmi, aut Confirmationis; (2) nam licèt ſint valida ea Sacramenta ſine patrino, tamen hic requiritur ex præcepto, & vt ſeruetur Sacramenti ſignificatio, quæ eſt ſufficiens neceſſitas. Extra neceſſitatem autem baptizans filium, aut obiens munus patrini, peccat grauiter; nam alius debèt eſſe pater carnalis, alius ſpiritualis; illudque in iure prohibetur. (3) Et priuatur iure petendi debitum; (4) ea enim impedimenta, quæ obſtant ad contrahendum matrimonium, ſi ſuperueniant matrimonio contracto, impediunt petitionem debiti, neceſſariaque eſt diſpenſatio ad illud petendum. Poteſt tamen illud reddere; nam ob culpam nocentis alter coniux innocens non debet priuari ſuo iure petendi.

2 Adſtrictus voto caſtitatis, & contrahens matrimonium, nequit petere debitum, & peccat, quotieſcumque petit, non ſolùm in prima petitione illius, ſed

sed in sequentibus; (5) nam votum castitatis includit obligationem præcepti negatiui, quæ est semper, & pro semper, nempe non consentiendi, nec exercendi actus venereos. Quare debet dispensationem poscere ad petendum; & eâ obtentâ, adhuc durat obligatio voti respectu cuiuscumque alterius non coniugis: & si è viuis excedat coniux, manet impeditus voto ad contrahendum aliud matrimonium. At adhuc ante obtentam dispensationem potest reddere debitum.

Sà, & innumeri apud Me *supra*. 5. Toletus. Valentia. Th. Sanchez. Gasp. Hurtad. Layman. Reginaldus. Coninch, & alij apud Me *in Statera, diff. 5. q. 21.*

3 Adulter & adultera priuantur iure petendi debitum, non tamen peccant petendo; idque operatur ea iuris priuatio, quòd si alter coniux nolit reddere, non teneatur, nec peccet.

4 Si coniux consentit, vt alter votum castitatis emittat, nequit ei reddere debitum, quia ille petens peccat, & alter non potest cooperari peccato. At potest ab illo, qui vouit, petere debitum: nam (6) ille reddens non peccat; alter verò, dum consensit in eius votum, noluit se obligare ad non petendum debitum. Cum autem vterque ex consensu votum castitatis emittunt, neuter valet petere, nec reddere debitum; atque in eo voto solus Pontifex dispensare potest.

6. Sotus *l. 7. q. 3. art. 1.* Nauarrus. Sylvester. Eman. Sà, & alij.

5 Primis duobus mensibus post ratum matrimonium potest coniux non reddere debitum; & etiam ingredi Religionem, renuente adhuc altero coniuge, qui debet exspectare, in casu ingressus, quòd ille emittat professionem, seu vota, quæ eum (si sit vir) verum Religiosum constituant, vtpotè in Societate Jesu: neque enim antè dissoluitur matrimonium. (7)

7. Th. Sanchez. Bas. Poncius. Diana. Henriquez. Leand. à Sacram. & alij.

6 Nisi rationabilis causa excuset, peccat grauiter coniux non reddens (8) debitum petenti. Causæ autem sunt infirmitas; periculum infectionis morbi; adulterium petentis; locus sacer, & etiam publicus; modus indebitus, quo peritur, aut periculosus generationi, & similes. Tempore verò menstruorum non est mortale 9) petere, nec reddere. Estò si prudenter timeat vxor, inficiendum esse virum, nequit petere; & id est consiliandum.

8. Communis 9. Caietan *in summ. verbo Matrimonium.* Fun. Sà.

7 Qui vouit Religionem, si semel consummauit matrimonium, potest deinde petere debitum; nam votum

Paludanus. Valentia. Lud. Lopez. Nauarrus.

votum Religionis ingrediendæ non est votum Castitatis. Impedit quidem illud votum, non dirimit matrimonium; nec potest qui vouit primus petere debitum absque dispensatione.

8 Non extante contemptu, non est peccatum mortale ante benedictiones nuptiales copulari coniuges.

10. Viuald. *de matrim. n.* 154. Lud. Lopez. Nauarrus. Eman. Sà, & alij.

(10) Dubitans de valore matrimonij, potest reddere debitum; quin si facta inquisitione dubius persistat, valet deponere practicè dubium, & petere debitum.

11. Valent. *tom.* 4. *d.* 8. *q.* 6. *punct.* 2. Nauarrus. Eman. Sà. Th. Sanchez. Lud. Lopez. Ledesma.

(11) nec tenetur credere, quin nec dubitare, ob vnum testem, qui inualiditatem deponat, cum sit fauendum matrimonio.

9 Amenti, furioso, aut ebrio non tenetur vxor reddere debitum, quia non petit vt homo; quòd si is foret se polluturus, aut accessurus ad aliam fœminam, probabilius est, teneri fœminam, saltem ex virtute charitatis reddere.

12. Fagundez. Th. Sanchez. Diana, & alij.

(12) Si verò vxor sit amens, nequit maritus petere, nec reddere debitum, ob periculum abortus, nisi iam ipsa ob ætatem esset sterilis. Quòd si vterque coniux laborent amentia, grauiter peccaret, qui eos faceret copulari, ob periculum praui vsus in copula, abortus in fœmina, & malæ educationis prolis.

10 Si animaduertat maritus, vxorem fore petituram debitum, nisi pudore fœmineo corriperetur, tenetur

13. Eman. Sà *verb. Debitum coniugale.* Nauarrus, & communis.

reddere: (13) nam ea est petitio interpretatiua; sicut tenetur cum fit per signa, aut nutus: & quidem negatio debiti est peccatum contra iustitiam, cum non adest sufficiens excusatio.

11 Coniux, qui consanguineam vxoris (& è conuerso) in primo, aut secundo gradu cognouit, nequit absque dispensatione petere debitum ob nouam affinitatem contractam cum vxore, quæ ex copula illicita non excedit (14) secundum gradum; nec vxor tenetur reddere, quæ tamen valet petere, & ille petenti reddere tenetur.

14. Trid. *sess.* 24. *c.* 4. *de reform.*

12 Si sæpissimè concedatur debitum petenti illud frequenter, semel aut iterum negare, seu ad modicum tempus, vel opportunius differre, dum non agnoscatur periculum proximum pollutionis in petente, non est peccatum mortale, cum in materia petendi & negandi

gandi illud, si quæ potest excogitari parua materia, sit hæc. (15)

13 Non est peccatum mortale copula inter coniuges habita diuerso modo à communi, dum non sit periculum effusionis seminis extra vas, nec item abortus occasio. (16) Nec est peccatum lethale copula inter coniuges sequenti die accepturos Eucharistiam; (17) estò ob reuerentiæ defectum vix possit in petente à veniali excusari, absque vrgenti causa; in reddente autem culpa non datur.

14 Votum de non reddendo debitum est iniustum, cum sit absque consensu alterius coniugis, cum sit contra iustitiam. Si vterque coniux castitatem voueant, torum separare tenentur, aliàs constituuntur in periculo proximo frangendi votum.

15 Excusatur maritus à reddendo debitum ob causam debilitatis aduenientis aut ex ieiunio, aut ex præcedenti copula, seu alio simili: tunc enim impotentia eum deobligat. Vxor autem non inde deobligatur, estò sciat, non fore emissuram semen, cum id non requiratur ad licitam copulam.

16 Copula inter coniuges, estò finis non sit procreatio liberorum, non est peccatum mortale, imò nec veniale, cum non datur excessus voluptatis; nam in remedium concupiscentiæ etiam institutum est matrimonium: aliàs cum vxor iam non est apta pariendo, semper venialiter peccaretur in copula, quod non est admittendum; & tenerentur illi coniuges separare torum, siquidem tenemur ad vitanda peccata venialia, & periculum proximum illorum. Nullus autem eam separationem necessariam enuntiabit. Quin non possent fœminæ quinquagenariæ nuptias contrahere, si copula illa esset culpa venialis. Quod nullus asseret.

17 Post copulam inceptam inter coniuges, dum non sit periculum pollutionis extra vas, aut in fœmina seminationis, non est peccatum lethale, nec veniale eam omittere, siue ob non procreandos plures filios, quos alere, & educare nequit vir; siue ob vitandam debilitatem, quæ ex seminatione timetur, vel ob similem rationem. (18)

15. Diana *p.* 5. *tr.* 5. *res.* 14. Cornejo.

16. Card. Toletus *l.* 7. *c.* 20. Valentia. Nauarrus. Eman. Sà.

17. Viualdus *de matrim. n.* 263. D. Thomas. Nauarrus. Card. Toletus. Eman. Sà, & alij.

18 Co

18. Fumus *in Armilla, verbo Debitum coniugale, num.* 9. Paludanus. Eman. Sà. Th. Sanchez.

18 Copula cum vxore nuper enixa est peccatum veniale, quia aliquod damnum infligitur: (19) quod si graue damnum timeretur, esset mortale.

19. Lud. Lopez. *p.*1. *q.*83. Sotus. Eman. Sà.

19 Copulam cum vxore habere ea cogitatione, ac si non esset vxor, est peccatum graue, & eius malitiæ, quæ sumitur à fœmina, quæ habetur pro obiecto, seu concupiscitur.

20 Si alter ex coniugibus affirmet, se non consensisse voluntariè in matrimonium, alius ei non tenetur credere, & inde potest petere debitum; nisi ex circunstantiis, quæ occurrerunt in contractu matrimonij id possit prudenter arbitrari; quo casu nisi reualidetur consensus, nec potest petere, nec in matrimonio persistere. Spectat autem, si dissoluendum illud sit, ad affirmantem se non consensisse, id probare; quòd si pro foro externo non probet, cum pro eo dissolui nequeat, tenetur elicere, ac validare consensum.

20. Th. Sanchez afferês plures.

21 Postquam maritus se retraxit, si vxor non seminauerit, eam se prouocare ad seminationem, eo quòd sit perfectio actus coniugalis, aiunt aliqui, non esse peccatum mortale. (20) Sed oppositum (21) sentio. Vide *Matrimonium.*

21. Castr. Palao. Texeda. Diana. Ego *in Statera, diff.*5. *q.*18.

22 Inceptio copulæ coniugalis in vase præpostero, adhuc eo non penetrato, seu in ore vxoris, etiamsi adsit animus consummandi copulam in vase debito; nec detur periculum pollutionis extra illud, est peccatum lethale; nam est inchoatio copulæ contra naturam. (22)

22. Basil. Poncius. Fagundez. Diana, & alij.

23 Cæteros omnes libidinosos tactus, ac delectationes cum cogitatione coniugis non præsentis, inter coniugatos, dum non detur periculum pollutionis, certò probabile est, non esse peccatum mortale; (23) sed consulendum est, abstineri ab his, quæ secum maiorem impudicitiam afferunt, & nimium voluptatis ardorem demonstrant; tum quia id est tutius, cum non pauci peccati (24) mortalis aliqua ex his damnent, & saltem peccatum veniale in eis detur.

23. Th. Sanchez tum pluribus.

24. Basil. Poncius. Vilhlobos. Præpositus, & alij.

*Decimo,*

## *Decimæ, & Primitiæ.*

1 DEcima, quæ Eccleſiæ debetur ad ſuſtentationem miniſtrorum, datur Deo, vt ſic proteſtentur fideles, Deum eſſe Authorem omnium fructuum. Primitiæ ſimiliter Eccleſiæ debentur, nempe ex quinque primis vnum, & non amplius, etiamſi ex eo fructu, ex quo primitiæ ſoluuntur, plurimum colligatur.

2 Ex omnibus terræ fructibus, quicumque illi ſint, decima pars Eccleſiæ debetur, & vocantur decimæ prædiales. At ſi quis in ſuo horto ob voluptatem, vel commodum habeat aliquas arbores, aut olera, (dum hæc non in magnam partem ſuſtentationis familiæ inſeruiant) ex his primitiæ, & decimæ non ſoluuntur; (1) ſicut nec de minutiſſimis rebus, quæ in minutiſſima quantitate (2) colliguntur.

3 Standum eſt conſuetudini legitimæ diœceſum, & locorum; nam in aliquibus diœceſibus Italiæ, nec decimæ, nec primitiæ ſoluuntur; eo quòd Eccleſiis iam aſſignauerint fideles prædia, & poſſeſſiones. In aliquibus oppidis non ſoluuntur de rebus minutiſſimis, vt cepis, alliis, pullis, & ſimilibus. Præterea circa decimas, & primitias, quas ſoluere debent domus religioſæ Parochis, intra quorum terminos habent prædia, regula fixa nequit apponi, ſed ſtandum eſt conſuetudini, & conuentioni inter ipſas, & Eccleſias habitæ, cum circa id multæ lites extiterint, & extent, maximè in Hiſpania, & Indiis: non obſtantibus priuilegiis Religionum.

4 Quando inter Parochum, & parochianum ſuper ſoluendis decimis, & primitiis lis agitur, in dubio ſtat pro Eccleſia, & Parocho ratio. (3)

5 Si detur præſcriptio (quæ in perſonis priuatis poteſt dari) non ſoluendi decimas, & primitias, eximuntur illæ ab eorum ſolutione. Tempus autem requiſitum (4) ad præſcriptionem decimarum eſt quadraginta anni cum titulo; & tempus immemoriale ſine titulo. Cæterùm poteſt Eccleſia in Concilio, adhuc Metropolitano

1. Caſtr. Palao *part. 2. tr. 10. diſp. 1. punct. 7.* & plurimi.

2. D. Thom. 2. 2. *q. 87. art. 2. ad 3.*

3. Fontanella *tom. 1. de pactis nupt. claus. 4. gl. 19. p. 1. num. 61.* Michael Ferrer. *part. 3. cap. 274.*

*Toló tit. de decim.*

Metropolitano, cogere vt ſoluantur, non obſtante conſuetudine, & præſcriptione. Sic decretum fuit in Concilio Tarraconenſi, (5) reſpectu diœceſium ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi exiſtentium.

4. Couarruuias *l. 1. var. c. 17. num. 8.* Guttierrez. Molina. Suarez. Diana. Caſtro Palao.

6 Non ſoluentes decimas, iubetur à Tridentino (6) excommunicari, & non abſolui, niſi præſtita reſtitutione.

7 Peccat grauiter, qui pro decimis ſoluit deteriores fructus ex his, quos colligit; tenetur enim ſoluere iuxta qualitatem in communi ſumptam eorum, quos percipit, quin diſcernat peiores ab aliis, vt decimas ſoluat.

5. In Conſtitut. Tarrac. *l. 3. tit. 18. c. 7.*

6. *Seſſ. 25. in Decret. de reform. c. 12.*

8 Standum eſt conſuetudini circa decimas fructuum, quos ipſi Eccleſiaſtici ex ſuis prædiis colligunt, an ſint eas ſoluturi; ſicut etiam an Eccleſia, cui prædium donatum eſt, teneatur eas ſoluere alteri Eccleſiæ, cui priùs eæ ſoluebantur; cum id onus ſemper afficiat illud prædium, niſi aliter mos decernat: quo non extante, debentur; non verò debent eas Clerici ex fructibus ſui patrimonij, dum Eccleſiæ inſeruiant, ſi conſuetudo non obſtet. (7) Eidem ſtandum eſt circa fructus gregum, & armentorum, quorum decimæ, niſi ea reſiſtat, ſoluendæ ſunt pro medietate Parocho domini illorum, & item Parocho loci, in quo paſcuntur; & hæ vocantur decimæ mixtæ, quia requirunt etiam induſtriam in cuſtodiendis, & paſcendis gregibus, & armentis.

7. Eman. Sà *in ſumm. verbo Decimæ.* Syluester.

9 Decimæ ſoluendæ ſunt loco, & tempore vbique præfixo, nec ex illis detrahendæ ſunt expenſæ factæ in cultu prædiorum, nec in colligendis fructibus; (8) nec præterea deducendum eſt ſemen, eo quòd ex illo antecedenter fuerint ſolutæ decimæ; nam illud non eſt, quod colligitur, cum in terra mortuum fuerit, ſed fructus illius, qui ſunt ab eo diuerſi. (9)

8. *Cap. Cum homines, de decim.*

9. Fumus *in Armilla, verbo Decimæ, n. 2.* Hoſtienſis, & communis.

10 Non ſoluentes decimas peccant lethaliter. In iure (10) extat excommunicatio contra Religioſos, qui retrahunt vel in concionibus, vel alibi fideles à ſoluendis decimis.

10. *Cap. Sapientes, de pœn. Cler.*

11 Decimæ nequeunt permutari pro re temporali abſque conſenſu Pontificis, quippè eſſet ſimonia; nec abſque eo valet laicus eas percipere.

12 Niſi

12 Niſi extet conſuetudo contraria, non ſoluuntur decimæ perſonales, ſeu ex lucris merè induſtrialibus, ſeu merè perſonalibus, quæ proueniunt ex negotiatione, artificio, ſcientia, militia, venatione, & aliis huiuſmodi.

13 In lege veteri debebantur decimæ de iure diuino iudiciali, nempe erat præceptum iudiciale; hinc nunc non debentur de iure diuino, ſed Eccleſiaſtico: quare poteſt alicubi præſcribi conſuetudo non ſoluendi illas. At ſi clericus inſeruiat Eccleſiæ, & non habeat vnde ſuſtentetur, ex iure diuino debent eum parochiani ſuſtentare.

## *Declarationes Cardinalium.*

DEclarationes Cardinalium factæ conſulto Pontifice, & publicatæ eo modo, quo leges Pontificiæ promulgari ſolent, habent vim obligandi. (1) Conſtat ex Bulla Sixti V. (2) Si non ſint publicatæ, ſed authenticè conſtet de illis per Notarij inſtrumentum, aut epiſtolam, vel ſigillum alicuius Cardinalis, vel per monitorium Auditoris Cameræ, etiam obligant. (3) Oppoſitum eſt tutò probabile. (4) Nam etiam declaratio legis facta à Principe, dum non publicatur, non obligare cenſetur. Quòd ſi illæ Declarationes non ſint publicatæ, nec conſtet authenticè de illis, nec conſtet fuiſſe factas, conſulto Pontifice, ſed tantùm ab Authoribus referantur, non obligant, (5) quia deſunt eis eſſentialia requiſita ad obligandum: & non ſemel reperiuntur in Authoribus Declarationes Cardinalium inuicem contrariæ. Cæterùm Deciſiones Sacræ Rotæ non habent vim obligandi ad aſſenſum, nec ad iudicandas lites iuxta illas. Sunt quidem ſententiæ prolatæ ab Auditoribus, Judicibus ſanè integerrimis, & doctiſſimis, in cauſis Eccleſiaſticis, qui plurimùm authoritatis deferunt his opinionibus, iuxta quas decidunt cauſas.

1. Communis.

2. Incipit, *Immenſa*, anno 1588.

3. Garcias. Salas. Rodriguez relati, & ſubſcripti à Caſtr. Palao *tom.* 1. *tr.* 1. *d.* 5. *p.* 3.

4. Bonac. *d.* 1. *de leg. q.* 1. *punct.* 8. Fajardo. Suarez. Lorca. Salas, & alij.

5. Communis.

# *Degradatio.*

1 DEgradatio eſt ablatio Ordinis, ſeu eius vſus, per quam priuatur clericus degradatus executione Ordinis, ac Beneficio, necnon priuilegio Clericali, ſit ſit actualis degradatio; vnde poſtmodùm ſi crimen committat, poteſt à iudice ſæculari puniri, nec eum percutiens incidit in (1) excommunicationem Canonis. Hæc pœna, quia grauiſſima eſt, non niſi ob delictum enorme infligi valet. Et quamvis communiter non degradetur, niſi qui ſacris eſt initiatus; tamen etiam degradari queunt hi, qui primam Tonſuram, & minores Ordines habent. Qui autem degradatur, ſolùm à Pontifice poteſt in ſtatum priſtinum reſtitui.

1. Card. Toletus *lib. 1. ſumm. cap. 17. n. 10.* Sylueſter. Eman. Sà, & alij.

2 Degradatio alia eſt actualis, alia verbalis. Prima fit, cùm degradandus indutus ornamentis ſacris paulatim ab eis exſpoliatur, & Epiſcopus proprius degradans verba ad id diſpoſita pronuntiat, aliæque cæremoniæ adhibentur præſentibus pluribus in Dignitate, aut Munere Eccleſiaſtico conſtitutis. (2) Et hæc eſt degradatio, quæ præſtatur communiter; nam verbalis non adeò facilè executioni mandatur: fit enim abſque ea exſpoliatione ſacrarum veſtium per verba, præſentibus tamen ſex Epiſcopis ad degradationem presbyteri, & tribus ad degradationem diaconi, ſeu ſubdiaconi. (3) Ex his cernitur, degradationem eſſe actum ſpiritualem poteſtatis Eccleſiaſticæ; vnde ſimonia daretur, ſi pro re temporali fieret.

2. *Cap. Degradatio, de pœn. l. 6.*

3. *Cap. nuper dicto,* cũ Gloſſa. Angel. *verbo Degradatio*; & *ibi* Gloſſ. *lit. F.* Sylueſter.

3 Degradatus tenetur recitare Horas Canonicas, (abſque *Dominus vobiſcum*) ſi ſit in ſacris, quia character Ordinis eſt indelebilis, & degradatio non fit in eius commodum. Hinc eſt, quòd ſi ille abutens Ordine Presbyteratus, & ſacrilegè operans conſecraret Hoſtiam, aut Calicem, conficeret Sacramentum. (4) Fit etiam, quòd in articulo mortis validè abſoluat Sacerdos degradatus: quin & licitè, ſi non adſit alius Sacerdos.

4. Archidiacon. *in c. oſtenditur, de conſecr. d. 4.* Angelus. Ioan. Andreas. D. Thom. &

4 Degradatus ſolùm verbaliter non amittit in continenti forum, nec fit fori ſæcularis; (5) quare eum percutiens,

percutiens, contrahit excommunicationem canonis. Si autem ſequatur incorrigibilitas, amittit forum, ſed poſt ſententiam iudicis Eccleſiaſtici. cum eo communis.

5. Panormitan. *in cap. Ad abolendã, de hæreſ.* Fumus. Angelus.

5 Degradatio differt à depoſitione, quia in hac ita priuatur quis vſu Ordinum, & Beneficiis, vt non propterea priuilegium clericale amittat. Prætereà differt à ſuſpenſione, quia hæc fit per tempus præfixum; & quamvis fiat abſque termino, poteſt diſpenſari ab eo, qui illam inflixit; & rursùs ſuſpenſio non comprehendit neceſſariò omnes vſus ordinis, & Beneficij, cum poſſit quis ſuſpendi ab hoc, aut illo actu.

6. *Cap. Ad Abolendã, de hæreſ.*

6 Degradatus traditur brachio ſæculari puniendus propter crimen (6) hæreſis; nempe ſi ſit hæreſiarcha; ſi in hæreſim ſemel punitus iterum relabatur; ſi ſit hæreticus impœnitens. Deindè falſarius literarum Papæ. (7) Rursùs ſi grauem calumniam impoſuit ſuo Epiſcopo, & ſit incorrigibilis. (8) Et demùm cum ita enorme eſt delictum, vt nequeat à Iudice Eccleſiaſtico condignâ pœnâ mulctari. Eiuſmodi iudico crimen læſæ Maieſtatis, ſaltem in primo capite; proditionem patriæ; parricidium; aſſaſinacum; homicidium proditorium Sacerdotis cum exſpoliatione bonorum; plura homicidia repetita, & alia huiuſmodi. Cum autem poteſt ſufficienter à iudice Eccleſiaſtico mulctari aut pœnâ triremium, aut perpetui carceris, ſiue immurationis, vel ſimilium, non eſt tradendus iudici ſæculari. At pœna mortis nequit à iudice Eccleſiaſtico infligi, nec item ea, quæ moraliter affert periculum ferè ineuitabile mortis. Iuxta communem praxim non degradatur, niſi qui tradendus eſt Curiæ ſæculari ad punitionem; vnde iuxta eam crimina illa requiruntur ad degradationem, quæ neceſſaria ſunt ad tradendum Curiæ ſæculari degradatum.

7. *Cap. Ad falſariorum, de crim. falſi.*

8. *Cap. Si quis ſacerdotum, 11. q. 1.* iuncta Gloſſa *in cap. cum non ab homine, de iudic.*

## *Denuntiatio.*

1 DEnuntiatio criminis variè ſolet diuidi, & diuerſimodè exponi. Ad praxim autem alia eſt

euangelica, de qua verbo *Correctio fraterna*; alia regularis, quæ in ſacris Religionibus iuxta cuiuſque ſtatuta apud Prælatos vſitatur, circa religioſorum culpas, in quibus ſeruandus eſt ordo in eis præfixus. Alia canonica, per quam intenditur, quod Prælatus corripat ſubditum, vt à culpa recedat, non verò vt puniat. Alia demùm iudicialis; & hæc vel priuata, vel publica: priuata tendit ad bonum proprium denuntiantis obtinendum, quo fraudari conqueritur; alia publica, quæ tendit ad bonum externum: ſic eſt obligatio denuntiandi apud Quæſitores ſacræ Fidei, eos qui patrant delicta, quorum cognitio ad eorum Tribunal ſpectat. Sic etiam denuntiantur, qui aliquid publicè prohibitum committunt; qui prohibita arma deferunt; qui merces clam portant, ne ſoluant vectigalia, & alia eiuſmodi; & ſæpè denuntiatoribus applicata eſt pars aliqua bonorum, quæ propter denuntiationem confiſcantur.

2 Cum Epiſcopus, aut Prælatus præcipit, denuntiari ſibi aliquod delictum, ſi id ſit eiuſmodi, vt in eo locum habeat correctio fraterna, ante hanc nequit (1) denuntiari, cùm ea ſit de præcepto diuino, quæ anteponenda eſt humano. Hinc etiamſi iurauerit quis denuntiare crimina, iuramentum intelligitur eo modo, quod id præſtare ſit licitum; nam iuramentum de illicitis non obligat; ſicut ſi iuraſſet non denuntiare, intelligitur dum denuntiare non teneatur.

1. Fumus *in Armilla, verbo Denunciatio, & communis.*

3 In eo differt denuntiatio ab accuſatione, quòd accuſatoris intereſt probare crimen; at non tenetur ad id denuntiator, eſto nequeat communiter denuntiare, quod probare nequit ſaltem (2) per vnum teſtem. Verùm crimina hæreſis, & huiuſmodi denuntianda ſunt, eſtò nequeat quis illa probare. Alia etiam delicta denuntiari poſſunt, vt iudex (3) de eis inquirat, maximè cum in damnum aliorum vergunt. Quòd ſi tendant in proditionem patriæ, aut quid ſimile, denuntiari debent, nulla præmiſſa monitione.

2. Nauarr. *cap. Inter verba, num.* 23.

3. Salon *q.* 68. *art.* 1. *concl.* 2. Nauarrus. Victorellus.

4 Cum deſignatur à Prælato tempus, quo crimen eſt denuntiandum, tenetur quis intra illud denuntia-

re;

re ; at ſi tranſactum ſit, non manet deobligatus, ſiue culpâ ſuâ id omiſerit, ſiue inculpabiliter ; ( 4 ) tenetur enim quam primùm poſſit, denuntiare.

4. Eman. Sâ *verb. Denunciatio.* Nauar. & alij.

5 Non tenetur quis denuntiare niſi quæ vidit, aut à fide digno audiuit, ( 5 ) aut ab ipſo, qui perpetrauit ; ita vt denuntianti certum illud videatur ; niſi ob qualitatem delicti præcipiatur denuntiari adhuc cum minori ſcientia, ſaltem probabili.

5. Innocent. *in cap. cum cauſa, de iureiur.* Nauarrus. Taruiſinus.

6 In denuntiatione proſpiciendum eſt famæ denuntiati : quare vbi emendatus eſt, non poteſt denuntiari ; ( 6 ) nec cum certò ſcitur, fore emendandum, vel iam pœnitere criminis, quod parabat. Denuntians autem prauo fine crimen graue, peccat mortaliter.

6. Sotus *de rat. teg. in 2. q. 6.* Adrianus. Nauarrus. Richardus, & alij.

7 Delicta venialia, quæ infamare nequeunt, poſſunt etiam abſque monitione denuntiari. Mortalia verò, cum ſunt publica, aut non eſt ſpes emendationis abſolutè, vel quia ſunt præparatio certa ad alia patranda, poſſunt abſque correctione fraterna denuntiari ; & cum datur præceptum de illis denuntiandis, tenetur quis denuntiare, adhibita omni circumſpectione, iuxta qualitatem perſonæ, & delicti. ( 7 )

7. D. Anton. *2. p. tit. 9. c. 6. §. 4.* Vide D. Thomam *2. 2. q. 33. art. 7.*

8 Quando præcipitur, denuntiari furem, incendiarium, percuſſorem, & ſimiles, non tenetur quis denuntiare patrem, auum, vxorem, filium, neporem, alioſve valdè ſanguine coniunctos ; ( 8 ) ſicut nec ſe ipſum, eorum enim infamia ſupra ipſum reflectitur ; & pietas, ac ſanguinis vinculum excuſat.

8. Angel. *verbo Denuntiatio*, vbi plurus textus iuris affert. Raynaudus. Diana, & alij.

9 A munere denuntiandi nullus excluditur, atque adeò id queunt præſtare minores, mulieres, infames ; ( 9 ) hi verò eatenùs admittuntur, ſi in ſuis criminibus non perſiſtant, aliter præſumuntur prauo fine, & non bono zelo denuntiare.

9. Gloſſa *in c. Si peccauerit, 2. quæſt. 1.*

10 Cum quis cum alio complice, vel complicibus delictum commiſit, non tenetur eos denuntiare, quia denuntiaret ſeipſum, ad quod non tenetur. ( 10 ) At tenetur denuntiare crimen hæreſis alterius, non ſe denuntians, etiam ſi ipſe damnum percipiat, niſi id eſſet tantum, quod eum cogeret ad mutandum ſtatum ; ſed nec ad id foret inſpiciendum, ſi ex omiſſione

10. Diana *p. 1. tr. 4. reſ. 8. & 9.* Suar. & alij.

sione denuntiationis graue periculum communicati immineret. ( 11 )

11. Ipse Diana *ibi resp. 7. & p. 4. tr. 5. resp. 36.* Seraph. de Freytas, & alij.

11 Quando præcipitur, denuntiari crimen infrà tot dies, non esse computandum eum diem, in quo publicatur denuntiatio facienda, sed incipiendam computationem à die sequenti, ea ipsa hora, qua est publicata, certò probabile est: nam ille dies iudicatur necessarius, vt in notitiam perueniat edictum, cui omnes assistere nequeunt. ( 12 )

12. Freytas. Diana.

## *Denuntiationes matrimonij.*

1 ANtequam matrimonium contrahatur, denuntiationes in Ecclesia præcedere debent, ( 1 ) vt à quocumque sciatur aliquod impedimentum dirimens, vel impediens, denuntietur. Hæ denuntiationes debent ter fieri diebus festiuis, vt maior sit populi concursus, ad cuius notitiam perueniant; non tamen sunt faciendæ tribus diebus festiuis continuis, sed inter vnum, & alium intercedere est necessum duorum, aut trium dierum interuallum, vt temporis sit spatium, quo & ad omnium notitiam peruenire queant denuntiationes, & impedimenta, si quæ sint, explorari, ac denuntiari commodè valeant.

1. Trid. *sess. 24. c. 1. de reform.*

2 Vnam ex denuntiationibus omitti, non esse peccatum mortale, ( 2 ) certò probabile est; ad materiam enim leuem reducitur. Episcopus ex causa dispensare potest, vt vna, aut duplex monitio omittatur; quin etiam certò probabile est, Vicarium Episcopi posse dispensare, dum in hoc non limitetur ei ab ipso Episcopo potestas. Quod ex stylo cuiusque diœcesis constabit.

2. Th. Sanchez. Diana, & alij.

3 Valet etiam Episcopus dispensare, dum est periculum in mora, quod contrahatur matrimonium, nulla præmissa denuntiatione; & postmodùm vel triplex, vel saltem vna facienda est, nisi in hoc etiam dispensetur ex graui causa, & interim coniuges non sunt copulandi. At si certissimè constet, non adesse impedimentum, non peccabunt illi mortaliter consummando matrimonium (3) ante denuntiationes faciendas.

3. Diana *p. 9.*

faciendas. Attamen tunc si nolit reddere debitum coniux, non peccabit. *tr. 8. resol. 9. Sotus, & alij.*

4 Faciendæ denuntiationes sunt in parochiis vtriusque coniugis, si sint ex diuersis: si verò sint vnius, in illa. Quòd si sint absentes, & contrahant per procuratorem matrimonium, debent fieri denuntiationes in vtroque loco, vbi adsunt. Est autem certò probabile, (4) quod si Episcopus loci, vbi est vnus ex coniugibus, dispensset in omissione denuntiationum, posse omitti in diœcesi alterius; atque id in praxim aliquando obseruari deductum. Ea cæterùm Parochia iudicatur esse cuiusvis coniugis, in qua domicilium habet, & diutiùs versatus est. Quin cum contingat in pluribus vrbibus aliquem mutare parochiam, si ad diuersum callem mutet habitationem, censeo denuntiationes esse faciendas in ea Parochia, ad quam actu pertinet, etsi paucis antè diebus illuc aduenerit; aliàs daretur confusio, & opus esset, in pluribus Parochiis fieri denuntiationes. 4. *Th. Sanchez, Diana, & alij.*

5 Vno teste denuntiante impedimentum, potest Ordinarius interdicere matrimonium, donec veritas exploretur. (5) Si verò vnus solus noscat impedimentum occultum, v. g. ex delicto proueniens, illudque denuntiet, examinandus est coniux futurus secretò ab Ordinario: quòd si ipse id neget, dictum illius vnici testis nullam probationem adducentis nequit obstare matrimonio contrahendo, cum non debeat præsumi, velle sponsum, aut sponsam contrahere matrimonium aut inualidè, aut sacrilegè. 5. *Th. Sanchez, & cómunior.*

6 Quando duo contrahunt matrimonium, præsentibus testibus, & Parocho per dolum, aut vim adducto, audiente tamen, & noscente quæ fiunt, non præmissis denuntiationibus, etsi validum illud sit, peccant tamen grauiter, & necessariò posteà, nisi dispensetur, denuntiationes sunt faciendæ.

## *Depositum.*

1 Depositum aliud est particulare, cùm res apud aliquem custodiẽda à domino traditur; aliud iudiciale, (1) quod vocatur sequestrum, cùm à iudice res apud aliquem deponitur, postea vero domino tradenda. In primo tenetur quis reddere rem ei, qui tradidit; in secundo ei, quem iudex designauerit.

1. *Leg. Sequester, ff. de verbor. signific.*

2 Depositarius debet diligentiam adhibere, ne res deposita pereat. Si pro custodia nihil mercedis accipiat, solùm tenebitur (2) de dolo, & culpa lata. Si tribuatur ei merces, tenebitur de culpa leui in foro conscientiæ; & in foro externo, (3) ad vitandas fraudes, de leuissima. Si dubitet, an culpâ suâ depositum perierit, aut deterioratum fuerit, non tenetur ad restitutionem, quia in dubio non præsumitur, in depositario dari (4) culpam mortalem, & absque hac in depositario (5) non datur obligatio restituendi.

2. Molfesius. Diana, & plurimi apud Me *de Bulla Cruciat. d. 34. num. 187.*

3. Machado. Rebellus. Filliucius, & alij *vbi super.*

4. Diana. Th. Sanchez *vbi supra.*

3 Depositum aliud est regulare, aliud est irregulare, & mixtum. Primum datur, cùm pecunia traditur obsignata, vel facco clausa, aut æquiualenti modo. Et si ita detur, si perit, domino perit: si ex voluntate Principis valor monetæ crescit, domino crescit, seu fructificat, quia eius dominium penes ipsum est, quin sit translatum ad depositarium. Aliud depositum est irregulare, ac mixtum; vt cùm quis deponit pecuniam apud ciuitatis tabulam, seu apud aliam communitatem, ob securitatem; cùm tamen illa ciuitas, seu communitas vtatur pecunia apud se deposita ad soluendum hæc, & illa debita; ita vt pecunia à quibuslibet deposita vertatur promiscuè in solutiones: eo quòd habeat aliundè, vnde quando peterur pecunia, soluat. In hoc deposito, si pecuniæ valor à Principe imminuatur, ad depositarium attinet imminutio, & deponenti est reddendus valor æqualis ei, quem habebat moneta, cùm ipse eam deposuit. (6) Nam id depositum, cùm sit irregulare,

5. Machado. Lessius, & alij *ibidem.*

6. Peguera *tom. 1. decis. 38.*

lare, & mixtum, habet ſpeciem mutui, in quo tranſfertur dominium in depoſitarium, & debitor fit totius quantitatis, quam ipſe inſumpſit; & ſi quidem ſenſit commodum, & onus ſentire debet. Sicut è contrà, ſi augeretur valor monetæ, commodum ſentiret ille depoſitarius. Et ſi quidem, dum ille ſolutionem præſtitit aliis cum ea moneta depoſita, ita vt valor, quem tempore depoſiti habebat illa moneta, totus ei profuerit, cur æqualem non ſoluat? Aliter ditior fuiſſet factus ex moneta aliena, ſoluens ſua debita totidem valentia, & non reddens poſteà tantumdem. Cæterùm dominium transferri conſtat, nam aliter non potuiſſet vti ea pecunia. Quare deponens manet dominus valoris æquiualentis, ſicut in mutuo, non autem eius pecuniæ in ſpecie.

Fontanella *de pact. nupt. to. 2. claus. 5. gl. 8. p. 7.* Xammar *de priuileg. Barcinon. §. 19. n. 16.* Molina *tom. 2. de iuſt. diſp. 523.* Leſſius *lib. 2. cap. 27. dub. 2.* Card. Lugo. Bonacina. Layman. Larrea, & alij.

4 In periculo ſi depoſitarius nequeat ſimul ſeruare ſua bona, & bona depoſita, hæc illis ſunt poſtponenda; ſed non poſſunt aliena bona periculo offerri pro ſeruandis propriis. At ſi factum eſt depoſitum gratiâ deponentis, ac depoſitarij, ſolùm poſtponi poſſunt bona depoſita bonis æqualibus depoſitarij, non vilioribus. Quòd ſi gratiâ ſolius depoſitarij ſint depoſita, anteponenda ſunt bonis æquè pretioſis depoſitarij, non pretioſioribus. (7)

7. Em. Sà *in ſum. verbo Depoſitum, n. 2.* Sylueſter.

5 Si bona alicuius applicentur fiſco, & aliqua ſint depoſita, dum Iudex non præcipiat adhuc illa tradi fiſco, depoſitarius tenetur tradere ea deponenti, (8) in foro conſcientiæ.

8. Eman. Sà *vbi ſuper, num. 6.*

6 Tam depoſitum, quàm commodatum poſſunt pro foro interno retineri pro debito, quod debet ſoluere deponens depoſitario. (9)

9. Sylueſter *verbo Commodatum, num. 3.* Nauarrus. Eman. Sà.

7 Non peccat depoſitarius vendendo res deſipotas vſu conſumptibiles, v. g. frumentum, vinum, oleum, dum certus ſit, ſe habiturum quas reddat, cùm poſcentur, æqualis valoris. (10) Si deponens facultatem præbeat depoſitario vtendi illis, depoſitum tranſit in mutuum.

10. Diana *p. 4. tr. 4. reſ. 68.* Layman. Nauarrus. Eman. Sà.

8 Depoſitarius tenetur in conſcientia reddere depoſitum deponenti, cùm illud petit, (11) niſi in ſui petat damnum, veluti ſi furioſus peteret (12) gladium depoſitum.

11. *Cap. bonæ fidei de depoſit.*

9 Non

12. *Cap. Ne quis, 22. q. 2.*

13. *Cap. 1. de depos.*

9 Non tenetur Ecclesia, aut Monasterium de deposito facto apud Prælatum, vel apud alium ex illo, nisi fiat per Capitulum cum debita solennitate. (13)

10 Si fur deponat rem furtiuam, & ad petendum dominus verus concurrat, huic est tradenda. Si dominus non petat, & fur non sit fugiturus, nec sit verosimile, eum non fore restituturum, furi est restituenda res deposita. (14)

14. Fumus *in Armilla, verbo Depositū, n.* 11. & alij.

11 Nequit deponens rem ipsam suam furtiuè tollere à depositario, (15) quia eum grauaret vel ad restituendum, vel ad probandum se immunem à culpa; nisi casu quo depositarius requisitus nollet eam reddere.

15. D. Thom. 2. 2. *q. 66. art. 5.*

## *Dispensatio.*

1. Basil. Legion. *de matrim. l. 8. c. 1. u. 3.* & alij.

1 Dispensatio *est iuris alicuius relaxatio*, (1) seu exemptio alicuius ab obligatione, qua tenebatur ob ius, legem, votum, aut præceptum. Non est dispensatio interpretari, quem hic & nunc non obligari aliquo ex illis; nam interpretatio potest fieri à viro docto, dispensatio solùm ab habente potestatem: & supponit obligationem, ac eximit ab illa. Nec tolerantia est dispensatio, quia cum tolerantia stat obligatio, & peccatum; secus cum dispensatione. Nec est absolutio; nam per absolutionem v. g. à censuris, impletur ius, non datur exemptio. Nec est licentia simplex, quia per hanc non absoluitur quis à lege, imò impletur lex præcipiens, ne aliquid sine licentia fiat. Nec est idem ac priuilegium, nam id non est contra, sed præter ius, & est quasi quædam lex priuata, ac ad plures actus permanens; dispensatio autem communiùs est pro vno actu determinato, & contra ius.

2. *Leg. Derogatur, ff. de leg. iuris.*

2 Differt dispensatio iuris, aut legis ab annullatione, seu derogatione; quòd hæc est cassatio legis quoad materiam, & personas; dispensatio autem non est generalis respectu omnium. (2)

3 Aliquæ dispensationes requirunt causam essentialiter, ita vt absque ea sint inualidæ, vt dispensationes in votis, & iuramentis; nam omnis dispensatio in lege diuina

diuina prouenit à potestate, quæ à Deo est data in ædificationem, non in destructionem. (3) Etiam inualidè, & illicitè dispensat sine causa inferior in lege Superioris, quia (4) ab eo non accipit potestatem dispensandi, nisi rationabiliter. Dispensatio metu extorta, etiamsi adsit causa, est nulla ob defectum consus in dispensante. Etiam est nulla ipso iure, si taceatur verum necessariò dicendum, vel exprimatur falsum, quod necessariò erat omittendum; vel si sit deceptio circa materiam, in qua poscitur dispensatio; (5) vel circa personam, cui committitur dispensatio; vt si dicas, te esse Toletanum, & committatur Officiali Toletano, cum sis Hispalensis. (6) Quæ autem debeant exprimi, & quæ omitti possint, ex stylo Curialium constat.

3. D.Thom. 2.2. q.88. art.12.

4. Salas *de legib. d.20. sect.6. num. 59.* & communis. Nauarrus.

5. *Cap.fin.de filiis presbyter. in 6. Cap. si motu,de præbend.in 6.*

6. Basil. Legion. *de matrim.l.8. cap.* 17.

4 Sanè non est necessarium exprimi, si alia vice fuit petita dispensatio, & non obtenta. Si habeat quis plura vota, aut plures irregularitates, seu duo impedimenta, aliud publicum, aliud occultum, non teneris cùm dispensationem vnius petis, aliud exprimere. (7) At cum quis nuptias contrahere vult, si impedimenta sunt publica, omnia simul debet exprimere. Et si non vtatur quis dispensatione obtenta ad ducendam consanguineam, & petat aliam dispensationem, vt ducat aliam consanguineam, debet necessariò mentionem primæ facere.

7. Castr. Palao *d.16.punct.16. à §.4.* & apud ipsum plures.

5 Dispensatio data à legislatore in suis legibus valida est etiam sine causa, (8) cùm ab eius voluntate pendeat obligatio.

8. Basil. Legion. *de matrim.l.8. cap.* 15.

6 Dispensatio data ab inferiore in lege Superioris sine causæ cognitione, etiamsi re ipsa detur causa, est nulla in vtroque foro; quia (9) dum non est cognita, non est causa, quæ moueat dispensantem.

9. Menochius *consil. 5.n.15.* & communis.

7 Quando dispensatio occulta pro voto castitatis, aut impedimento occulto ad matrimonium, committitur viro docto, is debet esse Doctor, aut Magister in Jure Canonico, aut Theologia, in Vniuersitate approbata (nisi id possint præstare ex priuilegio aliqui Religiosi.) Potest ea dispensatio expediri, quin præcedat confessio. (10) Debent illicò literæ Brevis dilaniari; delictum debet esse occultum, id est, non deductum ad

10. Castr. Palao *tr.3. d.6. punct.* 15.

Bonacina *de censur. d. 1. q. 3. punct. 2.* & plures alij.

ad forum contentiosum; nec citata pars, cum à citatione incipiat iudicium. Quod si in iudicio absoluatur, manet delictum occultum. Dispensatio occulta ad legitimandam prolem, prodest dum non publicetur, quem esse illegitimum; si enim publicetur, potest ab eo hæreditas tolli, aut Beneficium, si habeat, imperrari. Nequit is, cui traditur Breue, vt dispenset, subdelegare alteri potestatem dispensandi, sic verò examen causæ. (11)

11. Garcia *de benefic. cap. 2. num.* 100.

8 In casibus, in quibus quis tenetur dispensare, nequit onus pecuniarium, aut aliud renuenti imponere; (12) quia pro actione debita renuens non tenetur onus suscipere. Sic verò, cum non est debita dispensatio, vel cum causa non est integrè iusta, vt sic adæquetur causa. (13)

12. Filliuc. *tom. 2. tr. 27. cap. 7. num.* 129.

13. Ledesma 2. *p. q. 17. art. 13. in fin.*

9 Dispensatio expressa fit per quævis verba voluntatem dispensantis significantia. Verùm etiam datur dispensatio tacita, quæ ex dictis, vel factis colligitur, præsumendo, aut noscendo eam esse voluntatem Superioris; v. g. si Superior possit tollere irregularitatem, & sciens te esse irregularem, dimissorias ad Ordines concedat, (14) tacitè dispensat in irregularitate. Præterea si te videat disponi ad operandum contra legem, in qua potest dispensare, quamvis sit lex

14. Azor *tom. 1. l. 5. c. 15. q. 10.*

15. Sà *verbo dispensatio, n. 12.*

Prælati maioris (15) & taceat, ac non impediat, tacitè dispensat, aliàs peccaret, & non est præsumendum de illo peccatum.

10 Prælati Regularium possunt dispensare cum subditis ex iusta causa, in his quæ non pertinent ad substantialia Religionis, quin & in præceptis Ecclesiasticis, v. g. ieiuniis, cibis prohibitis, & aliis. (16)

16. Eman. Rodrig. *t. 1. qq. regul. q. 26. art. 1.* referês D. Th. Sylvestrum, & alios.

11 Quando quis petit dispensationem impedimenti affinitatis ex copula illicita, non est necessum exprimere, quoties habuerit eam copulam; (17) sicut cum petit dispensationem irregularitatis, non est opus exprimere, quoties celebrauerit excommunicatus, dum ex celebratione irregularitatem contraxerit.

17. Th. Sanchez *l. 8. de matrim. d. 24. num. 7.* Bas. Poncius, Henriquez, Nauarrus.

12 Si literas dispensationis non expediuit Ordinarius, aut is, cui commissæ sunt, & post eas datas Romæ aliam copulam illicitam habet fœmina cum consanguineo eodem in secundo gradu eius, cui

nuptura

nuptura eſt, non indiget nouis literis, (18) quia non contraxit nouam affinitatem, quæ non eſſet; ea autem non erat ablata, ſed auferenda eſt per executionem literarum. Secùs erit ſi poſt executionem ante matrimonium nouam copulam habeat; ex hac enim affinitas reſultat, quæ non fuit per diſpenſationem ablata.

18. Baſil. Pontius *de matrim. l. 8. cap. 17. §. 5.* Th. Sanchez *vbi ſup. n. 8.*

13 Si in literis diſpenſationis ad matrimonium ſit error in nomine, v.g. Mariæ, loco Magdalenæ, dum conſtet de corpore veritatis, diſpenſatio eſt valida, & expedienda ab Ordinario. (19) Si verò ſit error in diœceſi, ac committantur literæ Ordinario illius, cum contrahentes ſint alterius diœceſis, eſt inualida diſpenſatio, (20) quia nec contrahentes ſunt eius diœceſis, quæ ſupponitur, & cuius Ordinario committuntur literæ; nec Ordinarius propriæ diœceſis poteſt eas expedire, cum ei non committantur. Oppoſitum eſt certò probabile (21) cum non fuerit error in ſubſtantia, & expedire eas poteſt Ordinarius propriæ diœceſis, cuius loco ille alius per errorem fuit appoſitus.

19. Guttierrez *de matrim. c. 89. num. 8.* Baſil. Poncius. Th. Sanchez. Salas. Laym. & alij.

20. Th. Sanchez *l. 8. de matrim. d. 21. num. 39.* Moneta. Villalobos. Mart. Perez.

14 Si in literis diſpenſationis impedimenti dirimentis narretur fuiſſe copulam, indeque timeri infamiam, & ſcandalum, ſi certè copula non extitit, eſt ſubreptitia diſpenſatio, (22) quia ea cauſa motiua concedendi diſpenſationem eſt falſa. Si verò vir poſt ſponſalia ſæpiſſimè in domum fœminæ intrauerit, aut in eius domo habitauerit, eſtò non extiterit copula, valida erit diſpenſatio, quia reſpectu populi iam ſcandali, & infamiæ occaſio eſt ſuppeditata, quæ (23) mouet Pontificem, vt diſpenſet. Quod ſi in eis literis, vt ſolet, Pontifex præcipiat earum executori, vt pœnitentiam publicam pro delicto copulæ inter eos conſanguineos imponat, eam debet imponere, qua ſatisfiat occaſioni ſcandali dati; non eam, quæ copulæ correſponderet, hancque certam apud populum redderet, ſi imponeretur. In quo prudentia Ordinarij executoris deſideratur.

21. Baſil. Poncius *l. 8. de matrim. cap. 17. n. 43.* Salas. Bonacina. Sanctarellus. Diana.

22. Communis.

15 In ſolis caſibus dubiis poteſt diſpenſatio ad cautelam indulgeri. Cæterùm etſi diſpenſandi poteſtas ſit latè interpretanda, at ipſa diſpenſatio ſtrictè, vtpotè iuri contrarij. Sic illegitimus diſpenſatus ad vnam

23. Bonacina *de legib. d. 1. q. 2. punct. 8. n. 8.* Th. Sanchez & alij.

Canonicatum

Canonicatum, non censetur dispensatus ad alium in alia Ecclesia. (24) Et dispensatus ad Ordines Minores ab Episcopo, non est dispensatus ad Beneficium simplex. Et dispensatus à Papa ad omnes Ordines sacros, non est dispensatus ad Beneficium curatum, sic verò ad simplex.

24. P. Gobat. *in experiēt. Theolog. tr. 8. n. 442.* Nauarrus. Henriquez. Auila. Diana. Barbosa. Castr. Palao.

16 Quando duæ causæ proponuntur, quarum quælibet est sufficiens ad dispensationem, hæc valet, licèt vna ex illis sit falsa, quia vtile per inutile non vitiatur; (25) etiamsi Papa faciliùs dispenset allectus ea causa falsa. Regulà autem generalis est, (26) dispensationem solùm non valere, & censeri subreptitiam, quando ex iure, aut Stylo Curiæ tacetur id, quo expresso, Papa non concessisset dispensationem; aut exprimuntur falsa ea, quibus secundum idem ius, & stylum mouetur Papa ad concedendam dispensationem.

25. Th. Sanch. *de matrim. l. 8. d. 21. num. 32.* Gobat, & plures.

26. Garcia *de benef. part. 8. c. 3. num. 20.* Nauarrus. Felinus. Th. Sanchez. Suarez. Castr. Palao. Gobat.

17 Petens dispensationem semel, & posteà aliam ad similem effectum poscens, non indiget declarare petitionem primæ, nisi tam prima, quàm secunda præiudicium afferant tertio; tunc enim hac expressione est opus, vt Papa intelligat quantam, & qualem gratiam præstet. V. g. si ob crimen vxoricidij obtinuisti dispensationem ad ducendam vxorem, & secundò idem crimen cõmitteres, teneris exprimere primam dispensationem si aliam petas. Præterea si obtinuisti dispensationem ad ducendam Mariam consanguineam, & posteà resipiscas, & velis ducere Joannam etiam consanguineam, cum tamen Maria velit nubere tibi, teneris exprimere primam dispensationem. (27)

27. Tamburinus *de matrim. c. 9. tr. 8. §. 2. n. 5.* Perez. Gobat.

18 Quando vnum impedimentum includitur in altero, non est opus vtrumque exprimere; sic verò quando sunt plura impedimenta eiusdem rationis. V. g. si fuisti patrinus in Baptismo plurium filiorum illius, quam vis ducere; si cognouisti carnaliter plures consanguineas illius in primo, aut secundo gradu. (28) Oppositum (29) est certò probabile. Secluso scandalo, sufficit exprimere gradum distantiorem affinitatis, aut consanguinitatis, excepto primo gradu, qui semper est exprimendus cum remotiori. (30)

28. Gobat. *suprà tr. 9. n. 619.* Th. Sanchez. Ochagauia. Villalobos. Escob. & alij.

19 Si repulsam passus est quis petens dispensationem, non est opus eam repulsam exprimere, si iterum illam

29. Basil. Poncius.

illam poſcas ab ipſo, aut eius ſucceſſore; id enim nec ius, nec ſtylus iniungunt. (31)

20 Eum, qui plura impedimenta habet, non indigere, quòd omnia ſimul in vno libello ſupplici exponat, ſed vnum in vno, aliud in alio, ſicque diuerſas diſpenſationes obtineat, certò probabilis (32) ſententia eſt, ſicut & oppoſita, & hæc mihi certa, quia aliter non agnoſcit Pontifex, quantam gratiam indulgeat, cum ferè nequeat meminiſſe conceſſionum antecedentium. (33)

21 Diſpenſatio, quæ poſcitur poſt initum matrimonium ſcienter in gradibus prohibitis, erit inualida, ſi non fiat mentio contracti matrimonij, & etiam conſummationis illius, ſi peracta ſit, necnon ſi omiſſæ ſint denuntiationes. (34) Præterea ſi ante initum matrimonium fuit habita inceſtuoſa copula, cum intentione vtriuſque obtinendi ſic facilius diſpenſationem, exprimenda eſt neceſſariò copula in petitione diſpenſationis; ſecùs ſi vnus ex illis eam intentionem non manifeſtauit alteri, vel ſi vterque peccauit ob illam ſpem, non manifeſtando illam. (35) Quando autem copula illa abſque intentione præfata habetur, non eſt opus expreſſione illius. Quòd ſi Pontifex apponat clauſulam, *dum copula non præceſſerit*; ſi hæc fuit occulta, & nequeat Iudex illam probare, (cum contrahentes poſſint amphibologia vti, ne ſe infament) executio diſpenſationis eſt valida; ſecus ſi ſit diſpenſatio occulta pro foro interno commiſſa Confeſſario, qui nequibit executionem concedere, cum ei illi debeant fateri copulam. (36)

22 Si in Bulla erretur in nomine petentis diſpenſationem, dum conſtet, eum eſſe, cui diſpenſatio eſt conceſſa, poteſt validè executioni mandari. (37)

23 Si petat quis diſpenſationem ad ducendam conſanguineam, etiam hac ignorante, vel adhuc inuita, diſpenſatio valet, quia ablato impedimento ex parte petentis, abſolutè tollitur; quod tenet etiamſi nomine vtriuſque fuerit petita. (38)

24 Si in diſpenſatione Pontifex apponat, ſe diſpenſare in tali gradu conſanguinitatis, cum petens illam, ad ipſum gradum, ſed affinitatis, petierit, dum id probet,

Henriquez. Petr. Ledeſma. Eman. Rodrig. & plures.

30. Tamburinus *vbi ſup. cap. 9. §. 7.* Gobat. & alij.

31. Diana *p. 8. tr. 3. reſ. 54.* Granado. Gobat. Amicus.

32. Th. Sanchez *l. 8. d. 23.* cum pluribus.

33. Nauarrus. Henriquez. Vega. Eman. Sà. Gobat.

34. Mart. Perez *d. 46. ſect. 7. num. 6.* Th. Sanchez, & alij.

35. Diana *p. 9. tr. 3. reſ. 28.* Portel. Th. Sanchez. Caſtr. Palao. Gobat. Gaſp. Hurtad.

36. Th. Sanchez. Tamburinus. Perez. Gobat.

37. Diana. Baſil. Poncius. Sanctarellus. Portel. Texeda.

Gobat. Leander. Bonacina.

probet, Officialis poteſt, & debet executioni mandare diſpenſationem, cum conſtet eam eſſe voluntatem, & mandatum Pontificis. (39)

38. Th. Sanchez. Villalobos. Moneta. Perez. Eſcobar. Merolla. Tamburinus.

25 Quando in petitione diſpenſationis ad matrimonium inter cognatos apponitur pro cauſa motiua anguſtia loci, in quo non datur alius, aut alia, cui decenter nubatur, debet (40) petens, vt in conſcientia ſit tutus, inueſtigare, an poſſit in loco vicino, aut alibi abſque graui incommodo contrahere matrimonium; an in eo loco nulla, aut nullus ſit alius paris conditionis, cum quo poſſit inire nuptias. In quo iudicio prudentum, & timoratorum eſt ſtandum: tot quippe circunſtantiæ diuerſæ occurrunt, vt nequeant facilè in compendium redigi.

39. Layman *l.* 1. *Theol. Mor. tr.* 4. *c.* 22. *n.* 26. Gobat. Diana. Portel. Bonacina.

26 Si ad eiuſmodi diſpenſationem apponatur pro cauſa motiua paupertas, ratione cuius nequit extra cognatos inueniri coniugium, aduertendum eſt, eam paupertatem debere dari in vtroque coniuge, ſic ſtatuente (41) Innocentio X. nam ſi vnus eſt diues, id ſufficit, vt decenter viuant. Deinde ea dicitur pauper, quæ non habet tantam dotem, quanta conſueuit exigi ad nubendum extra cognationem. Adde, quod ſi ſit ita deformis, vt cum ea dote nequeat nubere extra cognatos, eſtò poſſet, ſi non eſſet adeò deformis, dicitur abſolutè pauper. (42)

40. Th. Sanchez *l.* 8. *de matrim. d.* 19. Nauarrus. Reginaldus. Filliucius. Coninch. Th. Tamburin. Gaſp. Hurtad. Perez. Vuigers.

27 In diſpenſationibus, in quibus non committitur vlli alteri informatio, & executio, ſed ſolùm dantur conceſſio, & reſcriptum, illicò ac Pontifex ait, *Diſpenſamus*, in foro conſcientiæ poteſt diſpenſatus vti diſpenſatione: at pro foro externo nequit, donec ei concedatur reſcriptum, ſeu literæ in Dataria expeditæ.

41. Apud Gobat. *in experient. Theoleg. tr.* 9. *n.* 666. *appendicula* 1.

42. Th. Sanchez *lib.* 8. *de matr. d.* 35. Gobat.

## *Domicilium.*

1 DOmicilium id eſt, in quo quis habitat cum animo ibi permanendi; & non per tempus determinatum, ſed ſemper, niſi detur neceſſitas diſcedendi. Si quis ferè æquè in duplici loco habitat, vtrobique habet domicilium. Tempus decennij ſufficit ad probandum

probandum domicilium, nisi constet, nunquam fuisse animum permanendi, sed potiùs discedendi; nam cum hoc animo discedendi non stat domicilium. (1) Qui munus habent perpetuum ex se in aliquo loco, estò discedere ad altiora munera conentur, domicilium contrahunt, ratione perpetuitatis muneris, cui non obstat spes, & desiderium discedendi: vt videre est in Senatoribus Regiis, & Magistris Academiarum. Qui non habet domicilium, nequit ordinari ab Episcopo loci; nam vt quis sit Episcopus proprius, debet esse ratione originis, aut domicilij, aut loci, in quo obtinetur Beneficium. (2)

1. Bonacina. Goffar. D. Alf. Escob. & alij apud Me *de Iure Academ. l. 3. q. 42.*

2 Quasi domicilium est, cum quis per maiorem ferè partem anni in aliquo loco habitat, cum animo discedendi, vt Studiosis in Academiis, & litigantibus in Curiis contingit. Illudque incipitur haberi statim ac quis ad eum locum accedit; sicut domicilium incipitur statim ac quis accedit ad locum cum animo ibi permanendi.

2. Farinacius. Quaranta. Henriquez. Saytus. Riccius. Lessius, & alij *vbi nuper.*

3 Habens quasi domicilium in ordine ad Parochum perinde se habet, ac respectu Parochi proprij domicilij, quoad Sacramenta omnia, sepulturam, & quartam funeralem. (3) Nequit Episcopus dispensare in irregularitatibus, in quibus potestas ei conceditur à Tridentino, cum habente solùm quasi domicilium, estò possit absoluere eum à censuris; nam ille subditus est quoad necessaria saluti spirituali, indeque quoad Confessionem; & absolutio à peccatis non potest ei impertiri, nisi priùs à censuris absoluatur; at vt detur illa dispensatio, maior subiectio requiritur, & in Episcopo potestas, & iurisdictio ordinaria erga eum, cum quo est dispensaturus. (4)

3. Bonacina. Suarez. Vasquez. Molina. Conninch, & alij apud Me *supra.*

4 Circa contractum dotis, quasi domiciliarius debet stare consuetudini, quæ in eo loco obseruatur, nempe an eum celebraturus sit iuxta morem suæ patriæ, an eius loci. At circa testamenti factionem eius loci consuetudinem seruare debet, (5) aliàs irritum erit.

4. Suarez. Ego *vbi nuper.*

5 At quia domicilium originis sufficiet, vt quis ab Episcopo ordinetur, id expono. Nasci in aliquo loco

5. Mandosius. Salas. Th. Sanchez. Basil. Legion. *vbi supra* apud Me.

per tranſitum non ſufficit ad hanc originem. (6) Benignè, & ſatis probabiliter ſufficere eam natiuitatem, non pauci tradunt. (7) Cæterùm ſufficit, infidelem baptizari in aliquo loco, vt ibi habeat (8) originem. Adhuc ſufficit, patrem habere originem in vno loco, vt filius habeat; nam origo paterna eſt origo filij. Extant de hoc plures Congregationis Eminentiſſ. Cardinalium declarationes. (9) Origo autem aui, & aſcendentium non attenditur; aliter, vt quidam lepidè dixit, inquirendus eſſet ager Damaſcenus, vbi Adam creatus eſt: nam ſi aui, cur non proaui, &c.

6. Communior.

7. Pachecus *in praxi Epiſc. part. 1. c. 1. §. 9.* Leander. Ioan. Andreas. Gaſp. Hurtad. Gloſſa *in c. 1. de vſur. in 6. verbo Alienæ.*

8. Pax Iordanus *a elucubr. vol. 1. l. 3. tit. 6. num. 41.* Gobat.

9. Apud Barboſ. *in ſeſſ. 23. c. 8. de refor. n. 17.* Dianam. Gobat.

10. Communis.

11. Diana *p. 8. tr. 2. reſ. 16.* Barboſa. Gobat. Campanilis. Franchis. Paſqualigus. Pax Iordanus.

12. Gobat. *in exper. Theolog. tr. 8. n. 304.* Zipæus. Auerſa. Trullench. Diana.

6 Origo matris non prodeſt filio, niſi ille ſit illegitimus, (10) cum tunc certò ſciatur mater, non ita certò pater. Prætereà filij expoſiti habent originem in loco, in quo expoſiti ſunt, cum parentes, ac eorum origo ignorentur. In Germania eſt locus, in quo quatuor Epiſcopi poſſunt vni menſæ aſſidere, & vnuſquiſque eſſe in ſua Diœceſi; ſi ſupra eam menſam exponeretur infans, eſſet eius diœceſis, cuius loco vicinior eſſet appoſitus.

7 Natus v. g. in Belgio à pâtre milite, parentibus orbatus, & neſciens vbi natus fuerit, nec patris originem, ſi domicilium nullibi figat, debet ab Apoſtolica Sede poſcere Ordinarium, ſi velit Ordines ſuſcipere.

8 Qui poſſident feuda in variis diœceſibus, poſſunt à quocumque Epiſcopo eorum locorum ordinari (11) quia iudicantur ciues eorum: eſtò ibi non habitent. Ita deciſum eſt in Rota Romana.

9 Si mulier vidua cum filiis ad locum pergat animo ſiſtendi ibi, & tempore decennij habitet, filij ibi domicilium adquirunt.

10 Qui plura domicilia habet, atque ab Epiſcopo vnius ex illis Ordinem vnum ſuſcepit, poteſt abſque eius licentia (12) ab Epiſcopo alterius domicilij alium Ordinem ſuſcipere.

11 Ratione Beneficij adquiritur domicilium quoad ordines ſuſcipiendos, cuiuſque generis ſit Beneficium, adhuc ſimplex, vel præſtimonium, vel in Commendam. Quòd ſi quis plura in diuerſis Diœceſibus habeat, à quovis earum Epiſcopo ordinari valet. (13)

12 Domicilium potest adquiri ex priuilegio Principis, vel etiam ciuitatis, quæ possit conciuem facere quem velit, id ei priuilegium indulgens. 13. Barbosa *de potest. Episc. allegat.* 4. *n.* 47. Bonacina. Rebuffus. Garcia. Gobat.

## *Donatio.*

1 DOnatio causa mortis est, cùm quis sic donat, vt res (1) sit donatarij post mortem donantis, ita vt donatio effectum non habeat, dum donans superviuat, aut reuocet donationem, aut donatarius (2) obeat ante mortem donantis. Et ferè per omnia donationes causa mortis non absimiles sunt vltimis voluntatibus. (3) 1. *Leg.* 1. *ff. de donat. causa mort.* 2. *Leg. Non omnis, ff. si certum petatur.*

2 Cum quis donationem præstat remuneratoriam ob obsequia, quibus eius facultates incrementum acceperunt, ex quo proueniat, aliis creditoribus satisfieri certiùs, & vtiliùs, ita vt aliter ægrè fieret solutio, tunc ille donatarius præferri potest creditoribus ex titulo onerosо. (4) 3. *Leg. fin. Cod. de donat. caus. mort.* 4. Card. Lugo *tom.* 1. *de iust. d.* 2. *sect.* 7. §. 1. *num.* 142. Molina.

3 Donatio omnium bonorum, ad quæ nullus habet ius, facta Ecclesiæ nequit lege ciuili impediri. (5) 5. Cardenas *in crisi Theolog. tr.* 2. *d.* 21. *c.* 1. Fulgosus. Capra. Card. Lugo, & plurimi.

4 Pater, dum filiis alimenta suppeditet, & adeò sint eius bona copiosa, vt post ipsius mortem remaneant sufficientia ad illorum decentiam conseruandam, potest operibus piis etiam magnas quantitates donare, & in illis perficiendis expendere. (6) Etenim ad filios non pertinent nisi bona remanentia post prudentem, & christianam administrationem, qualis est, si ex superfluis status in pia opera insumantur. Hinc etiam quintam bonorum permittunt leges à testatore disponi, nec illud ex se ad filios pertinere. 6. Rodrig. *tom.* 1. *sum. cap.* 93. Vega. Corduba. Lopez. Cardenas.

5 Donatio facta per metum grauem non tenet, nisi sit iurata, tunc enim iurans tenetur donare ratione iuramenti, sed donatarius tenetur restituere, (7) ratione coactionis. 7. Lud. Lopez *de contr. l.* 2. *c.* 22. Eman. Sa.

6 Si vxoratus filiis carens donet Ecclesiæ, aut alij quantitatem, quam non posset donare filios habens,

si hi posteà nascantur, donatio reuocatur, estò do-
8. nans iurauerit, non fore reuocandam. (8)
Couarruuias *lib. 1 variar. c. 19.* & alij. 7 Estò donationes inter virum, & vxorem à Iure sint prohibitæ, ne mutuo amore se exspolient; tamen valent, si fiant ob causam piam, si sint remuneratoriæ, si fiant causa mortis, seu in tempus soluti matrimonij, si maritus condonet promissam dotem, aut maritus ingrediatur Religionem, quæ nihil possidet, ac in ea profiteatur, aut si iuramento firmentur. (9)
9. Molina *de iust. d. 289. & 290.* Eman. Sà Th. Sanchez, Diana, & plurimi. Valet etiam donatio inter sponsos de futuro, si non fiat in tempus contracti matrimonij; nam tunc poterit reuocari.
8 Potest reuocari donatio ante acceptationem, etiamsi facta sit per instrumentum publicum; (10) vt autem acceptata iudicetur, opus est, vt per se, vel per
10. Eman. Sà *in summ. verbo Donatio, n. 16.* alium ipse donans indicet donatario, & is consentiat expresse, aut tacitè.
9 Donatio inter viuos tenet, nisi ob donatarij ingratitudinem. Si fiat ad tempus cum pacto, vt mortuo donatario ad alium res perueniat, potest ante mortem illius pactum à donante tolli.
10 Conditio impossibilis, aut turpis adiecta donationi habetur pro non (11) appositа.
11. Communis. 11 Potest filius, si consentiat pater, causa mortis donare; necnon donare ea bona ad se pertinentia, quorum pater vsumfructum non habet.
12 Si quis inualidè contraxit matrimonium, quæ donauit vxori, estò vxor verè non esset, valet reuocare, quia ex errore, & mutuo matrimonij donauit. Compensare tamen debet damnum pudoris. (12)
12. Diana *p. 8. tr. 6. res.* 27. Caramuel. 13 Qui omnium bonorum, vt potest, donationem alicui facit, reseruans sibi portionem, de qua posteà disponat, si ante mortem de ea non disposuerit, accrescit donatario. (13)
13. Iason. Diana, & alij. 14 Possunt donare causa mortis hi omnes, qui possunt testari; & minores vigintiquinque annorum sine consensu tutoris; & mulier absque consensu mariti, etiamsi absque illo nequeat alios contractus facere. At qui simul surdus, & mutus est, nequit donare causa
14. Azor. Diana, & alij. mortis, estò possit inter viuos. (14)
15 Cum

15 Cum donans exprimit, ſe donare talem rem, quæ valet mille ſcuta, aut talem terram, quæ tot iugera continet, licèt plus ſit in valore, & in iugeris, valet donatio: (15) quin donatarius reſtituere quidquam teneatur.

15. Panormitan. *In cap. per tuas, de donat.* Fumus. Eman. Sâ.

16 Donatio poteſt reuocari propter dati enormitatem, v. g. ſi pater in damnum filiorum magnam donaret quantitatem; præterea ſi donatarius non ſeruauit conditionem appoſitam, aut grauem iniuriam intulit donanti; (16) vel ſi donatio fuit ingentis quantitatis, & donatarius non vult ſuccurrere donanti, cum hic ad egeſtatem redactus eſt.

16. *Leg. fin. Cod. de reuocat. donat.*

## *Dubium.*

1 PEccatum mortale eſt voluntariè, ac deliberatè dubitare quem, an conſentiet, vel non conſentiet peccato graui, (1) v. g. tentatur quis, vt vindictam grauem ſumat, vel vt cum fœmina peccet, & ad id attendens, deliberatè dubitat, & cogitare vult, an id ſit patraturus, grauiter peccat; nam ſe exponit periculo peccandi, attenta fragilitate humana; & ſub dubio verſat, an Deum, eiuſque præcepta turpi actui poſtponet; cum debeat eſſe firmus in propoſito actuali, habituali, aut virtuali non peccandi: cum quo non ſtat dubitatio poſitiua, & deliberata, an ſit hic & nunc peccaturus; ſicut cum propoſito ſeruandi fidelitatem Regi, non ſtat dubitare quem deliberatè, an ei proditionem machinetur; præceptaque diuina, ſicut fides, obligant ad hoc, vt quis ſit firmus in propoſito ſeruandi ea. Præterea cum quis tentatur, benignior opinio eum excuſat à reſiſtentia poſitiua, & ait, ſufficere eum nihil operari, ſed negatiuè ſe habere; cùm tamen communior, & tutior ſententia affirmet, debere aliquo modo reſiſtere, ſeu directè, ſeu ad pias cogitationes mentem flectendo; at nullus aſſeruit, poſſe deliberatè admittere tentationem, & voluntariè cogitare, an conſentiet illi, necne.

1. Medina *1. p. q. 74. art. 6. doc. 5.* Th. Sanchez afferens plures & omnes, qui id tractant.

2 Cæterùm dubitare, eſt pendere intellectum in vtramque partem contradictionis, & neutri aſſenſum

præbere. Ceſſat autem dubium, cum intellectus, etiam leui ratione ductus, aſſenſum præbet. Cùm vtraque pars per apprehenſiones non eſt in mente, dubium non datur.

3 Hinc confirmatur, quod alibi aſſerimus, peccata dubia eſſe neceſſariò confitenda; nam vt quis ſuſcipiat Euchariſtiam, debet efformare iudicium probabile, quòd ſit in ſtatu gratiæ: id autem iudicium non compatitur cum dubio, an lethale peccatum patrauerit, quando non ſe offert ratio deponendi dubium: nullam autem offerri ſupponitur; aliàs ille non haberet conſcientiam dubiam, ſed probabilem, eſſetque caſus diuerſus (maximè ſi ille aſſentiretur opinioni contrariæ aſſerenti, peccata dubia non eſſe neceſſariò confitenda;) nec poteſt quis ſimul habere duos aſſenſus probabiles oppoſitos; poteſt quidem aſſentiri vni opinioni probabili, & abſque aſſenſu dari in eius intellectu motiuum probabile opinionis oppoſitæ, (vt communiter contingit in opinionibus, quando quis non cenſet oppoſitam improbabilem.) Quippe cùm quis non negat probabilitatem opinionis oppoſitæ, non ideo aſſentitur probabilitati illius, ſed enuntiat, dari motiuum probabile intrinſecum, aut extrinſecum, cui alius abſque temeritate, & imprudentia poſſit rectè aſſentiri.

4 Axiomata, *In dubio melior eſt conditio poſſidentis. In dubiis tutior pars eſt eligenda*, vide expoſita ſimul cum pluribus aliis circa dubium, verbo *Conſcientia.*

5 Dubitans, an habeat impedimentum ad matrimonium, vel an ad Ordines ex illegitimitate, niſi militet contra eum præſumptio, poteſt (2) vxorem ducere, ſeu alter de illegitimitate dubitans ordinari, cùm eis faueat priuilegium libertatis poſt diligentem præſtitam inquiſitionem.

2. Th. Sanchez *l.8.de matrim. d.6. num.16.* Diana. Gobat. Tamburinus.

6 In dubio valoris baptiſmi, hic ſub conditione iterandus eſt, cum ſit in fauorem animæ; nec Sacramento fit iniuria, niſi cum temerè repetitur. Et fanè ſi is fuerit primò baptizatus, conditio facit, quòd non detur Sacramentum; dum autem non eſt, nequit ei fieri iniuria. (3)

7 Differt

7 Differt dubium à ſcrupulo, hic enim eſt nimius timor nulla ratione, nec probabili, innixus, & ſæpè ortus ex obliuione, aut non recordatione; v. g. cum quis ſcrupulo angitur, an ſit ordinatus, quia non recordatur, an vaſa ſacra tetigerit, & alia huiuſmodi. Scrupuli autem ſunt contemnendi, ſtandumque monitis Confeſſarij, & ſæpè contra illos eſt agendum. Dubium autem fundatur in aliqua ratione, notitia, ſeu teſtimonio, & poteſt eſſe poſitiuum, aut negatiuum, (& id ſæpè confunditur cum ſcrupulo,) quòd alibi exponimus circa confeſſionem peccati dubij. Poteſt etiam eſſe dubium iuris, nempe an exiſtat ius, aut lex circa aliquid; aut dubium facti, ſcilicet an id factum fuerit, necne.

3. P. Gobat *in exper. Theolog. tr. 2. n. 381. cum communi.*

8 Ille ſolus dicendus eſt rationabiliter dubitans, qui propoſitis ſibi omnibus vtrinque rationibus, adhuc fluctuat, nec aſſenſum his, aut illis præbet, quia non videt probabilitatem in eis, cui aſſentiatur.

9 In dubio quiſque præſumendus (4) eſt bonus, nec in dubio (5) præſumitur delictum. Sic quis redditus eſt amens, nec eſt certitudo de peccato mortali patrato antè ab illo, præſumitur iuſtus. Et ſic in aliis eſt philoſophandum.

4. *Cap. Dudum de præſumption.*

5. *Leg. Marito, ff. pro ſocio.*

## *Duellum.*

1 NEquit vllus, etiamſi vir Equeſtris ſit, acceptare duellum, ne timiditatis notam apud alios incurrat. Contraria propoſitio damnata eſt ab Alexandro VII. anno 1665. Duellum autem eſt pugna ex condicto in determinato loco. Et abſolutè loquendo, illicitum eſt, adhuc virum nobilem prouocatum acceptare duellum, & à fortiori prouocare ad illud. (1) Etenim acceptatio duelli affert ſecum periculum, cui ſe exponit quis amittendæ vitæ propriæ, & profundendæ alienæ; & ſicut eſſet illicitum occidere alium, ac præbere ſe occidendum ei, ita eſt illicitum conſtituere ſe in periculo eiuſmodi euentus. Vita autem Superioris ordinis eſt, quàm fama, & honor, & non poteſt voluntariè amitti, vt hìc conſeruetur; quin non

1. Molina. Leſſius. Th. Sanchez. Suarez. Coninch. Layman. Valentia. Filliucius. Caſtro Palao. Buſembaum.

Becanus, & ego *in Statera, diſſ. 1. q. 21.* & *de Ordin. Milit. diſp. 3. q. 2.* Et *de Iure Acad. l. 3. q. 29.*

2. Marchantius. Leander. Diana. Naldus. Raph. de la Torre. Acac. de Velaſco. Floronus apud Me *in Statera, vbi ſup.*

3. Trid. *ſeſſ. 25. c. 9. de reform.* Gregor. XIII. in Motu proprio, qui incipit *Ad tollendam.* Clemes VIII. in Bulla *Illius vices.*

4. Ego *de Iure Academ. l. 3. q. 29.* Hurtado. Diana.

5. Ego cum pluribus *de Bulla Cruc. diſp. 25. num. 40.*

6. Comitolus. Reginaldus. Fillincius, & alij apud Me *de Iure*

eſt medium vnicum ad reſtaurandum honorem acceptatio duelli, aut prouocatio ad illud, cum alia media ſuperſunt. Aliquis caſus, ſed rarus, excogitatur, in quo, certis adhibitis circunſtantiis, admittitur à pluribus Authoribus, (2) poſſe quem exire ad locum duelli, vt inuaſus iniuſtè, ſe defendat; (non tamen vt timiditatis notam effugiat.) Verùm non aſſentio, & habenæ non ſunt laxandæ laïcis, qui plus attendunt ad ſatiandam immoderatam anxietatem honoris, quàm ad diuinæ legis obſeruationem; ſed potiùs abſterrendi ſunt omninò à duellis, & chriſtiana manſuetudo eis ſuadenda. Et ſanè hic caſus incluſus eſt cenſendus in propoſitione damnata ab Alexandro VIII.

2 Excommunicationem reſeruatam Sedi Apoſtolicæ contrahunt domini locorum, qui in ſuis ditionibus duellum permittunt, & præterea concertantes, patrini, auxiliatores, & ſpectatores, ſiue duellum ſit publicum (3) ſiue priuatum. Concertantes autem non contrahunt, niſi actu pugnent in loco determinato; ſic verò cæteri, quia iam expleuerunt munus ſuum, ſuſcipiendo munus auxiliandi, & patrocinandi, quamvis illi non pugnent. Spectatores caſu illac tranſeuntes non contrahunt cenſuram; nec qui exeunt, vt impediant pugnam; ſic verò qui exeunt ex condicto, velut teſtes, vt ſpectent. (4) Ab hac excommunicatione poteſt Confeſſarius approbatus abſoluere virtute Bullæ Cruciatæ, ſi ſit publica, ſemel in vita, & ſemel in morte, & bis virtute duplicis Bullæ: ac ſi ſit occulta, toties quoties; (5) & ſimiliter Confeſſarij Ordinum Mendicantium virtute priuilegiorum (6) præterquàm in Italia extra Vrbem, vbi ablata eſt eis hæc facultas.

3 Non licet quoddam genus duelli ficti, cum amici aliquorum diſponunt, vt illi exeant in campum, & leuiter digladientur, vt ſtatim eos in pacem redigant, & ſic fiat ſatis legi duelli. Id enim prauum exemplum præbet cæteris, qui verum illud duellum iudicant; datur anſa contraueniendi legibus Eccleſiaſticis; obſiſtitur illis, dum intendunt exſtirpare vſum execrabilem

lem duellorum; & curatur, vt omnes ſibi ſuadeant, fuiſſe verum duellum, aliàs non obtineretur finis ab eis intentus. (7) *Academ. l. 3. q. 29.*

7. Peregrinus. Ego *ſup. in Appendic.*

4 Licet ad terminandum bellum, milites ex vtroque exercitu exire ad duellum, vt ſic vitentur mortes plurimorum in pugna, ſi id ſit vnicum medium, & Principes nequeant aliter concordare, atque ſit certum, ſic bellum eſſe finiendum, & victoriam iudicandam fore pro vincentibus in duello. (8) Aliter non licet.

8. Th. Sanchez *in oper. moral. tom. 1. lib. 2. cap. 29.* Bohorques *in de duello, n. 16.*

5 Locus, in quo duellum habetur, ſi dominus temporalis illius ſciuit id, interdicto ſupponitur ipſo facto. (9) Si Clerici ſint, qui duellum committunt, incurrunt ſuſpenſionem, & pœnam priuationis Beneficiorum, & Dignitatum habent, necnon inhabilitatem ad ea, quæ poſſidebant, & ad cætera; ſed iudicis ſententia requiritur. (10)

9. Th. Sanchez *ſup. c. 39. n. 32.*

10. Th. Sanchez *vbi ſuper.*

6 Si quis ſimpliciter dicat alteri, quòd prouocet ad duellum illum, à quo iniuriam accepit, non contrahet excommunicationem; nam id non eſt propriè ei auxiliari ad duellum; veluti eſſet, ſi eo fine duellandi præberet illi arma, equum, nummos; aut ſolicitaret ſecuritatem à domino loci, vbi eſſet duellandum, vel quid huiuſmodi. Cum enim cenſura ſit odioſa, & loquatur de auxiliantibus, ſtrictè eſt interpretanda.

7 Nequit famulus deferre chartam, in qua dominus prouocat ad duellum, aut acceptat illud: quia id eſt intrinſecè malum; & quod eſt huiuſmodi, nunquam exerceri valet, etſi inde famulo magnum ſequatur incommodum: cum nequeat aliqua ratione ſufficienti excuſari, ſeu honeſtari.

E

## *Ebrietas. Ebrius.*

NON licet inebriare, aut conſulere voluntariam ebrietatem ei, qui decreuit maius malum, quàm ebrietatem patrare, etiamſi non detur alia via ad eum cohibendum. Etenim nunquam licet inducere ad actionem intrinſecè prauam, quæ ſine peccato fieri nequit. Et quamvis liceat ſuadere ei, qui decreuit committere furtum v. g. mille aureorum, non quòd furetur, ſed quòd caſu, quo ſit furaturus, furetur minus; non tamen licet ſuadere ebrietatem: quia in caſu furti non ſuadetur peccatum, ſed quòd omittatur pars peccati, & minus peccatum patretur: quod non accidit in caſu ebrietatis. (1)

1. Layman, & ego *in Statera, diſq. 1. q. 18.*

2 Non poteſt quis inebriare ſe cauſa vitandæ mortis, quam alius ei minatur, ſi non ſe inebriet, eſtò viri doctiſsimi aliter ſenſerint; (2) nam ebrietas opponitur temperantiæ, & nequit vllus per actionem prauam tollere à ſe vſum rationis, nec per breue tempus, in quo reddatur impotens ſuccurrere neceſsitati animæ, ſi tunc vrgeret. Et quamvis per ſomnum quis priuetur vſu rationis, tamen ſomnus non eſt actio praua. Nec eſt praua, ſi quis imminente morte à tyranno, vt vitam redimat, amputet ſibi pedem, aut manum; at ebrietas, quomodolibet fiat, eſt praua. Vnde nec medicinæ apparenti titulo ea licet; quin nunquam eſt medicina, ſed ægritudo. (3)

2. D. Auguſtin. *ſerm. 232.* Ego *in Statera, diſſ. 13. q. 14.*

3. Hippocrates. D. Antoninus. Ioan. Henriq. apud Me *ſup.*

3 Peccat mortaliter, qui ſciens, & prænoſcens bibit tantùm eius potus, qui inebriare valet, quicumque ſit, quòd licet omnino non inebrietur, tamen valde capite grauatur, quia lædit (4) notabiliter vſum rationis, exponitque ſe periculo peccandi. Excuſatur autem, ſi non præuiderit, nec cogitauerit, nec ſit grauis læſio rationis.

4. Syluester *in ſumm. verbo Ebrietas.*

4 Qui

4 Qui aduertenter ſe inebriat, implicitè vult peccata, ſeu actiones prauas, quas in ebrietate abſque vſu rationis (5) patrauerit, ſi eas præuidit: nam hic effectus iam præceſsit in cauſa. Hinc fit, vt ſi is, qui ebrietatem culpabilem amauit, mutilet, aut occidat, fieri irregularem. (6) At dicendum eſt oppoſitum, quando ſuperflua potatio non fuit immediata cauſa, niſi priuationis vſus rationis, non verò mutilationis, homicidij, aut alterius peccati, (7) quorum ſolùm fuit cauſa mediata: niſi ille præuideret, id peccatum fore ſecuturum; tunc enim illud voluit.

5 Nullus contractus in ebrietate confectus eſt validus, vtpotè abſque vſu rationis confectus; non ſecùs ac ab amente, ſeu dormiente, qui in ſomniis loqueretur. At ſi quis non amiſit vſum rationis, ſed ſit valde capite grauatus, eius actiones abſolutè ſunt voluntariæ, eſtò ob aliquam deliberationis imperfectionem aliquid culpæ minuatur, necnon pœnæ ei correſpondentis; quod Confeſſarius animaduertat, vt rectum iudicium efformet circa grauitatem peccati tunc contingentis, & pœnitentiam Sacramentalem iniungendam.

6 Non tenetur is, qui vendit vinum, abſtinere ab eo vendendo, eo quòd ſciat, & videat, aliquos inebriari: illorum enim abuſus non poteſt ei imputari; (8) & ſanè aliàs nullus poſſet vendere vinum.

7 In iure (9) pœna depoſitionis iniungitur clericis conſtitutis in Sacris, ſi inebrientur frequenter, & moniti non deſiſtant; qui autem minoribus ſolùm Ordinibus ſunt initiati, à communione arcentur.

8 Si quis præuideat, ſe in ebrietate dormiturum, & in ea habiturum fore pollutionem, ratione ebrietatis prouenientem, eo ipſo ſi vult ebrietatem, vult etiam illam. Diuerſaque eſt ratio, ſi quis ſanæ mentis præuideat, in ſomno ſibi obuenturam pollutionem; dum in hanc voluntariè non feratur, non peccat, etiamſi dormiat; quia ſolùm ipſe vult ſomnum, qui eſt licitus, quin & neceſſarius; in alio verò caſu vult ebrietatem, quæ nec eſt neceſſaria, nec licita, & occaſio conducens ad pollutionem; & tenetur vitare ebrietatem. Tunc autem dumtaxat pollutio præuiſa in cauſa non imputatur

5. D. Thomas *in 4. d. 17. q. 2. art. 2.*

6. Richardus *in 4. d. 15.* Syluester. Couarruuias. Azor.

7. Panormitan. *in c. Quia diuerſitatem, de conceſſ. præb.* Angelus. Valentia. Card. Toletus. Eman. Sà. Card. Caietan. & alij.

8. Communis.

9. *Cap. Acrapula, cap. Clerici, de vit. & honeſt. Cleric.*

tatur ad culpam, cum quis non tenetur vitare causam, nec ei dat operam, vt indè pollutio sequatur, nec in hanc voluntariè fertur. Ex his depromitur regula fixa circa eas actiones, quæ in ebrietate euenire queunt, si sint prauæ, & præuisæ; etenim earum malitia imputatur inebrianti se, quia tenebatur vitare ebrietatem, ex qua, velut ex causa præuisa, sequuntur.

## *Ecclesia, & eius immunitas.*

1 ECclesia violatur per effusionem sanguinis, & etiam seminis; & sacra in ea peragi non possunt, donec reconcilietur. (1) Debet autem esse publica ea effusio, vt detur violatio. Et præterea grauiter peccaminosa ex parte vulnerantis, aut occidentis.

1. *Cap. Ecclesiis, dist. 68. Cap. Si motu, Cap. Ecclesia, de consec. Eccl. Crp. fin. eodem, tit. lib. 6.* Card. Lugo *de Euchar. d. 20. sect. 2. n. 52.*

2 Ecclesia (non materialis) est congregatio Fidelium, cuius caput est Pontifex: non autem sunt membra Ecclesiæ Fideles, dum sunt excommunicati, & ab ea diuisi, sicut nec Infideles, & hæretici. Fideles autem sunt membra illius, etiam existentes in lethali, aliàs Ecclesia esset solùm Congregatio iustorum; quæ propositio expuncta, & prohibita est à Sacro Fidei Senatu Hispaniarum in Indice Expurgatorio anni 1640. (2)

2. In Bartholomæo Fumo *in Armilla.*

3 Ecclesiæ immunitate gaudent confugientes ad illam, ne possint à Iudicibus extrahi; (3) præter eos, qui excipiuntur in iure, ne gaudeant; nempe qui committit crimen intra Ecclesiam, & non solum exequens, sed & iubens, (4) nempe si quis existens intra Ecclesiam iubeat, aliquem occidi extra Ecclesiam. Præterea publicus latro; nocturnus depopulator agrorum; homicida proditorius, & qualificatus, per industriam, & per insidias occidens aliquem; rursùs qui occidit alium veneno; assassinus; reus læsæ Maiestatis; hæreticus. Hæc immunitas inducta est respectu iudicum sæcularium; nam subditi Ecclesiasticorum iudicum quatenus Ecclesiastici sunt, possunt ab his extrahi ab Ecclesia;

3. *Cap. Inter alia, de immunit. Ecclesiar.* cum vulgatis.

4. Nauarrus. Martha. Abbas. Suarez, & alij apud Me *de Iure Academ. l. 3. q. 31.*

(5) non

(5) non tamen vt tradantur iudici ſæculari, niſi in caſibus, in quibus eis non ſuffragatur immunitas. Gaudent immunitate Eccleſiæ rei ciuiles, ſeu ob debita grauati. (6)

5. Iulius Clarus. Gonny. Nauarrus. Suarez. Layman, & alij *vbi nuper.*

4 Nomine autem Eccleſiæ in præſenti intelliguntur templa, & ſacella (non Oratoria priuata) cum Epiſcopi authoritate diuinis Officiis deputata; (nec intereſt quòd ſint violata, aut interdicta) cæmeteria, ſacriſtia, porticus, atrium Eccleſiæ adhærentia: hoſpitalia, domus Religioſorum cum toto ambitu clauſuræ, & palatium Epiſcopi, dummodò ſitum ſit intra quadraginta paſſus Eccleſiæ Matricis. Gaudet immunitate reus, qui portas Eccleſiæ, anſam, aut vectem manu tenet; & qui confugit ad Sacerdotem ferentem extra Eccleſiam (7) in manibus Sacram Euchariſtiam. Si Rex fiat obuiam reo ducto ad ſupplicium, liberum eum reddit; & quia Dignitas Cardinalitia æquiparatur Regiæ, idem de Cardinali aſſeritur, ſi caſu obuiam factus reo, ei ſuum pileum imponi iubeat. (8)

6. Communior ſententia. *vbi nuper.*

7. Martha. Sylueſter. Iul. Clarus. Abbas. Nauarrus. Suarez. Sà, & alij apud Me *ſup.*

5 Reus gaudens immunitate Eccleſiæ nequit à Iudice damnari, nec prohiberi, vt victus, & veſtitus ei deferantur. Poteſt apponi cuſtodia, vt capiatur, ſi exeat; verùm non ſat eſt extrahere manum, aut pedem ab Eccleſia, vt capiatur, ſi intus maneant præcipua corporis membra. Judex extrahens reum ab Eccleſia committit ſacrilegium, & tenetur ad compenſandum ei omnia damna ex iuſtitia; & proceſſus (9) iudicij ipſo facto eſt irritus.

8. Iul. Clarus apud Me *vbi nuper.*

9. D. Thomas. Couarruuias. Nauarrus. Suarez. Abbas. Azor. Layman, & alij *vbi ſup.*

6 In Eccleſiis, quæ ſubiacent iuriſdictioni Epiſcopi, nullus poteſt habere prærogatiuam Sedis, aut aliam ſimilem abſque eius licentia; (10) niſi ſint hi, qui ratione muneris, aut dignitatis habent ex conſuetudine, & ſtylo deſignatas Sedes, & præcedentiam. Quòd ſi aliquis Regularis, v.g. ex Militia Equeſtri, in præfatis Eccleſiis aliquam prærogatiuam non debitam ſibi intenderet, ab Epiſcopo coerceri poſſet; maximè ſi id intenderet, vt dominus loci, quia tunc vt ſæcularis reputaretur; (11) imò etſi vt Regularis habeatur, quoad id quod pertinet ad dignitatem Epiſcopalem, non eſt exemptus.

10. Lambertinus *de iurepatron. l.1. p.1. q.vlt.* Molina *de Hiſpan primog. l.1. c.24.* Roc. de Curte.

7 Non

Gratianus, & alij.

11.

Maſtrillus *de Magiſtrat. l. 3. cap. 8.* Bobadilla. Oſaſcus. Oliua. Ferrer. Fontanella, & alij.

12.

Sylueſter. Suarez. Garcias. Piaſecius. Diana. Martha, & alij apud Pium Viues *tr. de immun. fol. 10.*

13.

Plurimi *ibi pag. 11.*

14.

*Cap. Non minus, 4. Cap. Aduerſus 7. de immun. Eccleſ.*

15.

*Clement. 1. de cenſib.*

16.

Panormitan. Ortiz, & alij apud Pium Viues *vbi ſup. pag. 12.*

17.

*Cap. Benè quidem, diſt. 96. Cap. Eccleſia, de conſtit.*

18.

D. Thom. 2. 2. *q. 16. art. 1.*

7 Non æquè Eccleſiaſtici ac ſæculares tenentur ad expenſas tempore belli. Si oppidum ſit obſeſſum, Princeps Supremus tenetur illud ſuis ſumptibus defendere; quòd ſi non habeat neceſſaria ad id, ad ſæculares oppidi, aut vrbis præcipuè, & immediatè pertinent ſumptus, & remotè, ac minùs principaliter ad Eccleſiaſticos, quatenus ſunt membra Reipublicæ: nam Eccleſiaſtici ſapiunt rem ſpiritualem, ex quo corpus, & animam deputauerunt Dei ſeruitio, (12) & in ſortem Domini ſunt vocati. Si bellum eſt diuturnum, antequam Eccleſia ſubueniat ſuis bonis ad illud, conſulendus eſt Pontifex; nec alio tempore debet Eccleſia ſua bona ad ſuecurrendum defenſioni præſtare, niſi quando conſtet, nec Principem poſſe ſubuenire, (13) nec iam eſſe vltetiora bona in Republica, nec in communi, nec apud priuatos ſæculares, quæ ſufficiant ad ſumptus in defenſione faciendos; & cùm in ea vrgentiſſima neceſſitate Eccleſia è ſuis bonis concedat, ſeruandæ ſunt conditiones in Sacris Canonibus (14) præfixæ. Quòd ſi neceſſitas vrgeat, & conſuli Pontifex nequeat, conſulendus eſt Epiſcopus ſimul cum Clero, & cum Regularibus (ſi hi ſoluturi ſint, (15) cum debeat approbari ab omnibus, quod omnes tangit) videat, ſi neceſſitas ſit vrgens; & quænam bona tribuenda ſint, an priuatorum, an communia, an etiam vaſa Eccleſiæ pretioſa. (16) Quare Princeps ſæcularis, Gubernator, aut Dux, non poſſunt ea bona tollere, ſic enim violarent libertatem Eccleſiaſticam; (17) & cum Eccleſiaſtici, ac Regulares, eorumque bona non ſubiaceant iuriſdictioni Principum, aut Gubernatorum ſæcularium, nequeunt hi diſponere de illis, quæ ipſis non ſubiacent. Itaque ad alienanda ea bona requiritur cõſenſus Papæ, qui eſt Adminiſtraor bonorum Eccleſiæ; etenim alienatio ſine eius conſenſu eſt nulla, (18) & Epiſcopi iurant non alienare ea bona: & item conſenſus Cleri, Capituli, aut Monaſterij. Quare neceſſitas vrgens non præſtat iuriſdictionem ſæcularibus contra non ſubditos, ſed mouet, vt poſcant ab eis aliquid, quod hi ſeruatis debitis conditionibus, & cautionibus præſtent, aut mutuent. Quare Principes, qui bonis Eccleſiæ vſi ſunt ad vrgentiſſimas

ſimas

ſimas neceſſitates, conſulto Pontifice, id fecerunt, & poſteà bona Eccleſiæ reſtituerunt : aliter non benè fuiſſent operati ; nam Princeps iuris compendium, & poteſtatem trahere non poteſt ( 19 ) ad iniquum diſpendium, quale eſſet vti bonis Eccleſiæ abſque ea cauſa ; ſeu non reſtituere, ſi in mutuum ſint accepta, & detur facultas reſtitutionis.

19. *Leg. Eum qui, ff. de vſucap.*

8 Et caſu quo bona Eccleſiæ opus ſit concedere Principi, primùm fructus, deinde res mobiles ſunt concedendæ. Cæterùm vaſa, & ornamenta intæ immobilia ſunt computanda ; licèt enim inſtrumenta ruſtica non veniant nomine immobilis prædij, & hoc legato non intelligantur (20) illa legata ; tamen ſacra ſuppellex tradita eſt Eccleſiæ, (21) vt illi perpetuò maneat ; ſicut quæ in fundo ſunt ibi perpetuò manſura, partem fundi conſtituunt. (22) Itaque priuſquam vaſa, & ornamenta Eccleſiæ ad vſus prædictos concedantur, inſumenda eſt omnis ſuppellex pretioſa ſæcularium, quin & redditus Eccleſiaſticorum.

20. *Leg. Fundo legato, ff. de ſuppellect. legat.*

21. Sylueſter. Maiſtre apud Pium Viues *ſup. pag. 17.*

9 Bonorum Eccleſiæ alienatio tunc ſolum licita eſt, quando ipſius Eccleſiæ neceſſitas, aut euidens pietas ſeu vtilitas adeſt. Neceſſitas datur, quando ipſa Eccleſia reparanda eſt, aut debitis exoneranda, quibus non aliter (23) exonerari poteſt ; tunc enim non redditur Eccleſia pauperior. Pietas datur, quando intercedit propagatio Religionis, ſuſtentatio pauperum in magna fame, ſeu graui neceſsitate ; redemptio captiuorum periclitantium. Vtilitas adeſt, quando Eccleſia fit locupletior ; (24) nec ſufficit ſpes meliorationis, ſed actualis requiritur. (25) Cæterùm non poteſt Eccleſia bona immobilia alienare cauſa pauperibus ſubueniendi, ſi ex bonis ſæcularibus publicis, aut ex bonis priuatorum poſſit eis ſubueniri.

22. *Leg. Si fundus legatus 44. ff. de legat.*

23. D. Antonin. *3. p. tit. 12. c. 3.*

24. Quaranta. Riccius. Azor. Vaſq. & alij apud Pium Viues *tr. de imm. pag. 40.*

10. Eccleſiaſtici non tenentur contribuere ad conſtructionem murorum, pontium, apertionem fontium, & ſimilia ; nam ea vtilitate ſolùm (26) gaudent ſecundariò, & ex conſequenti, prout ſunt domeſtici in illa Republica : & ſolùm contribuere debent ad ea, quæ primò & per ſe ſunt bona communia æquè illis, & ſæcularibus, debitis conditionibus præeuntibus.

25. Bonac. & alij *ibidem.*

26. Sylueſt. *verbo Immunitas 1. num. 8.* & communis Theologorum

11 Si aliquando daretur extrema neceſsitas in Regno, aut

& Canoniſtarum.

aut in Republica, non poſſet Princeps propria authoritate bona Eccleſiæ accipere, (27) nam actus iuriſdictionis reſpectu Clericorum, adhuc fauorabilis, à ſæculari præſtitus non valet; (28) vnde conſenſus Papæ eſt neceſſarius.

27. Caietanus. 2. 2. *q.* 100. *art.* 4.

28. *Cap. Eccleſiæ, de imm. Eccl.* & *ibi* Abbas. Nauarrus, & plures apud Pium *ſup. pag.* 54.

12 Immunitas Eccleſiaſtica tunc violatur, cum actio, aut præceptum, ſeu lex contrariatur alicui Concilio, Canoni, vel priuilegio expedito in fauorem Eccleſiæ, aut Eccleſiaſticorum. (29) Hinc cùm leges ciuiles non contrariantur, tenentur Eccleſiaſtici illis obedire quoad vim directiuam; (30) & cum ſint vaſſalli Principis, & vnum corpus componant (31) cum cæteris inferioribus, ex lege naturali tenentur ad obſeruandum ea, quæ cæteri obſeruant: vel tenentur ex Iure Canonico potente obligare illos, cum id ius ſubdeleget ſuam poteſtatem Principibus ſæcularibus, vt poſſint circa res purè temporales conſtituere leges, quæ obligent Eccleſiaſticos. Vnde etiam tenentur obſeruare conſuetudines, cum ſæpe in Iure Canonico de hoc moneantur; (32) & quidem eæ conſuetudines, & leges, quæ non contrariantur immunitati, ſunt vtiles bono communi, atque adeò communes ſæcularibus, & Eccleſiaſticis.

29. Lezana *tom.* 1. *cap.* 11. *n.* 16.

30. Diana 1. *p. tr.* 2. *reſ.* 8. & *ibi* plures.

31. Sotus *lib.* 1. *de Iuſt. q.* 6. *art.* 7. Lorca. Victoria. Molin. & alij.

32. Plura apud Sendin. *in epitom. de Concept. q.* 4. §. 1. *ad fin.*

13 Non violatur immunitas Eccleſiaſtica ex eo, quod tributum imponatur ſæcularibus, v. g. in rebus comeſtibilibus, & ad euitandas fraudes Eccleſiaſticis intimetur, vt illud ſoluant, ita vt illicò eis refectio æqualis detur; (33) nam id non eſt exigere ab eis tributum, ſed mutuum, aut depoſitum ſtatim reſtituendum; eo quòd ſi ita non fiat, & ſeparatim Eccleſiaſticis omnia victualia vendantur, plurimæ fraudes irreperent.

33. Diana 1. *p. tr.* 2. *reſ.* 45. Duardus *in Bull. Cœn. q.* 15. *n.* 3. & alij.

14 Si in Eccleſia polluta Sacerdos bona, vel mala fide celebret, reconciliata manet, cum Miſſæ celebratio ſit ſacratior omni alia ſacratione, aut benedictione. (34) Polluitur autem Eccleſia non ſolùm modis *ſuprà* præfixis, ſed etiam ſi in ea ſepeliantur excommunicatus nominatim: publicus Clerici percuſſor: paganus: Judæus: aut hæreticus. Per tumulationem infantis non baptizati, aut catechumeni, non pollui Eccleſiam, certò probabile eſt. (35)

34. Eman. Sà *verb. Eccleſia, n.* 19. Tamburinus. Diana, & plures.

35. Gobat. *in exper. Theol. tr.* 3. *num.* 264. *in append.* Simon Felix, Barboſa.

15 Si

15 Si Ecclesia sit consecrata, & polluatur, solus Episcopus, aut habens priuilegium, potest eam reconciliare. Si solùm sit benedicta, potest quivis Sacerdos de licentia Prælati.

16 Ecclesia debet saltem esse benedicta, vt in ea celebretur; at sufficit tacita permissio Episcopi, vt in ea adhuc non benedicta celebretur. (36)

17 In hac materia odiosa pollutionis, & reconciliationis Ecclesiæ solùm veniunt templa, ad quæ conueniunt fideles ad Missam, & Officia diuina audienda, & suscipienda Sacramenta, & simul cæmeteteria propè existentia; (37) non verò cæteri loci sacri, nec Capellæ priuatæ, nec Oratoria, quæ nomine loci sacri comprehenduntur; non vero nomine Ecclesiæ rigorosè sumptæ; sic verò in fauorabilibus.

18 In Heluetia, & Sueuia sunt aliqua templa communia orthodoxis, & heterodoxis; (38) quæ per conciones, & ministeria horum hæreticorum non profanantur, nec violata censentur.

19 Ecclesia, quæ est consecrata, si muri eam cingentes corruant, manet exsecrata, seu absque consecratione; secus si tectum solum corruat, aut aliqua pars muri.

20 Quando violatur Ecclesia, cæmeterium etiam violatum censetur, non verò è contra. Nec Ecclesia violatur per eas actiones vetitas, si exerceantur in turri, (39) aut in sacristia, quæ sit propriis muris cincta: nec in capella vicina Ecclesiæ, ad quam ex hac non pateat accessus; nec etsi pateat per angustam portam, quasi ad locum, qui non constituat Ecclesiam.

21 Si hæretici abusi sunt aliqua Ecclesia Catholicorum, eiusque vasis ad sua ministeria, absolutè non est opus noua benedictione, estò eam præstare sit valde decens; sicut etiam, cum Ecclesia per multum temporis spatium tecto caruit, & ob id in ea non est celebratum. (40)

22 De Ecclesiæ Cathedralis Dedicatione, cùm illa est consecrata, tenentur omnes, qui Horas Canonicas

36. Pax Iordanus *tom. 1. lib. 4. tit. 1. n. 114.* Gobat. & alij.

37. Suarez *tom. 3. in 3. p. d. 51. sect. 4.* Card. Lugo. Pax Iordanus. Gobat. Layman.

38. Gobat. *vbi sup. num. 365.*

39. Fagundez *de præcept. Eccl. præcept. 2. l. 4. c. 5. num. 32.* Suarez. Gobat. Th. Sanchez. Layman.

40. Layman *lib. 5. tr. 9. c. 5. n. 14.* Gobat.

41. P. Brunus Neuſſer. *de hor. Canonic. d.6. q.10. & 11.* 42. P. Carolus Guyetus *in Heortologia, l.1. c.3.q.4.* 43. Eman. Sà *in ſumm. verb. Eccleſia,n.2.*

perſoluunt, recitare. (41) At verò de Dedicatione Eccleſiæ benedictæ, quæ dedicatio ſolet vocari imperfecta, poſſunt recitare, ſed non tenentur; quin, ſi praxi Romanæ attendatur, non licet de ea Dedicatione recitari, aut celebrari. (42)

23 Si Eccleſia diruatur, eius materia nequit conuerti in vſus profanos abſque licentia Papæ, aut ſaltem Epiſcopi. (43)

24 In neceſſitate licet comedere, ac dormire in Eccleſia; at abſque illa id præſtare, peccatum veniale eſt ob indecentiam, ſeu irreuerentiam; ſicut & conuenticula ad negotia ſæcularia: poſſunt verò fieri ad cauſas pias, ſeu ipſius Eccleſiæ; necnon etiam piæ repræſentationes nihil indecens continentes; & præterea in Eccleſia poſſunt concedi Gradus in literis, v.g. Licentiatus, aut Doctoratus.

## *Electio.*

1. *Seſſ.24. cap.1. de reform.* 2. Card. Toletus, Azor, Filliucius, Valentia, Vaſquez, Caſtr. Palao. Ego cum aliis *in Statera, d.13.q.17.* 3. *Seſſ.24.cap.18. de reform.* 4. Ego *ſup. & de Iure Academ. lib.6.q.6.*

1 AD Epiſcopatus eligendi ſunt digniores, & magis vtiles Eccleſiis, iuxta Tridentinum, (1) idque obligat ſub mortali. Ad Beneficia curam animarum habentia, ſub mortali eſt præferendus dignior; (2) nam præ cæteris magis idoneus debet eligi, iuxta Tridentinum; (3) & cum agatur negotium animarum, & Eccleſiæ vtilitas, Beneficia ea dignioribus fuiſſe inſtituta, ex ipſius Eccleſiæ inſtitutione videtur; ac præterea ideo oppoſitores examen ſubeunt, & periculum ſuæ ſcientiæ, vt digniori præmium conferatur; (quod militat etiam in Cathedris Academiarum, & in Canonicatibus, quæ per oppoſitionem obtinentur): (4) quòd ſi ad digniorem non attenderetur, fruſtraretur intentio concurſus, qui eſt quaſi certamen, in quo meliùs certanti conceditur brauium. Maior autem dignitas, & idoneitas ad Beneficia deſumenda eſt coniunctim ex literis, virtute, prudentia, & maturitate iudicij.

2 Quando non datur concurſus, cùm nullus ius ad Beneficium adquiſierit, nec de iniuria ſibi illata poſſit conqueri,

conqueri ; poteſt eligi dignus. Similiter Beneficia non habentia Curam animarum, ſeu ſimplicia, poſſunt conferri dignis, omiſſis dignioribus : ( 5 ) nullum enim extat Ius in contrarium ; & oneri recitandi Officium Canonicum æquè poteſt ſatisfacere dignus, ac dignior, & ea eſt communis praxis. ( 6 ) Eligens dignum præ digniori ad Beneficium Curatum, non tenetur ad reſtitutionem ; nam dignus poteſt ſatisfacere ei muneri, & iuſtè fructus percipere ; & œconomus, cui dominus præciperet locare operarios meliores, ſi ſufficientes locaret, & non meliores, peccaret contra obedientiam, & fidelitatem, non verò contra iuſtitiam.

5. Nauarra. Gutierrez. Nic. Garcia. Sotus. Ledeſma. Serra, & plures apud Me *in Statera, d.* 13. *q.* 17.

6. Sotus. Nauarrus. Ledeſma. Card. Toletus. Caſtr. Palao ; & alij apud Me *ſupra.*

3 Ad munera ſæcularia eligere indignum, eſt peccatum mortale ; non verò eligere dignum præ digniori, cum ille ſufficiat, vt Reipublicæ ſatisfiat, nec Ius extet de digniori anteponendo ; quod tamen eſt curandum, vt rectiùs in bello, & pace Munera adminiſtrentur.

4 Ad Prælaturas Regulares dignior præ digno eſt eligendus ſub mortali ; ( 7 ) tum quia id in Iure ( 8 ) ſtatuitur ; tum quia maximum damnum inferretur Religionibus, ſi digniores poſtponerentur, qui ingentem ſplendorem eis eſſent allaturi ; & cum ſit ſtatus perfectionis Religionis ſtatus, incumbendum eſt etiam adimpletioni conſiliorum, quam meliores Prælati rectiùs curabunt ; aliunde etiam via fieret ambitioni, dum digniores omitterentur ; & cuncti, adhuc forſan indigni, dignos ſe iudicarent. Si autem quis agnoſceret eum, quem iudicat digniorem, non fore obtenturum Prælaturam, & ſimul imminere periculum, quòd ea indigno conferatur, niſi ipſe accedat per ſuum ſuffragium alij digno, poterit pro eo ſuffragari ; nam minus malum eſt eligi dignum præ digniori, quàm indignum. Et inter alios indignus eſt is, quem conſtaret deditum eſſe alicui peccato mortali. ( 9 )

7. Nauarra. Vaſquez. Rebellus. Ego cum aliis *in Statera, d.* 13. *q.* 18.

8. *Authent. de Monachis, c.* 9.

9. D. Thom. Armilla. Ioan. Henriq. apud Me *ſup.*

5 Quando eſt clauſula in Fundatione, aut Statuto, quod eligatur ad Beneficium, aut Capellaniam, vel quid ſimile, ortus ex tali familia, vel tali loco, ſi ibi

non sit dignus, potest aliunde eligi alius; alioquin esset iniqua clausula, aut statutum.(10)

10. D.Thom. 2.2. q.63. art.4. Sotus. Bañez. Salon. Eman. Sà.

6 Si hi, qui suffragium habent ad electionem, & eos vocari mos est, non vocentur, cum commodè possent vocari, possunt irritam facere electionem, (11) necnon eam ratam habere. Possunt etiam designare Procuratorem de Communitate, qui pro eis suffragium præbeat, non verò mittere per literas suffragium.

11. *Cap. Quod sicut, de elect.* Fumus. Eman. Sà.

7 In Ecclesiis Cathedralibus intra tres menses vacantis præbendæ fieri debet electio; aliter devoluitur ad Episcopum, quo non eligente, devoluitur ad Papam. (12) In Religionibus standum est earum statutis.

12. *Cap. Ne pro defectu, de elect. lib. 6.* Tabiena. Fumus.

8 Electio debet fieri in loco honesto, non clandestino. Electionem autem noctu factam reprobant vt inualidam Canonistæ. (13)

13. Panormitan. *in c.1. de clandest. desponsat.* Felin. & alij.

9 Nequeunt suffragium ferre in electione excommunicati maiori excommunicatione, suspensi ab officio, interdicti, hi qui scienter celebrarunt in loco interdicto, impuberes, hi qui non sunt de collegio, aut Communitate; irregulares ex delicto, (14) & in Religionibus non professi, ac conuersi; & in eis designatur, quantum temporis debeat intercedere ab ingressu Religionis vsque ad facultatem ferendi suffragium.

14. Plura iura apud Sylvest. *verb. Electio 1. num. 5.*

10 Si electus indigeat confirmatione Papæ, debet eam poscere intra tres menses post præstitum à se consensum, aliàs(15) redditur ex Iure irrita electio.

15. *Cap. Quam sit, de elect. l.6.*

11 Tripliciter potest fieri electio: primò per scrutinium suffragiorum: secundò per compromissum: tertiò per communem inspirationem, & consensum, nullo contradicente; & aliter facta est nulla. (16)

16. *Cap. Quia propter, de elect. l.6.*

12 Sub pœnis grauissimis interdixit (17) Gregorius XIV. ne fierent sponsiones super electione Cardinalium, aut futuri Pontificis.

17. *In Constit. 28. Martij 1591. Incipit: Cogit nos.*

13 Archiepiscopi, & Episcopi Religiosi, qui renuntiantes Episcopatibus redeunt ad claustra Monasterij, nequeunt eligi ad Officia, & Dignitates; & qui

eos scienter eligunt, priuantur voce actiua, & passiua à Paulo IV. (18)

14 Requisita, quæ inueniri debent in his, qui eliguntur in Consistorio ad Episcopatus, & alias Dignitates, & examina ante electionem præstanda, reperientur in Bulla Gregorij XIV. quæ incipit, *Onus Apostolicæ.* (19)

15 Electus debet esse habilis cum eligitur, & confirmatur, nec sufficit reddi habilem postquam electus, & confirmatus est. (20)

16 Electio metu facta ipso iure (21) est nulla. Si deficiat solennitas in electione, potest cassari electio; sed dum non cassatur, & dum electio sit valida iure naturali, potest electus tuta conscienia retinere dignitatem. (22)

17 Electio, approbatio, & præsentatio ad quamvis Dignitatem, seu Beneficium, mediante pecunia, est simoniaca, (23) & proinde nequit electus retinere id munus, quod obtinuit.

18 Electio non debet fieri antequam sepeliatur prædecessor in eo munere Ecclesiastico; (24) si autem fieret, esset valida.

19 Elector potest variare, & alium eligere ante publicationem, secùs post illam; nam iam est adquisitum ius electo. Nec potest præbere suffragium disiunctiuum, aut conditionatum, (25) v. g. *Eligo Petrum, vel Ioannem*; aut *Eligo Petrum, si eum eligat Franciscus: aliter Eligo Ioannem.*

20 Si electus, qui indiget confirmatione, munus exerceat ante confirmationem, ipso facto irrita est electio. (26) Excipitur Pontifex, qui electus potest exercere.

21 Electum propter humilitatem recusare dignitatem, laudabile, & meritorium est; at peccabit, si non acceptet cum id præcipitur à Superiore; & cum ipse animaduertit, non esse dignum alium, qui velit, aut possit munus illud gerere, maximè si sit cura animarum. (27)

22 Ad electionem canonicam requiritur, & sufficit maior pars suffragiorum Communitatis ibi præsentis. Si verò sint æqua suffragia pro duobus, nec detur

18. *In Constit.* quæ incipit, *In suæ*, die 22. Iulij 1599.

19. Die 15. Maij, anno 1591.

20. *Cap. Dudum, de elect.*

*Cap. Vt circa, eod. tit. l. 6.*

21. *Cap. Vbi periculum, de elect. lib. 6.*

22. Nauar. *comm. de spol. Cleric. §. 2. num. 6.* Innocentius.

23. Graffis *in decis. l. 2. cap. 97. num. 32.* cum communi.

24. Fumus *verbo Electio, n. 15.* referens iura.

25. *Cap. Electionibus, de elect. lib. 6.*

26. *Cap. Auaritiæ, de elect. lib. 6.*

27. Sylues. *verbo Electio 2. n. 22.* Archidiacon. Ioan. Andreas. Richardus. Fumus.

qualitas ſuffragij in aliquo, (qua extante, ille electus manet, pro quo ſe tuliſſe ſuffragium fatetur is, qui habet ſuffragium qualificatum) ſtandum eſt conſuetudini in informatione titulorum, ætatis, nobilitatis, quæ in electis reſident, vt anteponatur ille, qui præcellat.

23 Cum fit electio per compromiſſum, id poteſt reuocari in vnum compromiſſarium ſolum, & in plures, quos expedit eſſe impares; & poteſt compromiſſarius eſſe de communitate, vel extra illam; ac fœminæ, v. g. moniales, valent compromittere in virum. Quòd ſi compromiſſarij non eligant idoneum, poſſunt compromittentes non acceptare illum. Compromiſſarius autem, ſi ſit vnus ſolus, nequit ſeipſum (28) eligere. Sicut ſi Superior committat vni, vt eligat dignum, aut digniorem, non poteſt ſeipſum eligere: nam tunc ipſe intelligitur exceptus; quare ſi ſe eligeret, eſſet repellendus (29) vt ambitioſus. Quin nec cùm compromiſſarij ſunt plures, poſſunt duo eligere tertium ex ipſis, niſi poteſtas concedatur, vt eligant de ſe, vel de aliis; aliter poteſtas illis tradita eſt, vt ſint electores, non electi. (30)

28. *Cap. Per noſtras de iure patron.*

29. *Cap. In ſcripturis, 8. quæſt. 1.*

30. Sylueſter *vbi ſup. verbo Electio 2. n. 24.*

## *Eleemoſyna.*

1 ELeemoſynam tenetur quis ſub mortali præbere ei, qui eſt in extrema neceſſitate; idque ex virtute charitatis, ac miſericordiæ, necnon iuſtitiæ ſubſidiariæ; (1) tunc enim omnia bona ſunt communia, non quidem vt erant ante diuiſionem rerum iure gentium; tunc enim quiſque erat dominus illarum negatiuè, quia nullius erant propriæ: nunc verò etiamſi quis extremè indigeat, alius habet rerum ſuarum dominium, ille autem habet ius ad hæc, in quo ſenſu dicuntur communia; & propter id ius interuenit iuſtitiæ ſubſidiariæ ratio, ſeu obligatio præſtandi ſubſidium. At ſi alter ſit in extrema neceſſitate, ſeu reducendus ad illam, ſi det alteri, non tenetur, adhuc ſi ſit debitor illius. (2) Qui verò eleemoſynam non præſtitit

1. Nauarra *de reſt. lib. 3. c. 1. num. 348.* D. Thomas. Caietanus. Couarruuias. D. Bonauent. Nauarrus. Sarmiento. Medina.

2. Sotus *l. 4. de*

stitit extremè indigenti, non tenetur ad restitutionem, postquam necessitas cessauit.

2 Eleemosynam in graui, & magna necessitate præstare ex his quæ suo statui superfluunt, tenetur quis sub mortali erogare; (3) oppositum tamen (4) est certò probabile. Si res non sint vsu consumptibiles, & pauper indigeat solo vsu, non est opus præbere ei proprietatem, nam per vsum ei succurritur. Cum donatur res vsu consumptibilis, etiamsi quis ad pinguiorem fortunam veniat, non tenetur reddere donanti. Si verò ei quasi in mutuum, vt necessitati succurrat, detur pecunia, aut quid simile, tenebitur reddere; non verò potest ei obligatio imponi, quòd laboret, vt lucretur id, quod ei donatum est, & multò minùs ne Religionem ingrediatur, vt extra eam possit lucrari. Itaque si donatio sit absoluta, quia extremè, aut grauiter indigens non habet alibi bona, nec vires, aut artem, quâ lucretur, transit dominium in illum absque vllo onere. Si autem donatio sit conditionata, eo quòd ille alibi bona habeat, aut spem redigendi se ad pinguiorem fortunam, tenebitur hic reddere, quod sibi donatum est; nam donans solùm fuit obligatus ad succurrendum sufficienter necessitati. Ex dictis fit, extremè indigentem, si ei non succurrat is, qui potest, valere absque labe furti ab eo tollere, quod sibi opus est; secùs verò eum, qui est in graui necessitate, in qua non sunt bona communia; & præterea aditus aperiretur innumeris furtis. (5) At certò probabile est oppositum, quando (6) necessitas grauis est certa, & abundat is, à quo res confertur, ad eam leuandam.

3 Captiuitas non est extrema necessitas; aliàs omnes diuites, qui non redimerent suis eleemosynis captiuos, peccarent (7) grauiter. Tunc tamen esset captiuus in extrema necessitate, si foret in proximo periculo amittendæ Fidei, aut vitæ; quod si constaret potenti opportunè ei succurrere, is ad id teneretur.

4 Estò diuites non erogantes eleemosynam possint timere verba in extremo iudicio à Christo D. reprobis dicenda, tamen extra extremam necessitatem non esse eam præceptam sub peccato mortali, certò probabile est.

*iust. q.7. art.1.* Medina, & alij.

3. Armilla *verbo Eleemosyna*, §. 2. Sylvester. Bañez. Nauarra. Cordoua, & alij.

4. Caietan. 2.2. *q.7. art.5.* Durandus. Alensis. Rosella. Panormitan. & plures.

5. Couarruuias *in reg. Peccatum*, *p.2.* §. 1. Sotus. Caietanus. Bañez.

6. Sylvester *verb. Furtum*, *q.* 15. *dict.* 1. Medina. Angelus. Nauarra. Adrianus. Nauarrus. Leand. à Sacram.

Duballius. Bonacina. Cardenas. Tamburinus. Granado.

est. (8) At Ecclesiastici grauiter peccant, si ex his, quæ eorum sustentationi decenti superfluunt ex redditibus Ecclesiasticis, non succurrant indigentibus: (9) estò non peccent grauiter, si expendant in vsus alios profanos quintam partem ex superfluis. His non annumerantur Commendatarij Equestres, nam Commendæ dantur titulo laïco.

7. Puéte Hurtad. *de charit. d 159. n. 1.* Cardenas.

5 Nullus tenetur succurrere necessitati absentis, quam audiuit, cum sufficiat præsentibus subuenire; nisi sit Episcopus respectu egenorum suæ diœcesis. Nec tenetur magnam quantitatem præbere ægro pauperi, vt emat exquisitam medicinam, cum sufficiat de remediis ordinariis ei prouidere. Nec tenetur pro pauperis vita totum suum statum expendere, si in æstimatione morali maius sit id damnum, quàm illius mors. (10)

8. Alensis *4. p. q. 113.* Card. Toletus. Ioan. Medina. Gabriel. Maior. Victorellus.

6 Non iudicatur extremè indigere, qui hîc est in extrema necessitate, & alibi est diues; vnde sat est ei mutuum dare. Vt autem quis succurrat extremè indigenti, non habens ex propriis, potest desumere ex alienis, absque onere restitutionis.

9. Bañez *in 2. 2. q. 32. art. 6.* Nauarrus. Diana. Valentia. Castr. Palao. Em. Sà, & alij.

7 Fœmina coniugata potest eleemosynam præbere, cum familiam gubernat ob absentiam mariti: præterea ex bonis paraphernalibus; necnon ex his, quæ sua industria, ad quam non tenebatur, adquisiuit; deinde ex bonis, quæ ei suus maritus designat ad victum, & necessaria; demùm pro viri salute, & cum occurrit necessitas, cui tenebatur maritus succurrere. (11) Quin & lucra impudica, si non sint magna, valet in eleemosynam, & pia opera expendere. Tutor etiam & curator ex bonis pupilli possunt eleemosynas moderatas præstare. (12)

10. Em. Sà *in sum. verb. Eleemosyna, num. 5.* 11. Molina *de iust. d. 275.* Nauarrus. Abulensis. Medina. Fumus. Eman. Sà. Sotus. 12. Fumus *in Armillæ, verbo Eleemosyna, num. 7.* Eman. Sà. 13. Diana *p. 5. tr. 14. res. 93.* Petr. Hurtado. 14. Granado. Diana, & alij.

8 In necessitate priùs succurrendum est parentibus; deinde inter coniugem, & filios non est necessariò seruandus ordo prioritatis in subueniendo eorum necessitati. (13)

9 Qui simulat paupertatem, non tenetur restituere, dum exiguas eleemosynas ab vnoquoque accipiat, eas enim non censentur erogantes concessisse cum eo onere. (14)

## *Emptio, & venditio.*

1 ILlicitum est vendere merces maiori pretio cum pacto de retrouendendo illas minori pretio. (1) Id enim continet vsuram palliatam, cùm re ipsa non sit aliud, quàm emptorem accipere centum aureos, & postmodum teneri ad reddendum v.g. centum & viginti. Idem dicito, quamvis non detur id pactum, si ex circunstantiis dignoscat venditor, illam venditionem esse simulatam, eoque animo emptorem esse, vt illicò minori pretio vendat: nam tunc ad eundem effectum vsura tenditur, adestque vsura mentalis. Quòd si absque pacto, & syncerè vendat quis merces iudicans emptorem ad vsus proprios eas emere, licitum ei erit postmodum minori iusto pretio emere; nam supponendo, nullum inde scandalum oriri, cuique licitum est vendere, & emere pretio iusto; iustum autem est summum, medium, & infimum. Hinc etiam, quamvis non sit licitum vendere cariùs creditò præcisè ob dilatam solutionem; tamen si pretium carius non excedat iustum pretium, id licet; non enim est vsuræ labes, dum iustum pretium seruatur, etiamsi supremum sit, cum vnicuique fas sit res suas vendere iusto pretio; aliàs non censeretur iustum, si nequiret quis eo pretio suas res vendere. Et ratione periculi specialis licet aliquid vltrà accipere, cum periculum speciale (& non imbibitum in omni emptione creditò facta) amittendi capitale sit pretio æstimabile. Etiam in pœnam, si tali tempore emptor non soluat, potest designari aliqua quantitas; vel si res dignoscatur postea plus valituta.

1. Molina. Salas. Bonacina. Lessius. Azor. Busembaum. ego cum pluribus *vt Stateram, diff. 6. q. 5.* Medina *Cod. de restit. q. 38.* Nauarra. Maior. Cordoua. Nauarrus, & alij.

2 In venditione potest esse fraus in substantia rei venditæ, in quantitate, in qualitate, in numero, & in mensura. Et quomodocumque fraus intercedat, debet restitui malè acceptum. Tenetur venditor manifestare emptori defectum rei venditæ, nisi res iusto pretio vendatur, etiamsi taceatur defectus; (2) estò emptor non foret illam emptutus, si eum nosceret, quia adhuc non damnificatur, cum res valeat, quod soluit.

2. Sotus, & alij apud Me *de Bull. Cruciat. d. 34. n. 218.*

Emptor

Emptor etiamsi noscat, rem multò ampliùs valere, quàm à venditore æstimatur, si non soluat, & aperiat excessum, tenetur illum restituere venditori.

3 Vendens vinum, aut quid simile, nec potest aquam miscere, nec mensuram decurtare, nisi casu quo adhuc eo præstito, merces iusto pretio vendatur; (3) attentis circunstantiis, ita vt venditori aliquod lucrum obueniat, similiter id præstari valebit, si adue mixtâ aqua, vinum permanet in eadem qualitate, quâ gaudet vinum ab aliis in eodem oppido venditum, quod excedebatur in qualitate ab illo, quod aquâ miscetur; sic enim æqualitas seruatur. Verùm id non est consulendum, ne inde arripiatur ansa ad fraudes.

3. Sotus. Bonacina. Homobonus. Lessius, & alij *vbi sup. ex num. 216.*

4 Pretium rerum iustum sumitur à taxatione legis, seu Principis; necnon à communi æstimatione. Taxam autem debent Ecclesiastici seruare; nam etsi non subdantur potestati ciuili, subduntur legi naturali iustitiæ, quæ prohibet post assignatum iustum valorem, exigere ampliùs. Quando autem lex ita taxat mercem, ne vltra tale pretium vendatur, relinquit eam à communi æstimatione taxandam infra illud pretium, si detur v. g. abundantia mercis.

5 Si quis rem, quam esset portaturus ad alium locum, in quo plus valet, vendat in alio, vbi minùs valet, obligans se ad transportandum eam ad illum locum, potest (4) eam vendere eo pretio maiori, quia sumit periculum transportationis.

4. Medina. Nauarra *de rest. lib. 3. c. 2. n. 6.* & alij.

6 Si res vendatur cariùs iusto pretio, excessus debet restitui. Nec licet illud (5) excedere, ex eo quòd res sit omninò necessaria emptori, dum venditori non sit huiusmodi. Cum emptor petit rem a venditore, qua ille maximè delectatur, potest is aliquid vltra iustum rei pretium accipere, quia non ex vi venditionis, sed complacentiæ, qua se priuat, accipit. Idem est si rogetur vendere rem, ex cuius venditione damnum ei aduenret, aut interesse amittet. Aliud est (6) si ipse venditor rem vendendam offerat, nec in gratiam emptoris id præster.

5. Communis.

6. D. Thomas. *q. 3. de malo, art. 4.*

7 Deficiente taxatione legis, & æstimatione communi, potest venditor pretium statuere, (7) attentis circunstantiis expensarum, laboris, & industriæ; dum

7. Nauarrus, & alij apud Na-

id

id pretium iudicio prudentis sit æquum. Cum intercedit in emptione, aut venditione donatio, potest accipi quod emptor soluit maiori pretio; & è contra emptor, quod venditor viliori pretio tradit. narram *vbi sup. num.* 26.

8 Ratione modi pretium rei vilescit; sic pauper rem ex necessitate vendit, & emptor potest minus soluere, quia emit, aliter non empturus, vt pauperi subsidium vtile præstet. (8) Quare etiam à diuite rogante posset sic emi res; nam tunc non vilescit pretium ob necessitatem, sed ob modum. Quod limita, nisi quis, vt euaderet graue malum, repente rem pretiosam venderet, veluti gemmam; non posset ab eo emi vilissimo pretio, ex eo quod pauci essent emptores: nam esset potiùs extorquere rem, quàm emere: & in eo casu ad eleemosynam erogandam tenetur ille, qui rem emere tentaret. Quando verò ex multitudine mercium, vt in spoliis exercitus deuicti, aliisque huiusmodi casibus, res venduntur, viliùs emi possunt: (9) id enim euenit ex copia rerum, & raritate emptorum. 8. Sylvester *verb. Emptio, q.* 7. 9. Card. Caietan. *in sum. verbo Emere.* Pedraza. Couarruuias. Medina. Nauarra. Nauarrus.

9 Si pretium vltra iustum augeatur ob contentionem emptorum, quorum singuli pretium augent, ne res ad alium perueniat, censentur hi excessum pretij voluntariè condonare iuxta communem sensum. Si sciat venditor, merces citò viliùs valituras, adhuc eas potest vendere pretio currenti, (10) quia tunc is valor est iustus, etiamsi copiam mercium secretò esse iam in ciuitate sciret venditor, & emptor ignoraret. 10. D. Thom. 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. Caietanus. Sotus. Sylvester. Couarruuias. Corduba. Angelus. Nauarra.

10 Qui copiam mercium emit, v. g. frumentum, vinum, oleum, & similia, vt ea vendat, tenetur ea vendere cum datur grauis necessitas, & inopia earum, nec potest reseruare vlteriùs, vt cariùs vendat; potestque cogi ad id à Principe (11) ob bonum commune.

11 Vendens rem cum pacto de retrouendendo, post tempus præfixum, licitè operatur, dum pretium aptetur obligationi. V. g. vendis rem cum pacto quòd emptor reuendat eam tibi post quatuor annos; sanè minoris est vendenda, ratione eius oneris. E contrà emis rem cum pacto, quòd venditor intra quatuor annos eam redimat, maiori pretio est emenda, ob onus venditori impositum. Si tamen res vendita perit, emptori 11. Sylvest. *verb. Emptio, q.* 5. Mercado. Nauarra. Medina.

emptori perit, cum ad eum fuerit tranſlatum dominium, & ipſe fructus percipiat ex ea, dum extat. (12)

12. Vide Medinã. Sotum. Nauarram. Mercado. Oñate. Card. Lugo. Molinam. Leſſium. Rebellum. Dicaſtillo, & alios.

12 Cum emitur res anticipatâ ſolutione, poteſt viliùs emi, ſi detur lucrum verè ceſſans, aut ratione periculi non habendi rem emptam, ſi id ſit veriſimile. (13) Sic ſolet contingere in pretio anticipato, quo lanæ ſoluuntur. Et cùm pretium infimum etiam ſit iuſtum, & eo præſtito licitè emptor poſſit etiam de præſenti emere, non eſt, cur non poſſit anticipata ſolutione. Prætereà cum magna mercium copia venditur, variatur pretium, & decreſcit, ob commoditatem vendentis, qui inde minùs rem æſtimat.

13. Nauarra *de reſt. lib. 3. c. 2. num.* 127. Sotus. Couarruuias. Corduba, & alij.

13 Poteſt quis vendere fundum non purè, ſed à die ſolutionis, & interim percipere fructus. (14) Si verò purè vendat, indeque ſtatim dominium transferatur in emptorem, nequit vſque ad diem ſolutionis fructus percipere, cum iam ab inito contractu, & re tradita, hæc non ſit ſua; niſi imminuiſſet pretium ob rationem percipiendi fructus, quia tunc hi iudicantur pars valoris rei, quo hæc venditur. (15)

14. Communis.

14 Quod quis debet ſoluere poſt aliquod tempus, ſi in ſolutione nec ſit periculum, nec expenſæ faciendæ, ſed ſolùm interueniat expectatio temporis, nequit ipſe, nec alius, anticipatè minoris emere, ſeu minùs ſoluere, cum pecunia eiuſdem ſit valoris præſens, & futura, & imbibatur in ea emptione ſpecies vſuræ, cum pro ſola temporis exſpectatione (16) nequeat pretium ſolui: indeque anſa daretur contractibus aliis vſurariis.

15. Armilla *verb. Vſura, q.* 15. Nauarra. Sylueſter. Maior. Gabriel. Archidiacon. & plurimi.

15 Vocatur Hiſpanè *Mohatra*, ſeu *Barata*, quoddam genus emptionis, nempe cum quis indigens pecuniæ emit à mercatore merces cariori pretio poſt annum v. g. ſoluendas; & illicò ei illas numerata pecunia minori pretio vendit. In his ſi pretium non excedat iuſtum, nec fuerit pactum antecedens, ſed mercator ignarus rei vendiderit merces, non datur iniuſtitia, nec vſura, vt iam *ſuprà* attigimus. Datur verò, ſi pretium ſit excedens iuſtum, aut antecedenter mercator rei conſcius vendiderit merces; (17) tunc enim fingitur contractus, ac reverà pro pecunia tradita lucrum quaſi mutui reportatur; quod eſt vſura, in illoque

16. Medina *tr. de Cambiis, cap. 7. & tr. de reſt. q.* 38. D. Antonin. Nauarra. Sylueſter. Sotus. Gabriel. Angelus, & alij.

17. Communis.

remanet

illoque remanet obligatio reſtituendi exceſſum iuſti valoris.

16 Tutor prohibetur in Iure (18) emere rem pupilli. Non poteſt quis emere in ſeruum Chriſtianum captum à Turcis, aut Mauris, vel ſimilibus. Poteſt verò emere Maurum, Turcam, aut Æthiopem captum, aut emptum ab alio, eſtò is amplexus fuerit noſtram Fidem, vt quotidie contingit. 18. *Leg. Si in emptione, §. vlt. ff. de contrab. empt.*

17 Si quis emat à minore, vel Eccleſia rem abſque ſolennitate requiſita in Iure, dummodo pretium ſit iuſtum, eam (19) valet poſſidere; ſed poterit reclamari, & reſcindi contractus. 19. Eman. Sà *verb. Emptio*, & alij.

18 Si res vendita eſt vni, & ab eodem venditore poſteà vendita eſt alteri, dum huic ſit tradita, & non primo, huius fit, & primus actionem habet contra venditorem circa intereſſe, quod amittit, præter pretium, ſi iam illud ſoluit; (20) at ſi primus emptor fuit Ciuitas, vel Eccleſia, etiamſi res tradita ſit ſecundo emptori, non fit illius, ſed Ciuitatis, vel Eccleſiæ. De emente rem alienam, vide verbum *Reſtitutio.* 20. Sylueſt. *verb. Emptio, n. 23.* Eman. Sà. Fumus.

19 Emere, & vendere diebus feſtis ea, quæ victui ſunt neceſſaria, licitum eſt; ſicut etiam cum fiunt nundinæ die feſtiuo. At extra neceſſitatem vendere, & emere negotiando, in Iure eſt prohibitum, (21) quaſi opus ſeruile. Verùm id intellige, ſi cum ſcandalo fiat, & palam in domibus mercatorum: nam dum hæc abſint, non datur peccatum graue in his emptionibus: & communiter è locis vicinis ad vrbes concurrunt diebus feſtis agricolæ, & ſimiles, qui diebus aliis nequeunt non laborare, & emunt quæ opus illis ſunt ad veſtes, & alia domeſtica conficienda. 21. *Cap. 1. cap. Fœnal. de feriis.*

20 Venditor, ſi in venditam rem lis moueatur, tenetur emptori de euictione; id eſt, de re vindicanda à lite, ſeu pretio reſtituendo. (22) Non autem tenebitur, ſi emptor poſt litem conteſtatam ei non denuntiauerit; (23) vt ipſum defendat. Nec ſi vendiderit rem alienam, quam emptor ſcienter, & de euictione ſpecialiter ſibi non cauens (24) emerit. Non valet pactum in genere adiectum, quod venditor non teneatur de euictione, nam re euicta tenetur ad pretium; valet verò, 22. Panormitan. *in c. ſi Emptoris de empt. & vend.* & communis. 23. *Leg. Emptor, Cod. de euict.*

verò, si in particulari specificetur, non tenendum fore
24. *Leg. Si fundū, Cod. de euict.* venditorem de euictione, si Joannes v. g. litem super re moueat; vel pro tali causa à quolibet lis moueatur.
25. *Fumus in Armilla, verbo Emptio: cum aliis.* (25) Præterea venditor non tenetur de euictione, si emptor citatus comparere noluit, indeque fuit damnatus; vel si post latam sententiam, absente venditore, non appellauit, cum posset. Demùm non tenetur venditor de euictione, si emptor compromisit litem; tunc enim is sibi imputet, si contra eum fertur sententia, nisi de consensu venditoris compromississet.

21 Qui cum aliena pecunia nomine suo rem emit,
26. *Leg. Si ex ea, C. de rei vendic.* (26) eam suam facit: nisi pecunia sit pupilli, aut minoris, & emptor sit tutor, vel procurator illius;
27. *Leg. 2. ff. quando ex facto tutor. &c.* (27) & præterea nisi pecunia sit Ecclesiæ, (28) cui tunc res empta adquiritur. Id etiam priuilegium in Iure conceditur (29) militi, si cum eius pecunia res ematur.

28. *Cap. Primo, 12. q. 3.* 22 Jure communi (30) prohibitum est iudicibus temporariis emere res stabiles suorum subditorum.
29. *Leg. Si vt propositis, C. de rei vindic.* Quod in vnaquaque Prouincia videndum est, an consuetudine, aut lege municipali sit abrogatum.

23 Emptor bonæ fidei vocatur, qui credit probabiliter, rem venditam verè esse illius, qui vendidit.
30. *Leg. 1. Cod. de contr. iudic.* At si res ex se non sit vendibilis, ille contra venditorem habet (31) actionem ex empto. Quòd si rem alienam emit, non excusat eum bona fides, quominùs
*Leg. Principalibus, Cod. si certum petatur.* illam vero domino reddat, etiamsi venditor non restituat pretium, vt restituere tenetur. Verùm si res
31. *Leg. Liberi hominis, ff. de contrah. empt.* aliena empta sit consumpta, solùm tenetur ad reddendum id, in quo factus est locupletior. (32) Potest tamen rem alienam emptam veditori reddere, & ab eo
32. *Leg. Si possessor, §. 1. ff. de petend. hæredit.* pretium à se datum recuperare, cum possit emptor plùs sibi consulere, quàm vero domino, cui rem restituere tenebitur is, qui eam vendiderat, postquam ipsi redditur.

24 De essentia emptionis est pecunia; cum enim hæc non intercedit, sed res vna pro alia datur, est permutatio. Nec deficit ratio emptionis ex eo, quòd
33. *Nauar. cons. 1. de vendit. Baldus.* (33) non detur numerata pecunia; saluatur enim, si postmodùm detur. Quippe emptio, & venditio definiuntur; Alienatio, qua dominium, & possessio rei

vendi-

venditæ transfertur per traditionem ipsius domini in alium, soluto pretio. Id autem sufficit solui tempore designato, si de præsenti non soluatur. Quòd si venditor non sit verus dominus, emptor verò sit bonæ fidei, per eam traditionem datur (34) emptori actio vsucapiendi rem; quare elapso tempore ad vsucapionem, seu præscriptionem requisito, nec vero domino, si res sit aliena, tenetur emptor eam restituere, cum adfuerint conditiones requisitæ, nempe bona fides, titulus emptionis, & temporis spatium in Iure præfixum.

Angelus. Salicetus, & communis.

34. Angel. *verbo Emptio*; & *ibi* Glossa. Paul. de Castr. Nauarrus. Fumus. Oñate, & communis.

25 Quatuor res nullo modo possunt vendi, nec emi. Primò spiritualia, & eis annexa; id enim esset simonia. Secundò liber homo. Tertiò res aliena. Quartò illæ res quarum vsus nequit esse licitus, nec indifferens, sed prauus; veluti quæ ad nihil aliud inseruire queunt nisi ad artem magicam. Aliquæ res non sunt vendibiles, nisi certis cum conditionibus, facultatibus, & solennitatibus, veluti res maioratus, fideicommissi, feudales, minoris, ac pupilli, Ecclesiæ, & aliæ huiusmodi

## *Episcopus.*

1 EPiscopus decedens è viuis potest disponere de bonis sua industria adquisitis, (1) & de his, quæ habebat ante Episcopatum, vt propria. Quod etiam licet ei, quamvis Episcopatui renuntiauerit. Nequit autem testari de redditibus Ecclesiæ.

1. Apud Me *de Ordinib. Milit. d. 9. q. 6. Cap. Relatum, de testam.*

2 Episcopus cum Synodo diœcesana potest statuere, vt fructus cuiusvis Præbendæ, seu Beneficij Ecclesiastici, primo anno post mortem pertineant ad Beneficiarium, seu Canonicum defunctum. Nam hoc statutum nulli præiudicat, cum nouus Beneficiarius habiturus sit post mortem, quod primo anno non habet; & magna commoda affert id statutum: potest (2) Episcopus condere ordinationes concernentes ad bonum, & vtilitatem Cleri.

2. *Cap. 1. iuncta* Gloss. *verb. Generaliter, de consecr. dist. 3. Cap. 2. de mag.*

3 Quando in vigilia alicuius Sancti incidit festum solenne Patroni, potest vigiliam ad diem antecedentem

*ioris.& obedièt. C. animarũ, de constitut. lib. 6.*

tem transferre, (3) sicut cùm in die Corporis Christi occurrit vigilia S. Joannis, ex decreto Pontificio anticipatur ieiunium in feria quarta.

3. Caietanus. Tabiena. Gauantus apud Arnaud. *pag.* 292.

4 Episcopi possunt in suis diœcesibus concedere Bullas, (vt Pontifex Bullam Cruciatæ) continentes eas indulgentias, commutationes, dispensationes, facultates absoluendi, & similes, quas ipsi possunt committere aliis; & designare eleemosynam alicui operi pio applicandam; (4) quia in hac concessione non excedunt suam iurisdictionem, & potestatem, & aliunde supponitur, fore causam iustam, ob quam eas concederent. Nec in hoc committitur simonia, sicut non committitur à Pontifice concedente Bullam Cruciatæ; nam non esset concedere res spirituales pro pretio temporali, sed iniungere onus in eis dispensationibus destinatum ad opus pium: quare interueniret aliqua pars commutationis, vt causa concessionis redderetur certior; & sic contingit in plurimis dispensationibus concessis à Pontificibus. Nequeunt tamen illud onus temporale applicare Episcopi in sui sustentationem, quia nequeunt ad eum finem vllum onus imponere in dispensationibus, (5) sed gratis eas sunt concessuri, iuxta Tridentinum. Nec eas Bullas concedere possunt in Regnis, vbi Bulla Cruciatæ viget; nam per hanc suspenduntur, & hac habita, redduntur inanes, cùm multò pluta, & maiora in ea concedantur.

4. Trullench. Henriquez. Lara Basil. Legion. apud Me *de Bulla Cruciat. d.* 1, *c.* 5.

5. Trid. *sess.* 25. *de refor. c.* 18. Trullench. Basil. Legion. Lessius. Ego *suprà.*

5 De facto nulli casus ipso iure reseruati sunt Episcopis, nisi quos ipsi reseruant; nam reseruati olim, per contrariam consuetudinem, consentientibus Episcopis (6) sunt abrogati. In casu necessitatis potest quis absolui per alium Confessarium à casibus reseruatis Episcopo, sed cum onere comparendi; sicut eodem modo potest quis per Episcopum absolui à reseruatis Pontifici, dum compareat, cum possit. Cæterùm specialis deuotio celebrandi, aut sumendi Eucharistiam, præcisè sumpta, non est causa sufficiens, vt quis absoluatur indirectè à reseruatis, sicut non est, vt celebret, aut communicet, si non detur copia Confessarij, (7) & habeat conscientiam peccati mortalis.

6. Ego *supr. d.* 23, *num.* 36.

7. Ego *de Bullæ Cruciat. d.* 23, *num.* 39.

6 Communiter

6 Communiter casus Episcopo sunt reseruati per statuta Synodalia, ideoque mortuo, aut promoto Episcopo reseruatio durat; (8) quin etsi ipse reseruet, durat in prædictis casibus, quia Capitulum Sede vacante, & successor in Episcopatu censentur eos approbare. Episcopus potest absoluere directè toties quoties à casibus Pontifici reseruatis, si sint occulti; (9) nisi sint casus Bullæ Cœnæ. Quod constat ex Tridentino. Occultum autem est, dum non est publicum, scilicet manifestum, aut notorium, aut deductum ad forum contentiosum, ita vt sit iudici delatum, parti intimatum, (10) & lis sit contestata. In ordine ad id, non est censendum publicum in vno loco, quod in alio est publicum, nisi facilè ad illum notitia sit peruentura ob notorietatem facti. (11) Publicum autem quando sit in vno loco, arbitrio prudentis iudicandum est, iuxta frequentiam loci; nam in loco ingenti non sufficit, sex homines scire delictum, vt publicum censeatur.

7 Cæterùm publicum non est censendum delictum, quamvis sit deductum ad forum contentiosum, si liber quis euasit per sententiam absolutoriam, (12) licèt hæc non sit definitiua, sed interlocutoria, nempe ab instantia iudicij; nam adhuc manet crimen occultum, (13) & ablata infamia. Secus est, si reus educatur è carcere, cùm onere præsentandi se iudici quando vocatus fuerit.

8 Quin potest Episcopus iuxta sententiam certò probabilem (idem dic de priuilegio Bullæ Cruciatæ) absoluere à reseruatis Pontifici, deductis ad forum contentiosum, si reus condemnatus iam pœnitentiam, seu pœnam passus est; nam sic cessat scandalum publicum, cum ille Reipublicæ satisfecerit: & intentio Concilij Tridentini, cum excipit delicta deducta ad forum contentiosum, & eo modo publica, fuit consulere authoritati iudicis, & cauere scandalum publicum. 14 Opposita sententia verior est. (15)

9 Absoluere autem Episcopus potest à reseruatis Pontifici occultis, estò fuerint post Tridentinum reseruata, nisi in reseruatione fiat expressa derogatio

R facultatis

8. Capiauila. Trullench. Ego *sup. n.* 41.

9. Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 6.

10. Barbosa. Castr. Palao. Ego *de Bulla Cruciat. d.* 23. *n.* 57. & *num.* 68.

11. Trullench. Auila. Th. Sanchez *sup. num.* 59.

12. Seb. à Bonon. Caspensis. Trullench. Suarez, & alij *sup. num.* 70.

13. Th. Sanchez *ibi.*

14. Marchinus. Bossius. Caspensis. *sup. num.* 71.

15. Bonacina.

facultatis concessæ in Tridentino; (16) nam Decretum Concilij habet vim legis, & extenditur ad casus futuros, nec distinguit inter futuros, & præteritos. Idem dic de priuilegio absoluendi virtute Bullæ Cruciatæ.

10 Episcopum posse absoluere ab hæresi externa occulta vigore Tridentini, censent plurimi Authores. (17) Alij autem nec numero, nec authoritate inferiores id negant; (18) & quidem hæc sententia est certa, & validiora pro se fundamenta habet; tum declarationem supremæ Inquisitionis Romanæ; tum etiam declarationem Pontificum Pij V. Gregorij XIII. Clementis VIII. & Innocentij X. tum demum quia in Bulla Cruciatæ reseruatur absolutio hæresis, vt ab ea non liceat absoluere *per cuiusvis Concilij Decreta*; quibus verbis sufficienter derogatur Decreto Tridentini quoad hanc absolutionem. Huic sententiæ adhæreo.

11 Quamvis Regulares sint exempti à iurisdictione Episcoporum, tamen eis subiacent quoad ius reuerentiale, ita vt nequeant contradicere, aut impedire prærogatiuas Episcopales; (19) & si id præstent, possunt ab ipsis coërceri censuris, aliisque similibus pœnis. (20)

12 Quando iudici delegato conceditur, vt possit quemlibet excommunicare, si sit contumax in obedientia, Episcopi nequibunt excommunicari, quia sunt speciali nota digni, debentque exprimi in commissione, aut in Bullis, seu in Iure. (21)

13 Causæ criminales Episcoporum coram Pontifice debent agitari, & terminari, (22) iuxta Tridentinum: quin etiam & causæ arduæ, ac graues. At causæ minores coram Concilio Prouinciali, seu iudicibus ab eo deputatis.

14 Episcopus intra sex menses à confirmatione tenetur consecrari: quod si culpâ suâ id non præstet, obligatur dimittere Episcopatum, iuxta Tridentinum. (23)

15 Potest Episcopus dispensare in legibus Synodi, quia ipse est legislator, aut legislatoris successor;

(24) cæteri

Suarez. Castr. Palao. *ibidem.*

16. Mazuchellus. Peregrinus. Bossius. Diana. Suarez, & alij apud Me *de Bulla Cruciat. d. 23. cap. 7.*

17. Lorca. Bañez. Aragon. Rodriguez. Henriquez. Granado, & plurimi *sup. num. 78.*

18. Syluius. Bossius. Card. Toletus. Card. Lugo. Diana. Marchinus. Villalobos. Azor, & plurimi *num. 80.*

19. Romanus *singul. 486.* Franchis *decis. 439.* Lezana *tom. 1. p. 1. cap. 11.* Quaranta. Vgolinus. Peyrinis. Gratianus, & alij.

20. Barbosa *de potest. Episc. p. 1. alleg. 105.* Cochier *q. 4. & 45.*

21. *Cap. Quia peri-*

(24) cæteri solùm sunt consiliarij; etiamsi non sit consecratus, sed solùm confirmatus, quia dispensare est actus iurisdictionis, & hac gaudet confirmatus. Secus est, si leges synodales sint confirmatæ à Pontifice, qui tunc eas proprias facit. (25) Sicut non potest dispensare in irregularitatibus, & inhabilitatibus statutis à Iure. Nec potest ex se in legibus Concilij Prouincialis, quin nec Archiepiscopus, qui est inferior Concilio, & ab eo datur appellatio ad id Concilium. (26) At consuetudo præscripsit, vt adhuc Episcopus possit in sua diœcesi dispensare in his legibus.

16 In casu dubio, qui aliàs est Papæ reseruatus, (præterquam homicidij voluntarij) potest Episcopus dispensare, quia Papæ solùm casus certi reseruantur. (27)

17 Metropolitanus non potest dispensare cum subditis qui non sunt suæ diœcesis propriæ, nisi in casibus à Iure concessis, (28) quia non habet potestatem in illos. Casus autem sunt: si nolente inferiore dispensationem concedere, appelletur ad illum; (29) & constet, inferiorem malè facere negando dispensationem, & imploretur potestas Metropolitani. (30)

Legibus Archiepiscopi non ligatur Episcopus suffraganeus, (31) quare non est casus, in quo ille cum hoc possit dispensare.

18 Episcopus, qui habet Ecclesiam, in qua sunt Canonici Regulares, tenetur curare, non solùm vt obseruent tria vota, sed regulas, seu constitutiones suas: quippe non aliter distinguuntur Religiones, quæ in votis conueniunt, nisi penes regulas, & institutum; & id, ac simul exacta obseruatio votorum, mediis regulis obtinetur; & cum sit propriè religio illa Canonicorum, Prælatus tenetur ad curandam obseruantiam, (32) sicut Generales, & Prouinciales in suis Capitulis, Congregationibus, visitationibus, & aliis viis tenentur ad promouendam obseruantiam regularum suorum Ordinum.

19 Episcopi tenentur ad residentiam in sua Ecclesia, vel diœcesi, (per trimestre autem possunt abesse.) Quod si concurrant causæ legitimæ ad absentiam, nempe vrgens necessitas, christiana charitas, debita obe-



*culosum, de sent. excomm. in 6.*

22. *Sess. 13 cap. 2. de reform. & sess. 24. cap. 5.*

23. *Sess. 23. cap. 2. de reform.*

24. Barbosa *de potest. Episc. 2. p. alleg. 34.*

25. Salas *de legib. d. 20. sect. 3. num. 29.*

26. Glossa finalis *in cap. A collatione, de appellat. in 6.*

27. Sà *verb. Dispensatio*, & plures.

28. *Cap. Pastoralis, de officio Ordinar.*

29. *Cap. 1. de officio Legati.*

30. Castro Palao, & alij.

31. Auila *de cens. 2. p. cap. 7. disp. 1. dub. 10.*

32. Eman. Rodrig. *tom. 3. qq. reg. q. 47. art. 2.* & alij passim.

dientia, aut euidens Ecclesiæ, seu Reipublicæ vtilitas, debent iuxta Tridentinum (33) approbationem causæ in scriptis obtinere à Pontifice, aut à Metropolitano, vel hoc absente ab Episcopo suffraganeo antiquiore; nisi absentia sit ita repentina, vt nequeat ille moneri; vel sit ob munus eidem Episcopatui annexum, vel sit causa notoria. Nomine autem vrgentis necessitatis venit, (34) si Episcopus residendo graue malum vitæ incurreret, vel propter morbum, vel propter aliquam persecutionem, vel propter aëris intemperiem, vel ob inimicitias, vel ob declinandum furorem Principis, vel populi, vel ob bellum. Nomine Christianæ charitatis venit, si v. g. deficientibus Episcopis vicinis, Episcopus in loco, qui non esset suæ diœcesis, se constitueret, vt commodiùs ad eas diœceses faceret ordinationes, consecraret crisma, aras, calices, & alia similia munia. In casu autem necessitatis sui gregis nequit eum deserere.

20 Quamvis commutare vltimas voluntates circa opera pia spectet ad Pontificem, tamen certò probabile est, ex vrgenti causa posse Episcopum (35) eas commutare cum consensu hæredis, Patroni, aut executoris. Necnon posse vnire Beneficia, etiam Iurispatronatus, cum simili consensu. (36)

21 Regularis, si in Episcopatum promoueatur, an liber maneat, necne, à voto paupertatis, ita vt possit, sicut alij Episcopi, disponere de bonis; & an succedat in bona hæreditaria, an testari possit de bonis industria, vel alia simili via adquisitis; an queat reuocare testamentum factum ante ingressum in religionem, & item donationem tunc factam, cuius ius non sit iam delatum ad donatarium, contentio est habens pro vtraque parte tot, adeoque graues Authores, & rationes ex iure desumptas, (37) vt vtraque sententia certò probabilis sit.

22 Regularis Episcopus habitum suæ Religionis deferre debet, additis insignibus Episcopalibus. (38)

23 Ad Episcopum pertinet componere, ac decidere controuersias de præcedentiis inter Ecclesiasticas personas, adhuc Regulares, in Processionibus, & aliis Actibus

33. *Sess. 23. cap. 1. de reform.*

34. Barbosa *in collect. an. ad Trident. sess. 23. de reform. c. 1. num. 8.* Filliucius. Card. Toletus. Carranza. Molfesius, & communiter alij.

35. Sylvest. *verb. Legatum 4. q. 12.* Genuensis. Graffis. Vasquez. Comitolus. Beia. Armilla. Vgolinus. Fagundez. Per. de Lara. Tabiena, & alij.

36. Th. Sanchez *l. 1. in Decal. cap. 29. n. 150.* & plures alij.

37. D. Didac. Ant. Fajardo *in q. pro Prælat. regul. ac in fin. 2. p. allegat.*

Actibus publicis. (39) Spectat etiam ad eum cognitio de præcedentiis, & honoribus, quos sæculares in Ecclesiis habere contenderint. (40)

24 Tenentur Religiosi allegantes se habere priuilegium, in causis cum Episcopo, exhibere ei integrè priuilegium. Ita declarauit Innocentius X. (41) in sua Bulla.

25 Si Regularis exerceat curam animarum sæcularium, & in ea delinquat, potest, & debet ab Episcopo puniri, quia in his ei subditur. (42) Similiter si est executor testamenti, potest ab Episcopo compelli, vt rationem exhibeat: quòd si in eo deliquerit, (43) puniri ab eo poterit. Quòd si alicuius Parochiæ fructus administrauit, & ab Episcopo citatus in visitatione nolit comparere, (44) potest ab illo excommunicari. Quòd si Regularis, (idem dic de Equitibus Melitensibus, qui sunt strictè absque controuersia Religiosi) violaret immunitatem, aut iurisdictionem Ecclesiæ, posset Episcopus contra eum procedere.

26 Episcopus potest eligere in suum Vicarium generalem Clericum tonsuratum, etiam non constitutum in sacris, in Regnis Castellæ, & Legionis; quia Breuia Clementis VIII. & Vrbani VIII. contrarium decernentia, quoad Regna Castellæ, & Legionis in Hispania, non sunt ibi acceptata. (45) In aliis Regnis videndum est, an sint acceptata.

27 Episcopus gaudens alternatiua, si vt patronus Ecclesiasticus præsentat aliqua Beneficia, hæc nequit præsentare nisi in quatuor mensibus ordinariis, nec in alternatiua (46) includuntur.

28 Quas indulgentias possit in sua Diœcesi concedere Episcopus, vide verbo *Indulgentia*.

29 Episcopus est iudex legitimus in causis suæ Ecclesiæ; & in his, quæ ad Episcopatum pertinent, (47) si recusetur vt suspectus, potest remittere causam ad Metropolitanum.

30 Admittere debet appellationem à sua sententia definitiua, necnon à sententia habente vim definitiuæ: præterea à grauamine, quod nequit reparari per appellationem à definitiua, veluti à decreto torturæ, vel simili

*fisc.* latissimè Authores & fundamenta afferens.
38.
*Cap. Clerici, penult. de vit. & honest. Clericor.* & communis.
39.
Trid. *sess.* 25. *de Regular. c.* 13.
40.
Cancer. *var. part.* 3. *cap.* 10. *num.* 115. & alij apud ipsum.
41.
Apud Cherub. *pag.* 287. *in Bullario.*
42.
Campanili *rubr.* 12. *c.* 13. *n.* 51. & plures.
43.
Tamburin. *de iur. Abbat. tom.* 1. *d.* 15. *q.* 7. *n.* 23. cum aliis.
44.
Barbosa *in collectan. ad Trid. sess.* 22. *de reform. c.* 9.
45.
D. Roderic. de Mandia *in satisfactione iuridica circa hoc*, cum pluribus.
46.
Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. glos.* 45. & alij.
47.
Nauar. *consil.* 20. *de rescript.*

Quaranta *num. 9.* Innocentius. Puteus. Redoanus, & alij.

simili; (48) & quando à definitiua nequit appellari, tenetur admittere appellationem à decretis interlocutoriis.

48. Oldradus *consil. 20.* Abbas. Felinus. Alexander. Maranta.

31 Qui eligitur in Episcopum, nequit Beneficia Ecclesiastica, quibus gaudebat, retinere, nisi ex dispensatione Pontificis ex causa. Si antequam eligatur, emisit votum ingrediendi Religionem, ab eo (49) soluitur.

49. Eman. Sà *verb. Episcopus*, referens alios.

32 Potest Episcopus, adhuc non consecratus, habere Oratorium, in quo celebretur, domi suæ. (50) Et in sua, ac in aliena diœcesi, dum non sit Romæ, vti altari portatili. In eius autem Oratorio, ipso Episcopo præsente, possunt alij Missas celebrare; atque etiam in domo rurali valet habere Oratorium. Quæ omnia licent adhuc Episcopo titulari.

50. Th. Sanchez. Diana, & plures.

33 Episcopo subduntur quoad spiritualia laïci, quare potest contra eos procedere in delictis, v. g. concubinatus, accessus ad Monasteria Monialium, & similibus. (51)

51. Nauarrus *cons. 7. de offic. ind. ord.* Eman. Sà. Barbosa.

34 Potest Episcopus (52) post contractum matrimonium dispensare in impedimento occulto dirimente matrimonium, si non pateat aditus ad Pontificem, & scandalum oriatur ex separatione coniugum. Circa approbationes Confessariorum, vide *Approbatio*, *Confessarius*.

52. Th. Sanchez *de matr. lib. 2. c. 4. n. 3. tom. 1.* Graffis. Nauarrus. Eman. Sà. Sylvester.

35 Competit Episcopo præcipere, etiam sub pœna excommunicationis, quòd exhibeantur sibi, seu delegato à se, testamenta, & inuestigare, vtrum sint executioni mandata. (53)

53. Communis.

36 Quando apponitur pœna suspensionis, aut interdicti, nisi exprimantur Episcopi, illam non contrahunt.

37 Peccat grauiter Episcopus conferens Beneficia indignis; non residens in sua diœcesi absque causa legitima; non curans de bono spirituali subditorũ, mediis concionibus per se, vel per alios præstandis, & instructione doctrinæ Christianæ, ac aliis viis similibus; non erogans eleemosynam pauperibus, iuxta eorum indigentiam, & reddituum copiam; non habens idoneos Ministros, nempe Vicarium, Fiscalem, Notarium,

Notarium, & similes; non conficiens chrisma singulis annis, dum possit, & non sint diœceses vicinæ, vnde absque graui incommodo adduci possit; non visitans, saltem aliquando, suam diœcesim, nisi expediens magis sit, versari in loco aliquo, & mittere suos Visitatores; verùm rarò potest excusari ab ea visitatione, vt Sacramentum Confirmationis conferat, id enim opportunis temporibus conferre tenetur; non ministrans Ordines, cum potest, ac aduertit, plures grauandos fore expensis ad alias diœceses eundo; promouens indignos, aut aliquod impedimentum canonicum habentes ad Ordines; & alia similia, quæ sui muneris sunt, non exequens: in quorum omissione peccatum erit mortale, aut veniale iuxta qualitatem materiæ, & circunstantiarum.

38 Si Episcopus ordinat aliquem scienter absque titulo, tenetur eum alere, si paupertate præmatur. (54)

54. *Cap. Cum secundum, de præbend.*

39 Potest dispensare in omnibus irregularitatibus occultis ex delicto prouenientibus, præterquam ex homicidio voluntario; non verò potest in aliis, quæ ex delicto non proueniunt. (55)

55. Trid. *sess. 24. de refor. cap. 6.*

40 Si ad obtinendum Beneficium de iurepatronatus aliqua qualitas requiratur, potest de consensu patroni (56) in ea dispensare.

56. Felinus *in cap. Cum accesserit, de constitut.* Nauarrus.

41 Nequit ordinare non subditum, qui non afferat dimissorias; neque bigamum non habentem dispensationem, & hunc si ordinet, suspensus manet per annum ad conferendum eundem Ordinem, & à Missæ celebratione: si autem ordinet non subditum, suspensus (57) manet per annum ab exercitio Pontificali.

57. Trid. *sess. 23. cap. 9.*

42 Valet concedere licentiam permutandi vnum Beneficium curatum (58) cum alio.

58. *Cap. Quæsita, de rer. permut. Cap. Ad quæstionem, ibidem.*

43 Extra diœcesim nequit Pontificialia exercere, nec concedere indulgentiam; nec valet subdito suo indulgere, quòd in alicna diœcesi Missam celebret, aut Confessiones excipiat.

44 Nequit ob morbum, aut similem causam sua Ecclesia priuari, (59) sed si impotens sit suum munus obire, Coadiutor ei est adiungendus.

59. *Cap. Cùm pensio 7. q. 1.*

45 Si sit Dominus temporalis alicuius loci, nequit per se proferre contra delinquentes sententiam mortis, aut mutilationis; sed iudicem sæcularem eligere debet ad eas causas criminales decernendas.

46 Si Parochus in diœcesi fiat inhabilis, tenetur Episcopus eum cogere, vt Coadiutorem admittat. (60)

60. Trid. *sess* 21. *cap.* 3.

47 Episcopus tempore interdicti potest celebrare, & celebrari facere vbicumque, & diuina Officia audire, (61) dum ipse non sit specialiter interdictus, nec interdicto causam dederit.

61. *Cap. fin. de priuileg. lib.* 6.

48 Nequit ingredi Religionem absque licentia Pontificis: quod si eam iam Episcopus vouit, tenetur eam licentiam poscere.

49 Ut quis in Episcopum eligatur, triginta ætatis annos completos debet habere. (62)

62. *Cap. Cum in cunctis, de elect.*

50 Episcopatus est Ordo distinctus à Sacerdotio, nouam potestatem ad plura conferens; quin & Sacramentum: (63) atque vt Ordo est, imprimit characterem. Materia huius Ordinis est impositio manuum, quas Episcopi super Episcopum consecratum imponunt. Forma autem sunt verba illa, quæ proferunt; *Accipe spiritum Sanctum*, &c. Cæremoniæ autem sunt vnctio capitis, & manuum; traditio libri Euangeliorum, annuli, & baculi pastoralis: hæ autem ab Episcopo consecrante fiunt, essetque peccatum lethale quamlibet omittere; at solùm veniale omittere traditionem chirothecarum, aut sandaliorum, quia censetur leuis materia.

63. Communis cum D. Thom. Valentia. Th. Sanchez. Diana. Auersa. Vasquez. Syluester.

51 Tres Episcopi requiruntur ad consecrationem Episcopi. Nequit Pontifex committere facultatem consecrandi Episcopum simplici Sacerdoti, (64) nec solo verbo facere aliquem Episcopum cum potestate Ordinis: potest autem ei potestatem iurisdictionis solo verbo conferre, eam etenim habet Episcopus electus, & confirmatus, adhuc non consecratus.

64. Th. Sanchez. Auersa.

52 An autem vnus Episcopus absque dispensatione possit validè (estò peccaret) ordinare Episcopum, etsi aliqui affirment, (65) tamen oppositum iudicatum est

65. Apud Oniedo, Dianam, & alios.

de

de consecratione cuiusdam Episcopi (66) in Indiis, quam vnus solus præstitit, quin dispensatio Pontificis peruenisset, cum tamen constaret, eam esse iam in Bulla speciali expeditam; quod ita iudicatum fuisse censeo, quia dispensatio adhuc ad Episcopum ordinantem non peruenerat, aliter valida esset ordinatio, vt *infrà* dicemus.

66. Card. Lugo, & viri docti Romæ consulti.

53 Difficilius est, an validè consecraret vnus Episcopus alium ex dispensatione Pontificis concessa absque causa; vel si ex causa iusta fuisset concessa, postmodum ante consecrationem cessaret iam illa causa, quæ fuit motiua, & non solùm impulsiua. Sanè iuxta opinionem eorum, qui enuntiant, Episcopum vnum validè consecrare absque dispensatione, valida esset consecratio in hoc casu. At iuxta opinionem oppositam, non esset valida. (67) Etenim ea dispensatio perinde se haberet, ac si non esset præstita; deficiente enim causa motiua, fit nulla dispensatio: sicut enim si proponeretur causa motiua non existens de facto, dispensatio esset subreptitia, & inualida; sic ea causa deficiente, re adhuc integra, dispensatio redditur nulla, quia de facto causa non existit, cum res est exequenda.

67. Vide Dianam *p.12. resol.45. 47. 50.69.86.* cum sequentibus.

54 Chrisma, quo vngendus est Episcopus, debet esse ex balsamo vero, non adulterino, & eodem anno consecrato, & vti alio, esset peccatum lethale. At si daretur balsami defectus, si supponatur, vnctionem non esse de substantia Consecrationis, sed ritum accidentalem, non foret peccatum, fieri vnctionem solo oleo consecrato. Tunc verò, cum daretur opportunitas chrismatis, deberet iterari ea cæremonia, seu suppleri ab eodem Episcopo consecrante, vel si is commodè non posset id præstare, ab alio Episcopo, eo quòd sit probabile, vnctionem esse de necessitate illius Sacramenti; & in ordine ad hoc tutius est sequendum, ne si re ipsa opposita sententia sit falsa, irritum re ipsa sit illud Sacramentum; sicut ob eandem causam non potest quis consecrare in materia probabili, nec vti formis Sacramentorum probabilibus, dum aliæ sunt tutiores. (68)

68. Sylvest. *verb. Episcopus, q.4.*

55 Vnctio Episcoporum differt ab vnctione Regum, (illorum

(illorum nempe, qui vnguntur) quòd Episcopi vnguntur in capite, & manibus; Reges verò in brachio, & humero.

56 In ordinatione interrogatur Episcopus, an sciat nouum, & vetus Testamentum. Atque vt verè affirmet, se vtrumque scire, sufficit si sciat quantum ad ea, sine quibus (69) nequit sufficienter munus suum exercere.

69. Richardus. Angel. & alij.

57 Consecratio Episcopi nequit fieri, (dum Pontifex non dispenset) nisi die Dominico, vel in festis Apostolorum; & alia die consecratus contrahit suspensionem ab executione; neque potest fieri consecratio tempore interdicti, adhuc ianuis clausis; & facienda est in Ecclesia, aut Capella. Alia de Episcopis vide verbo *Archiepiscopus*, & verbo *Abbas*. Episcopi consecrationem factam ab vno solo Episcopo, quin tres concurrant, esse validam, est probabilius. (70) Inde dispensat Pontifex, vt ab vno fiat, vbi difficillimè tres concurrere valent.

70. Congregatio Sacra, die 11. Decembr. ann. 1567. Cardenas *in crisi Theolog. tr. 5. d. 15. c. 2. art. 3.* Caramuel.

## *Equestres Ordines, seu Militares.*

1 ORdines Equestres, seu Militares, in Hispania saltem, iurisdictione Ecclesiastica gaudent erga suos subditos, tam Equites ipsorum Ordinum, quàm alios, & erga Ecclesias ad ipsos pertinentes; (1) quòd ex pluribus Bullis Pontificiis constat. Equites Ordinis S. Joannis Hierosolymitani sunt strictè Religiosi. De aliis controuersia est vtrimque probabilis. (2) Sed Fratres Clerici eiusmodi Ordinum strictè sunt Religiosi. Ordines Militares communicant priuilegia Ordinum Mendicantium; necnon Cisterciensium priuilegia communicantur ab Ordinibus Calatrauæ, Alcantaræ, Montesæ, Auis, & Christi; & è conuerso Ordines Mendicantes communicant priuilegia Ordinum Equestrium, quæ suo Instituto non repugnant, (3) vt ex Bullis Pontificiis liquet. An autem Equites Militares ex suis bonis, & Clerici Fratres ex bonis, quorum vsumfructum, vt possunt, sibi reseruant,

1. Ego *de Ordin. Militar. d. 7. §. 1.*

2. Ego *vbi nuper, §. 2.*

3. Ego *vbi sup. §. 3.*

ſeruant, teneantur ſoluere decimas, ſtandum eſt conſuetudini cuiuſque territorij; nam ferè in vnoquoque tam in ſolutione eiuſmodi, quàm in ſolutione præſtanda à cæteris Religioſis ex his, aut illis bonis, ſua conſuetudo eſt, per quam deciſæ ſunt plures lites, nec his finis impoſitus.

2 Equeſtres Ordines poſſunt eligere Conſeruatores, (4) cum opus fuerit; cum id eis per plures Bullas Pontificias conceſſum fuerit, ſeruatis his, quæ ad Conſeruatorum electionem, & modum procedendi in cauſis requiruntur. Vide verbo *Conſeruator Iudex.* 4. Ego *vbi ſup.* q. 4.

3 In informationibus, quæ fiunt ad accipiendum Habitum Equeſtrem D. Jacobi, interrogatur, an candidatus renuerit duellum, ad quod fuerit prouocatus: Verùm ſi renuerit remittendo vindictam, & nolens offendere Deum, id tantùm abeſſe debet, vt ei noceat, quòd maximè ſit laudandus, & aptior cenſendus ad Religionem, in qua perfectio Euangelica eſt procuranda, & omninò ab animis Chriſtianis relegandus eſt deteſtandus vſus duellorum, à Conciliis, & Pontificibus tot pœnis excommunicationum prohibitorum. Quare in ea interrogatione ſolùm intenditur veſtigari, an candidatus ob ignauiam renuerit duellum, ex qua ignauia dignoſcatur, eum non eſſe aptum ad militandum cum hoſtibus, iuxta inſtitutum horum Ordinum; & inſimul, an ob talem renuentiam contraxerit aliquam infamiam apud homines, qui cæco marte, & abſque vlla prorsùs recta ratione cenſent infamem eum, qui non acceptat duellum; cum potiùs infamis deberet publicari, qui prouocatet, & acceptaret; vt ſic exterminarentur ab Orbe Chriſtiano duella. (5)

4 Equites, & Clerici Fratres accipientes à candidatis munera ante informationes, quas ſunt peracturi, peccant grauiter, vtpotè qui iurant, ſe integrè, & fideliter eas eſſe peracturos, cui fidelitati opponuntur munera, quæ corrumpunt animos. Aliqua tamen ſolent vſu recepta eſſe ad releuandos ſumptus itinerum. Cæterùm reſtitui debent quæ recipiuntur ob ſuum munus rectè gerendum; ſin ob iniuſtum aliquid peragendum 5. Ego *de Ordin. Milit. d. 3. q. 2. & d. 18. q. 1. & de Iure Academ. lib. 3. à n. 306.*

peragendum quis pecunias recipiat, reſtituere non tenetur; nam acceptum ob turpem cauſam non debet reſtitui, iuxta ea quæ verbo *Reſtitutio* aſſeruntur. Nec in hoc caſu Equites, ſi nulli damnum inferant, alteri reſtituere tenentur, cùm diſcrimina, quibus in acceptatione exponuntur, ſint pretio æſtimabilia, & ſupponatur nulli præiudicium inferri. At Clerici Fratres Religioni, cuius ſunt bona ab illis adquiſita, tradere omnia ſuo tempore tenentur; niſi illi, qui diſponere de ſuis bonis poſſunt etiam per teſtamentum, vt Jacobæi.

5 Admiſſus in Ordinem Militarem, etiamſi ipſe ſciat, ſe eſſe ſanguine impurum, non tenetur id manifeſtare, & poteſt Profeſſionem emittere, & Commendas obtinere abſque onere reſtitutionis; nec enim vllus tenetur ſuos defectus manifeſtare, nec ſtatuta irritant Profeſſionem; (6) & id verum eſt, etiamſi ille per vim, aut fraudem ſuam puritatem ſanguinis, ſeu nobilitatem probaſſet; nam iam vnus è Religione eſt, nec ab ea irritatur Profeſſio: & quod probatio per fraudem fuerit facta, non obſtat; ſicut ſi totus populus conſpiraſſet in deponendo de nobilitate candidati non nobilis, is Habitu, & Commenda fruens non teneretur reſtituere; & ad præſens perinde ſe habet vnum ac aliud. (7)

6. Ego *de Ordin. Milit. d.3.q.4.*

7. Mota. Bonacina. *Eo. loc. q.8.*

6 Equites Jacobæi gaudent priuilegiis Canonis, ex pluribus Bullis Pontificiis; & cæteris Equitibus Militaribus, quamvis aſſeratur non eſſe ſtrictè Religioſos, per communicationem priuilegiorum videtur id priuilegium competere. Equites Militares, licèt obedientiam voueant, poſſunt de ſeipſis diſponere; adeſt enim tacita licentia, & conſuetudo. (8) Poſſunt ij Equites Profeſſi, etiam D. Joannis Hieroſolymitani, abſque licentia ingredi in aliam Religionem ſtrictiorem, vt non ſemel deciſum eſt in Rota, & praxis ſuadet. (9)

8. Ego *ſup. d.3. q.11.*

9. Apud Me *ſup. q.12.*

7 Calatrauenſes, & Alcantarenſes, ac cæteri, qui ſub regula Ciſtercienſium degunt, poſſunt initiari prima Tonſura, & quatuor Minoribus Ordibus, non ſolùm à Prioribus ſuorum Ordinum iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentibus, ſed etiam cum dimiſſo-

riis

tiis ſuorum Prælatorum ab Abbatibus Ciſtercienſibus; quia recenſentur quoad hoc inter Monachos Ciſtercienſes, cum eorum inſtitutum ſequantur. (10) Praxis iam fert, vt Equites Militares poſſint ſuſcipere Ordines abſque licentia Senatus Regij Ordinum.

10. Ego cum aliis *de Ordin. Milit. d. 3. q. 15.*

8 Votum paupertatis emiſſum ab Equitibus Militaribus (non eſt ſermo de Equitibus S. Ioannis) non reddit eos incapaces dominij, (11) nec tollit proprietatem bonorum, & poteſtatem teſtandi de illis, nec ius filiorum, & hæredum ad ſuccedendum in bona, & Maioratus; ſolumque ſubordinat bona ad inſumendum ea iuxta voluntatem Prælatorum, ſi neceſſaria ſint ad defenſionem, & vtilitatem ſuorum Ordinum, & ad fines, ad quos illi ſunt inſtituti. Non peccant grauiter Equites non facientes, aut tradentes inuentarium ſuorum bonorum, eſtò poſsint puniri iuxta ſtatuta id iniungentia. Clerici Fratres id omittentes, peccant; (12) & peccarent Equites, ſi omitterent ex animo non ſubordinandi ſua bona Religioni modo dicto, ad id enim eos obligat votum paupertatis. Nec peccant contra votum paupertatis, ſi in res illicitas bona expendant; nec datur obligatio reſtitutionis in lucrantibus ab eis in ludo quaſvis quantitates; nam non aliter paupertatem vouent, quàm in ſuo Ordine ea ſeruatur; & eſtò ſit præter voluntatem Prælatorum ille ſumptus illicitus, non eſt contra illam, quia hi de hoc non curant, cum Equites retineant dominium ſuorum bonorum.

11. Molina. Th. Sanchez. Ego *ſup. d. 4. q. 1.*

12. Iſla. Th. Sanchez. Apud Me *ſup. d. 4. q. 2.*

9 Clerici Fratres, dum intra Monaſteria degunt, nequeunt diſponere de bonis vllis abſque licentia Prælati: extra Monaſteria dum viuunt, conceſſum eſt ab Ordinibus, vt liberè de illis diſponant, dummodò non ſint bona immobilia, quæ poſsidere nequeunt abſque licentia, & manente proprietate apud eoſdem Ordines. Aliud eſt de Prioribus formatis Calatrauæ. (13) Nec peccant contra votum paupertatis, ſi habeant ſuppellectilem curioſam, & diuitem, dum non excedat id, quod iuxta praxim prædictorum Ordinum permitti ſolet. Poſſunt etiam habere annuos reditus ex Beneficiis, & dignitatibus, & vſumfructum bonorum immobilium, in quæ ratione illorum Ordines

13. Ego *ſup. q. 4. & 5.*

14. Basil. Legion. Ego *de Ordin. Militar. d.4. q. 10.*

dines succesſerint, (14) ſic enim conſuetudo præſcripſit.

10 Eques Militaris Profeſſus, ſi cum vxore ſua actum inhoneſtum exerceat, qui in alio coniugato eſſet actio peccaminoſa, peccat contra votum caſtitatis; nam caſtitas coniugalis ſolùm permittit actus coniugales licitos. Filius Equitis Militaris ſoluti legitimatur per ſubſequens matrimonium; (15) nam iudicandus eſt filius naturalis is, qui habetur ex parentibus nullo impedimento dirimente impeditis ad contrahendum matrimonium.

15. Mota. Ioan. Guttierr. Ego *de Ordin. Militar. d.5. q. 1.*

11 Regula Ordinis D. Iacobi prohibens copulam cum vxoribus certis diebus, non obligat, nec ſub veniali, vt conſuetudine præſcriptum eſt; (16) ſicut enim conſuetudo tollit obligationem grauem Equitibus (17) in recitatione precum, & orationum, ſic poteſt tollere obligationem leuem, quæ olim dabatur in abſtinentia à copula coniugali; (18) etenim Innocentius VIII. diſpenſauit ne ad lethale obligarent plura huiuſmodi contenta in Regula.

16. Ego *de Ordin. Militar. d.5. q. 4.*

17. Th. Sanchez. Peñafiel. Apud Me *ſup.*

18. Innoc. VIII. in Bulla expedita pridie Idus Octobris, anno 1486.

12 Tenentur Equites S. Ioannis obedire ſuo Magno Magiſtro: cæteri Equites Regi, & Senatui Ordinum; qui tamen nequeunt per ſe eos excommunicare, ſed ad hoc præſtandum deſignare debent Clericum; nam ita iniungitur à Pontifice, vt ad ſpiritualia, & ad concernentia ad illa deſignent perſonam Eccleſiaſticam, cui committantur. (19) Poteſt autem ita grauis eſſe materia, quæ præcipitur à Rege, ſeu à Regio Senatu Ordinum, vt ratione materiæ etiam abſque præcepto, & cenſuris teneantur ſub mortali obedire Equites; qui dum in Monaſteriis degunt, tenentur obedire eorum Prælatis.

19. Ego *de Ordin. Milit. d.6. q.1.*

13 Aliqua ſunt in Regulis Ordinum Militarium, (20) quæ ratione materiæ obligant ad mortale: ſic Commendatarij tenentur conſulere vtilitati bonorum immobilium Commendarum; & Iacobæi duplici primo anno inſumere dimidium redditum in reparatione domuum Commendarum; & omnes Equites tenentur ſcire ſubſtantiam Regulæ, & ſtatutorum; aliàs exponerentur graui tranſgreſſioni eorum. Si autem materia non ſit huiuſmodi, regulæ eos non

20. Ego *ſup. q.2.*

obligant

obligant sub mortali, nisi ob contemptum violentur.

(21) Clerici Fratres tenentur obedire iis ipsis, quibus Equites; & præterea dum in Monasteriis, aut Collegiis degunt, eorum Prælatis. 21. Ego *sup. q. 2.*

14 Capitula generalia Rex, vt Administrator, conuocat, eaque repræsentant totum Ordinem, in eisque residet potestas ad reuocanda, & condenda statuta, etiam sub censuris, cum gaudeant iurisdictione spirituali, & constent non solùm ex Equitibus, sed ex pluribus Clericis Fratribus habentibus ratione sui muneris suffragium. (22) 22.

15 Priores Militares gaudent iurisdictione quasi Episcopali pro vtroque foro erga subditos. Possunt Pontificalibus vti in Ecclesiis sibi subiectis, & in aliis de licentia Prælati earum; necnon benedictionem solennem populo impertiri cum concessione quadraginta dierum Indulgentiæ; non verò possunt cæteras indulgentias, quas possunt Episcopi, in aliis casibus concedere. (23) Possunt literas dimissorias conferre subditis regularibus ad Ordines suscipiendos, necnon (24) subditis sæcularibus. Extat de hoc Declaratio Eminentiss. Cardinalium die 29. Ianuarij, anno 1600. In Territorio Alcantaræ ob concordiam factam literæ dimissoriæ ab Episcopo Caurienſi impetrantur. Vicarij autem Prioratuum, his vacantibus, possunt etiam intra annum concedere literas dimissorias suis subditis regularibus; prohibito enim Tridentini dirigitur ad subditos sæculares, & respectu horum Vicarij Prioratuum, qui æquiparantur Capitulo Sede vacante, possunt præstare id ipsum, quod Capitulum potest, & non amplius. (25) Equites Militares, si ordinandi sint, possunt à Prioribus Militaribus sui territorij literas dimissorias obtinere, vt à quocumque Episcopo ordinentur. Id tamen non video in praxi, fortè quia propinquior est Episcopus proprius, & quia Episcopi difficulter admittunt quasvis literas dimissorias præstitas à Prælatis Militaribus. (26.) 23. Ego *sup. d. 7. q. 6.* 24. Tamburinus. Barbosa. Narbona. Villalobos. Th. Sanchez. Diana. Quintanad. & plures apud Me *sup. q. 7.* 25. Ego *sup. q. 8.* 26. Ego *sup. q. 9.*

16 Priores Militares iurisdictione quasi Episcopali gaudentes possunt erga suos subditos id, quod Episcopi erga suos, circa absolutionem à reseruatis, & dispensationem in irregularitate ex delicto occulto (excepto

(excepto homicidio) proueniente, & similia. (27) Nequeunt tamen, dum per oppida incedunt benedictionem occurrentibus impertiri. Possunt cæterùm benedicere ornamenta, calices & alia similia suarum Ecclesiarum, necnon consecrare vasa sacra, (28) aras, & templa, eligere sibi Confessarium, habere in suis domibus Oratoria; eæque domus gaudent immunitate Ecclesiastica: & qui in eos manus violentas iniecerit, contrahit excommunicationem Bullæ Cœnæ. Etiam possunt hi Priores in suo territorio præstare circa statuta condenda, imponendas censuras, & cætera omnia, quod Episcopi in suis, nisi eorum potestas coarctetur à Senatu Regio Ordinum; non verò possunt conferre Sacramentum Confirmationis, nec Ordines sacros.

17 Clericus Frater habens Beneficium Curatum, aut Dignitatem poscentem residentiam, nequit simul esse Prior sui Conuentus, aut Rector Collegij, cum teneatur ad residentiam. (29) Rectores Collegiorum possunt suis subditis Religiosis præcepta obedientiæ, & censuras imponere; (30) nam sunt propriè, & strictè Prælati Regulares. Subpriores Monasteriorum Militarium, absentibus, seu deficientibus Prioribus, ea omnia possunt, quæ in Religionibus cæteris absente, aut deficiente Prælato primo, potest is, qui in eius loco manet. (31) In concedendis autem literis dimissoriis ad Ordines suscipiendos subditis sæcularibus, habent se sicut Capitulum Sede Vacante; at subditis Religiosis possunt eas concedere, sicut in aliis Religionibus concedunt hi, qui loco præcipui Prælati absentis, aut deficientis vices illius gerit. (32) Præterea Vicarij generales Priorum iurisdictione quasi Episcopali gaudentium possunt in suo territorio, quod in suo Vicarij Generales Episcoporum. (33)

18 Dignitates propriæ Fratrum Clericorum nequeunt absque dispensatione Pontificia conferri Equitibus Militaribus initiatis sacris Ordinibus. (34) Nulla Officia temporalia Ordinum Militarium possunt alienari absque ea dispensatione, quia sunt bona propria Ordinum, quorum adhuc ipse Rex non est dominus, sed administrator. (35) Bona autem immobilia

27. Eman. Rodrig. Barbosa. Bonacina. Diana. Auila. Th. Sanchez. Vrrutigoyti. Suarez, & plures apud Me *sup. q.* 10.

28. Ego *in Statera, d.* 13. *q.* 21. & *de Ordinib. Militar. d.* 7. *q.* 12. & *d.* 18. *q.* 2.

29. Ego *de Ordinib. Militar. d.* 7. *q.* 16.

30. Plures apud Me *sup. q.* 17.

31. Ego *sup. q.* 18.

32. Ego *sup. d.* 7. *q.* 8.

33. Ego *sup. q.* 19.

34. Ego *de Ordin. Milit. d.* 8. *q.* 2.

35. Ego *vbi nuper, q.* 4.

mobilia Religionum alienari; prohibitum est à Pontificibus.

19 Possunt Clerici Fratres ex concessione Gregorij XIII. publicè addiscere Ius Ciuile. (36) Nequeunt Commendas destinatas Equitibus obtinere, neque eæ possunt præstari absque dispensatione Pontificis aliis, qui non sint Equites Ordinis, cuius est Commenda; nec Equiti non professo; nec fœminis, quamvis non semel redditus Commendarum fuerint applicati fœminis: præcedere autem debet dispensatio; nec vnus potest duas habere Commendas; nec successio (nisi ex consensu Ordinis in illis potest præstari, sicut nec Dignitatum, Prioratuum, & Beneficiorum. (37) Commendatarij non tenentur soluere decimas ex bonis Commendarum, vt constat ex pluribus Bullis Pontificiis. Ipsis Commendatariis soluuntur decimæ, & primitiæ in suis Commendis; oblationes verò in suis Ecclesiis ad Parochos pertinent.

20 Commendatarij, etiam S. Joannis, non tenentur Horas Canonicas persoluere; quamvis gaudeant redditibus prouenientibus ex Decimis. Et de eis bonis possunt liberè disponere; sed Commendatarij Sancti Joannis nequeunt testari: & quamvis hi sint strictè Religiosi, & personæ Ecclesiasticæ, (38) non possunt literas dimissorias ad Ordines præbere. Clerici Fratres possunt obtinere quasvis Capellanias sitas in territoriis suorum Ordinum, (39) etiam solitas concedi Clericis sæcularibus; nam subsant administrationi, & patronatui Ordinum Militarium. Clerici Fratres nequeunt obtinere Beneficia sæcularia absque dispensatione Pontificis, (40) quamvis posse Jacobæos sit speculatiuè probabile, & non improbabile speculatiuè posse cæteros. Clerici Fratres Parochi nequeunt vltra bimestre in anno à residentia excusari titulo peragendi Informationes: non enim comprehenditur ea causa in excusantibus à residentia, allatis à Tridentino, & appositis verbo *Parochus*.

21 Quidquid præstant Ordinarij respectu Parochorum sæcularium, præstat Senatus Regius Ordinum, aut Priores iurisdictione quasi Episcopali gaudentes circa Parochos territorij proprij, quoad examen,

36. In Bulla, quæ incipit, *Vniuersalis*; transcripta à Mé *sup. d. 9. q. 3.*

37. Ego *de Ordin. Militar. d. 10. q. 2. & 3.*

38. Ego *sup. q. 7.*

39. Ego *de Ordin. Militar. d. 11. q. 2.*

40. Ego *de Ordin. Militar. d. 11. q. 4.*

approbationem, substitutionem Vicarij, licentiam ad absentiam, & similia; exceptis his, quæ in Concordia Alcantaræ cum Episcopo Caurien si continentur.

22 Equites professi si non gestent habitum sui Ordinis, saltem per multum tempus, peccant grauiter, etiamsi defendatur, non esse strictè Religiosos (41) nec personas Ecclesiasticas; nam vouent obedientiam in proprio Ordine, & gererent se vt extra Ordinem existentes, ac ab eo in re grauissima deflecterent, scandalúmque gignerent, cùm darent ansam iudicandi, ipsos in contemptum id facere. Clerici Fratres, si relinquant Habitum per tempus non exiguum, incidunt in censuras latas contra Religiosos deferentes Habitum; si in toga solùm, & non in pallio, habitum gestent, peccant venialiter. (42) Et grauiter peccant, si itinerentur habitu laicali, & armis laicorum accincti. In administrandis Sacramentis vti debent superpelliceo, & non togâ capitulari, iuxta Rituale Pauli V. estò iuxta Definitiones Ordinis aliqui operantes, vtendo togâ capitulari non peccent. Si Clericus Frater, aut Eques sit Dignitas aut Canonicus alicuius Ecclesiæ, non potest gestare insigne Militare supra togam Chori. Ita decidit sacra Rituum Congregatio. (43) Clerici Fratres, & etiam Prior Sancti Marci Legionensis possunt edere oua, & lacticinia tempore Quadragesimæ ex concessione Leonis X. in Bulla, quæ incipit *Religionis zelus*; quod priuilegium non reuocatur per Bullam Cruciatæ, cùm per eam non reuocentur, nec suspendantur (43) priuilegia concessa Religionibus quoad ipsos Religiosos.

23 Non est peccatum mortale, omitti Orationes designatas in Definitionibus pro Equitibus, & Clericis Fratribus Militaribus: (44) nam ea obligatio sub lethali non exprimitur ab Statutis, nec à Pontificibus; eaque est suasio communis omnium. Si quis rationa pensionis Ecclesiasticæ teneatur recitare Officium parvum B. Mariæ, satisfaciet recitando Orationes in Definitionibus præfixas, nam Pius V. obligauit ad recitandum Officium parvum (45) solùm eos, qui ad

41. D. Antonin. Sylvester. Ista. Ego *de Ordin. Militar. d. 12. q. 1.*

42. Ego *sup. q. 3.*

43. Apud Me *sup. q. 12.*

43. Ego *de Bull. Cruciat. d. 29. num. 37.*

44. Ego *de Ordin. Milit. d. 13. q. 2.*

45. Bonatina, Diana.

alias orationes ratione ſtatus, aut Ordinis ſacri non eſſent adſtricti. Caſtr. Palac. & alij apud Me *ſup.*

24 Moniales Calatrauenſes, & Alcantarenſes gaudent omnibus priuilegiis, & gratiis conceſſis, & concedendis Ordini Ciſtercienſi, iuxta Bullas Vrbani I V. & Leonis X. (46) Quamvis in Bulla Leonis X. quæ incipit *Religionis zelus*, concedatur Fratribus Clericis Monaſteriorum de Veles, & Sancti Marci, vt poſſint eligere Confeſſarium idoneum, is debet eſſe approbatus; nam idoneitas per approbationem conſtat. (47) 46. Apud Me *ſup. d.14. q.4.* 47. Ego *ſup. q.5.*

25 Fratres Clerici Jacobæi Beneficium, aut Capellaniam habentes poſſunt teſtari, dummodò quotannis faciant inuentarium bonorum, & licentiam teſtandi quovis triennio poſcant à Priore ſui Monaſterij, aut alterius, ſi ſit proximior. Et ſufficit, ſi poſcant, quamvis ob omiſſionem Prior eam non miſerit. Quin teſtamentum valebit, quamvis ob incuriam, & non per fraudem licentiam non petierint. Poſſunt (48) etiam teſtari, qui renuntiarunt Beneficio, dummodò non degant in Monaſterio eius ſumptibus victitando, ſed propriis ſumptibus victitent. Qui non habent Beneficium, nequeunt teſtari. Priores Monaſteriorum etiam teſtari queunt, cùm priuilegia ſint amplianda, & Dignitates Prioratuum, dum durant, æquiparentur ſaltem Beneficiis. Similiter ſi Frater Clericus Jacobæus ſit Quæſitor Fidei, aut Senator, teſtari valet; nam per æquiparantiam, & ſimilitudinem ac interpretationem rectè extenditur licentia conceſſa in Statutis, & à Pontificibus dimanans ad eas perſonas. (49) An extendatur ad Adminiſtratores Hoſpitalium, & Monialium, ſtandum eſt ſtylo Ordinis à viris timoratis continuato. 48. Ego *vbi ſup. d.15. q.3.* 49. Ego *de Ordin. Militar. d. 15. q. 2.*

26 Clerici Fratres Calatrauenſes, & Alcantarenſes nequeùt teſtari, ſic verò diſponere de bonis mobilibus (50) tempore mortis, & petita, ac obtenta licentia ſpeciali, de bonis immobilibus; & debet eſſe vnus ſaltè ex executoribus vltimæ voluntatis ex ipſo Ordine. Quin, quamvis in Monaſteriis degant, poteſt Ordo concedere licentiam, vt diſponant de ſuis bonis. Et ex rationabili cauſa poterit Ordo immutare eorum diſpoſitiones vl- 50. Ego *ſup. q.3.*

timas, dummodò iam effectum non sint sortitæ; annuente ipso Ordine consensu tacito, seu expresso. Secùs est de testamentis conditis à Fratribus Jacobæis; nam illa ex natura sua sunt irreuocabilia, & præstita licentia, adhuc ex se reuocabili, ad actum irreuocabilem, (51) nequit hic reuocari à concedente licentiam, postquam est peractus.

51. Rodriguez. Diana. Ioan. de Cruz. Th. Sanchez. Suarez. Vasquez. Apud Me *sup. q.* 4.

27 Qui informationes conficiunt ad Habitus Militares, possunt compellere quasvis personas sæculares, Ecclesiasticas, & Religiosas (exceptis Monachis) ad testificandum in illis, (52) iuxta Bullam Vrbani VIII. quæ incipit, *Cùm sicut*. Si in informationibus aliquis testis imponat notam sanguinis in candidato, & his Habitum obtineat, eò quòd per instrumenta, & alios plures testes constiterit de sui sanguinis puritate, tenentur sub culpa graui Informantes, & Senatores Ordinum, qui de informationibus ferunt iudicium, eam notam non reuelare, ne iactura honoris sequatur.

52. Apud Me *sup. d.* 17. *q.* 3.

28 Clerici Fratres Militiarum, nisi sint Prælati, possunt edere oua, & lacticinia tempore Quadragesimæ virtute Bullæ Cruciatæ; nam vbi asseritur in illa, non valere pro Regularibus quoad hoc indultum, excipiuntur Regulares Militiarum; & licèt in Bulla Hispana vertatur *los Caualleros*, in Latina extat *Regulares*, cui stari debet; ac esse Regulares absque controuersia comperit (53) Clericis Fratribus; & de cæteris, an stricte sint tales, præter Equites D. Joannis, controuersia est. Cæterùm si qui essent casus reseruati in Ordinibus Militaribus, non possent absolui ab eis virtute Bullæ Cruciatæ; (54) nam Bulla Clementis VIII. de qua verbo *Reseruati casus*, eos comprehendit.

53. Basil. Legion. Magistri Salmantini. Gallego. Apud Me *in Bull. Cruciat. d.* 18. *n.* 146. & *de Ordin. Milit. d.* 12. *q.* 12. *& d.* 18. *q.* 3. & iterum *de Bull. Cruc. in Appēd. d.* 5. *c.* 5. *&* 19. *& d.* 2. *c.* 10.

29 Quando Eques alicuius ex prædictis Militiis est in castris militans, subditur Imperatori Militiæ, & cæteris Officialibus, qui ipsius sunt superiores; sic enim expressè, aut virtualiter dispensatum est à Prælatis Ordinum Equestrium; aliàs impunè agerent in bello, nec possent carcerari aut puniri propter delicta, quæ exigunt breue, & opportunum supplicium. At Equites Melitenses Professi non possunt in Militia capite

54. Ego de *Bulla Cruciat. d.* 24. *num.* 170.

pite mulctari, cum ſint ſtrictè Religioſi, & priùs debeant à ſuo Superiore remitti brachio ſæculari. Quin & ex praxi conſtat, alios Equites Militares, cum periculum vitæ in ſuæ cauſæ ſententia ſubirent in caſtris, appellaſſe ad Senatum Regium Ordinum, & ad illum fuiſſe cauſam delatam.

30 Dicta de Equitibus, Clericis Fratribus, ac Prælatis, conueniunt Ordinibus Equeſtribus Hiſpaniæ, necnon Ordini S. Joannis. In aliis Regnis, & Prouinciis iuxta ſtatuta cuiuſque Ordinis (quæ nequeunt in vnum redigi) erit decernendum, & proportionatè aptanda, quæ eis congruant.

## *Euchariſtia.*

1 EUchariſtiam non ſumere in articulo mortis, etiam deficiente contemptu, eſt peccatum lethale; 1) nam dari præceptum diuinum de ea tunc ſumenda, ortum ex traditione Apoſtolorum, ſatis oſtendit conſuetudo omnium fidelium, & innitur in Concilio Nicæno; 2) & tunc neceſſarium eſt tutamentum Euchariſtiæ aduerſus pugnas diaboli: atque id Sacramentum eſt charitatis, & conſummatio vitæ ſpiritualis, quo fideles profitentur, ſe mori tanquam membra Chriſti viuentia. At ſanè neceſſarium eſt id Sacramentum neceſſitate præcepti, & id inſtat, cum in vita Eccleſia determinat; & quidem in morte inſtare conſtat, vtpotè tunc magis expediens ad animæ ſalutem. Damnatis ad mortem miniſtranda eſt Euchariſtia. Nec obſtat, non eſſe ieiunum, qui per modum Viatici Euchariſtiam ſumit. Cæteri debent eſſe ieiuni. Vide *Ieiunium naturale.*

1. Card. Lugo. Layman. Bonacina. Suarez. Vaſquez. Fagundez. Coninch. Tannerus. Gaſp. Hurtad. Valentia. Ego cum aliis *in Statera, diſſ. 11. q. 1.*

2. Nicænum relatum *in c. de his, 26. q. 6.*

2 Ante ſumptionem Euchariſtiæ neceſſaria eſt confeſſio peccatorum lethalium, iuxta Tridentinum. Quòd ſi pœnitens prudenter ſibi timet damnum ex confeſſione vnius peccati, aut habet peccatum reſeruatum, tenetur cætera confiteri ante Communionem, & omiſſa confiteri, cum adſit copia Confeſſarij opportuni. (3) Non autem id extendendum eſt ad hoc, vt Religioſus extra clauſtra non confiteatur Confeſſario

3. Card. Lugo. Ego *in Bulla*

*Cæt. d.23.c.3. & in Statera, d.ff.11. q. 1.*

ſæculari, ſi alius non adſit, ne eius Religio detrimentum bonæ exiſtimationis patiatur, dum ille peccata grauia confitetur; indéque poſſit abſque Confeſſione Euchariſtiam ſumere; nam ſolùm exiſtimatio ipſius Religioſi detrimentum patitur, quod eſt annexum ipſis culpis. Si celebrans recordetur peccati mortalis, debet actum contritionis elicere, & poſtmodùm confiteri; niſi fortè Miſſa ſit ſolennis, & dum canitur in Choro, poſſit commodè, ſine genuflexione, confiteri cum Diacono, aut alio Miniſtro Altaris; nam eo caſu ad id teneretur. (4)

4. *Ego in Statera, diſſ.11.q.1.*

3 Laïcus in nullo caſu, etiam extremæ neceſſitatis, poteſt ſibi, nec aliis Euchariſtiam miniſtrare, vt habetur in Concilio Carthaginenſi, (5) in quo abſolutè id prohibetur, indéque prohibitio ad omnes caſus extenditur; & cum ſumptio Sacramenti Euchariſtiæ non ſit neceſſaria neceſſitate medij, aliâ viâ poteſt ſuccurri neceſſitati animæ; aliter etiam diceretur, poſſe Sacerdotem in extrema neceſsitate conſecrare Hoſtiam extra Miſſam, vt ſibi, aut aliis miniſtraret, quod neutiquam eſt aſſerendum, (6) ac eſt contra ritum Eccleſiæ. Neque valet Sacerdos in vllo caſu conſecrare ſub vna ſpecie; cum is eſſet nouus, & inuſitatus in Eccleſia ritus, indéque reprobandus. Et nec Pontifex poteſt in hoc diſpenſare, ob priuatam cauſam, (7) quia nunquam id præſtitit; & cauſa priuata non eſt ſufficiens ad diſpenſationem in materia adeò grauí. Et nec ob cauſam vllam poſſe, eſt probabilius; nam maius bonum Eccleſiæ eſt, vt ritus ſacrificandi in tota Eccleſia ſit vnus, interger, & perfectus: & videtur, non poſſe dari cauſam publicam, cùm nulla ſit regio, ad quam non valeat portari vinum, & triticum; & præterea ſumptio Euchariſtiæ non ſit neceſſitate medij neceſſaria.

5. Refertur *in c. Peruenit, de conſecr. diſt. 2.*

6. D. Thomas. *Ego in Statera, diſſ.11.q.2.*

7. Suarez, & alij apud Me *vbi ſuper.*

8. *Ego in Statera*, cum communi *d.ff. 11. q. 2.*

4 Moribundo non potenti traiicere Hoſtiam non eſt miniſtrandus Sanguis conſecratus, nec id effici valet, cum ſit contra Eccleſiæ conſuetudinem, & neceſsitati eius per Confeſsionem ſubueniatur. (8)

9. Card Lugo. Buſembaum. *Ego in Statera, d.ff.11.q.11.*

5 Nequit conſecrari in panibus rubris, quibus epiſtolæ ſigillantur; (9) nam ſaltem ea eſt materia dubia, nec ſunt panis vſualis, & per grana cinnabari quæ in

eis

eis apponuntur, notabiliter alteratur materia tritici, & quoddam tertium compoſitum reſultat. Poterit autem conſecrari in pane triticeo non alterato notabiliter per exiguam aliquam ſubſtantiam; ſicut in vino de vite ſic non alterato; (10) nam ſic manet abſolutè panis triticeus vſualis, & vinum vſuale de vite; ſicut aqua dum ſit naturalis, & non trahatur ad aliam ſpeciem per exiguam aliquam admixtionem, eſt materia ſufficiens Baptiſmi. Cæterùm panis ad Euchariſtiam confici debet aqua naturali, nam hæc eſt de conſtitutione panis tritiçei vſualis.

10. D. Thomas, Sylueſter, Tabiena, Ledeſma, Corradus, Bonacina, Ant. Perez, & alij apud Me *vbi ſuper.*

6 Nequit conſecrari in ſucco expreſſo ex vuis paſsis, nam is eſt ſuccus de vite, non vinum de vite; ſicut ſuccus expreſſus ex vuis acerbis eſt acor, non vinum; etenim vt ſit vinum vſuale, debet exprimi ex vuis maturis, non acerbis, nec paſsis. (11) Et quia iuxta Eccleſiæ conſuetudinem vinum debet eſſe purum, ac defæcatum ob maiorem decentiam, ac reuerentiam, quamvis maneat ſubſtantia vini, non licet conſecrari vinum conditum, aut mixtum aliis rebus. (12)

11. Ego *in Statera, diſſ. 11. q. 5.*

12. Suarez. Ego *in Statera, diſſ. 11. q. 5.*

7 Non ſunt de eſſentia formæ conſecrationis vini ea verba; *Noui, & æterni Teſtamenti*: & à Græcis omittuntur: (13) etenim ſolùm ſunt de eſſentia formæ verba, *Hic eſt calix ſanguinis mei*; & eis vſus eſt Chriſtus D. in prima conſecratione. Die Paraſceues non miniſtratur Euchariſtia iuxta Eccleſiæ conſuetudinem, (14) verùm Benedictinis miniſtratur in ſuis Cœnobiis; & olim id præſtabatur ab aliis: quin audiui à fide dignis, aliquibus nunc temporis ea die miniſtrari Euchariſtiam. Conſulerem ego, (exceptis Benedictinis, quorum eſt ea antiqua conſuetudo) cæteros non debere deuiare à praxi Eccleſiæ. (15)

13. Suar. apud Me *vbi ſuper.*

14. Communis. Ego *in Statera, diſſ. 11. q. 5.*

15. Ego *in Statera, vbi ſuper, & tom. de Ord. Miliar. d. 12. num. 130.*

8 Cæterùm Euchariſtiam non miniſtrari die Paraſceues, niſi infirmis, eſt Eccleſiæ conſuetudo, eamque eſſe ſeruandam decreuit Sacra Rituum Congregatio die 19. Februarij anno 1622. (16) Ex ſe autem nullo iure miniſtrari prohibetur. (17)

16. Apud Gauantum allatum à Me *de Ordin. Miliar. d. 10. q. 11.*

17. Suarez, & alij *vbi ſuper.*

9 Euchariſtiam non fore miniſtrandam fidelibus in Miſſa, quæ celebratur in nocte Natiuitatis Chriſti, nec poſt primam Miſſam alias duas poſſe ſucceſſiuè in ea nocte celebrari, Sacra Congregatio Rituum die 20.

Aprilis, anno 1664. decreuit, & omnino prohibuit; verùm non video in praxi obſeruari, fortè quia id Decretum ſufficienter non eſt publicatum.

10 Si quis tempore Paſchali non ſumat Euchariſtiam, adhuc poſtmodùm ſumere tenetur, quia adhuc præceptum vrget, nec terminus obligationis tempore Paſchali exſpirat.

11 A Latinis in pane azymo eſt conſecrandum, ita vt nec pro communicando agonizante, ſi pyxis eſſet vacua, poſſet conſecrari in pane fermentato, deficiente azymo. (18) Græcis permittitur conſecrare in pane fermentato.

18. P. Th. Tambur. *in Method. exped. commun. cap. 2. §. 9.* Sotus. Ledeſma. Suarez. Dicaſtillo. Gobat.

12 Si in aliquo caſu non daretur hoſtia grandior, poſſet in ea minori, quæ ſolet laïcis præberi, conſecrari in Miſſa; cùm circa magnitudinem hoſtiæ non detur præceptum, & populus, ſi coram eo celebraretur, poſſet admoneri, ne illi videretur eſſe contra præceptum. (19)

19. P. Tamburin. *de ſacrif. M ſſ. lib. 2. c. 8. §. 8. num. 16.* Gobat.

13 Deficiente alio vino poterit conſecrari vinum (20) aliquantulùm aceſcens, non verò acidum. Si congeletur in altari, liquefieri debet prunis, aut pannis calidis. Si deſit aqua, quæ miſceatur vino, nequit Miſſa celebrari; infundenda autem eſt modiciſſima. Sed quamvis quartam partem aquæ vino generoſo Sacerdos infunderet, verè conſecraret, (21) nec peccaret; & mediocri quintam; ſaluatur enim eſſe vinum id, quod eſt in calice. An verò aqua in vinum conuertatur; an aqua immediatè in ſanguinem Chriſti tranſmutetur, ad Philoſophiam, & Theologiam ſcholaſticam ſpectat.

20. Suarez *tom. 3. in 3. p. d. 85. ſect. 2.*

21. P. Gobat. *in exper. Theol. tr 3. num. 60.* Tamburinus.

14 Peccaret grauiter Sacerdos, (22) qui verba conſecrationis voce adeò alta proferret, vt ad quadraginta paſſus poſſet audiri; & venialiter, qui ad ſex paſſus audiri valeret.

22. Gauantus *p. 1. tit. 16 n. 1.* & communis.

15 Non peccat laïcus, qui abſque vllo contemptu profert verba conſecrationis, ſicut ſi illa in Miſſali legeret; nec pueri, qui domi exſtruunt altare, & imitantur ſacrificantem: id enim deuotioni eſt tribuendum. (23)

23. Franc. Sachinus *in hiſt. or. Societ. p. 3. l. 8. num 40* de S. Franciſc. Borgia.

16 Si hoſtiæ paruæ pro communicantibus ſint in vaſe cooperto, reprehenſibile eſt, non diſcooperiri ad

conſecra

conſecrationem, ac certè conſecrabuntur etiamſi non diſcooperiatur. (24) Si duæ ſint hoſtiæ coniunctæ, ambæ conſecrantur, quia Sacerdos habet intentionem conſecrandi id, quod eſt ſibi præſens ſupra corporale, & aram, ſeu manibus tenet, niſi excludat; vt contingit in die Natalis Domini, in quo ſuper altare ſolet apponi capſa, in qua ſunt plures hoſtiæ, vt Sacerdos ad vnamquamque Miſſam aſſumat vnam, & relinquens cæteras in capſa ad latus altaris, expreſsè non habet intentionem conſecrandi illas.

24. Tanner. *tom* 4. *d.* 5. *q.* 2. *n.* 65. Gobat. Diana.

17 Si particulam ex hoſtia grandi frangat Sacerdos, vt communicet aliquem, peccat venialiter, niſi aliqua adſit ſpecialis neceſſitas; licèt enim illud non ſit contra præceptum, eſt tamen aliqua inordinatio.

18 Si poſt offertorium ante Præfationem portentur ad altare formulæ, ſeu hoſtiolæ pro communione aliorum, poterunt conſecrari, (25) eas mente, non verbis offerendo. Si inſcio Sacerdote, appoſitum eſt vas cum particulis in altari, nec ille de his cogitauit, non manent conſecratæ; at ſi vidit afferri, & ibi ad conſecrandum apponi, quamvis non cogitauerit expreſsè de eis conſecrandis, ſanè conſecrabuntur. (26)

25. Diana *p.* 2. *tr.* 14. *reſ.* 71. Gauantus. Tamburin. Gobat.

26. Layman *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 4. *n.* 14. cum aliis.

19 Hæ hoſtiæ paruæ debent eſſe ſupra aram & corporale, tempore conſecrationis; ſi ibi non ſint, & Sacerdos habeat intentionem conſecrandi, quod licitè poteſt, non manent conſecratæ. (27) Eſtò non deſint, qui aſſerant conſecrari, ſi Sacerdos ſaltem virtualem intentionem habuit conſecrandi illas, dum aduertit afferri eas, atque apponi ſupra altare, vt conſecrentur, etiamſi tempore conſecrationis ſit immemor illarum.

27. Tamburin. *l.* 2. *c.* 1. §. 3. *n.* 19. Bonacina. Diana. Suarez. Reginaldus. Coninch. Tannerus.

20 Solùm conſecratur in calice vinum, quod eſt continuum, dum datur intentio conſecrandi ſolùm id, quod licitè eſt conſecrabile; quare ſi guttæ diſcontinuatæ ad cuppam calicis interiùs adhæreant, non conſecrantur. (28)

28. Gobat. *in experient. Theol. tr.* 3. *n.* 89. Coninch. Suarez. Gauantus.

21 Solus, & omnis Sacerdos eſt miniſter Sacrificij Miſſæ, quod eſt definitum in Tridentino. (29) Hinc validè conſecrat Sacerdos excommunicatus, ſuſpenſus, degradatus, hæreticus; quia poteſtas conſecrandi pertinet

Layman. Tamburinus. Tannerus. 29. *Seſſ. 22. cap. 1. & 2. & can. 2.* 30. Suarez *tom. 4. diſp. 3. d. 44. ſect. 3.*

pertinet ad characterem ſacerdotalem, qui in eis ſemper manet.

22 Tenetur Parochus etiam cum periculo vitæ deferre (30) Euchariſtiam moribundo, maximè ſi ille non ſit adhuc confeſſus. Etenim dum parochiani præbent ei ſuſtentationem, id pactum implicitum eſt, quòd eis miniſtret Sacramenta etiam cum periculo vitæ, vt animabus eorum conſulatur. Peſte infectis poteſt Sacerdos Viaticum præbere (niſi repugnet conſuetudo diœceſis) in aliquo inſtrumento oblongo, quod poſteà abluatur; (31) vel expanſa charta ſupra ſcabellum, & ipſi appoſita hoſtia, vt inde contagio infectus eam ſumat, combuſta poſteà charta.

31. Gauantus *in Enchirid. Epiſc. verb. Peſtis, num. 7.* Marchinus. Venetus. Marchantius. Barboſa. Gobat. 32. *Cap. Præſente, diſt. 93.*

23 In neceſſitate, Parocho, & Sacerdote abſente, ex mandato Epiſcopi, aut Parochi poteſt Diaconus Euchariſtiam miniſtrare; (32) & in neceſſitate extrema mortis, ſi alius non adeſſet Sacerdos, poſſet ille ipſe ſumere Euchariſtiam vt Viaticum; & à fortiori id Sacerdos valet præſtare in ea neceſſitate.

24 In articulo mortis miniſtranda eſt Euchariſtia ei, qui incidit in amentiam, dum abſit periculum irreuerentiæ, ſeu vomitus; & conſtet, ante amentiam non eſſe notorium excommunicatum, ſeu notorium peccatorem. Extra eum articulum amentibus non eſt miniſtranda Euchariſtia. Miniſtrari etiam debet ſtatim poſt Baptiſmum infideli baptizato in eo articulo. Poteſt etiam tunc dari pueris, de quibus dubitatur, an ſint doli capaces. Pueros autem non teneri præcepto Euchariſtiæ ſumendæ ante annos pubertatis, certò probabile eſt. (33) At mihi certius oppoſitum, cùm antecedenter habeant vſum perfectum rationis, & ſint capaces agnoſcendi quidquid requiritur ad dignam Euchariſtiæ ſuſceptionem; quod in eis expectari, eſt congruum, ac debitum, ne irreuerenter ad illam accedant.

33. Diana. Meratius.

## *Eunuchus.*

1 EVnuchum non poſſe validè contrahere matrimonium, declaratum eſt Motu proprio Sixti V. Et quidem habet impedimentum impotentiæ dirimens matrimonium; licèt enim in eo detur aliqua ſpecies impropriſ feminis, at id non eſt aptum ad generationem.

2 Si quis quouis titulo ſe caſtraret, fieret irregularis, vtpotè abſcindens violenter corporis membrum. Quin nequit Princeps, pater, aut alius quiuis facere, vt filius, ſeu alius caſtretur cauſa conſeruandæ vocis, etiamſi ille conſentiat; (1) quare ſolùm eſt licitum, quem ſinere ſe caſtrari, cum id omninò eſt neceſſarium ad vitam, ſeu ſalutem ſeruandam. 1. Card. Lugo. Diana, & plures.

3 Vno teſticulo caſtratus poteſt contrahere matrimonium; ſicut & is, qui ob herniam curandam teſticulos intra corpus arte medica incluſos haberet; (2) cum vnus, & alius verum, & ſufficiens ſemen ad generationem poſsint emittere.

## *Excommunicatio. Excommunicatus.*

1 EXcommunicatio eſt cenſura, quâ quis ab Eccleſiæ communione ſeparatur. Alia eſt maior; alia minor. Maior priuat his, quæ decurſu exponentur. Minor ſolùm priuat (1) receptione Sacramentorum; incurriturque communicando cum excommunicato maiori excommunicatione non tolerato vitando in rebus prohibitis, de quibus *infrà*; eaque communicatio eſt peccatum veniale dumtaxat. (2) 1. *Cap. vlt. de Cleric. excom.* cum aliis. 2. Communis.

2 Excommunicatus vitandus eſt publicus Clerici percuſſor, & qui eſt publicè denuntiatus; quòd ſi is ſit ligatus excommunicatione participantium, qui cum illo communicat in crimine criminoſo, ſeu propter quod eſt excommunicatus, incurrit excommunicationem maiorem, & peccat mortaliter. Excommunicatio alia eſt à Iure, nempe quæ in iure Canonico, Conciliis

Conciliis, Bullis, & Conſtitutionibus Pontificum extat; alia ab homine, inflicta ab eo, qui iuriſdictione Eccleſiaſtica gaudet. Alia eſt generalis, lata contra quoſvis facientes, vel qui fecerunt hoc aut illud; alia particularis, lata contra determinatas perſonas. Alia eſt reſeruata huic aut illi Prælato quoad abſolutionem; alia non reſeruata. Vide *Cenſura*.

3 Excommunicatio lata in Canone *Si quis ſuadente*, contra iniicientem manus violentas in Clericum, reſeruata eſt Pontifici quoad abſolutionem; nomine autem Clerici intelliguntur omnes à prima tonſura vſque ad ſupremum Ordinem, etiamſi primò tonſuratus ſit coniugatus, dummodo geſtet habitum clericalem, & alicui Eccleſiæ inſeruiat; & etiamſi Clericus ſit excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, & verbalitet tantùm degradatus. (3) Intelliguntur etiam ſub nomine Clerici, quilibet viri, aut fœminæ Religioni approbatæ militantes, etiam Conuerſi, & Nouitij. (4) Iniectio manuum eſſe debet grauis, nam grauiſſima pœna, qualis eſt excommunicatio maior, non contrahitur niſi ob grauem culpam. Et ſufficit, ſi violenter tangatur aliquid cohærens Clerico, vt veſtis, ſella, equus; (5) non tamen ſi illi non cohæreat, quamvis ipſius ſit: (6) contrahitur autem ea excommunicatio, ſi percuſsio ſit leuis, iniuria verò grauis cum fuſte, aut virga, quia eſt actio grauiter violenta. Etiam comprehenditur ſub iniectione manuum, iniectio aquæ, luti, & actiones ſimiles iniurioſæ. Grauis etiam iniuria cenſetur (eſtò in ſe leuis ſit) ratione loci, ſi inferatur coram Rege, aut Prælato, ſeu in foro, vel in Eccleſia coram multis. Et præterea ratione perſonæ, veluti ſi inferatur Prælato, Dignitati, Iudici, & ſimilibus. * Præterea ſi quis conetur percutere Clericum, & ille ſe defendat manibus, aut pallio, vel ſimili, vt non percutiatur, contrahit excommunicationem. Vnde ſi duo Clerici digladientur inuicem, quin ſe percutiant, eam contrahunt; (7) nam etſi intendens percutere Clericum, dum impetus, ſeu conatus non tangit eum, aut aliquid ei cohærens, non maneat excommunicatus; tamen manet, ſi ſic tangat: vnde cum quilibet ex illis conetur alium

3. Buſembaum, & alij apud Me *in Stateræ, diſſ.13.q.10.*

4. *Cap. Religioſo, de ſent. excom. lib. 6.* *Cap. Non dubium, de ſent. excomm.*

5. Sylueſter. Suarez. Cordonius apud Me *ſup.*

6. Molina, & alij *ſuprà.*

* In Extrauag. Ioannis XII. quæ incipit *Pe lectu.* Affertur à Quarant. *verb. Abſolutio.*

7. Suarez. Aulla. Coninch. Card. Toletus. Reginaldus. Molina.

alium percutere, & alius percuſsionem ſuo enſe impediat, vterque manet excommunicatus; ſicut ſi vnus ſolus enſe tentaret percutere alium, & is pallio, aut aliqua alia re ſe defenderet, ille excommunicationem contraheret.

Azor. Filliucius. Buſembaum. Ego *in Statera*, *diſſ.* 13. *q.* 11.

4 Pueri in Minoribus conſtituti non incidunt in hanc excommunicationem, dum ad inuicem pugnis contendunt, (8) quia actio puerilis pœnam adeò grauem non meretur; nec iuxta Ius (9) eam contrahit, qui manus violentas iniicit in Clericum, dum eum reperit turpiter tractantem cum ſua vxore, matre, filia, aut ſorore; nec qui percutit Clericum habitu laicali incedentem, quem ignorabat eſſe Clericum.

8. Ioan. Henriq. Sà, & alij *vbi ſuper.*

9. *Cap. Si verò* 2. *de ſent. excom.*

5 Occidens veneno Clericum incidit in hanc excommunicationem; (10) oppoſita opinio expuncta eſt à Sacro Fidei Senatu in Indice expurgatorio anni 1640. (11) Quamvis excommunicatio lata contra facientes aliquid, vtpotè odioſa, non ſit extendenda ad mandantes, & conſulentes; & hæc excommunicatio Canonis ſit contra iniicientes manus violentas in Clericum; tamen in Iure, & ex Eccleſiæ conſuetudine extenditur ad mandantes, & conſulentes, & ad habentes ratam percuſſionem Clerici ſuo nomine factam. (12) Qui mandauit percuſſionem Clerici, aut necem, ſi moriatur ante effectum ſecutum, quamvis ſequatur mors, aut percuſſio, non manet ligatus cenſura; quia hæc contrahitur, cum effectus ſequitur: tempore autem effectus ſecuti ille iam erat defunctus, & conſequenter non erat ſubiectum capax contrahendæ de nouo cenſuræ, (13) quam viuens non contraxerat.

10. Bonacina. Suarez. Layman. Molina. Ego cum aliis *in Statera*, *d.* 13. *q.* 11.

11. In Summa Emanuelis. Rodriguez.

12. *Cap. Mulieres*, *Cap. Quintæ*, *de ſent. excom.* *Cap. Cùm quis*, *eod. tit. lib.* 6.

6 Alia eſt excommunicatio lata, alia ferenda, ſeu comminatoria; illa contrahitur ſtatim ac id peragitur, quod ſub illa prohibetur; exponiturque per verba, *Sub pœna excommunicationis latæ ſententiæ*; aut per ſimilia. Quæ vltimæ voces non apponuntur in excommunicatione ferenda. Peccat grauiter, qui peragit id, quod ſub hac excommunicatione prohibetur, cum ſit contemax, & poſſit illicò excommunicari. (2) Cauſa propter quam excommunicatio fertur, debet eſſe grauis, nam lata ſuper materiam leuem eſt nulla, cum pœna grauis non proportionetur materiæ leui,

13. Vgolinus. Suarez. Abbas. Innocentius. Ego *vbi ſuper.*

2. *Cap. Nemo*, *Cap. Nullus*, 11. *quæſt.* 3. *Cap. Dilecto*, *de ſent. excom. in* 6.

leui, est enim excommunicatio maximus gladius in Ecclesia, in qua nulla est maior pœna. Non contrahit eam, qui ipsam ignorat, cum requiratur contumacia, quæ in ignorante non datur; nisi ignorantia sit crassa, seu affectata, veluti si quis nolit audire promulgationem excommunicationum, nec legere illas in publico affixas, nec inquirere de illis; nam hic implicitè vult non obedire.

7 Materia grauis est afferre, & habere aliqua armorum genera, & possunt ea prohiberi sub excommunicatione; at in eam non incidet, qui ea fracta, & vsui inepta habeat; aut qui vno vel duplici die ea retinet domi, vt de eis disponat; vel qui tradit ea seruanda Religioso, à quo non petat, dummodo prohibitio duret, nisi forte vt de illis disponat. Etiam est materia, super quam validè fertur excommunicatio, deferre vestimentorum genera dedecentia statum specialem. At si aliquibus prohiberetur deferre vestimenta sericea interius, dum non haberent alia, & non gignerent scandalum, non contraherent excommunicationem. (3)

3. Ego *de Iure Academ. l. 3. q. 34.*

8 In dubio an excommunicatio sit lata, vel ferenda, iudicandum est, esse ferendam; sicut in dubio, an sit reseruata, censendum est, non esse reseruatam, quia odia sunt restringenda. Et in dubio, an quis sit censura ligatus, licet tutius sit absolutionem poscere, tamen non tenetur se iudicare ligatum, secluso scandalo, siue dubium sit iuris, vel facti, quia melior est conditio ipsius suam libertatem possidentis. (4)

4. Tannerus. Diana, & alij apud Me *vbi sup.* & *de Bulla Cruc. d. 2 5. c. 1.*

9 Excommunicatus excommunicatione maiori, adhuc toleratus, & qui sit publicus Clerici percussor, seu denuntiatus, tenentur sub culpa graui ad non ingerendum se his, quæ prohibentur eo versiculo, *Os, orare, vale, communio, mensa negatur*; nisi in casibus exceptis in illo alio versu, *Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse*; quippe ea tolerantia concessa est ab Ecclesia in fauorem eorum, qui cum excommunicato colloquuntur, vt in excommunicationem minorem non incidant; non verò in fauorem ipsius excommunicati, respectu cuius prohibitiones in sua

vi remanent, ſiue reſpectu excommunicati non tolerati. (5)

5. Communis.

10 Etiamſi excommunicatus non toleratus ſit mortuus, donec abſoluatur ab eo, qui eum valet abſoluere, nequit vllus communicare cum eo in his, quorum eſt capacitas communicandi; nempe eius cadauer veſtiendo, aut lauando, aut eius funus comitando: quòd ſi communicet in his, peccatum veniale patrabit, & contrahet excommunicationem minorem. (6)

6. Communis.

11 Ab excommunicatione maiori à Iure non reſeruata poteſt abſoluere Parochus, ſeu Sacerdos proprius, & ſuperiores his à fortiori. (7) Poteſt etiam Parochus delegare Sacerdoti approbato facultatem abſoluendi pœnitentem à peccatis, & tunc indirectè (8) intelligitur conceſſa facultas abſoluendi ab ea excommunicatione. Ab excommunicatione minori poteſt abſoluere quilibet Sacerdos ſimplex, (9) & ex delegatione quilibet Clericus. (10) Ab excommunicatione reſeruata poteſt abſoluere reſeruans. Ab excommunicatione ſpeciali ab homine ſolùm poteſt abſoluere is, qui inflixit, communiter loquendo. Quòd ſi eius Superior abſoluat, ne iudicia turbentur, debet monere inferiorem, qui excommunicauit; & citare partem, ſi ad inſtantiam illius fuit prolata excommunicatio; quòd ſi id non præſtet, validè, (11) ſed illicitè abſoluet. Ab excommunicatione ab homine generali poteſt abſoluere is, qui poteſt ab excommunicatione à iure non reſeruata. (12) Circa reſeruatam excommunicationem, vide *Bulla Communis Cruciatæ*, & *Reſeruati caſus*.

7. Communis.

8. Sylueſter. Suarez. Coninch, & alij apud Mc *de Bullæ Cruc. d. 25. n. 17.*

9. Gaſp. Hurtad. & alij *ſuper.*

10. Diana, & alij *ſuper.*

11. Abbas, & alij *ſup. n. 13.*

12. Diana, & plures *vbi ſuper. num. 19.*

12 Si ſint plures excommunicationes ab vno incurſæ, plures abſolutiones ſunt præſtandæ, ſi ad plures pertineat abſolutio; ſi autem ad vnum, poterunt vnicâ abſolutione omnes tolli. Aliquando is, qui excommunicauit, nequit abſoluere, v.g. ſi incidit ipſe in excommunicationem, ſi eſt ſuſpenſus ab vſu iuriſdictionis, & alia huiuſmodi. Epiſcopus nequit in alieno territorio cum ſtrepitu iudiciali ſubditum excommunicare, aut abſoluere (13) ſine licentia Ordinarij. Qui incidit in excommunicationem participantium, ſolùm abſolui

13. Calderinus, & communis apud Mc *de*

*Bull. Cruciat. d. 25. n. 22.*

absolui potest ab eo, qui absoluere valet (14) excommunicatum principalem.

14. Couarruuias. *vbi supra.*

13 Absolutio ab excommunicatione, cùm sit actus iurisdictionis, debet præstari per signa externa, & oportet vti vsitatâ formâ. Cùm præstatur excommunicato propter crimen enorme, si non sit impubes, exigendum est ab eo iuramentum, (15) quòd non patrabit illud crimen. In nullo foro conferenda est absolutio, nisi parti sit satisfactum; quòd si reus nequeat satisfacere, petenda est ab eo cautio pignoratitia, aut fideiussoria; & si his careat, (16) iuratoria. Quòd si absolutè semel absoluatur, non reincidet in excommunicationem non satisfaciendo, etiò peccet. Quòd si absoluatur ab habente iurisdictionem ordinariam, non præstita satisfactione, nec cautione, absolutio (17) erit valida, sed illicita. Potest quis ab excommunicante absolui ad reincidentiam, non verò ab alio non potente excommunicare, quia is est actus iurisdictionis excommunicandi iterùm illum, si non adimpleat, quod ab ipso exigitur. Potest absolui ab excommunicatione absens. (18) Item & inuitus, quia pœna adhuc ab inuito (19) tolli potest.

15. Th. Sanchez, & communis. *sup. n. 23.*

16. Nauarrus *vbi nuper*, cũ aliis.

17. *Cap. Venerabilibus, de sent. excomm. in 6.*

18. Communis.

19. Suarez apud Me *supr. n. 14.*

14 Qui ab excommunicatione absoluitur ad reincidentiam, cùm datur instantia partis, pro determinato tempore, si pars proroget terminum, non reincidet ille intra eum, quia designatio prima termini fuit in fauorem partis. (20) In articulo, seu periculo mortis dicendum est de absolutione à censuris, à quo præstari possit, idem quod de absolutione à peccatis. Verùm etiam tunc exigenda est satisfactio, aut cautio. Nec intelligendum est quoad absolutionem periculum mortis id, cui quis exponitur in ludo taurorum, aut hastarum, aut in duello.

20. Diana & alij, *vbi nuper.*

15 Qui moritur excommunicatus, solùm ab habente iurisdictionem potest absolui, vt Ecclesiastica sepultura donetur, nam tunc non datur periculum salutis animæ: id tamen præstatur, si ille ante mortem dederit signa contritionis; imò si non constet, eum obiisse in peccato mortali, dum post peccatum superfuerit illi tempus, quo potuerit conteri; (21) nam piè de Catholico est credendum, noluisse damnari:

21. Fernandez. Ego *vbi sup. num. 26.*

id

id autem tempus, cum sufficiat breuissimum, semper præsumitur.

16 Etiam deficiente Sacerdote in articulo mortis nequit laicus absoluere ab excommunicatione. (22) Oppositum est certò probabile, (23) dum tamen absit scandalum; & si locus detur, & superueniat habens iurisdictionem, iterum est ille absoluendus. Curandum tamen omninò est, si casus detur, ne rudes & ignari dilabantur in despectum iurisdictionis Ecclesiasticæ.

14 Excommunicationes reseruatæ Sedi Apostolicæ in Iure Canonico sunt sequentes. 1. Contra percussorem Clerici, vel Monachi. (24) Extenditur hæc excommunicatio (25) ad eum, qui titulo iustitiæ tenetur impedire percussionem, & non impedit, & ad consulentes; præterea ad mandantes (26) effectu secuto. Eandem excommunicationem contrahit Clericus grauiter seipsum percutiens, quia iniuriam irrogat statui Ecclesiastico, estò sibi volenti non faciat iniuriam.

15 Excommunicatio (27) contra non obtemperantes præceptis Pontificis, non est lata, sed ferenda.

16 2. Contra excommunicatum à Delegato Pontificis, si per (28) annum integrum in excommunicatione perseueret. 3. Conta eum, qui promulgata excommunicatione ab Ordinario aduersus illum, qui literas falsas Pontificis habeat, non tradit, aut (29) destruit intra viginti dies. 4. Contra Clericos scienter, ac sponte admittentes (30) ad diuina excommunicatum à Papa; quod intelligendum est, nominatim excommunicatum. 5. Contra exspoliantem cum effractione Ecclesiam, (31) qui denuntiatus nequit absolui nisi à Pontifice. 6. Contra incendiarios rei alienæ sacræ, vel profanæ, qui similiter (32) postquam denuntiati sunt, nequeunt absolui nisi à Sede Apostolica.

17 7. Contra eos, qui absque Sedis Apostolicæ licentia, consentiunt electioni, aut designationi (33) alicuius in Senatorem, Rectorem, aut Ducem Vrbis Romæ. 8. Contra eos, qui actione iniuriosa lædunt

22. Sotus. Couarruuias. Villalobos. Suarez. Th. Sanchez. Vasquez. Coninch. Layman, & alij apud Me *de Bullæ Cruc. d.25. n. 27.*

23. Syluester. Armilla. Regucius. Marchinus. Ledesma vterque. Diana, & alij *suprà.*

24. *Cap. Si quis suadente, 17. q. 4.*

25. *Cap. Quanta, de sent. excom.*

26. *Cap. Mulier, de sent. excomm. Cap. Cùm quis eod. tit. in 6.*

27. *Cap. Nulli, dist. 19.*

28. *Cap. Quærenti, de offic. Delegati.*

29. *Cap. Dura, de crimin. falsi.*

30. *Cap. Significauit, de sent. exc.*

31. *Cap. Conquesti,*

 personam,

& Gloſſa, de ſent. excomm. 32. Cap. Tua nos, de ſent. excom. 33. Cap. fundamenta, de elect. in 6. 34. Cap. Quicumque, de ſent. excom. in 6. 35. Cap. Eos qui, de ſent. excom. in 6. 36. Cap. Felicis, de pœnis in 6. 37. Cap. Clericis, de immunit. Eccl. in 6. 38. Clement. 1. de immun. Eccleſ. 39. Clement. Multorum, de hæret. 40. Clem. Religioſi, de priuileg. 41. Clem. Capientes, de pœnis. 42. Clem. Grauis, de ſent. excom. 43. Extrauag. Deteſtandæ, de ſepultur. 44. Extrauag. 1. de ſimonia.

perſonam, aut bona ferentis cenſuram, ſeu eius domeſticos, (34) famulos, vel proximos conſanguineos; necnon exequentes læſionem, ac eam mandantes, ſi re integra non reuocent mandatum. 9. Contra eum, qui obtenta abſolutione ab excommunicatione reſeruata Pontifici, cum conditione ſiſtendi ſe coram illo, aut ſatisfaciendi, (35) id non exequitur. 10. Contra eos, qui hoſtiliter inſequuntur Cardinalem, aut conſulunt, vel mandant, effectu ſecuto; aut (36) ſunt receptatores inſequentium. 11. Contra eos, qui imponunt tributa perſonis Eccleſiaſticis. (37) Impoſita etiam erat hæc excommunicatio contra ipſos Eccleſiaſticos ſoluentes abſque licentia Papæ ea tributa, ſed quoad hoc reuocata eſt. (38)

18 12. Contra Inquiſitores Fidei, qui odio, vel amore, vel ob aliquod lucrum, ſeu commodum temporale omiſerint (39) procedere contra aliquem, aut præſumpſerint vexare innocentem. 13. Contra Religioſos, qui abſque priuilegio Pontificis, & Parochi licentia præſumunt miniſtrare Sacramenta Euchariſtiæ, vel Extremæ-Vnctionis, aut matrimonium ſolennizare, vel abſoluere ab excommunicatione edita in Conſtitutione Pontificis, aut in Edictis Prouincialibus, ſeu Synodalibus; (40) vel abſoluere à culpa, & pœna, veluti concedentes indulgentias, quæ à pœna liberant. 14. Contra Clericos, aut Religioſos, (41) qui inducunt ad vouendum, iurandum, ſeu promittendum, fide interpoſita, de eligendo apud eos, ſeu non mutando ſepulturam, effectu ſecuto, ita vt tollatur libertas electionis.

19 15. Contra Dominos temporales, qui in locis ſibi ſubditis, dum interdicti ſunt, cogunt celebrare Officia diuina, (42) aut conuocant ad ea populum; vel prohibent, ne denuntiati, aut interdicti publicè eiiciantur ab Eccleſia, dum Miſſæ peraguntur; & contra hos, ſi moniti præſumant remanere.

20 16. Contra eos, qui dilacerant mortuorum corpora, aut coquunt in aqua, (43) vt oſſa nudata carne deferant. 17. Contra eos, qui ob ingreſſum Religionis (44) aliquid præbent, aut accipiunt per modum pacti. Vbi dotes pro Monialibus non includun-

tur

tur. 18. Contra omnes, etiam Cardinales S. R. E. qui committunt simoniam dando, (45) aut accipiendo aliquid, aut sunt mediatores, vt ipsa committatur in Ordine, aut Beneficio, dum sit simonia realis consummata; nam lex pœnalis non est amplianda. 19. Contra eos, qui promittunt aliquid, (46) aut pactum interponunt pro gratia obtinenda in Romana Curia, vel pro iustitia; & contra eos, qui aliquid ob hunc titulum recipiunt. Aliæ excommunicationes reseruatæ in Iure latæ, vel antiquatæ sunt, vel immutatæ, (47) vel pro specialibus Prouinciis editæ.

45. *Extrauag. Cum detestabile, de simonia.*

46. *Extrauag. Excommunicamus, de sent. excomm.*

47. *Ego de Bullæ Cruciat. d. 25. ex n. 79.*

21 Aliæ cæterùm sunt extra Ius Canonicum excommunicationes reseruatæ Sedi Apostolicæ, in specialibus Constitutionibus promulgatæ. 1. Lata à Paulo III. contra Ministros (48) Cameræ Apostolicæ, qui administrationis rationem minùs fideliter reddunt. 2. à Paulo IV. contra eos, qui (49) summum Pontificatum ambientes simoniam committunt. 3. à Gregorio XIV. Lingua Italica, contra eos (50) qui faciunt stipulationes, aut pacta de vita, morte, aut futura creatione Papæ. 4. à Pio IV. & (51) Clemente VIII. contra committentes duellum, aut concedentes locum ad illud. 5. à Pio IV. (52) contra inferiores Episcopis, habentes Ecclesias Parochiales, quarum prouisio ad Pontificem pertinet, si non adimpleant fideiussoria iuramenta. 6. ab eodem Pio IV. & (53) à Pio V. contra eos, qui per confidentiam accipiunt, aut retinent Beneficia. 7. à Pio V. contra eos, qui vexant Inquisitores Fidei, aut eorum (54) ministros. 8. ab eodem Pio V. contra Officiales Pœnitentiariæ, qui expediunt (55) ea, quæ ipsis sunt interdicta. 9. ab eodem Pio V. contra Moniales (56) extra claustra exeuntes absque legitima licentia. 10. ab eodem Pio V. necnon (57) à Gregorio XIII. contra fœminas ingredientes claustra Monialium, aut Monachorum. 11. ab eodem Pio V. contra inferiores Episcopis accipientes (58) prætextu priuilegij, aut consuetudinis aliquid ex fructibus primi, vel vlterioris anni Beneficij vacantis.

48. *Constitut. Cum sicut accepimus, 46.*

49. *Constitut. Cum secundum, 38.*

50. *Incipit Li Maluagi.*

51. *Const. ea quæ, 25. Const. illius vices.*

52. *Const. Inter multiplices, 87.*

53. *Const. Romanæ Pontifici, 109. Const. Intolerabilis, 87.*

54. *Const. Si de protegendis, 83.*

55. *Const. In omnibus, 85.*

56. *Const. Decori, 100.*

57. *Const. Regularium, 22. Const. Vbi gratia, 36.*

22 12. Ab eodem Pio V. contra inferiores Episcopis, (59) proponentes populo indicem casuum, & in-

58. *Conſt. durum nimis*, 106.

dulgentiarum, vt data pecunia fiat eis poteſtas eligendi Confeſſarium. 13. ab eodem Pio V. contra (60) eos, qui capiunt, & vexant Chriſtianos in terra Turcarum inhabitantes. 14. à Gregorio XIII. contra inferiores Epiſcopis facientes (61) iurare illicita, aut contraria Decretis Concilij Tridentini. 15. à Concilio Tridentino contra occupantes bona, aut iuriſdictiones Montium Pietatis, aut ſimilium (62) locorum. 16. A Pio V. contra ſcientem, aliquem conſpiraſſe contra Cardinalem, & non denuntiantem eum. Sunt & aliæ excommunicationes Sedi Apoſtolicæ reſeruatæ, aut in fauorem Religionum in ipſarum Bullis, aut in ſpecialibus reſcriptis, vel pro aliquibus Prouinciis, quarum facilè notitiam percipient hi, ad quos earum notitia ſpectat, tenenturque eas ſcire: maximè contentas in Bulla Cœnæ.

59. *Conſt. Quàm plenum*, 99.

60. *Conſt. Licet omnibus*, 56.

61. *Conſt. Inter Apoſtolicas*, 103.

62. *Seſſ. 2. cap. 11. de reform.*

23 Vt excommunicatio vim habeat, & cenſeatur quis contumax, debent præcedere tres monitiones, vel vna pro tribus, aliter nullus cenſetur (63) ſufficienter contumax.

63. Couarruuias *in c. Alma mater, p. 1. § 10.* Suar. *de cenſur. part. 3. ſect. 1.* Barboſa. Belle, & alij.

24 Nec metu mortis licet communicare in crimine cum excommunicatis; quin nec in receptione, & adminiſtratione Sacramentorum, ne detur contemptus Religionis; in aliis communicare eo metu licet, niſi fiat in contemptum legis, tunc enim bonum publicum poſcit, potiùs ſeruare authoritatem legis publicæ Eccleſiaſticæ, quàm vitam propriam.

25 Excommunicatus, qui à Pontifice obtinuit Beneficium, validè retinet, & facit fructus ſuos, quia in Bulla, quam Pontifex expedit pro eo Beneficio, eum abſoluit ab omnibus cenſuris, quoad effectum obtinendi illud. Quin poſt obtentum, ſi ſit excommunicatus toleratus, donec accedat iudicis ſententia contra ipſum, (64) facit fructus ſuos. Nec in iure exprimitur, ante ſententiam ſubtrahi debere ab illo fructus.

64. Diana *part. 4. tr. 4. reſol. 54.* Præpoſitus. Nauarrus. Vaſquez. Coninch. Th. Sanchez, Gaſp. Hurtad. & alij.

26 Ab excommunicatione ob percuſſionem Clerici, ſi percuſſio ſit leuis, poteſt abſoluere Epiſcopus, (65) ſecùs ſi ſit mediocris, aut enormis. Quòd ſi Clerici ſimul in aliquo Collegio conuiuant, & vnus alium perçutiat, etiamſi percuſſio ſit mediocris, dum non

ſit

sit enormis, potest (66) Episcopus eum absoluere. Quænam autem percussio sit leuis, & quænam mediocris, discernendum est iudicio prudentis, desumendo regulam, & mensuram à percussione enormi. Hæc autem est, cum fit plurima effusio sanguinis ex corporis parte, ex qua non facilè tanta fluit; & cum abscinditur membrum, vel (67) inutile redditur ad proprias functiones. Enormis etiam fit percussio ex se aliàs leuis ratione personæ, veluti *suprà* attigi, vt si percutiatur Episcopus consecratus, aut proprius (68) Abbas; & ratione loci, vt si percussio ex se leuis fiat in ea publicitate, (69) seu congressu, vnde statui Ecclesiastico indecentia, & iniuria, ac præiudicium inferatur cum scãdalo graui. Legatus à latere potest absoluere ab excommunicatione propter enormem percussionem quouis vndecumque (70) ad se accedentes. Legatus Pontificis, etiamsi non sit à latere, potest absoluere ab ea excommunicatione eos, qui sunt de sua Prouincia, in qua Legati munus exercet. (71)

27 Excommunicationem Canonis contrahit etiam qui mortuum clericum percutit; (72) nam mortuo etiam iniuria fieri potest.

28 Cùm fertur excommunicatio v. g. contra eos, qui vineam deuastarunt, si quis non concurrerit cum aliis, sed solus quantitatem modicam surripuerit, non subiacet excommunicationi, quia non est mortaliter contumax, qui non peccauit mortaliter accipiendo, & retinendo; excommunicatio autem nisi ob mortale non fertur.

29 Ab excommunicato debitore potest exigi debitum; & præterea si creditor sit excommunicatus, non liberatur ideò debitor à soluendo, quia ista communicatio non est prohibita: (73) & præterea si debitor excommunicatus, (non propter ipsum debitum, sed ob aliam culpam) liber tunc esset à solutione, commodum ex suo delicto, & contumacia reportaret.

30 Excommunicatus, nisi in extrema necessitate, nequit administrare Sacramenta, (sermo est de excommunicato maiori excommunicatione.) Imò nec existenti in articulo mortis potest administrare Eucha-

65. *Cap. Peruenit, de sent. excom.*
66. *Cap. Quoniam, de vita, & honestate Cleric.*
67. Guttierr. *l.1. qq. Canonic. c.5. num.16.* Nauarrus. Molina. Suarez. Castro Palao.
68. *Cap. Cùm illorũ, de sent. excom.*
69. Molina *tom.4. tr.3. d.40. & 57.* Castr. Palao, & alij.
70. *Cap. Excommunicatis, de officio Legati.*
71. *In cap. allato.* Suar. *de censur. d.22. sect.1.*
72. *nam.60.* Molina, & alij.
73. Boërius *decis. 36. num.12.* Dueñas. Iulius Clarus, & alij.
Couarruuias *in reg. Peccatum, 1.p. num. vlt.* Maior. Nauarra. Medina. Sylvest. & alij.

74. Gobat. *in exper. Theolog. tr. 3. n. 469.* Auila.

riſtiam, (74) cum ſupponatur confeſſus, & abſolutus

75. *Cap. Alma mater, de ſent. excom. in 6.*

31 Quamvis peccet grauiter excommunicatus, (75) ſi audiat ſacrum; ac non eſt damnandus peccati Lutheranus, aut Caluiniſta, vel ſimilis hæreticus, qui vult ad fidem Catholicam conuerti, & adeſt Miſſæ, aut diuinis Officiis, vt videat cæremonias, & animaduertat, non eſſe ridiculas, ſicut eorum buccinatores depingunt: & à Deo impetret precibus verum lumen.

76. Nauarrus *l. 5. conſ. 6. num. 2. & conſ. 9.* Tamburinus. Gobat. Sayrus. Eman. Sà.

32 Qui appellauit debito tempore à ſententia excommunicationis, quia innocentem ſe reperit, lite pendente non tenetur ſe gerere vt excommunicatum, nec publicè denuntiari valet. (76) At ſi ſic non appellauit, etiamſi innocens ſit, vt excommunicatum ſe debet gerere, dicente D. Gregorio: (77) *Sententia paſtoris, ſeu iuſta, ſeu iniuſta ſit, gregi timenda eſt.* At pro foro interno inualida eſt ea excommunicatio abſque iuſta cauſa.

77. *Cap. Primo, 11. q. 3.*

33 Si excommunicatus vitandus ingrediatur Eccleſiam tempore ſacrorum, monendus eſt, quod exeat, aliter incurſurus nouam excommunicationem; ſi nolit, educendus eſt, etiamſi ſit clericus, operâ laicorum; & ſi hi renuant, opera clericorum: quòd ſi nequeat educi, non eſt incipienda Miſſa, quamvis ſit dies feſtiuus, & nulla alia ſit celebrata. Si autem Miſſa eſt incepta, dum Sacerdos non acceſſerit ad conſecrationem, ſeu ad ea verba, *Qui tridie quàm paterétur*, Miſſam incepram relinquat; ſi ad conſecrationem acceſſerit, eam proſequatur, ſed omnes audientes, excepto vno miniſtro Miſſæ, exeant è templo, quamvis ſit dies feſtiuus, & aliam Miſſam non audiuerint, nec ſit alia in alio templo; neque enim poſſunt communicare in ſacris cum excommunicato vitando. Si excommunicatus ſit toleratus, peccat immiſcens ſe ſacris, at cæteri non tenentur eum vitare.

34 Non tenetur excommunicatus præciſè, vt poſſit audire ſacrum, petere abſolutionem; ſicut detentus in carcere non tenetur citiùs ſuam liberationem curare, vt poſsit adeſſe Miſſæ, ſi hæc in carcere non celebretur

bretur. At si adesset potens illum absoluere ab excommunicatione, paratus ad absoluendum, peccaret grauiter negligens absolui; non verò aliter, quia præceptum audiendi Missam non obligat ad eas remotas dispositiones, sicut obligat præceptum annuæ Confessionis. (78)

35 Pater filium Clericum, pædagogus alumnum Clericum, Prælatus subditum castigantes, seu verberantes, non incurrunt excommunicationem Canonis, nisi modum grauiter excedant; vel adhuc non excedentes, si id ex odio exterius manifestato præstent. (79)

36 Quando ab homine fertur excommunicatio generalis contra facientes aliquid, finita eius iurisdictione, non habet illa vim ligandi facientes postmodùm. (80)

37 Non contrahit excommunicationem is, quem petens illam à Iudice, seu Iudex proferens illam, non intendit ligare; & quem exciperet, si cogitasset de illo, v. g. pater, mater, vxor, filius, & frater. (81)

38 Excommunicatus toleratus ad vitandum scandalum certò secuturum, vel fugiendam grauem iacturam, potest audire Missam, & celebrare, quin maneat irregularis. (82)

39 Reges à solo Summo Pontifice excommunicatione ligantur.

78. Suarez. Diana. Gobat. & alij.

79. Diana *p. 9. tr. 4. res. 1. & 21. & 41.* Card. Toletus. Suarez. Auila, & alij.

80. Eman Sà *verb. Excommunicatio, n. 5.* & alij.

81. Nauarrus *in man. cap. 27. n. 14.* Eman. Sà. Victorellus.

82. Sotus *d. 17. q. 2. art. 5.* Fumus. Suarez. Valentia. Victoria. Eman. 82.

## *Exequiæ defunctorum.*

1 VIuentem suas exequias celebrare, seu facere pro se persolui Officia defunctorum, dum non dicantur eæ Orationes, quæ expressiùs ostendunt, quem iam esse mortuum, iam non semel præstitum est; piaque est opinio, id laudabile (1) esse, quatenus viuens se mortuum coram Deo considerat, & offerri facit suffragia, quorum satisfactionis est capax, dum existat in gratia.

1. Zerola apud Me *in Stuarea, d. 13. q. 8.* Gobat.

2 Oppositum est probabilius; (2) nam id conforme non est ritibus Ecclesiæ, quæ Missas designat pro reipsa defunctis, & intentio illius ad hos dumtaxat tendit: quam intentionem nequeunt offerentes suffragia,

2. Fraxinellus. Diana. Layman. Ego *vbi supra.*

fragia, & Missas variare, nec ei contraïre. Et quidem satisfactionem pro pœnis debitis statim consequitur, si existat in statu gratiæ, qui facit eas Missas celebrari; eam autem satisfactionem pariter consequetur per alias Missas. Quòd si existat in statu peccati, non reseruatur ei ad tempus venturum satisfactio, sed illicò in thesauro Ecclesiæ reponitur, sicut & satisfactio oblata pro defunctis, si hi, pro quibus offertur, sint iam in beatitudinis, aut damnationis statu. Quare non cernitur, quod speciale emolumentum ex prædictis exequiis sequatur.

## *Extrema-Vnctio.*

1 SAcramentum Extremæ-Vnctionis institutum est à Christo D. & promulgatum à D. Jacobo, (1) cuius effectus est conferre gratiam, & remittere peccata, iuxta Tridentinum, (2) quod satis ostenditur in forma; *Per istam Sanctam*, &c. *indulgeat tibi Deus*, &c. Alter effectus est, concedere interdum salutem corporis, si expediat animæ, iuxta ipsum Tridentinum; (3) vbi etiam docetur, (4) materiam remotam huius Sacramenti esse oleum benedictum ab Episcopo; & certò probabile est, posse Pontificem committere Presbytero, vt benedicat id oleum. (5)

2 Igitur Extrema-Vnctio est Sacramentum confortatiuum ad spem vitæ æternæ. Vocatur extrema, quia fit in extremo vitæ, & quia est vltima in vnctionibus; nam prima fit in vertice, cùm quis baptizatur; secunda in fronte, dum confirmatur; tertia in vtraque manu, cum quis consecratur in Sacerdotem; quarta in capite, & manibus, dum creatur Episcopus; & demùm hæc extrema in partibus corporis designatis. Materia remota, vt dixi, est oleum benedictum: proxima, est vnctio. Forma ea, quam libauimus. Minister est parochus, & de eius licentia quilibet Sacerdos.

3 Oleum debet esse oliuarum; quod si eius vice sumeretur chrisma, conficeretur validè Sacramentum; nam

1. *In epist. c. 15.*
2. *Sess. 14. de extrem. vnct. can. 1.*
3. *Ibi cap. 2.*
4. *Ibi cap. 1.*
5. Sotus. Paludanus, & alij apud Me *in Statera, d. ff. 12. in Append. §. 2.*

nam exigua immixtio balſami in chriſmate (6) non mutat ſubſtantiam olei; nec erit repetenda vnctio, ſi per errorem fuit adhibitum chriſma. Si addatur oleum benedicto, totum manet benedictum, & tutius eſt, non addi maiorem quantitatem eâ, quæ fuit priùs ab Epiſcopo benedicta; eſtò etſi maior ſucceſſiuè addatur, certò probabile, & tutum eſt, totum manere benedictum. (7)

6. Suarez *tom. 4. in 3. d. 4. ſect. 1.* Gobat. Layman.

7. Gobat. *in exper. Theol. tr. 8. n. 786.* Sylueſter. Diana. Azor. Leſſius.

4 Vnguntur quinque ſenſus, & pedes, ac in hominibus renes; & hæc renum vnctio omittitur in fœminis, necnon in viris, ſi abſque periculo moueri nequeunt, iuxta Rituale Pauli V. necnon in Religioſis omitti aliquarum Prouinciarum mos habet. Et certum eſt, non eſſe de eſſentia huius Sacramenti pedum, & renum vnctionem, (8) ſicut eſt vnctio quinque ſenſuum; de eſſentia, inquam, integrali; nam in vnica vnctione ſtat abſolutè eſſentia; & tempore peſtis, ac in morbis horridis, ſufficit vngi ſenſus magis expoſitos ad vnctionem. (9) Si alicui amputatus ſit naſus, aut auris, vel manus, vngitur pars vicina. Cùm autem pectus vngitur, in eo ſenſus tactus vngi cenſetur; nec enim video aliud, pro quo ſubſtituatur; nec poſſunt aliæ partes vngi ratione tactus, nam id eſt in Eccleſia inſolitum.

8. Communis.

9. Chapeauilla *de mod. miniſtr. ſacr. temp. peſt. c. 5. q. 3.* Gobat. Amicus. Marchantius. Diana.

5 Forma huius Sacramenti (10) eſt deprecatiua; & in ea mutatur modus in aliquibus Prouinciis, ſeu Diœceſibus, ſtante ſubſtantia verborum.

10. D. Thom. *in ſupplem. q. 29. art. 8. in corp.*

6 Non datur præceptum recipiendi hoc Sacramentum; (11) peccaret tamen mortaliter, qui illud nollet recipere vel ex contemptu, vel cum ſcandalo. Et vix poteſt dari contemptus in ægroto, niſi laboret aliquo errore, aut hæreſi circa hoc Sacramentum.

11. Gaſp. Hurtad. *tr. de Extrem. vnct. diſſ. 11.* Gobat. Caſtr. Palao. Dicaſtillo.

7 Extrema-Vnctio non eſt miniſtranda niſi baptizato, fideli, & capaci rationis, non autem puero adhuc illius incapaci; (12) etenim in forma dicitur, *Quidquid deliquiſti*, &c. at ille non deliquit, nec habet culpam, quam ei indulgeat Deus. Miniſtranda tamen eſt infideli baptizato in extremo vitæ, quia poſt baptiſmum breui interuallo potuit delinquere. In dubio an puer ſit præditus vſu rationis, miniſtranda eſt ei

12. D. Thom. *in ſupplem. q. 32. art. 3. & 4.*

13. Escob. *de Extrem. vnct. Probl.* 23. Gobat. & alij.

Extrema-Vnctio, (13) nihil enim amitti timetur, & lucrum speratur.

8 Amentibus, & furiosis, si vsu rationis non viguerunt vnquam, non est ministrandum hoc Sacramentum; sic verò si vsum rationis antè habuerunt, & illud petierunt actualiter, aut virtualiter, dum scilicet, velut Catholici, semper voluerunt, bona animæ sibi impertiri. (14)

14. Gobat. *vbi sup. num.* 825. & communis.

9 Cæterùm non est ministranda Extrema-Vnctio in quovis vitæ periculo: quare qui ad patibulum vehuntur, vel ad prælium periculosum, vel in imminentia naufragij, non sunt vngendi; sed requiritur morbus proprius, ex quo iam quis deficit. (15) Nomine autem morbi, & infirmi intelligitur periclitans ex ægritudine, partu, vulnere, & senectute.

15. Serarius *in c.* 5. *Iacobi.* Georg. Rhod. Gobat. Coninch. Card. Toletus. Tannerus, & plures.

10 Aduerte, si quis ad patibulum ducatur, eique primùm in itinere forcipe candenti caro mordeatur, abscindatur manus, aut rota dilanietur, antequam ei mors inferatur, posse ei Extremam-Vnctionem ministrari, quando iam ex vulneribus eius vita periclitatur, quamvis non esset necandus.

11 Potest peste infectus suis ipse pedibus ire ad Ecclesiam, vel ad ædes Parochi, vt extremè vngatur, cum id Sacramentum in quocumque loco, & situ corporis sedentis, stantis, aut iacentis possit ministrari.

12 De præsumpta licentia Parochi potest alius Sacerdos hoc Sacramentum ministrare. Quòd si Parochus iniustè nolit illud præbere, valet vtique quivis Sacerdos id præstare, dum non sit excommunicatus, (16) & dum infirmus non susceperit aliud Sacramentum, tenetur sub mortali quivis Sacerdos, nolente Parocho, ministrare Extremam-Vnctionem; quia præsumptio est, illum grauiter indigere.

16. Quintanad. *tr.* 5. *sing.* 3. Valentia. Bonacina. Suarez. Gobat. Layman. Castr. Palao. Coninch.

13 Religiosi possunt ministrare Extremam-Vnctionem familiaribus sæcularibus, qui actu eis inseruiunt, & intra eorum septa habitant, ex priuilegiis (17) summorum Pontificum.

17. Aug. à Virgine Maria *de priuil. Reg. verbo*

14 Cum acceditur ad infirmum, qui iam propè moritur, & timetur, non superesse tempus, vt omni-

no

no vngatur, debet celeriter vngi vnus oculus, vna auris, & sic de reliquis, & proferri simul forma, *Per istas sanctas vnctiones*, &c. *Familiares.* Suarez. Ascan. Tamburinus. Gobat.

15 Si infirmus, cui ministrata est Extrema-Vnctio, periculum euasit, & post vnam hebdomadam, nouo superueniente accidenti in aliud periculum incidit, potest ei iterum id Sacramentum ministrari. (18) 18. Barbosa *de Paroch. cap. 22. num. 38.* Sylvester. Tabiena. Bonac. & alij.

16 Si in paroxysmo ministretur Extrema-Vnctio, & dum ministratur, redeat in se infirmus, qui mori credebatur, nec iudicetur periclitari, cessandum est à prosecutione ministrationis.

17 Tempore pestis Parochus potest vngere peste infectum vtendo instrumento oblongo, & non tenetur ille cum periculo propriæ vitæ ministrare hoc Sacramentum, cum absolutè infirmus illo non indigeat, (19) si fuerit confessus. 19. Castr. Palao. Gobat. Suarez.

18 Parochus peste infectus, aut aliter mori periclitans, an sibi, absente quovis alio Sacerdote, possit Extremam-Vnctionem ministrare, dicens in forma, *Indulgeat mihi Deus*, &c. sicut potest Eucharistiam per modum viatici in eo casu sumere, nemo, quem viderim, discutit. Non posse, iudico; nam ad sumendum viaticum non est opus proferre formam constitutiuam Sacramenti, quod iam est confectum, sic verò ad Extremam-Vnctionem; hæc autem forma ex institutione huius Sacramenti, & ritu, ac consuetudine Ecclesiæ proferenda est à ministro vngente alium; & aliunde videtur substantialis mutatio formæ earum vocum, *Indulgeat tibi, Indulgeat mihi.*

19 Effectus huius Sacramenti iuxta Tridentinum (20) est infusio gratiæ habitualis sanctificantis: alleuiatio, & confirmatio animæ ægroti, magnam in eo diuinæ misericordiæ gratiam excitando; qua ille subleuatus leuiùs ferat incommoda morbi, & faciliùs dæmonis tentationibus resistat; ac interdum vbi saluti animæ expediat, sanitatem corporis consequatur, vt *suprà* libaui. 20. *Sess. 14. c. 2. de Extrem. vnct.*

20 Et quia hoc est Sacramentum viuorum, id est, supponens animam viuificatam, seu viuam per gratiam, ex se non est institutum ad causandam primam gratiam, sed augmentum illius; at per accidens, velut

alia

alia Sacramenta viuorum, poteſt cauſare primam gratiam; nempe cum infirmus exiſtens in mortali, ſed ipſe bona fide ex iſtimat, ſe eſſe expertem culpæ lethalis, & elicit attritionem, tunc accipiens hoc Sacramentum, recipit primam gratiam, quâ iuſtificatur. (21)

21. D. Thom. *in ſupplem. q.30. art. 1.* D. Antonin. Card. Bellar. Paludanus. Sotus. Suarez, Gobat, & plurimi.

21 A fortiori hoc Sacramentum remittit peccata venialia; præterea abſtergit reliquias peccati, vt loquitur Tridentinum; nempe debilitatem, & ineptitudinem, quæ remanet ex peccato actuali, per quam fit, vt homo non habeat perfectum vigorem ad actus ſupernaturales eliciendos. Id ergo Sacramentum pro primario effectu habet conferre gratiam tum habitualem, tum actualem auxiliorum ad roborandam animam contra reliquias peccati, & dæmonis.

22 An gratia conferatur poſt inunctionem omnium partium, an pars gratiæ poſt inunctionem cuiuſque partis, hinc inde diſceptatur; ſed id ad praxim nihil refert, eſtò ſit vtrumque probabile.

23 Si detur obex ad gratiam, nempe peccatum mortale, eo recedente, & ablato, gratia Sacramenti huius infundetur, ſicut fit in Baptiſmo, & Confirmatione. (22)

22. Tanner. *in 3. p. d.7. q.1. dub.2. n.42.* D. Thomas. Paludanus. Suarez, Gobat, & alij.

## F

## *Falſarius, & Falſi crimen.*

1 CRIMEN falſi eſt peruerſio veritatis cum dolo, & alterius iactura. (1) Hinc qui priuatim, amiſſo inſtrumento publico ſuæ nobilitatis, aut ſimili, aliud conficeret, non peccaret mortaliter, quia in eo nec dolus, nec iactura intercederent. (2) Sic verò venialiter, quatenus ex effectione eius inſtrumenti ſequeretur deceptio aliorum, qui cenſerent, illud eſſe primarium, & primò confectum; & cum conficiens intendat, ſic ab aliis exiſtimari

1. Sylveſter, & alij apud Me *in Statera, d.13. q.16.*

2. Caietanus. Nauarrus. Sà. Ego *vbi ſuper.*

mari, eius mendacij est reus. Falsare autem instrumentum publicum cum iactura alterius, est peccatum mortale cum obligatione restituendi damna. Tabellio etiam, & Notarius peccant grauiter, si instrumentum conficiant absque authoritate publica, adhuc priuatim, & absque vllius iactura, nec in locum amissi instrumenti; nam id esset contra sui muneris fidelitatem Reipublicæ cum iuramento promissam. (3) Qui literas Apostolicas falsificat, incidit in excommunicationem latam in Bulla Cœnæ, Sedi Apostolicæ reseruatam. Falsare autem instrumentum est, signum adulterinum facere, seu sculpere; aut alienum chirographum imitari, aut amouere, vnde veritas non appareat. (4) Qui vtitur instrumento alterius, vt aliquid consequatur, asserens, se esse ipsum, qui in instrumento præfigitur, falsarius non est, sed grauiter peccat, si materia sit grauis; is enim nihil de instrumento immutat.

3. Oñate. Machado. Trullench. Busembaum. Ego cum aliis *supra*.

4. Nauarrus. Tholosanus. Iulius Clarus. Nauarra. Molina.

2 Si quis habeat transumptum scripturæ non authenticum, & clam in archiuio Regio illud apponeret, vt posteà peteret, sibi concedi transumptum aliud illius, esset falsarius; nam quæ in Regiis archiuiis custodiuntur, (5) faciunt plenam fidem; & ille suo dolo fecisset, quòd ea scriptura esset authentica. Falsificatio autem non solùm patratur, quando aufertur, aut additur aliquid, quod in scriptura authentica erat, aut non erat; sed etiam quando scriptura non authentica fit dolosè authentica.

Layman, & alij apud Me *de Iure Acad. l.4. q.4.*

5. Bartolus *in l.1.ff.si certum petatur, n. 22.* Abbas. Parisius. Iason. Fagundez, & alij.

3 Qui monetam falsant, aut imminuunt, aut scienter ea falsata vtuntur, peccant grauiter, & tenentur restituere damna. Et quidem si quis pro bona accepit monetam, & bona fide eam ad alium transferat, ad nihil tenetur, etiamsi sit adulterata; tenetur verò si alter illam agnoscens ei reddit, bonam aliam præstare: at si cum eam iam habet, agnouit falsitatem, nequit transferre ad alium, aliàs restituere tenetur. (6)

6. Nauarra *de rest. l.3. c.1. num.315.* Syluester. Nauarrus. Hostiensis.

4 Qui occultè monetã excudit adhuc in vero ponderè, & materia, est falsarius; (7) quia de substãtia monetæ tria sunt, materia, pondus, & publica forma, aut signum; non est autem publicum, dum non fit Principis authoritate.

authoritate. Illeque tenebitur reſtituere damnum inde ſecutum Principi, aut Theſaurariis domus monetæ, in qua excudenda erat, cum ex excuſione habeant illi quæſtum, ſeu lucrum. (8) Attamen non teneri, eſt certò probabile. (9) Crimen autem eſt læſæ Maieſtatis falſare monetam.

7. Gloſſa *in cap. Quantò, de iureiurand.* 8. Nauarra *vbi ſup. n. 331.* 9. Sylueſt. *verb. Falſarius, q. 7.* Nauar. & alij.

5 Princeps valet aliquem maiorem valorem imponere monetæ, quàm eſt valor materiæ, tum ob expenſas in excuſione, tum ob valorem ſigilli regij, quod vires (10) præbet monetæ. Et ſanè non ſequitur deceptio extraneorum; nam alia Regna vel poſſunt eam monetam non accipere, vel eam iuſto pondere comparare, & ſic de facto præſtant. Nequit tamen Princeps ſuperaddere valorem magnum, ſed exiguum; aliàs decipiuntur valde ſubditi.

10. Panormitan. *in cap. Quantò, de iureiur.* Innocentius. Nauarra. Sylueſter.

6 Defenſores, aut fautores falſificantium, & qui faciunt, vt alius falſificet, non contrahunt cenſuram falſificantium, cum (11) hæc, vtpotè odioſa, ſit reſtringenda ad ipſos falſificantes: contrahunt tamen excommunicationem (12) non reſeruatam.

11. Diana *p. 9. tr. 7. reſol. 15.* Souſa. Suarez.

7 Si reſeruetur peccatum conficiendi falſum inſtrumentum, cum etiam reſeruatio ſit odium, non eſt amplianda ad peccatum addendi aliquid, ſeu detrahendi ex inſtrumento; cum id ſit diuerſum à confectione, ſeu fabricatione nouæ ſcripturæ falſæ. (13)

12. *Cap. Ad falſariorum, de crim. falſ.* 13. Mazuchel. Diana.

8 Falſi crimen committit, qui falſificat menſuras, aut pondera, aut eis falſificatis ſcienter vtitur, (14) & tenetur reſtituere damnum. Punitur etiam crimine falſi, & grauiter peccat, ac damna ſecuta reſtituere tenetur, qui occultat, comburit, aut lacerat ſcripturas, quæ ad alium pertinent, ita vt nequeant reperiri, nec illi prodeſſe. (15) Non tamen iudico falſarium eum, qui literas alienas aperit, eſtò grauiter peccet, niſi ſciat, illas eſſe leuis momenti, aut ſibi ex illis timeat graue damnum, quod vitare nititur.

14. *Cap. 2. de empt. & vendit. Leg. Cornelia, ff. de falſ.* 15. Bartol. *in leg. Paulus, ff. de falſ. Leg. Qui tabulas, ff. de furtis.*

*Feſti*

# *Feſti dies.*

1 INter opera ſeruilia, quæ nequeunt exerceri feſtis diebus, non eſt recenſendum docere, etiam publicè, & ratione lucri; nec ſcribere adhuc accepto pretio. Nec item deſignare in papyro, quomodo (1) ſit aliquid fabricandum; nec pingere ad diſcendum: omnes enim hi actus pertinent ad diſciplinam ſpiritualem, & à principio ſpirituali effluunt.

1. Caietanus. Lud. Lopez. Sylueſter. Armilla. Angelus. Roſella. Sotus. Th. Sanchez; & alij apud Me *de Iure Acad. l.2. q.10. l.3. q.16.*

2 Dies aliqui feriati ſunt apud Senatores, necnon apud Academicos, qui in loco vbi Senatus, & Academiæ ſunt, non obſeruantur vt feſti dies; in illis non tenentur Senatores, nec Academici audire ſacrum, quia abſolutè non ſunt feſti dies, cum ad hos inſtituendos non habeant authoritatem Senatus, nec Academiæ. (2) Quin nec Epiſcopi poſſunt Feſtos dies inſtituere, cùm Vrbanus VIII. deſignans illos eam abſtulerit; quare nequeunt præcipere, vt tali die non laboretur, & vt Miſſa audiatur; id enim eſſet inſtituere Feſtum. Aliquando ob imminentem neceſſitatem ſiue peſtis graſſantis, ſiue imminentes hoſtes, poſſunt præcipere, adhuc ſub cenſuris, vt Miſſa audiatur, vel aſſiſtatur Eccleſiæ, ſeu publicis precibus: cum id expediat vtilitati communi. Et Princeps ob aliquam celebritatem poteſt præcipere, vt aliquo die publicè non laboretur.

2. Ego *vbi nupero l.3. q.25.*

3 Erigere feſtos dies, vel eos abrogare, pertinebat ex ſe ad Epiſcopum, quia eſt actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, & ſpiritualis: (3) at pro conditione requirebatur Cleri, & populi conſenſus, ne grauarentur pluribus Feſtis, & à laborando dimouerentur. (4) At ea iuriſdictio ſuſpenſa fuit.

3. Communis.

4 Vrbanus VIII. die 13. Septembris 1642. in Bulla, quæ incipit, *Vniuerſa*, præcipit, vt præter Feſta colenda ab omni Eccleſia, ſolùm colatur vt Feſtus dies in quolibet Regno, ſeu Prouincia vnus ex Patronis principalioribus; & alius ex eiſdem in qualibet Ciuitate, vel oppido. Et quidem directè, & primariò erigere

4. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part.3. alleg. 105. n. 36.* Pet. Gregor. Azor. Caſtr. Palac. Fagundez, & alij.

gere diem festum Patroni attinet ad Episcopum; populi autem consensus in electione Patroni est necessarius, vt conditio. Quòd si olim populus festos dies erigebat, iam id (5) sacris Canonibus, & consuetudine est abrogatum, vt dixi.

5. Villalob. *t.2. tr.35. diff. 26.* Gauantus. Suarez. Bonacina. Diana. Trullench. Fagundez. Barbosa. Azor.

5 Diebus festis licet venari, etiam lucri causa; necnon præliari: vendere necessaria: iter agere, adhuc onustis mulis cum suppellectili; mulionem continuare iter inceptum; (quin & incipere illud, audita Missa, non erit lethale peccatum) teri grana in molendinis: pistores suum officium exercere; Aduocatum, & Procuratorem suum munus agere apud Iudicem; (dummodò non exerceatur actus iudicialis, qui nullus est die festo, nisi causâ pietatis, aut vrgentis necessitatis:) nundinas haberi; piscari moderatè, aut certum genus piscium, qui non adueniunt nisi certis diebus. Ex his enim (6) excusat aliquos necessitas, alios consuetudo, alios laboris non seruilis qualitas.

6. Eman. Sà *verb. Festum.* Sylvester. Card. Toletus. Nauarrus. Lud. Lopez, & alij. Extat Declaratio Congregationis Concilij circa aliqua. Affert eã Quaranta *verbo Dies festus.*

6 Causæ excusantes à festi obseruatione sunt metus iustus: necessitas: pietas: vtilitas publica: vitatio damni corporis, vel animæ: dispensatio Episcopi, aut etiam Parochi in locis, vbi eam is concedere potest, aut solet; dum tamen aliqua causa sit ad eam dispensationem. Et quidem cum causa non est manifesta, locum habet dispensatio; cum verò est certa, requiritur ea licentia, vt laborans non puniatur, satisfacereque valeat his, qui inde queant scandalum aliquod concipere. Præterea si puellæ v. g. intus domi versentur die festo, nec habeant quid spirituale, quod præstent, sed otio sint vacaturæ toto die, ob vitandum illud possunt manibus laborare; (7) id enim est necessitas animæ, ob excusanda peccata, saltem venialia.

7. Sylvest. *verb. Dominica.* Eman. Sà. Villalobos. Diana.

7 Iudex arbiter potest die festo componere amicabiliter partes, (8) cum is sit pacis mediator, nec actum solennem iudicialem, aut quid seruile exerceat.

8. *Cap. 1. de feriis.* Hinc etiam possunt fieri pacta, & translationes, quæ ad pacem pertinent.

8 Possunt die festo fieri quæstiones circa latrones; id

id enim exigit bonum publicum. Inquisitiones etiam circa hæreticam prauitatem, cum periculum sit in mora, & adsit causa pietatis, & religionis. Potest etiam interponi appellatio, (9) sed non prosecutio causæ. Judex Ecclesiasticus valet excommunicare, & absoluere die festo, si causæ cognitio non requiratur. 9. Bart. *in leg. 1. C. de feriis.* Fumus.

9 Festa consuetudine, & voto introducta, abrogata sunt per Vrbanum VIII. in Bulla *suprà* allata. Quod si adhuc extent aliqua peculiaria, permittente Sede Apostolica, obseruandum est, quòd ea Festa ex voto instituta à maioribus non obligant successores, quasi voto eodem adstrictos, cum id debeat esse personale, ac voluntarium; sed quasi acceptata cum vi obligandi ratione fidelitatis, & pacti. Rursùs in his festis, quæ ex consuetudine obseruantur, videndum est, an solùm ex deuotione, an cum obligatione præcepti fuerint introducta. Si primum, non obligat obseruatio ad mortale; si secundum, obligat. Si dubitetur, an hoc, vel illud fuerit, æquis in vtramque partem rationibus, possessio stat pro libertate, & obligatio non est adstruenda.

10 Excusat à peccato mortali, non à veniali, parua materia laboris seruilis. Saltem vna hora est paruitas; ad duas horas extendunt quidam, (10) quin & ad tres. Quibus non assentio; ea enim in se est grauis temporis materia. 10. Diana. Filliucius. Marchantius.

11 Estò pietas excuset, non tamen si opera seruilia fiant publicè, vt ædificare Ecclesiam; aliud est illam ornare tapetibus, & aliis similibus. (11) 11. Fagundez.

12 Artem gladiatoriam exercere, aut docere; rationes cum famulo œconomo ponere; characteres à Typographo ordinari, non sunt opera seruilia, sic verò imprimere paginas, seu folia, & libros. (12) 12. Diana, & plures.

13 Rustici, si in suis villis die festo contractus coram Notario peragant, excusantur à peccato, quia nequeunt aliis diebus eos peragere, (13) nisi à suo necessario labore desistant. Consuetudo etiam excusat barbitonsores, quorum lucrum cessaret, nisi die festo capillos, & barbam tonderent, cùm iis diebus fre- 13. Diana *p. 4. tr. 4. resol. 62.* Layman. Homobonus. 13. Cajetanus. Diana, & alij.

14. Fernandez. Diana.

quentior sit concursus. (14) Attamen publicitas est omnino vitanda. Eam autem consuetudinem tolerari à Prælatis cernimus.

14 Si habeas famulum infidelem, seu perpetuò amentem, sicut potes eis carnes edendas ministrare diebus prohibitis, vales etiam opera seruilia, vbi non videantur publicè, iniungere, cum ea opera ex se sint indifferentia. Aliqui (15) aiunt: Si dicas, quòd carnibus illi vesci possunt, eo quod legibus Ecclesiasticis non obligentur, quibus dumtaxat carnes sunt prohibitæ; at opera seruilia exercere prohibitum esse lege diuina in tertio Decalogi præcepto sanctificandi festa: & nihil prohibitum lege diuina potest vlli suaderi, aut imperari; respondebitur, omnes dies festos, adhuc Dominicos (16) esse iuris humani; nam Deus non statuit in noua lege dies, quibus eius cultui vacetur; & in lege antiqua solùm erat cæremoniale præceptum sanctificandi Sabbathum: cæremoniæ autem cessarunt in noua lege. Apostoli cæterùm diem Dominicum ob Resurrectionem Christi introduxere; cæteri dies festi ab Ecclesia sunt statuti, & quidem non eo stricto rigore, quo in lege veteri obseruabantur. Quare in Decalogo præcipitur in genere, festos dies sanctificari, seu tempus Deo colendo impendi (& id quantum ad mortale, importabat præceptum in lege veteri) non verò hi, vel illi designantur, sed id relinquitur Ecclesiæ; vnde vt hic numero dies sit festus, & in eo nequeant opera seruilia exerceri, ab Ecclesiæ præcepto dimanat. Hæc attigi, vt vim habeat ratio asserentium, posse imperari seruo infideli, & amenti perpetuo seruilia opera die festo; mouentur enim ex eo, quòd illi legibus Ecclesiasticis non obligantur. Sic autem re expensa, eorum assertioni assentio.

15. Diana *p.* 5. *tr.* 14. *res.* 7. Granado. Layman.

16. *Cap. Licet, de feriis.* Turrecremata. Archidiacon. D. Antonin. Maior. Nauarrus, & alij.

15 Tauros agitari, torneamenta, & ludos publicos similes haberi die festo, ex se non est opus seruile, verùm ab eis abstinendum est, ob Festi venerationem, in quo vacandum est Deo, & non ludis, in quibus non paucæ Dei offensæ solent adesse. (17) Hinc æquo iure prohibentur die festo.

17. Nauarrus *in Manual. c.* 13. D. Antonin.

16 Opera non seruilia, quæ licet exerceri die festo, possunt

possunt fieri etiam acceptâ mercede, (18) quia intentio lucrandi, & acceptio lucri non vitiat opus, quod ex se est licitum, nec reddit illud seruile; cum opera seruilia ex sua natura habeant esse seruilia. 18. Card. Caietan. Nauarrus, & plurimi.

17 Dies festus incipit à dimidia nocte vsque ad dimidiam noctem, sicut dies ieiunij. Alicubi incipitur abstineri ab operibus seruilibus ab occasu solis diei antecedentis. Sed hanc consuetudinem ex deuotione, non ex obligatione ortam censeo. In die festo ex præcepto Ecclesiæ Missa est audienda. De quo vide *Missa*.

18 Si Festum alicuius Sancti incidat in diem Dominicam, non patrat duo peccata, sed vnum, qui in ea labori seruili absque causa excusante incumbit; sicut si vigilia Sancti incidat in diem Quadragesimæ, solùm vnum peccatum committit, qui in eo non ieiunat.

19 Quamvis æquum sit, quòd diebus Festis, institutis ad vacandum Deo, Fideles concionibus, Officiis Ecclesiasticis, susceptioni Sacramentorum, visitationi Ecclesiarum, orationi mentali, & vocali, lectioni librorum spiritualium, aliisque similibus incumbant, tamen ex se non est peccatum ea omnia omittere, dum tempus illicitis operibus non impendatur.

## *Feudum.*

1 FEudum est concessio rei immobilis facta à Principe, seu alio, dominio proprietatis, seu directo penes ipsum remanente, & dominio vtili penes donatarium, ac eius filios, & successores, aliquo imposito seruitio personali, & communiter inuestitura interueniente. Hinc si vassallus, seu feudatarius seruitium non præstet, à feudo repellitur. In perpetuum autem communiter conceditur feudum, ita tamen quòd deficientibus filiis redeat in Principem; siue in donatorem. Concessio verò aut fieri potest solis filiis masculis, aut etiam fœminis; præterea solis filiis ex legitimo matrimonio procreatis, vel etiam filiis naturalibus ex soluto, ac soluta habitis, quin & legiti-

matis priuilegio Principis, seu Comitum Palatinorum, qui filios legitimare valent. In quo standum est instrumento donationis, seu institutionis feudi. (1)

1. Videantur Gotfredus. Hostiensis. Azor. Sylvester. Baldus. Odofredus. Panormitan. Angelus. Nauarrus. Ioan. Andreas.

2 Differt in pluribus ab emphyteusi: nam hæc est translatio rei immobilis, quoad dominium vtile, aliquo onere seu pensione reali impositæ, per vnam, duas, aut tres vitas; & rarò est perpetua; feudum autem est communiter perpetuum. Præterea dominus directus feudi mittit in possessionem successorem illius, secùs dominus directus emphyteusis. Vlterius dominus vtilis feudi nequit sine domini directi voluntate, non solùm donare, aut vendere feudum, sed nec impignorare; secùs contingit in emphyteusi, nam cum in hac detur obligatio ratione rei, etiamsi impignoretur, aut donetur, nullum fit domino directo præiudicium. Rursùs dominus (2) directus feudi habet iurisdictionem in personam feudatarij, mediante iuramento, secùs dominus directus emphyteusis. Adhuc fœmina in feudum non succedit, nisi expressè id fuerit concessum; in emphyteusim verò absque vlla expressione antecedenti succedit. Item feudatarius potest dimittere feudum sine domini voluntate, non verò emphyteuta id potest in emphyteusi præstare. Demùm feudatarius, (nisi cum seruitium personale conuentum ab eo exigitur) nihil tenetur præstare; at emphyteuta pensionem soluere tenetur.

2. Petr. Helias *tr. de feud.* Sylvester.

3. Sylvest. *verb. Feudum.* Baldus, & alij *supra.*

3 Multiplex est feudum, (3) cuius diuisiones ad nostrum moralis disciplinæ institutum parum, aut nihil referunt. Aliqua sunt feuda Ecclesiastica, quæ dantur Ecclesiæ, aut Clerico, ratione certæ dignitatis Ecclesiasticæ, aut quæ ipsa Ecclesia donauit. In feudum non succedit monachus, nec Monasterium, (4) nisi in institutione exprimatur. Potest autem Princeps concedere feudum Monasterio. Si seruitium præstandum à feudatario nequeat à muto, & surdo præstari, hi non succedent in feuda. (5) Cardinales autem in feuda succedunt, quia hi possunt per substitutum præstare seruitium.

4. Eman. Sà *verb. Feudum.* Iason.

5. Diana *p. 5. tr. 2. resp. 70. & tr. 6. resp. 21.* Martha, & plures.

4 Feudum dare alij potest quilibet, siue masculus sit,

ſit, ſiue fœmina, qui legitimam bonorum ſuorum administrationem habeat. (6) At Eccleſiæ ſua bona infeudare nequeunt, cum non poſſint bona immobilia alienare, niſi cum facultate Sedis Apoſtolicæ.

6. Baldus *de his quæ feudo dari poſſunt*, §. *Abbatiſſa*. Hoſtienſis. Angelus.

5 Si in conceſſione feudi indulgeatur, quòd tam maſculus, quàm fœmina in illud poſſint ſuccedere, & dominus vtilis feudi relinquat filium, & filiam, feudum non diuiditur, ſed penes filium manet; quia natura feudi eſt, vt præferatur maſculus fœminæ, (7) dum feudum ſit ſimplex, & rectum; in quo ſi ille maſculus decederet ſine filiis, non rediret feudum ad eius ſororem, quæ iam fuit excluſa per ſucceſſionem fratris, ſed ad dominum directum. Aliud contingit in feudis aliter conceſſis, in quibus poteſt inſtitui, quòd fœmina non ſuccedat, ſuperſtite maſculo, & vbi ſuperſtes non ſit, ſuccedat: quin & poteſt ita inſtitui, vt ſimul vel filij maſculi, vel maſculus & fœmina, quaſi in hæreditatem paternam ſuccedant.

7. Baldus. Angel. & alij.

## *Fideiuſſor.*

1 FIdeiuſſor eſt, qui ſuo periculo ſuſcipit alterius factum, ſeu ſolutionem; præſtiturus ipſe, aut ſoluturus, ſi alter id non faciat. Poteſt fideiuſſor aliquid accipere, & exigere ratione fideiuſſionis, quamvis in illa (1) non præuideat laborem, aut periculum; nam cum ea obligatio ſit ad poſterum, pretio eſt æſtimabilis, cum in ciuili obligatione libertate ſe ille abdicet.

1. Card. Caietan. 2.2.q.78.art.2. Nauarrus. Sotus. Medina. Nauarra. Eman. Sà. Garcia. Lud. Lopez, & alij.

2 Principali non ſoluente, non tenetur fideiuſſor in conſcientia debitum ſoluere, donec per viam iuſtitiæ ab eo exigatur; nam nec eius animus in fideiubendo vltrà ſe extendit, nec ob opus charitatis, quod exercuit, voluit ſe ita grauare. (2)

2. Aliqui apud Nauarram *de reſtit. l. 3. c. 4. num. 150.*

3 Si ſint plures fideiuſſores pro parte, ſolùm ad partem quiſque tenetur: ſi verò vnuſquiſque in ſolidum ſe obligauerit, tenetur in ſolidum. Soluente fideiuſſore, principalis tenetur ei ſoluere, & compenſare damna (3) ſecuta ratione fideiuſſionis.

3. *Cap. Peruenit, de fideiuſſ.*

4 Clericus poteſt eſſe fideiuſſor pro Eccleſia, & pro alio Clerico; (4) pro laïco nequit niſi in caſu neceſſitatis, aut pietatis, cum id ſit ei prohibitum. (5)

4. Communis.

5. Sylueſt. *verb. fideiſſor, q.* 3. Nauarra, & alij *ex c.* 1. *de fideiuſſ.*

5 Fideiuſſor poteſt agere contra principalem ante ſolutionem; primò ſi principalis diu in ſolutione debiti ceſſauit. Secundò ſi principalis incipiat redigi ad inopiam, vel ob diſſipationem bonorum, vel ob aliam cauſam, vnde prudenter exiſtimetur, reddendum eſſe impotentem ſoluere. Tertiò ſi fideiuſſor condemnatus ſit ad ſoluendum pro principali. (6)

6. *Cap. final. de fideiuſſor.*

6 Si Prælatus nomine proprio fideiuſſit, non tenetur eius ſucceſſor, ſic verò ſi fideiuſſit nomine Eccleſiæ, (7) & non vt ſuam rem agens. Quod idem contingit in aliis contractibus.

7. Couarruuias *l.* 2. *var. c.* 15. *num.* 6. Molina. Eman. Sà. Victorellus.

7 Si fideiubeat quis vſque ad certum tempus ſolutionis, & creditor proroget tempus, ille deinceps non tenetur; (8) ſicuti ſi fideiubeat pro principali debito ſimpliciter, & ex debito intereſſe capiatur, aut augearur debitum, non tenetur nec ad intereſſe, nec ad augmentum debiti.

8. Sylueſt. *verb. Fideiuſſor.* Eman. Sà, & alij.

8 Poteſt creditor accipere aliquid à fideiuſſore, vt eum liberet ab obligatione fideiuſſionis; (9) id tamen debet eſſe moderatum, & proportionatum liberationi ab onere; ſicut & id, quod accipere poteſt fideiuſſor à debitore: & idem dicito de aſſecuratore. Cæterùm mutuare cum pacto, vt mutuatarius fideiubeat, eſt vſura; vtpotè quid temporale pretio æſtimabile datum pro mutuo.

9. Molina *de iuſt. d.* 319. Nauarrus. Eman. Sà, & alij.

9 Si minor contrahat, inualidus eſt contractus, & tunc non tenet fideiuſſio ei contractui adueniens, ſicut nec fideiuſſio cuiuſcumque, qui ſit ſub alterius poteſtate. (10)

10. Fumus *in Armilla, verb. Fideiuſſor.* Eman. Sà. Sylueſter.

10 Qui non habet liberam adminiſtrationem ſuorum bonorum, ſeu non habet bona, nequit eſſe fideiuſſor. Vnde nequeunt fideiubere minor, exiſtens ſub alterius poteſtate, fœmina nupta, religioſus. (11)

11. *Leg. Quamuis, ff. ad Senat. Conſ. Velleian.*

11 Qui fideiuſſit tradere reum, ſi is abſque lata illius culpa fugit, ad nihil tenetur; ſecùs aliter, nam tenebitur ad damna; (12) at non eſt puniendus ea pœna, qua reus; v. g. ſi hic eſſet decapitandus, aut verberandus; ſed alia pœna arbitraria. (13)

12. Tabiena *in ſum. verb. Fideiuſſor.*

12 Credi

12 Creditor prius debet conuenire in iudicio debitorem non soluentem, quàm fideiussorem, nisi ille manifestè non sit soluendo, aut fugerit. Fumus. Eman. Sà.

13 Hæres fideiussoris etiam suscipit cum hæreditate onus fideiussionis. (14) 13. Glossa *in cap. Cùm homo, 23. q. 5.*

14 Creditor, cui soluit fideiussor, tenetur cedere huic omnes actiones, quas pro eo debito habebat contra principalem debitorem; (15) aliter fideiussor non tenetur ei quidquam soluere. Debitor præterea tenetur soluere fideiussori quæcumque damna, quæ ei ob fideiussionem obueniant, (16) vt iam libaui. 14. *Leg. Potest accipi, ff. de fideiuss.* 15. *Leg. Modestinus, ff. de solut.* 16. *Cap. fin. de for. competent. Cap. 2. & 3. de fideiuss.*

## *Fides, & Fidei mysteria.*

1 FIdes explicita mysterij Trinitatis, & Incarnationis est medium necessarium ad salutem, seu gratiam consequendam, quam beatitudo consequatur, in adultis, doli, & rationis capacibus, ac potentibus percipere mysteria fidei. (1) Ex Symbolo D. Athanasij efficacior est probatio. *Fides autem Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur. Sed necessarium est ad æternam salutem, vt Incarnationem Domini nostri Iesu Christi fideliter credat. Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.* Et cum verba in magis proprio, rigoroso, ac literandi sensu sint accipienda, sanè syncerius præfata verba intelliguntur de fide explicita, & de necessitate medij, quàm de fide implicita, & de necessitate præcepti. Hinc si Gentilis, aut alius ignorantia inuincibili laboraret, & simul semper obseruasset præcepta naturæ, Deus prouideret media, quibus ad ea mysteria noscenda perueniret. Si verò non obseruasset, damnaretur ob peccata commissa, non ob infidelitatem illam purè negatiuam; & ob ea peccata iustè denegaret Deus notitiam mysteriorum in pœnam. 1. Molina. Suarez. Becanus. Valentia. Granado. Acosta. Th. Sanchez. Hurtado. Ripalda. Meratius. Amicus. Tannerus. Escobar. Relati à Me *in Statera, dd. 1. q. 1.*

2 Tenetur homo aliquo vitæ tempore elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum ad eas virtutes pertinentium. Contraria propositio damnata

eſt ab Alexandro VII. anno 1665. Quo autem tempore teneatur, valde diſceptatur. Certum eſt, teneri in periculo mortis; & tutius, teneri ſemel ſingulis annis. Quæ enim maior prorogatio ad præceptum adimplendum prudenter deſignetur, quaſi relinquendo illud præceptum otioſum in vi obligandi? Etiam tenetur quis elicere actum fidei ad ſuperandam grauem tentationem contra fidem.

3 Fidem confiteri, non ſemper, nec quolibet loco eſt de præcepto, & de neceſsitate ſalutis; ſed aliquo loco, & tempore, quando ſcilicet per omiſsionem huius confeſsionis ſubtraheretur honor debitus Deo, aut ſequeretur ſcandalum, vel detraheretur vtilitati proximis impendendæ. (2)

2. D. Thom. 2. 2. q. 3. art. 2.

4 Fidelium nomine, quoad obligationem, intelliguntur etiam hæretici; (3) quare eos ligant præcepta Eccleſiaſtica, & impedimenta dirimentia reddunt irrita eorum matrimonia, in quibus ea reperiuntur.

3. Card. Lugo tom. de fid. d. 15. ſect. 7. num. 145. Gobat. & alij.

5 Veſtibus Turcis inter Turcas vti eſt graue peccatum, ſi abſque neceſsitate fiat, cum deſignetur, fidem deſeri, & ſectam illam impiam velle fateri. At licitum erit ob grauem cauſam, veluti ob vitandam mortem, ob reportandam victoriam, ſeu quid ſimile; (4) ſicut etiam licebit Romæ, vt quis quæſitus ad carcerem, & mortem, eam euadat, vti pileo flauo Iudæorum. Hæ enim veſtes ex ſe ſunt indifferentes, & ſolùm vitandæ ſunt, cum ſunt proteſtatiuæ falſæ Religionis ex circunſtantiis, quibus eſt attendendum. Idem dicito de aliis actionibus, veluti de ingreſſu in templa Infidelium, Turcarum, & hæreticorum.

4. Diana p. 3. tr. 5. reſ. 49. & p. 5 tr. 7. ex reſol. 33. Suarez. Bonacina. Machado. Th. Sanchez, & plures.

6 Tenentur facere fidei profeſsionem publicam omnes prouiſi de Cathedralibus, & de quibuſcumque Beneficiis Eccleſiaſticis curam animarum habentibus, iuxta Decretum Tridentini. (5) Et iuxta idem Concilium eadem profeſsio fidei emitti debet ab his, qui de conſuetudine, aut iure interſunt in quouis Concilio, & in Synodo diœceſana.

5. Seſſ. 24. cap 1. & 12. de refor. *Regular.

7 Extat præterea Bulla Pij IV. iniungens, (6) quòd omnes Prælati religioſi quorumcumque Ordinum, etiam Militiarum, cum primùm ad quævis Monaſteria gubernanda promouentur, profeſsionem fidei emittant;

6. Incipit, *Iniunctum*, 13. Nouembr. anno 1564.

emittant; & ibi exprimit profeſsionem. Aliam Conſtitutionem ipſe Pontifex expediuit, præcipiens eam profeſſionem emitti per quoſcumque promouendos ad Doctoratus, & per Profeſſores cuiuſcumque facultatis. (7) Quæ Bullæ an in vſu apud omnes ſint, valde dubito.

7. Eodem anno die 4. Decemb.

## *Filius, & Filiusfamilias.*

1 FIliusfamilias extra patriam degens, & alimenta à patre accipiens, quidquid ſibi ſuperſit, poteſt in quoſvis alios vſus inſumere; nam licet circa aliquos (1) ſit inuitus pater, tamen id eſt quoad modum, non quoad ſubſtantiam, cum ei liberam adminiſtrationem alimentorum præſtiterit. Si ſit ſub tutore, aut curatore, poteſt etiam illis inuitis, erogare eleemoſynas, aut alios ſumptus facere moderatos, (2) iuxta ſtatum, ac facultates ſuas. Sicut & ipſe tutor, aut curator poteſt ex bonis pupilli eleemoſynas, & donationes remuneratorias facere. (3) Si filiusfamilias habens Beneficium non perſoluat Horas Canonicas, tenetur admonere patrem, ſeu curatorem, vt reſtituat; quòd ſi ipſe fructuum adminiſtrationem habeat, ipſe reſtituere tenetur, quod ratione eius omiſſionis debet.

1. Leſſius. Layman, & alij apud Me *de Lre Acad. l. 3. q. 39.*

2. Communis.

3. Medina. Sà. Molina, & alij *vbi ſuprà.*

2 Filium habitum extra matrimonium debet per triennium mater alere: quia iudicatur ab eius vberibus pendens; quòd ſi mater lactare eum nequit, patri incumbit obligatio ſoluendi expenſas. (4) Poſt triennium debet ei pater alimenta præſtare; (5) quòd ſi pater nequeat alere illum, recidit obligatio in matrem; (6) & ſi hæc nequeat, tenentur aui, & alij aſcendentes, & primùm aſcendentes patris, deinde aſcendentes matris. Quòd ſi eiuſmodi filij adulti habeant vnde victitent, & poſsint ſibi conſulere, non tenentur parentes eis alimenta præſtare, (7) nam ius naturæ exigit id, vt neceſsitati prouideatur, qua ceſſante, obligatio naturalis ceſſat. Alimentorum autem nomine intelliguntur cibus, veſtes, habitatio, lectum, medicinæ, & quæ ſpectant ad honeſtas artes addiſcendas.

4. Sayrus. Azor, & plures apud Me *ſup. q. 49.*

5. *Cap. Per venerabilem, Qui filij ſint legitimi*; cum aliis.

6. *Leg. Si quis à liberis, ff. de liberis agnoſcend.*

3 Expoſiti

3 Expoſiti debent haberi pro filiis legitimis, & puri ſanguinis ad omnes præbendas. (8) Sic declarauit Gregorius XIV. anno 1591.

7. Trullench. Sylueſter. Molina. Th. Sanchez. Azor, & alij apud Me *vbi ſuprà.*

4 Si dubitetur, quiſnam è duobus ſit pater filij illegitimi, vterque tenetur pro medietate eum alere; ſi vnus nolit, alter non tenetur integra alimenta præſtare, quia filius non habet integrum ius contra illum. Si autem alter ſit ditior, aut nobilior, tenetur plus præſtare, quàm minùs nobilis, aut diues, quia ex ſe diuites, & nobiliores debent filiis præſtantiora ſuppeditare alimenta.

8. Apud Henriq. *lib. 14. cap. 8. num. 10. lit. L.*

5 Jure communi puberes minores vigintiquinque annis, etiamſi coniugati ſint, ſub patria ſunt poteſtate; & etiam ſi presbyteri fiant: (9) at attento iure Caſtellæ filius coniugatus poſt benedictiones Eccleſiæ, & non antea, (10) eximitur à patria poteſtate, adminiſtrationemque bonorum aduentitiorum habet. Præterea iuxta omne ius eximitur ab ea per emancipationem filius.

9. *Authenica Presbyteros 1. Cod. de Epiſc. & Cleric.*

10 *Leg. 8. & 9. tit. 1. lib. 5. nouæ Recopilat.*

6 Filius illegitimatus non eſt ſub patria poteſtate. (11) De irritatione votorum illius, necnon aliorum, vide *Votum.*

11. *Inſtit. de patria poteſt. in princ.*

7 Filius habitus à viro, & fœmina ſolutis, per ſubſequens matrimonium legitimatur quoad omnia: (12) ſi verò vnus ex parentibus fuiſſet matrimonio copulatus, eſtò eſſet alter ſolutus, & eſtò poſtmodùm mortuo coniuge, ambo inirent matrimonium, filius priùs ex eis habitus eſſet ſemper ſpurius, & ab hæreditate repellendus. Et quidem filius, qui legitimatur per ſubſequens matrimonium, legitimus cenſetur à die natiuitatis, (13) quia per iuris fictionem legitimatio retrotrahitur. Sufficit autem, vtrumque parentem eſſe ſolutum, vel tempore conceptionis, vel tempore natiuitatis filij, (14) provt huic vtilius fuerit. Quin eſtò nec tempore conceptionis, nec tempore natiuitatis filij potuerit conſiſtere matrimonium, ſic verò inter vtrumque tempus, filium eſſe naturalem, & per ſubſequens matrimonium legitimationis beneficio frui poſſe, (15) benigna eſt opinio, ſed non vera.

12. *Cap. Tanta, Qui filij ſint legitimi.* Fajardo 2. *p. alleg. 11. de legitimat.* cum communi.

13. Couarruuias *de ſponſal. 2. p. c. 8. §. 2. n. 26.* Abbas. Surdus. Coſta. Fajardo, & alij.

14. Molina *de iuſt. tr. 2. d. 172. n. 4.* Azor.

8 Filius natus ex religioſo nouitio, vel religioſa nouitia, ſi non emittunt poſt nouitiatum vota, nec profeſſionem,

profeſſionem, per ſubſequens matrimonium (16 legitimatur. Idem eſt, ſi parentes ſoluti, voto caſtitatis ſimplici adſtricti in ſæculo filium habeant, hic per ſubſequens matrimonium legitimatur. (17) Etenim in Societate Jeſu ante profeſſionem hi, qui vota ſimplicia emiſerunt, ſunt verè Religioſi, & inhabiles ad contrahendum matrimonium.

9 Itidem filius Clerici habentis Beneficium Eccleſiaſticum, non tamen promoti ad Ordines ſacros, ſed ſolùm ad minores Ordines, per ſubſequens matrimonium (18) legitimatur.

10 Filius furioſi non legitimatur per ſubſequens matrimonium; nam ad legitimationem requiritur habilitas parentum ad contrahendum mattimonium, & hæc deficit in furioſo. (19)

11 Filius Judæi, ſeu alterius infidelis, & matris Catholicæ non legitimatur per ſubſequens matrimonium, (20) nam inter eos omni iure vinculum matrimonij eſt prohibitum.

12 Si mater iudicabat, amaſium verè vxoratum, eſſe ſolutum, & filium ab eo ſuſcipiat, hic non legitimatur per ſubſequens matrimonium; ſibi enim illa imputet, ſi bona fides ei non profit, cum non daret operam rei licitæ, dum concepit. (21)

13 Summus Pontifex poteſt legitimare filios natos ex matrimonio nullo, diſpenſans in radice matrimonij, quaſi illud impedimentum non extitiſſet, non ſolùm in ordine ad hoc, vt ſpurij, & illegitimi iudicentur legitimi quoad obtinendos Ordines ſacros, & Epiſcopatus; verùm quoad temporalia, reſtituendo prolem in eum ſtatum, quem haberet, (22) ſi conſtitutiones canonicæ non annullaſſent matrimonium, & reuocando omnes effectus, & damna ex his conſtitutionibus incurſa. Poteſt etiam legitimare filium Preſbyteri, vt patri ſuccedat in bonis.

14 Quando ſubſequitur matrimonium eorum, qui ſoluti habuerunt filium, hic legitimatur, quamvis repugnent parentes, & nolint, cum ſibi fore hæredem; nec enim poſſunt impedire vim, & efficaciam Sacramenti matrimonij, cuius effectus eſt legitimatio; (23) ſicut

Th Sanchez. Cenedo. Couarruuias. Oſt. Bämach. & alij.

15. Baſil. Poncius *l. 11. de matr. cap. 3.*

16. Peregrin. *de fideic. art. 24. num. 49.* Couarruuias. Menochius, & alij.

17. Baſilius *ſup.* Fajardo *ſup.* Lara, & alij.

18. Guttier. *l. 2. pract. quæſt. 104. n. 2.* Spino. Trentacinq. & plurimi.

19. *Cap. Dilectus, de ſponſalib. Leg. Patre furioſi, ff. de his qui ſunt ſui, &c.*

20. Marqueſius *de Iudæis part. 2. c. 1. num. 13.* Th. Sanchez. Fajardo. Lupus. Azor, & plures.

21. Sarmiento *ſelectar. l. 2. c. 6.* Molina. Paſchalis. Couarruuias, & alij.

(23) ſicut nec requiritur ipſius filij conſenſus, vt legitimus euadat.

22. Th. Sanchez *l.8. de matr. d.7. num. 4.* vbi refert triginta quatuor Authores, & Baſil. Poncius. Fajardo. Caſtill. & alij.

15 Si antequam ſubſequatur matrimonium, filius moritur, & ex eo legitimi filij manent, ſubſecuto illo matrimonio, hi qui ſunt nepotes, legitimi efficiuntur reſpectu auorum; nam horum pater præmortuus legitimus eſt habendus per retrotractionem matrimonij ad tempus, quo fuit conceptus, vel natus. (24)

23. Baſil. Poncius *de matr. l. 11. c.1. §. 3. n.21.* Mieres. Bammacharus. Molina. Salicetus. Surdus. Matienzo, & alij.

16 Ut filij legitimentur per ſubſequens matrimonium, ſufficit, quod hoc ſit ratum, (25) eſtò non ſit conſummatum. Quòd ſi matrimonium ſubſequens reuerà eſſet nullum, ob aliquod impedimentum dirimens, quod tamen bona fide ignorarent illud contrahentes, aut ſaltem vnus ex illis, publicéque putaretur verum matrimonium, filius priùs habitus legitimus euaderet. (26) Et in dubio bona fides præſumenda eſt in eiuſmodi contrahentibus. Nec bona fides tollitur per dubium ſubſequens, nec per litem adhuc conteſtatam, ante ſententiam. Vt autem ea bona fides habeatur, debent præcedere denuntiationes Eccleſiæ, (niſi ex iuxta cauſa omitterentur,) aliter non adhibetur diligentia, vt dignoſcatur, an ſit impedimentum; idque procedit quoad forum externum: nam quoad forum conſcientiæ, ſufficit (27) parentes bona fide contraxiſſe, vt proles legitimetur.

24. Molina *de primogen. l.3.c.1. num. 9.* Baſil. Pontius. Couarruuias. Ant. Gomez. Montealegre. Æmil. Gallus. Matienzo, & alij.

17 Legitimati per ſubſequens matrimonium non poſſunt aſcendere ad Cardinalatum, ob Conſtitutionem Sixti V. anno 1590. (28) In cæteris omnibus gaudent iure legitimitatis.

25. Communis.

18 Si poſt natum filium naturalem ex Petro, & Maria ſolutis, Petrus nuptias contrahat cum Anna, & filium ex ea ſuſcipiat, ac poſtmodùm mortua Anna, Petrus contrahat cum Maria, per quod matrimonium ille filius naturalis legitimetur, qui ſanè prior natus eſt, quàm filius ex Anna ſuſceptus, quiſnam ex his duobus in maioratum Petri, parentis vtriuſque ſuccedat, an primus, an ſecundus? Pro vnoquoque eſt ſententia certò probabilis, (29) & ad Iuriſperitos potiùs quàm ad Theologos ſpectans; ſicut & aliæ plu-

26. Baſil. Poncius *de matr. l. 11. c.1. §. 2. n.13. & c.8.* Th. Sanchez. Molina vterque. Fajardo. Arellano. Ceuallos. Guttier. & alij.

27. Suarez *de cenſur. d. 50. ſect. 1. num. 10.*

res

res quæſtiones circa legitimatorum ſucceſſionem in bonis.

19 Filius naturalis poteſt legitimari per reſcriptum, aut priuilegium Principis. (30)

20 Filiusfamilias ſi quid habet ex donatione patris, aut matris, dum non excedat id, de quo patres diſponere queunt, non tenetur poſteà in partitione hæreditatis illud in computationem afferre, quia ea donatio morte confirmatur. Si ſit donatio remuneratoria, quæ facta extraneo valeret, ſemper ab initio valet, nec opus eſt, eam (31) morte confirmari.

21 Etiamſi mater aſſerat, & iuret aliquem ex ſuis filiis eſſe illegitimum, & ex adulterio, non tenetur (32) hic credere. Et quando maritus tractauit aliquem vt filium, ſemper hic eſt cenſendus legitimus. Quin in dubio, an ſit quis filius legitimus, reputandus eſt legitimus, ſiue quoad hæreditatem, ſiue quoad Ordines, & Beneficia Eccleſiaſtica; nam in dubio non præſumitur vitium.

Fajardo *vbi ſup. num.* 180.

28. Afferunt illā Sayrus *de cenſur. l.6.c.10.* Belletus. Campanile. Fuſarius.

29. Latè Fajardo *tr. de legitim. per ſubſeq. matrim. ex n.* 234. afferens innumeros Authores pro vtraque ſententia.

30. Communis.

31. Sylueſt. *verb. Peculiū, q.*19. Nauar. & alij.

32. Gobat *in exper. Theol. tr.*8. *ex num.*431. Alciatus. Menochius. Nauarrus. Vaſq. & alij.

## *Fœmina.*

1 Fœmina prægnans extremè ægrotans non poteſt ſecari, vt infans extrahatur, & baptizetur; ea enim eſſet directa occiſio innocētis, quæ illicita eſt. (1) Quin etſi fœmina prægnans ſit iam capitis pœnæ damnata, & extremè ægrotet, non poteſt ſecari, vt infans extrahatur. (2) Nam occidi nequit, quamvis non ſit innocens, niſi ſeruato iuris ordine, & per ſententiam iudicis; ius autem non permittit, vt fœmina damnata ad mortem, dum eſt prægnans, occidatur. (3)

2 Fœminis in Iure prohibitum eſt gerere Magiſtratum, iudices eſſe, poſtulare, interuenire pro alio, eſſe procuratrices, quævis officia ciuilia, & publica exercere, docere publicè ſcientias, quæcumque hæ ſint, ſiue ſacræ, ſiue humanæ, publicè prædicare, & legere Euangelium ad explicandum illud; aduocare in iudicio, ferre iudicium arbitrarium (niſi in Nationibus, in quibus iuriſdictione erga ſubditos gaudent,) &

1. Coninch cum communi.

2. Moſcoſo. Comitolus. Malderus, & alij apud Me *in Statera, diſſ.*4. *q.*5.

3. Couarruuias. Reginaldus. Bonacina, & alij *vbi ſup.*

& alia huiuſmodi ; quidquid ſit de eo , quod ſecluſa prohibitione , & incommodis , efficere , & exercere poſſent. (4) Vide verbum *Abbatiſſa.* Vbi plura repe-

4. *Leg. Fœminæ, 2. ff. de reg. iur. Cap. Mulier, diſt. 33. Cap. Noua, de pœnit. & remiſſ.* cum pluribus apud Me *de Iure Academ. l. 3. q. 51.*

ries conceſſa Abbatiſſæ *de las Huelgas*, propè Burgos à Pontificibus.

3 Fœminis prohibitum eſt in Iure (5) indui veſte virili ; idem è conuerſo dic de viris , qui veſte muliebri nequeunt vti. Tunc autem ea mutatio veſtium erit peccatum lethale , cum gignet ſcandalum , vel queat ad libidinem prouocare , aut prauo fine vacandi libidini aſſumatur.

5. *Cap. Si qua mulier, 30. diſt.*

4 Nequeunt fœminæ tangere vaſa ſacra , & pallas ſacratas , (6) niſi poſt primam lotionem ; quod tamen non cenſeo peccatum lethale , ſi reuerenter tangant ; maximè in Monaſteriis Monialium , vbi aliquæ ex his curam habent eorum , quæ ad Sacriſtiam ſpectant.

6. *Cap. Sacratas, 23. diſt.*

5 Fœminæ non poſſunt pro aliquo debito incarcerari. (7) Nec contra ipſarum voluntatem perſonaliter trahi ad iudicium ad ferendum teſtimonium , niſi in cauſis in Iure expreſſis. Et quidem fœmina religioſa, etiamſi vellet , non poſſet trahi ad teſtificandum. (8)

7. Fumus *in Armilla , verb. Fœmina.* Sylueſter. Couarruuias. Aman. S .

6 Fœmina poteſt eſſe teſtis in cauſa hæreſis , læſæ Maieſtatis, ſimoniæ , & cum aliter veritas nequit explorari, ac cum proceditur viâ inquiſitionis. (9) Tempore etiam peſtis , quo non requiritur ſolennitas in teſtamento , valet eſſe teſtis in illo , cum tamen nequeat extra terras Eccleſiæ eſſe teſtis in ſolenni teſtamento. Ad cauſas pias etiam (10) admittitur in teſtem ; necnon iure ciuili , ad cauſas criminales, & aliquos alios actus.

8. *Cap. Mulieres, de iudic. l. 6.*

9. Aman. Sà *verb. Fœmina.* Sylueſt. & alij.

10. Couarruuias *in 1. Relatum 1. de teſtam. n. 5.*

7 Nequit fœmina publicam benedictionem impertiri, ſic verò priuatam, & velut mater filiis benedicit; (11) nec aliquem actum Ordinis exercere ; nec miniſtrare Sacerdoti celebranti. Fœmina vxorata. Vide *Vxor.*

11. *Cap. Noua, de pœnit. & remiſſ. Cap. Tanta, de excеſſ. Prælat.*

## *Forus.*

1 VT dignoſcatur, in quo foro ſit quiſque conueniendus, hæ regulæ obſeruentur. Regulariter actor ſequitur (1) forum rei. Ratione contractus ſequitur quis forum loci, in quo (2) ille celebratur. Ob crimen patratum ſubiicitur quis foro loci, in quo illud (3) commiſit. Cauſa religionis, vtputà cauſa decimarum, aut iuriſpatronatus (4) Eccleſiaſtici ad Tribunal in Eccleſiaſticum ſpectat in eo loco. Præterea vxor conuenienda eſt in foro viri, quia eius ſequitur forum. (5)

2 Ratione rei etiam forus competit, ibi enim litigandum eſt, vbi adeſt hæreditas, v. g. prædium, domus, aut quid ſimile. (6) Clericus in cauſis criminalibus ſemper eſt conueniendus in foro Eccleſiaſtico, ad quem etiam attinent cauſæ matrimoniales, & quæcumque ad Eccleſiam ſpectant. Academici quo pacto ſint actores, & rei, ac in quo foro, vide *Academia*. Verſiculi circumferuntur, (7) in quibus dicta præſtricta ſunt; *Contractus : crimen : reus : res : religioque. Vir : ratio ſimilis, vel prouocat, atque recuſat.*

1. *Cap. Neminem, 3. q. 6.*
2. *Leg. Hæres, ff. de iudic.*
3. *Cap. 1. tertia, q. 6.*
4. *Cap. Quanto, de iudic.*
5. *Leg. penult. ff. de iurisd. omn. iud.*
6. *Cap. Sanè, de foro compet.*
7. In Gloſſ. *in c. 1. tertia, q. 6.*

## *Furtum, & Rapina.*

1 SI furtum graue vno actu fiat contra plures, neceſſum eſt, id in Confeſſione exponere, (1) quia plura obiecta, quæ læduntur, conſtituunt indiuiduationem actus, & ea explicanda eſt; ſicut ſi vno impetu plures in vita, aut in fama damnificarentur. Quantitas etiam furti grauis eſt aperienda in Confeſſione, quia ea non ſolùm eſt circunſtantia aggrauans, ſed ſpectat ad conſtitutionem indiuiduam actus: cum furtum mille ſcutorum æquiualeat in læſione proximi pluribus furtis grauibus minoris quantitatis; & læſus eandem iniuſtitiam patitur, ſi vno actu, aut decem auferantur ab eo mille ſcuta; & Confeſſarius ferè idem iudicium

1. Henriquez. Suarez. Buſembaum, & alij apud Me *in Statera, diſſ. 6. q. 2.*

iudicium morale concipit de vno ac de alio; quomodo autem idem iudicium concipiat de furante octo drachmas, ac de furante mille scuta? Vnde non sufficit, quem confiteri, se furatum fuisse quantitatem grauem. Esto speculatiuè sit oppositum certò probabile.

2 Probabile certò est, non committi furtum, adhibitis limitationibus exponendis, si vinum venale aqua misceatur, dum non reddatur deterius, quàm id, quod ab aliis venditur; vel si tritico valdè bono aliqua alia grana misceantur, & sic de aliis. (2) Id non permittendum nisi hominibus timoratæ conscientiæ; nec in vino ad Missas celebrandas inseruiente præstari potest. Ratio asserti est, quia venditor potest res suas ad eum statum reuocare, in quo sunt res aliorum; nec iniuriam facit emptori; & res illæ per admixtionem æquè vtiles sunt ad vsus humanos, ac aliæ; & illud pretium, quod exigitur, est iustum, iuxta æstimationem hominum: nec dat causam contractui vitium mixtionis, quod occultatur. Tutior, & certior est sententia opposita; (3) nam periculum datur deteriorandi res venales in ea mixtione, & aperitur via fraudibus; & si res venales habeant excessum notabilem, possunt vendi maiori pretio, & ab his, qui taxam constituunt, debet pretium maius eis designari; emptoresque iudicant, fructus naturales absque alteratione sibi fore vendendos; & sanè vendens vinum nequit explorare, an illud in domibus priuatis ad Missam celebrandam sit applicandum, nec id inquiritur à cunctis emptoribus.

2. Soto. Serra. Lud. Lopez. Machado. Diana. Prado. Bonacina. Lessius. Acat. Velasco. Corradus. Io. de la Cruz. Apud Me *in Statera, diff. 6. q. 3.*

3 Furtum rei leuis, si fiat damnificatio grauis, est peccatum mortale, non ratione præcisa furti, sed ratione damni illati, vt si furetur quis acum à sartore non habente vnde emat aliam. Attentis rebus, vt nunc iam sunt, non erit peccatum mortale furtum (4) infra octo drachmas æreas in Hispania, seu quod illis proportionetur in aliis Regnis. Respectu Regis, aut Magnatis diuitis dupla quantitas requiritur ad lethale peccatum.

3. Rebellius. Layman. Busembaum, & cum pluribus ego *sup.*

4. Ego *de Bulla Cruciat. d. 24. num. 33.*

4 Quando plures concurrunt ad furtum graue, & quilibet solùm rem leuem furatur, omnes grauiter peccant

peccant, dum furtum non foret patrandum, nisi illis concurrentibus; & singuli totam summam tenentur restituere, si alij non restituant. (5)

5 Nullam furti labem committit Princeps Supremus, dum subditum spoliat bonis, vel in pœnam criminis, cui proportionatur ea spoliatio, vel ob causam publicã grauem vrgentem, cui aliter subuenire nequit, qualis esset defensio Reipublicæ, aut similis. (6)

6 Furtum differt à rapina (cum vtrumque sit vsurpatio rei alienæ, inuito domino) in eo quòd furtum fit clam, dolosè, absente, aut ignorante domino; rapina verò fit palam, ac apertè, & per vim. Differt rapina specie à furto, quia inuoluit iniuriam, & contemptum. (7) Quare in rapina tenetur etiam quis pro iniuria satisfacere.

7 Furtum ex natura sua est peccatum mortale (nisi ob paruitatem materiæ sit veniale) quia læditur iustitia, & æqualitas inter homines seruanda, necnon mutua societas, & amor.

8 Qui furatur rem paruam, vnde grauis molestia sequitur domino, vel quia ea ingenter delectabatur, vel quia ita est pusilli animi, vt maximè conturbetur, peccat mortaliter, non ratione (8) furti, seu iniustitiæ, sed contra charitatem: si tamen sciat illam molestiam fore inferendam.

9 Quando quis paulatim modicas quantitates furatur ab aliquo, absque magna temporis interruptione, cum accedit ad eam, quæ constituit quantitatem furti grauis, peccat mortaliter, quia tunc suppositis antecedentibus infert (9) damnum graue domino. Si verò à diuersis furripiat eas modicas quantitates, cum ad vltimam peruenit, grauiter peccat, ratione iniustæ retentionis rei alienæ, & restituere sub mortali (10) tenetur; aliàs posset quis diues fieri ex facultatibus modicis alienis; & posset ex deposito frumenti, quod esset innumerorum ciuium, maximam quantitatem surripere, eo quod parum ad vnumquemque attineret. Quare non solùm attenditur ad non inferendum graue damnum vni ex proximis, sed ad non furandam rem alienam; quod septimo Decalogi præcepto iubetur. Et quidem etsi non fiat graue damnum vili in

5. Communis.

6. Nauarra *de restit. l. 3. c. 1. num. 17.* cum communi.

7. D. Thom. 2. 2. *q. 66. art. 9.* Mercatus. Nauar. & alij.

8. Syluest. *verb. Furtum, q. 2.* Sotus. Nauarra. Nauarrus.

9. Couarruuias *l. 1. var. c. 3.* Medina. Nauarra. Cordoua. Maior. Ceuallos.

10. Sotus Maior. Corduba, & alij.

ſpeciali, ſit tamen reipublicæ, & generi humano grauiter ferenti, quòd quis abſque labore, & induſtria fiat diues ex bonis alienis.

10 Filiorum reſpectu parentum, & vxorum reſpectu maritorum furtum non eſt graue quantitas communis, niſi ita ſit notabilis, vt prudenter iudicentur illi omnino, & rationabiliter inuiti.

11 Si bona caſtrenſia, quæ occaſione militiæ adquiruntur à filiis, & quaſi caſtrenſia, quæ ab eis comparantur ex munere publico, quod gerunt, nempe iudicis, aduocati, medici, ſcribæ, beneficiarij, &c. à parentibus ſeruentur, poſſunt filij abſque labe furti accipere quantum velint, imò his inuitis nequeunt parentes ea accipere, quia ſunt propria filiorum. Secus eſt de bonis aduentitiis, eis nempe quæ ex hæreditate matris, aut alterius, aut labore proprio adquiruntur à filiisfamilias, quorum vſusfructus adquiritur patri, iuxta ius commune, (11) & in Hiſpania iuxta (12) leges municipales. Secus etiam eſt de bonis profectitiis, eis ſcilicet, quæ adquirit filius ex patre, vel cauſa, aut occaſione patris, ſeu de eius bonis. Hæc enim quoad vſumfructum, & proprietatem ſunt patris.

11. *Leg. Non ſolum, Cod. de bon. quæ liberis. Leg. Cùm oporteat, C. eod. tit.*

12. *Leg. 5. tit. 17. partit. 4.*

12 Si quis non ſoluat alteri debitum, vel occultè rem eius detineat, nequit is per vim ab illo recuperare illam, nemini enim licet ius ſibi dicere manu armata. Aliud eſt, cum actu quis rapit ab alio bona, & is eum inſequitur, vt illa vindicet; tunc enim inſequitur aggreſſorem. (13) At ſi quis ſit in extrema neceſſitate, & petat à potente dare, qui neget, poteſt per vim rapere ab illo neceſſaria; nam tunc qui non paſcit, occidit. (14)

13. Sotus *de iuſt. l. 5. q. 3. art. 3.* & plures.

14. Nauarra *de reſt. l. 3. cap. 1. num. 422.* Caietanus. Sotus.

13 Quando duo ſunt in extrema neceſſitate, nequit vnus ab alio rem ſurripere, nam id eſſet illum occidere. (15) Si verò ex his vnus haberet rem alterius, cum in ea neceſſitate bona ſint communia, eam effeciſſet ſuam, & non teneretur alteri reddere, & ſinere ſe mori, cum eſſet in poſſeſſione; dum tamen res ſit vſu conſumptibilis, & opportuna ſubſidio neceſſitatis. (16) Quòd ſi quis nequeat ſubuenire pauperi in extre-

15. Sotus *l. 4. de iuſtit. q. 7. art. 3.* Nauarra, & alij.

16. Tabiena *in*

ma

ma necessitate versanti, potest surripere à diuite necessaria ad subueniendum ei. (17)

14 Si excommunicatio feratur contra eum, qui surripuerit rem certam; & hæc non sit in se grauis materia furti, estò fuerit peccatum lethale eam surripere, eo quòd surripiens graue damnum dederit, aut grauem molestiam intulerit, non contrahit excommunicationem; (18) nam hæc intelligitur lata contra eum, qui ratione materiæ peccatum ex se mortale commisit.

15 Habens rem suam pignoratam alteri, si occultè illam surripiat, furtum patrat, cum debeat iuris ordinem seruare, & illa res sit aliena quoad custodiam, & quoad æquiualens pretium, quod debetur ei, cui pignorata est. (19)

16 Si alius rem tuam iniustè retineat, nec possis recuperare, estò per vim nequeas extrahere illam, attamen absque vi occultè eam accipiens non peccas.

17 Qui in bello furatur Christianos captiuos à paganis, non peccat; si verò id præstet tempore treugæ, non tenetur restituere ipsos Christianos, ne animæ periclitentur, sic verò eorum æstimationem. (20)

18 Cum quis dubitat, an res sua sit, si alius eam possideat, nequit occultè ipsam accipere, cum in dubiis melior sit conditio possidentis.

19 Mortale peccatum non est accipere clam ab aliquo rem, qui eam concederet, si ab ipso posceretur, estò sit inuitus quoad modum; nam quoad substantiam (21) inuitus non est. Verùm cautè, ac prudenter est procedendum, ne aperiatur via furtis, si quis leuiter sibi persuadeat, non fore inuitum dominum quoad substantiam.

20 Furtum rei non sacræ è loco sacro tunc est sacrilegium, cum ibi est deposita, quasi sub iure, & potestate Ecclesiæ; non verò (22) cum ibi est per accidens, quo casu non fit iniuria specialis Ecclesiæ. Vnde si quis è bursa alicuius existentis in Ecclesia surriperet clam aliquid, non patraret sacrilegium.

21 Itinerans, qui in hospitiis (v. g. in Gallia, & Italia pransum sumit, pretio communi suppeditato cauponi, seu administratori hospitij, quæ non vult co-

*sum. verb. Restitutio, §. 4.* Card. Caietan. Sotus. Nauarra. Ledesma.

17. Medina *de rest. q. 4.* Nauarrus. Eman. Sà.

18. Card. Toletus *l. 1. c. 6. n. 13.* Nauarrus. Eman. Sà.

19. Fumus *in Armilla, verb. Furtum, n. 4.* Card. Caietan.

20. Archidiacon. *2. p. tit. 1. c. 15.* Fumus.

21. Eman. Sà *in sum. verb. Furtum, n. 3.* Nauarrus.

22. Diana *p. 1. r. 7. resp. 27.* Fagund. & plures.

medere, cum posset, secum asportare valet, cum nulli faciat iniuriam. (23)

23. Card. Lugo. Diana.

22 Filius, qui inseruit patri in mercatura, aut aliis negotiis, (24) potest ab eo poscere iustam sui laboris mercedem, quoad id, in quo merces iusta excedit valorem alimentorum, quæ ei præstat pater; & si is nolit conferre, potest ille absque labe furti clam accipere.

24. Layman. Diana, & alij.

23 Qui furatur ab Ecclesia calices, patenas, & alia sacra, non contrahit excommunicationem, nisi (25) ad furtum perpetrandum frangat portam, fenestram, aut armarium.

25. *Cap. Conqueſtus, de for. cõpetent. Cap. Conqueſtus, de ſent. excom.*

24 Fur nequit præscribere rem surreptam; at qui ab illo eam bona fide emit, potest præscribere, & transacto tempore præscriptionis, (26) quamvis tunc agnoscat, rem esse alienam, non tenetur eam restituere.

26. Sotus *in* 4. *diſt.* 15. Panormitan. Hostiensis. Ioan. Andreas, & plures.

25 Si filiusfamilias furetur aliquid, & id adhuc extet, tenetur tum ipse, tum pater conscius illud restituere. Quòd si filius id insumpsit in rebus sibi necessariis, aut expedientibus, pater tenetur restituere, dum filius non habeat bona castrensia, aut quasi castrensia. Quòd si filius inutiliter, seu illicitè expendit, v. g. cum meretrice, aut alio simili, pater (27) non tenetur restituere. Idem proportionatè dic de religioso furante; nam si ex re surrepta sibi vestes emit, quas ei Monasterium erat concessurum, tenebitur ad restitutionem Monasterium, eo quòd inde factum sit ditius. Si autem ille insumpserit inutiliter res surreptas, Monasterium ad nihil tenetur; ipse verò, si habeat aliunde peculium quoad vsum, restituere debebit. Cæterùm si nomine Monasterij procurator, aut quis similis accipiat pecunias mutuas, seu in depositum, easque dispersat, Monasterium tenetur ad restitutionem ex suis bonis. Plura de furto, & rapina vide verbo *Restitutio.*

27. Sylvest. *verb. Furtum*, 9. 17.

*Gabella,*

G

# *Gabellæ, seu Tributa.*

1 GABELLA, seu tributum est exactio illa, quam Princeps supremus subditis imponit tum ad suæ domus sustentationem, tum ad res publicas, veluti ad bella gerenda, ad conseruationem Regni, aliaque huiusmodi; ad quam exactionem, & impositionem videndum est iuxta Regnorum, seu Prouinciarum leges, & consuetudinem, an, & quis consensus subditorum requiratur. Ex diuersis autem nomenclaturis vocatur gabella, tributum, vectigal; & hæc ipsa iuxta res, ex quibus soluuntur, variis nominibus nuncupantur, vt pedagium pro conseruatione pontium, aut nauium: guidagium pro transportatione mercium ex vna in aliam Prouinciam (Hispanè *aduana.*) Tallia, quæ vnicuique subdito imponitur soluenda proportione habita ad eius bona; quæ etiam vocatur præstantia, impositio, collecta. Nomine autem communi gabellæ, tributi, aut vectigalis veniunt pensiones, quæ soluuntur Principi ex mercibus quibuscumque, quæ venduntur, ac emuntur; necnon annatæ, aut mediæ annatæ, quæ ex muneribus, ac officiis à Principe concessis ei redduntur; atque etiam, quæ occasione, aut titulo matrimonij à Principe contracti, veluti ad ornatum vxoris, exiguntur; & quævis alia, quæ iuxta stylum cuiusque Prouinciæ, Regni, aut Reipublicæ, hoc aut illo titulo à subditis exhibentur, non quasi ex dono, sed ex debito. Cæterùm angaria, & perangaria non sunt recensendæ inter gabellas, cum sint iniustæ, siquidem in propria vsurpatione significant coactionem iniustam ad onus merè personale, aut mixtum ex labore personali, & munere aliquo persoluendum.

2 In tributis imponendis, an sint iusta, necne, non potest Princeps sequi opinionem probabilem, relicta

probabiliori. (1) Quia in ea impositione interuenit iustitia commutatiua, & in his, quæ ad eam spectant, opinio probabilior est sequenda; & cum subditi sint in possessione suorum bonorum, nequeunt eis exspoliari, nisi probabilius ius assistat exactioni illorum.

1. Th. Sanchez. Vasquez. Azor. Layman. Reginaldus. Apud Me cum aliis *in Statera, diff. 6. q. 1.*

3 Datur obligatio in conscientia soluendi iusta tributa, iuxta D. Paulum; (2) nam eorum solutio fundatur in iustitia commutatiua, iuxta quam publica onera Principi solui debent ab his quorum causa ea onera à Principe sustinentur. (3) Quin ea obligatio datur etiam quando dubitatur, an sit iustum tributum. (4) Etenim in dubio præsumendum est, iustum esse; cum in fauorem Principis possidentis facultatem imponendi tributa, sit in eo dubio præsumendum. Nec facile est, posse proferri sententiã de iniustitia tributorum. Adde, etiam in dubio, an possit Princeps aliqua tributa imponere, debere solui; nam in dubio inter superiorem, & subditos præsumptio stat pro superiore; & quoties subditus potest aliquid agere, tenetur agere, si præcipiat superior. (5) Attamen certò probabile est, non teneri subditum soluere tributa, quando solùm est probabile, posse Principem ea imponere; solùm etiam probabile, esse iusta.

2. *ad Roman. 13.*

3. Card. Tolet. Molina. Lessius. Turrianus. Card. Lugo, & plures apud Me *supra.*

4 Ecclesiastici, Religiosi, opera pia, & Communitates in pium finem erectæ non tenentur, nec possunt soluere tributa, nec gabellas, nisi accedat dispensatio Pontificia. Solius autem Principis supremi est, posse imponere tributa, seu gabellas, nisi aliqua Prouincia, aut Ciuitas ex consuetudine, aut priuilegio gaudeat potestate imponendi gabellas, vt contingit in Catalaunia in vrbe Barcinonensi.

4. Azor. Bonacina, & plures *supra.*

5 Ex his, quæ quis vendit ad suas strictas necessitates subleuandas, non debet in conscientia gabellas; (6) nec item ex rebus minusculis: secus est de his, quæ vendit, aut transportat ad conseruationem qualitatis sui status; quod non reputatur stricta necessitas. Et quidem esset nimium ius ex necessariis ad vitam sustentandam, & ex minusculis gabellas debere solui. Non autem debetur gabella ex conuentione contractus, si fiat in vno loco, & in alio instrumentum, donec per instrumentum res tradatur.

5. Lessius. Miranda. Busembaum, & alij apud Me *supra.*

6. Caietanus *in summ. verb. Vectigal.* Nauarra. Pedraza. Nauarrus. Sotus. Sylvester. Armilla.

6 Si

6 Si quis sit læsus à Rege, & concurrant conditiones requisitæ ad occultam compensationem, potest hanc accipere non soluendo gabellas, etiamsi hæ locatæ sint alicui priuato; tum quia semper minoris locantur; tum quia Rex non potest vendere, aut locare quod meum est, nempe quod aliàs ego ei debebam, nisi ipse mihi id deberet: (7) nec hæc tributa orta sunt ex aliquo, cuius iustam possessionem habeat iam ille locator; sicut contingeret, si Rex dedisset vsumfructum prædij alicui; non valeret quis creditor Regis compensationem ex fructibus illius sumere, cum nati sint ex prædio iustè possesso ab alio.

Angelus, & alij.

7. Sylvest. *verb. Gabella* 3. *q.* 9. Nauarra. Malderus. Djana, & plures.

7 Absque iusta causa nequit Rex imponere tributa, & ad restitutionem tenetur. Imposita autem ad finem determinatum, eo cessante, (8) nequeunt continuari, cum subditi solùm ea concedere voluerint ob illum finem; nisi alia necessitas æqualis instet, tunc enim commutatur materia.

8. Corduba *in summ. q.* 93. *art.* 1. Caietanus. Nauarra. Gabriel. Sylvester. Angelus.

8 Si quis sciat, alium defraudare gabellas mercium, adhuc potest ab eo emere merces, nec tenetur eum detegere, si non teneatur aliunde ratione officij publici; quippe ipse præbet, dum emit, materiam indifferentem, qua vendens potest benè, ac malè vti; & ipsi imputabitur prauus vsus; (9) nec præterea emès tenetur reuelare crimina patrata in loco; nec suam vtilitatem amittere in ea emptione, cum vtatur iure suo emendo; dum non aliter cooperetur. Quòd si nulla ei superueniret vtilitas, lege charitatis teneretur manifestare id furtum, dum ei incommodum non sequeretur; sicut videns latronem tollentem nummos ex bursa alterius, eum tenetur monere. Lex autem (10) in Hispania indicens, debere manifestari defraudatorem gabellæ, vel est solùm pœnalis, vel non est in vsu.

9. Nauarra *de rest. l.* 3. *cap.* 1. *num.* 273.

10. *Leg.* 120. *del quaderno de las alcaualas.* Relata *in leg.* 31. & 32. *tit.* 19. *lib.* 9. *Recop.*

9 Dum quis legatum accipit sibi in testamento relictum, vel in ipsa specie, vel in aliqua re ex his, quæ in subhastatione venduntur, dum eius valor non excedat valorem legati, non debet (11) in conscientia soluere tributum. Nam reipsa ibi non interuenit venditio, sed datur legatario sua portio. Idem est de hæreditate inter plures diuisa.

11. Nauarr. *de rest. l.* 3. *n.* 277.

10 Ecclesiastici non tenentur, nec possunt soluere

gabellas, vt iam libaui, nisi ex Pontificis dispensatione; (12) & quidem non solùm ex bonis Ecclesiasticis, sed nec ex patrimonialibus. Qua tamen immunitate non gaudent in sequentibus casibus. Primò si habitum clericalem assumant in fraudem gabellarum absque intentione permanendi in eo statu. (13) Deinde in bonis, quæ pater, aut mater, seu quis eiusmodi eis donauit fraudulenter, vt sic non soluant gabellas, (14) cum tamen donatio sit apparens, & ad eum dumtaxat finem tendat; quo casu debetur restitutio damni illati aliis soluentibus, aut Principi, si is solus damnum percepit. Nec gaudent Clerici ea immunitate, saltem in aliquibus Regnis, in bonis, quæ eis donantur à quolibet, nisi donarentur, vt essent titulus, seu patrimonium ad Ordines sacros suscipiendos. Similiter si transferantur ad eos bona, quæ affecta erant onere soluendi aliquam contributionem, idem eis incumbit onus. At in Italia in vsu est, vt Ecclesiæ non soluant ex his bonis. (15) Rursùs si instet aliquod graue periculum, seu damnum commune omnibus, etiam tenentur Clerici, sicut & laici, ad illud euitandum præstare subsidium. (16)

11 Præterea Clerici, quibus prohibita est negotiatio, (de quo alibi) etiam antequam admoneantur abstinere ab illa, tenentur in conscientia soluere gabellas ex his, quæ negotiantur stricta negotiatione; (17) quin etiam & ex his, quæ alia minùs stricta gerunt, nempe si vendant pannos per operarios à se conductos elaboratos, seu alia eiusmodi.

12 Estò subditi teneantur iustas gabellas soluere, quòd si eas defraudent, ad restitutionem obligantur: verùm quia non pauci viri doctissimi oppositum asserunt (estò prima sit communior sententia) poterit Confessarius minùs rigidè se habere cum pœnitente, qui gabellas non soluerit, ita vt cum mediocri causa possit eum à restituendo vel totum, vel partem exonerare; (18) maximè si durum, aut dubiè iustum sit tributum, quod sufficit soluere, si petatur. Et quidem deputati ad exigendum possunt dissimulare cum pauperibus, qui vix soluendo sunt.

13 Colonus Ecclesiæ, aut Clerici pro parte sua debet

12. Card. Tolet. *in sum. l. 1. c. 37.* Sylvester. Lud. Lopez. Rodriguez. Panormitan. & communis.

13. Argum. leg. *Qui sub prætextu, Cod. de sacros. Eccles.*

14. Sylvest. *verb. Excommunicatio, num. 14.* Luc de Peña. Dueñas. Bartolus. Speculator. & alij.

15. *Cap. Tributum, 23. q. 8.*

16. Eman. Rodrig. *in sum. part. 2. c. 75. concl. 13.* Bertachinus. Campanile. Sylvester. Lud. Lopez. & alij.

17. Prosp. de August. *in addit. ad Quarantã, verb. Vectigal.* Card. Zabarella. Dueñas. Vitalis Rodriguez. & plures.

18. Vide Authores allatos à Victorell. *in sum.*

bet gabellam soluere; & etiam ex fructibus, ac rebus, quas Ecclesiastici vendunt, gabella est soluenda. (19)

Emanuelis Sâ, *verb. Gabella*, & Dian. *p. 4. tr. 3. resp. 39.* 19.

14 Vt gabella, seu tributum sit iustum, requiritur potestas in exigente, quæ datur in eo Principe, qui non habet superiorem; causa sufficiens, scilicet si patrimonium iam assignatum Principi, non sit satis ob nouas rationes emergentes; rursùs proportio, scilicet quod non excedat vires, seu facultates subditorum; demùm aptitudo personarum, à quibus est exigendum, nempe quod non sint Ecclesiæ, Monasteria, nec Ecclesiastici. (20)

Eman. Sâ *vbi nuper.*

20.

15 Christiani transeuntes per terras Sarracenorum, aut incolentes terras subditas illis, vt sunt Maronitæ, & alij; necnon Catholici, qui subduntur Principibus hæreticis, tenentur soluere gabellas, quoties iustè, & non tyrannicè Regnum illi possident, siquidem eis etiam fides seruanda est. (21)

Sylvest. *verb. Gabella* 3. & communis.

21.

16 Potest Princeps ex proprio motu alicui priuilegium concedere, ne hanc, vel illam gabellam soluat, seu ipse, seu etiam omnes descendentes; atque etiam, ne eam soluat, qui tali munere, aut officio potitur. Quòd si id priuilegium concedat ad preces alicuius, oportet fieri mentionem publicæ vtilitatis, cui derogatur (22) addendo clausulam, *non obstante.*

Card. Lugo. Sylvester. Raymundus. Diana, & plurimi.

22.

17 Cæci, & laborantes morbo perpetuo non tenentur ad vectigalia, seu onera personalia, (23) nec item ad mixta, quæ sunt rei, & personæ simul inseparabiliter; sic verò ad purè realia, si habeant vnde soluant; nam licèt cæci inter personas miserabiles computentur, tamen quoad eiusmodi solutionem, dum non sint indigentes, tales non reputantur.

*Leg. fin. Cod. si contra ius, aut public. vtilit.* 23. Panormitan. *in cap. Licet, de censibus.* Hostiensis. Sylvester.

18 Equites Melitenses Ordinis D. Joannis Hierosolymitani, cum sint verè, & strictè Religiosi, non tenentur gabellas soluere, nec possunt, nisi eas, quas alij Ecclesiastici ex concessione Pontificia soluunt. Cæteri Equites in Hispania, cum sit sub controuersia, an sint propriè Religiosi, dum aliunde non sint sacro Ordine initiati, aut saltem prima tonsura cum habitu clericali, & deputatione ad aliquam Ecclesiam, gabellas soluunt, veluti cæteri sæculares; & Rex est in

possessione

poſſeſſione iuſta exigendi illas ab eis, contra quam non ſufficit ad immunitatem probabilitas, quod ſint propriè Religioſi.

## *Gradus in ſcientiis.*

1 GRadus in ſcientiis nequeunt conferri niſi authoritate Pontificis, aut Principis Supremi. Gradus, qui in Hiſpania conferuntur in Collegiis ſæcularibus, & non in Academiis, minimè admittuntur ad actus, ſeu honores, ad quos Gradus requiritur. Qui gaudet Gradu Bacchalaureatus, poteſt in Hiſpania legere publicè in Academiis, & opponi ad Cathedras, & eſſe Aduocatus, ac Iudex, quamvis vt ſit Aduocatus Senatuum Regiorum, & alia quædam munia exerceat, requiratur etiam examen, & approbatio (1) Senatus Regij Caſtellæ.

1. Apud Me *de Iure Academ. l. 1. q. 11.*

2 Gradus Licentiatus, aut Doctoratus exigitur, (2) iuxta Tridentinum, ad Dignitates, & Scholaſtrias Eccleſiarum, & vt ſit quis Vicarius Capituli Sede vacante. Et in Hiſpaniarum Eccleſiis is gradus acceptus in Academia approbata requiritur ad obtinendas Præbendas, quæ dicuntur *affectæ*. Magiſterij gradus æquiparatur Doctoratui. Nequeunt donari Gradu vllo (3) infames, hæretici, excommunicati, & in aliquibus Academiis ſputij. Si in diuerſis Academiis aliqui eundem Gradum acceperint, quinam ſint præferendi, vbi diſſeritur de prælatione, conſuetudini ſtandum eſt. Prohibiti ſunt à Pio V. in Bulla quæ incipit *Quamvis*, Gradus ex priuilegio prouenientes, quatenus ſunt requiſiti ad res Eccleſiaſticas, (4) & non ſuffragaturos fore decernit ad vlla Munera, ſeu Dignitates Eccleſiaſticas. Plurimis gaudent (5) priuilegiis Doctores, & Magiſtri, ſed quia non omnia ſunt in praxi, ſtandum eſt conſuetudini cuiuſque Regni, Prouinciæ, aut loci, iuxta quam decernendum eſt, an aliqua extendantur ad vxores, filios, famulos, & item ad Licentiatos; regula enim fixa nequit ſtatui. Poteſt Princeps ſupremus (6) ſolo verbo ſuo creare Doctorem, aut Magiſtrum, cum in eo reſideat authoritas, quæ ab ipſo in Academias

2. *S. ff. 24. cap. 12. de reform.*

3. Socinus. Ancharanus. Bennius, & alij apud Me *vbi ſup. q. 11.*

4. Apud Me *ſup. q. 12. & 15.*

5. Apud Me *ſup. q. 13.*

6. Beſoldus. Vualterus. Apud Me *ſup. q. 15.*

mias dimanat; qui tamen gradus non ſufficiet ad Munera, ad quæ requiritur à Pontifice, ſeu à Tridentino Gradus; nam is requiritur ab eis in Academia approbata, expreſsis verbis.

3 Peccat grauiter, qui examinat ad gradus Licentiatus, & Doctoratus, aut Magiſterij, ſi examinet perfunctoriè, & approbet inſufficientem, (7) attendereque debet eſſe neceſſarium, Candidatum eſſe apprimè doctum. In ætate requiſita ad gradus ſtandum eſt ſtylo cuiuſque Academiæ.

7. Apud Me *de Iure Academ. l.1. q. 15.*

4 Maximè conforme eſt Inſtituto, & Conſtitutionibus Societatis Jeſu, (8) accipere Gradus Licentiatus, & Magiſterij in qualibet Academia, & publicè ibi legere, (dum non opponantur ad Cathedras,) & vti inſignibus in actibus publicis, quibus cæteri Magiſtri vtuntur.

8. Apud Me *ſup. q.16. & 17.*

5 Qui minùs ſufficiens, & inſufficientiæ conſcius accipit gradum Licentiatus, aut Doctoratus, grauiter (9) peccat, & pariter qui eum approbant; nam inde bonum publicum maximè damnificatur, ſiquidem Licentiati, & Doctores ad Munia, & Dignitates ob Gradus admittuntur. Vnde pro foro conſcientiæ nequeunt accipere, nec retinere emolumenta ratione præciſa gradus obuenientia, cum titulus non ſit verè ſubſiſtens.

9. D. Antonin. Caietanus. Nauarrus. Sylueſter. Th. Sanch. & alij apud Me *ſup. l.2. q.2.*

6 Qui Gradum accepit in Academia externa, ſi incorporetur in Academia approbata Hiſpaniæ, in qua examen ad incorporationem præcedat, habilis eſt ad quoſcumque Canonicatus, Dignitates, ſeu Beneficia, ad quæ iuxta ſtatuta ſpecialia Eccleſiarum, aut iuxta Tridentinum requiratur talis Gradus; & id tenet, quamvis Academia ſit ſolùm Regia, & non Pontificia; (10) ſic enim ſatisfit Statutis, & Decretis, & nihil deeſt incorporato, quo minùs habilis ad eas Præbendas iudicetur. Si in Eccleſia ſit ſtatutum, vt quis ſit Gradu inſignitus ante oppoſitionem ad Canonicatum, non ſufficiet ſuſcipere illum poſt ſubſcriptam oppoſitionem, ante lectionem, & examen, (11) vt in Rota eſt deciſum; ſufficiet verò, ſi non ſit id ſtatutum; (12) nam Sixtus IV. & Leo X. requirentes in ſuis Bullis eam qualitatem Gradus, ſolùm decernunt, quod

10. Th. Hurtado. Barboſa. Nic. Garcia. Mandoſius. Azor. Apud Me *vbi ſup. l.2. q.4.*

11. Apud Me *ibidem q. 5.*

12. Th. Hurtado. Rod. Suarez. Auendaño, & plures apud Me *vbi sup.*

quòd illæ Dignitates conferantur Graduatis, & id verificatur in casu præfixo : & cum Gradus requiratur propter Officium, & Beneficium, sat est, si Gradum habeat quis, dum eligitur ; vnde edicta requirentia Gradum in oppositoribus, de tempore electionis sunt intelligenda, & de tempore lectionis, ac examinis. Verùm stylus, & consuetudo sunt obseruanda.

7 Non est approbatus ad Confessiones excipiendas, qui Gradum Doctoratus, aut Licentiatus habet, sed indiget approbatione ordinarij, cum iuxta Tridentinum soli Parochi sint ipso iure approbati ; (13) & possunt examinari ab Ordinario hi Graduati, sicut cæteri. (14)

13. Ego cum aliis *de Bull. Cruc. d. 22. ex cap. 2. & de Iure Academ. l. 2. q. 7.*

14. Ego *de Iure Academ. sup.*

8 Quando requiritur Gradus ad Canonicatum, Beneficium, aut Cathedram, si quis habens Gradum fictum, aut inualidum, aliquid ex his obtineat, peccat grauiter, & tenetur restituere ; nam licet Gradus non sit ratio motiua, sed scientia, tamen Gradus requiritur pro forma, (15) vt is constituatur capax obtinendi ea munera, & incapax est, dum Gradu non insignitur ; perindeque se habet, non insigniri illo, ac esse illum fictum, aut inualidum. Potest autem Pontifex reualidare obtentionem Beneficij, & Princeps obtentionem Cathedræ. Quòd si obtinens processerit bona fide, ad nihil tenetur ; cum iudicetur, Legislatorem id supplere, (16) & voluisse, dari Gradum realiter, aut bona fide habitum ad obtinendum ea munia.

15. Ego *vbi sup. l. 2. q. 23.*

16. Ego *vbi super.*

9 Cæterùm validus est Gradus Bacchalaureatus in Hispania, vbi is Gradus est, etiamsi quis afferat Cursus literarios falsos, aut ei deficiat aliquod requisitum ; quippe (17) præiudicium nulli infertur, siquidem si accipiens gradum non polleat doctrina, qua alij oppositores, non præualebit illis : si autem doctrina vigeat, qua alij, qui eum gradum accipiunt, non inualidatur gradus ob eos defectus ; nam quando concurrit id, quod secundum ius naturale est necessarium, (vt in præsenti est ea doctrina, & scientia) non annullatur actus, nec contractus, seu quasi contractus ex defectu solennitatum, quæ iure humano requiruntur.

17. Palacios. Th. Sanchez. Diana, & alij apud Me *sup. q. 11.*

tur. (18) Id autem intellige iuxta forum conſcientiæ; nam iuxta externum annullari poteſt Gradus, ſi probentur defectus requiſitorum. Non erit peccatum mortale (dum non detur iuramentum de re falſa) accipere eum Gradum cum illis defectibus, cum nullius ius lædatur, & adſint requiſita ex iure naturali. 18. Couarruuias. Nauarrus. Lud. Lopez. Henriquez, & alij *vbi ſuper.*

## *Gratia, ſeu indultum.*

1 GRatia quoad res morales ſumitur pro conceſſione alicuius beneficij, ſeu indulti, aut priuilegij. Non exſpirat gratia morte concedentis: quòd ſi is illam reuocet, non exſpirat ante certificationem (1) de reuocatione facta. Hinc ſi Papa concedat alicui, vt diſpenſet cum alio, etiamſi Papa moriatur, valet ille diſpenſare. Quòd ſi indulgeat alicui, vt faciat quidquam, nec adhuc fecerit, poteſt poſt eius mortem facere. Et ſi concedat tibi generaliter, vt poſſis diſpenſare, & abſoluere, aut eligere Confeſſarium, durat hæc facultas poſt eius mortem. Idemque eſt de quolibet potente concedere eas facultates. 1. Azor *l.* 5. *c.* 3. *q.* 6. Sayrus. Nauarrus. Th. Sanchez. Fumus. Emanuel Sâ, & plures.

2 Quamvis deficiat cauſa, inchoato vſu gratiæ, ob quam illa conceſſa eſt, adhuc durat; (2) ſi verò fuit cauſa falſa, gratia eſt nulla. Quare conceſſa gratia alicui ob pluralitatem filiorum, quos habet, etiam his mortuis durat. 2. Eman. Sâ *verbo Gratia, n.* 6. Sylueſter. Ioan. Andreas.

3 Non ſolùm gratia eſt nulla, cum cauſa motiua eſt falſa, (3) ſed etiam cum tacetur id, quod ius exprimi iubet, ſeu id, quod expreſſum omnino retraheret concedentem: (4) non verò id, quod difficiliorem redderet illum; nec expreſſio falſi, quod non eſt cauſa motiua, ſed impulſiua, vt facilius concedatur. Cæterùm gratia Principis ſemper intelligenda eſt ſine præiudicio tertij. Nec opus eſt ſcriptura, vt quis vtatur gratia ſibi conceſſa, cum non eſt neceſſaria oſtenſio literarum ad vſum. 3. *Cap. Poſtulaſti, c. Super litteris, de reſcript.* 4. Nauarr. *conſ.* 2. & 5. *de cõſang.* & *conſil.* 1. *de feudis*, & *conſil.* 1. *de conſtit.* & plurimi.

4 Si in conceſſione gratiæ plures apponuntur cauſæ, quarum quælibet eſſet ſufficienter motiua, etiamſi aliæ ſint falſæ, dum vna ſit vera, gratia tenet. (5)

5 Cum fit gratia bannito, vt redeat ad Prouinciam, 5. Eman. Sâ *verb.* non *Gratia, n.* 24

non ideo ſit gratia bonorum, quæ ſunt adquiſita à Fiſco. (6)

6. Angel. *verb. Gratia.* Fumus. Sylueſter.

6 Quamquam non habeat quis mandatum, ſi alteri impetret gratiam, hæc valida eſt.

7 In gratia, & priuilegio, nomine marium intelliguntur etiam fœminæ, quando hæ ſunt capaces vtendi illo. Alia vide verbo *Priuilegium.*

## H

## *Hæreſis. Hæreticus.*

1 TENETVR quis denuntiare eum, quem euidenter ſcit, eſſe hæreticum, quamvis id probare non poſſit. Contraria propoſitio damnata eſt ab Alexandro VII. anno 1665.

2 Hæretici receptator non ſolùm is eſt, qui eum recipit quatenus hæreticum, ſed qui recipit vt amicum periclitantem incidere in manus Quæſitorum Fidei. (1) Receptator autem incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ, quamvis hæreticus non ſit denuntiatus; nam ea receptatio prohibetur ratione hæreſis. (2) Et quidem ſi recipiat hæreticum, vt diſſeminet errores, etiam effectu non ſecuto, contrahit excommunicationem; nam expleuit munus ſuum, & actionem, ob quam excommunicatio inflicta eſt.

1. Repertorium. Inquiſitor. Vmbertus. Calderinus. Zanchius, & Ego *in Statera, diſſ. 1. q. 6.*

2. Th. Sanchez. Suarez. Filliucius. Bonacina. Apud Me *ibi.*

3 Hæreticus, etiam occultus, & cuius crimen probari nequit, ideo eſt denuntiandus Quæſitoribus Fidei; nam hæreſis adeò exitialis, & contagioſa eſt, vt poſſit ſerpere, & inficere alios, niſi remedia, & cautelæ apponantur per ſuperiores, qui inquirant, & medeantur. (3) Et ſic præcipitur ab illis, eiſque tenentur omnes obedire. Denuntiandus etiam eſt hæreticus, quamvis ſit ſtrictiſsimo ſanguinis vinculo coniunctus, etſi inde honoris, aut facultatum timeatur detrimentum. Quippe hoc præceptum denuntiandi illum eſt diuinum; cum in Deuteronomio *cap.* 13. præcipiat Deus denuntiare filium, vxorem, aut fratrem

3. uarez. agundez. Valentia. Layman, & alij apud Me *in Statera, diſſ. 1. q. 10.*

(&

( & idem sentiendum de correlatiuis, scilicet patre, & marito) si persuadeant deserere verum Deum. Hæreticus autem, cum Fidem rectam non teneat, Deum deserit. Et præterea cum hostis patriæ, & committens crimen læsæ Maiestatis, etiamsi pater sit, debeat denuntiari; hæreticus, qui est Ecclesiæ hostis, & crimen læsæ Maiestatis diuinæ patrat, etiamsi pater sit, est denuntiandus. (4)

4. Toletus. Azor. Suarez. Raynaudus. Baldellus. Hurtado. Th. Sanchez. Apud Me *ibidem, q.* 11.

4 Denuntiandi sunt hæretici, & de hæresi adhuc leuiter suspecti, nulla correctione fraterna præeunte. Ita decreuit Sacra Congregatio Generalis Romanæ Inquisitionis, approbante Alexandro VII. die 8. Iulij, anno 1660.

5. Sylnester. Nauarrus. Sayrus. Barbosa. Lud. à Cruce. Trullench. Th. Sanchez. Azor, & alij apud Me *de Bull. Cruciat. d.* 23. *n.* 90.

5 Hæresis est *error pertinax hominis Christiani fidei ex parte contrarius*; si sit ex toto contrarius, erit apostasia à fide. Pertinacia autem requirit scientiam, quòd fidei contrarietur propositio, & tunc est hæresis formalis; nam si detur ignorantia adhuc crassa, erit solùm hæresis materialis, quæ non continetur in reseruatione absolutionis ab hæresi. (5) Alia est merè interna, nullo signo, aut verbo declarata; quæ non continetur sub reseruatione. Alia est externa; & hæc vel est publica, ita vt pluribus innotescat; vel occulta, & vtraque est reseruata quoad absolutionem. Vt autem sit hæresis externa, necessum non est, vt ab aliquo audiatur: sat est, si verbo, aut signo externo sufficienter manifestatiuo exprimatur, ita vt si aliquis esset præsens, posset eam percipere; itaque per accidens probari nequit. Negans exteriùs fidem, licet interiùs non neget, punitur ab Inquisitoribus Fidei, quia Ecclesia non iudicat de occultis; & si sit idololatra exteriùs tantùm, contrahit excommunicationem (6) non reseruatam.

6. Apud Me *vbi nuper.*

6 Hæreticus priuatur ipso iure bonis possessis à die commissi delicti; (7) non tamen ita vt ipse teneatur se manifestare, & bona tradere Fisco, sed declarato à Iudice delicto, statim amittat bona. Hinc ante eam declarationem eius contractus, & alienationes sunt validæ. (8)

7. *Cap. Cùm secundum leges de hæreticis 6.*

8. Communis.

7 Baptizatos in Germania ab hæreticis non esse rebaptizandos,

baptizandos, Authores Germanici, (9) & alij adſtruunt, eamque ibi eſſe conſuetudinem affirmant, eo quòd non detur in illis hæreticis error circa materiam, formam, & intentionem. At quia non ita ſe habent hæretici Angli, & Hollandi, baptizatos ab his, cum ad noſtram Religionem conuertuntur, omnes rectè aſſerunt (10) fore rebaptizandos, ſaltem ſub conditione.

8 Hæreticus nequit eſſe patrinus in baptiſmo Catholici; repugnat enim, ei munus incumbere inſtruendi in fide Catholica puerum, cum ipſe eam fidem abhorreat; & præterea indecens, ac illicitum eſt, miſceri hæreticum Sacramentis Catholicorum ad vllum munus. Scio, baptiſmi fore validè patrinum hæreticum, (11) cum nullibi declaretur ille actus nullus; tamen per ſe loquendo non eſt admittendus. Scio etiam in aliquibus locis Germaniæ aliquando non reperiri Catholicum, qui ſit patrinus infantis Catholici; & certè melius eſſet, nullum adhiberi patrinum, quàm hæreticum; ſed Germani non patiuntur, abſque patrino ſuos filios baptizari; quare ſi accidat hæreticum ibi eſſe patrinum, aduertendum eſt, ne ille ſponſionem faciat pro infante. (12) Cæterùm ob magnam aliquam vtilitatem, vel ob cauſam aliam vrgentem poteſt Catholicus eſſe patrinus in baptiſmo filij hæretici, (13) proteſtans ſe ſuſcipere infantem iuxta morem Eccleſiæ Romanæ; nam non eſt prohibitum abſolutè communicare cum hæreticis toleratis; & aliunde ea profeſsione facta, ſaluatur non communicari in eorum ritibus.

9 Ab Epiſcopo hæretico nequit quis licitè ordinari; quòd ſi iudicaretur Epiſcopus Catholicus, & poſteà deprehenderetur, fuiſſe hæreticum, Ordines ab eo præſtiti eſſent ſub conditione, (14) reiterandi, cum meritò dubitari poſſet de vero Epiſcopatu illius, & de prolatione veræ formæ, necnon de intentione.

10 Hæreticus occultus legitimè abſolutus (15) non eſt irregularis. In Germania filius hæretici non eſt irregularis, quia ibi hæreſis non parit infamiam; (16) eſtò in aliquibus diœceſibus ibi non libenter filij hæreticorum

9. Gobat. *in exper. Theol. tr. 2. num.* 390. Tannerus. Card. Lugo. Layman. Coninch.

10. Quintanad. *tr. 1. ſing.* 3. Syluius. Bonæ Spei. Steph. à S. Paulo. Vrbanus. Præpoſitus, & alij.

11. Th. Sanchez *de matr. l. 7. d. 60, n. 2.* Layman. Gobat.

12. Layman *l. 5. cap. 5. num. 7.* Gobat. Tanner.

13. Tanner. *tom. 3. d. 1. q. 7. n. 125.* Layman. Gobat. Caſtro Palao.

14. Bardi *de conſc. d. 6. c. 11. p. 6. §. 2.* Gobat.

15. Gobat. *in exper. Theol. tr. 8. num.* 655. Layman. Tannerus.

16. Gibalin. *de irregul. c. 5. n. 13.* Th. Sanchez. Gobat.

reticorum ad sacros Ordines absque dispensatione promoueantur, vt in Diœcesi Constanticnsi. At si pater sit prædicans, seu minister verbi, filius est irregularis; nam ille iudicatur formaliter hæreticus pertinax, ac infamis quoad forum Ecclesiasticum, & Ordines, & infamiam transfert in filios; infamis autem est irregularis. Tannerus. Layman. Sayrus. Eman. Sà.

11 Peccat grauiter, per se loquendo, Catholicus contrahens matrimonium cum hæretica, & Catholica cum hæretico: (17) quamvis habitent in locis, vbi mixti degunt Catholici cum hæreticis; (18) tum quia illicitum est communicare in sacris, quale est Sacramentum matrimonij, cum hæreticis: essetque ministrum indignum eius Sacramenti hæreticum: tum quia exponunt se mulieres peruersioni, & filios educationi in hæresi; ac demùm in Conciliis Generalibus Chalcedonensi, & Agathensi prohibita sunt (19) hæc coniugia. Non inficior, posse in aliquo casu Pontificem dispensare in similibus matrimoniis ex graui causa, præuidendo non fore periculum peruersionis, & prauæ educationis filiorum. 17. *Cap. Cauc, 38. q. 1.* 18. Busembaum *l. 2. tr. 1 c. 4.* Serarius. Marchantius. Lessius. Card. Bellarm. Valentia, & alij. 19. *Cap. Non oportet, 28. q. 1.*

12 Dubius in fide, hæreticus, (20) scilicet qui voluntariè dubitat de aliquo Fidei articulo, quin sit constans in assensu, quem debet præstare captiuans intellectum in obsequium fidei. Dubitatio autem debet esse supra aliquid vel definitum ab Ecclesia, vel cuius oppositum ab Ecclesia est damnatum, vel demùm cuius oppositum repugnat Scripturæ sacræ. 20. Communis.

13 Abiurans hæresim adhuc est inhabilis ad Officia, & Beneficia; si Ordines susceperit, potest, postquam resipuit, eos cum dispensatione exercere, ac promoueri ad altiores. (21) 21. Em. Sà *verb. Hæresis, n. 5.* Syluester. Maiolus, & alij.

14 Qui hæreticum sepelit in loco sacro, contrahit excommunicationem. Requiritur autem, vt sciat certò esse hæreticum. (22) 22. Sylueſter *verb. Excommunicatio 9. n. 27. & verb. Hæresis 1. num. 16.*

15 Inire fœdus cum hæreticis, vt adiuuent in bello iusto, & è conuerso, non est illicitum ex natura rei; at id, quantum possit fieri, est vitandum, ne Religioni noceatur, immixtis militibus Catholicis, & hæreticis. (23)

16 Hæreticorum filij (quidquid sit in Germania) Eman. Sà & alij.

23. Diana *p.* 10 *tr.* 18. *ex resol.* 1. Suarez, & plurimi.

sunt inhabiles ad publica Munera, & Officia, necnon ad Beneficia, & pensiones Ecclesiasticas, adhuc si nati sint ante hæresim parentum. (24) Quod si obtinuerint Beneficium post eorum hæresim, illo priuantur ipso facto, dum notoriè constet de hæresi; non verò Beneficio obtento ante parentum hæresim. At si filius reuelat sponte hæresim patris, quamvis post illam sit natus, non est obnoxius vlli pœnæ ex statutis contra filios hæreticorum. De legente, aut audiente librum hæreticum, vide *Liber. Histrio* vide *Artes.*

24. Suarez. Th. Sanchez. Fumus. Diana, & plures.

## *Homicidium.*

1 NOn licet interficere falsum accusatorem, nec falsos testes, nec iudicem, à quo iniqua certò imminet sententia, etiamsi alia via non possit innocens damnum euitare. Contraria opinio damnata est ab Alexandro VII. anno 1665.

2 Homicidium, cum fit cum moderamine inculpatæ tutelæ, non inducit irregularitatem, nec est peccatum. Id autem moderamen his conditionibus constat. Quòd aggressor sit iniustus. Quòd mors eius sit in ipso actu inuasionis, nisi posteà timeatur probabiliter secunda inuasio. Quòd attendatur modus armorum, nam si inuadat quis pugno, quo graue damnum nequeat inferre, nequit occidi. Quòd possit vitari eius inuasio, arrepta fuga à Clerico, à religioso, & ab eo, qui fugiendo non patiatur grauem iacturam honoris. (1)

1. Sayrus *lib.* 6. *c.* 16. *ex n.* 18. Conarruuias. Nauarra. Medina. Henriquez. Lessius. Bonacina, & alij.

3 Homicidium directum, & positiuum sui ipsius est illicitum; at negatiuum, hoc est, ob bonum finem voluntariæ morti se exponere, est licitum, (2) v.g. tempore famis ministrare parenti panem, pereunte filio præ inedia; tabulam in naufragio alij quo respublica indiget, vt Principi, ministrare ob charitatem, pereunte eo, qui ministrat, & similia; nam hi sunt actus virtutum, dum hi, pro quibus vita postponitur sint plus necessarij reipublicæ: aliter ordo charitatis à se incipit, nec potest quis se exponere morti ob vitam

2. D. Thom. *in* 3. *d.* 29. *art.* 5. *ad* 3. & *l.* 2. *de*

alterius

alterius priuati, & multò minùs pro eius bonis. (3) Licet verò pro ſalute reipublicæ morti ſe exponere. In nullo autem caſu licet vitam ſpiritualem propriam exponere periculo. Cum autem finis excellentior adeſt, licet vitam temporalem indirectè, ſeu negatiuè perdere, ſcilicet id faciendo, aut omittendo, ex quo mors ſequatur. Cæterùm ſi ſpes ſit euadendi, non ita ſtrictè eſt philoſophandum. Sic ſe exponit periculo naufragij, qui nauigat ad Indos ob diuitias comparandas, & alij in aliis caſibus. Nec tenetur quis non ieiunare, nec macerare corpus eo quòd mors anticipabitur; nam valde indirectè cooperatur ad illam.

*regimin. Princip. c. 10. & 22.* Sotus. Nauarra. Victoria. Durandus. Corduba, & alij.

3. Nauarra *de reſt. l. 2, n. 41.* D. Auguſtinus. D. Bonauent.

4 Cum quis à iudice eſt damnatus ad mortem, nec habetur in vinculis, ſi timetur ab eo viuente damnum, licet Magiſtratui concedere, vt quicumque eum poſſit occidere. Idem dic de publicis latronibus, qui nequeunt capi, vt iuridicè damnentur. Aliter non licet ea conceſſio. (4)

4. Sotus *l. 8. de iuſt. q. 1. art. 3. ad 1.* Nauarra. Sylueſter, & alij.

5 Non licet occidere vxorem, nec matrem, nec filiam deprehenſas in adulterio, (5) eſtò quoad forum externum circa adulteram vxorem ſint leges ſtatuentes quid ſit præſtandum.

5. Communis.

6 Nunquam licet occidere Principem prætextu tyrannidis. Oppoſitum nequit ſuſtineri. Et in Societate Jeſu ſub grauiſsimis pœnis prohibitum eſt, vllo modo defendi poſſe.

7 Aggreſſorem iniuſtum honoris in ipſo aggreſsionis actu licitum eſt percutere pro recuperando honore, aliter apud homines amittendo, cum honor ſit æſtimabilior diuitiis, (6) & pro his defendendis, cum ſint quantitatis conſiderabilis, liceat laico percutere latronem aggredientem (7) quando in vtroque caſu non ſupperit alia via recuperandi honorem, & diuitias. Et hæ quidem ad vitam ſuſtentandam neceſſariæ ſunt, atque adeo vita defenditur, dum pro illis fit defenſio. Non autem licet, ſi aggreſſor veniam poſcat, aut latro res relinquat, vel tranſierit moraliter actio aggreſsionis, ita vt iam vterque fugerit, & ſint v. g. in ſua domo. At clericus nequit pro honore defendendo percutere aggreſſorem; eius quippe honor ex virtutibus, modeſtia, & patientia creſcit. (8) An verò liceat

6. Sylueſt. *verb. Homicidium 1. q. 2. dict. 5.* Nauarrus. Sotus. Gomez. Nauarra, & alij.

7. *Cap. Olim, de reſtit. ſpoliator.* & cõmunior.

8. Nauar. *de reſt.*

*l.2. c.3.n.389.* Couarruuias. Sylueſter. Mercado. Nauarrus. Sotus. Panormitan. & alij.

pro rebus ſuis defeudendis clerico, aut religioſo percutere inuaſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, eſtò videatur affirmatiuè aſſerendum, quia ius naturale commune eſt omnibus, quo licet vim vi repellere; & iura interdicentia explicantur de exceſſu in non ſeruando moderamine inculpatæ tutelæ, (9) quod probabile eſt; oppoſitum tamen eſt in praxi tenendum, vt conformius ad iura, & ſtatum clerici, & religioſi.

9. Couarruuias *3.p. relect. §. vlt.num.vlt.* Sotus. Nauarra, & alij.

8 Pro defenſione caſtitatis licitum eſt occidere aggreſſorem, aliter non deſiſtentem, (10) ſicut licitum eſt pro vitanda mutilatione, cum ſit res magni momenti, quæ auferri intenditur.

10. Sylueſt. *verb. Homicid. 2.q.5.* Nauarrus. Mercado. Nauarra.

9 Vt defendat quis innocentem, aliter occidendum, ſeu eius bona ingentia, ſi alia via nequeat eum liberare, poteſt aggreſſorem occidere, cum proximi vnum ſint nobiſcum per charitatem. (11) At non tenetur ex iuſtitia quis (niſi ex officio ei incumbat) ſed ex charitate ſub lethali ſuccurrere ei neceſsitati extremæ proximi; niſi ipſe ideo in ſimili periculo conſtituatur, tunc enim nullo modo tenetur.

11. Communis.

10 Non licet damnato ad mortem ſinere ſe mori ex inedia, nec damnato ad hauriendum venenum, illud haurire ſponte ſua antecedenter.

11 Occidens, vel vulnerans in duello nihil tenetur reſtituere. De irregularitate ex homicidio, vide *Irregularitas.*

## *Honor. Fama.*

1. Molina. Toletus. Lugo. Azor. Leſſius. Vaſquez. Amicus. Filliucius. Layman. Buſembaum, &

1 EVm, qui alapa, aut fuſte te percuſsit, & fugit, non licet ob honoris defenſionem inſequi fugientem, ad repercutiendum. (1) Nam poſt acceptam iniuriam repercuſsio non eſt propulſatio iniuriæ, ſed vindicta; & ad recuperandum honorem, & propulſandam iniuriam alia ſuppetunt media; & cum hæc dantur, non licet vti repercuſsione, quæ ex ſe eſt illicita. Aliud eſt, ſi incutiens damnum velit illud repetere, & ignominioſum ſit percuſſo fugere; tunc enim, vt ſe defendat, & propulſet alium ictum, poterit repercutere percutientem. Cæterùm cum repercuſsio eſt illicita,

cita, damna inde ſecuta refarcienda à repercutiente ſunt, vtpote iniuſtè illata. ego *in Statera, diſſ. 4. q. 3.*

2 Pro honore tuendo, quando ſequitur ignominia, eo quòd ſit vitium admittendum, licitum, & laudabile eſt mortem ſubire, v. g. ſi tibi quis mortem minetur, niſi ſis adulter, aut periurus: nam tunc non tam pro honore, quàm pro non admittendo peccato mors ſubitur.

3 Pro ignominia vitanda, quæ non ex proprio, ſed ex alieno peccato prouenit, non licet morti ſe exponere; quia vita præferenda eſt honori.

4 Honores Eccleſiaſticos procurare mediis honeſtis, & ob rectum finem, licitum eſt. Secus ſi indignus eſſet procurans; vel eos ad luxum, libidinem, & vanitatem fouendam ſolicitaret; vel in concurſu anteponi ſe digniori conaretur. Poteſt autem ſaltem abſque mortali culpa quis intendere eos honores, aut dignitates, v. g. Epiſcopatum, ob vtilitatem propriam; nam hæc non eſt finis, ad quem illas dirigit, ſed finis intendendi illas, quas obtentas exerceat ob finem eis debitum; (2) itaque ille non eſt finis Dignitatis Eccleſiaſticæ, ſed appetentis. 2. Nauarra *de reſt. l. 2. cap. 4. num. 32.* cum pluribus.

5 Ob honorem, & inanem gloriam aſſequendam, concionari, aut Eccleſiaſtica munia obire, ſi id vt vltimus finis, in quem ſe, & ſua quis referat, non apponatur, ſolùm eſt peccatum veniale; (3) illud verò non accidit, niſi quis ita ſit paratus, vt ea munia obiret, etiamſi eſſent contra Deum; aliter non præfert, ſaltem habitu, Deo eum finem, eſtò actu eius finis ſolùm memoriam retineret. 3. Sylueſt. *verb. Vana gloria, q. 2. & verb. Honor, q. 8.* Nauarra *ſup. n. 60.* & alij.

6 Fama eſt clara cum laude notitia, ſeu communis opinio voce manifeſtata. Hæc læditur per detractionem in abſentia: honor verò per contumeliam, qua quis alij verba dehonorantia falſa profert in faciem; necnon per conuitium, quo quis vera ei dicat, ſed afferentia dehonorationem, vt ſi eum vocet Iudæum, eſtò ſit ex ſanguine infecto; & demùm per improperium, quo ei in faciem eius neceſſitas, paupertas, & beneficia accepta ab improperante obiiciuntur. Si hæc omnia notabiliter lædant famam, aut honorem, ſunt peccatum graue, (4) niſi aliqua dehonoratio fiat gratiâ 4. Communis.

tia correctionis: in qua tamen si valde notabilis si excessus, & indebitus, datur culpa grauis, quia iniuste notabilis tristitia, pudor, & dolor infertur. Hinc nec iudices, nec Prælati, nec domini possunt corrigere, contumelias eiusmodi proferendo. (5)

5. Corduba. Nauarrus. Sylvester, & alij apud Nauarram *sup. n. 65.*

7 Læsores honoris, & famæ restituere tenentur. Et quidem non est opus dehonoranti poscere veniam, sed reparare honorem ablatum per alios actus, (6) dummodò hi sufficiant ad reparationem, arbitrio viri prudentis.

6. Couarruuias *2. variar. resol. c. 10. n. 7.* Corduba. Nauarra. Pedraza. Angles. Caietanus.

8 Contumelia differt specie à detractione, cum longè distinctæ sint iniuriæ, & diuersa auferant bona. Hinc si quis proferat in alium contumelias in eius faciem, habens simul animum infamandi illum, duplicem peccati speciem patrat: nam simul honorem, & famam lædit.

9 Seipsum infamare notabiliter absque causa honesta, peccatum est graue; (secus ex illa, vt cum quis profert in religione suos defectus,) etiamsi à iudice torqueatur: (7) tum quia honori suo consulere debet; tum quia non licet mendacium in re graui proferre. Contrarium est certò probabile (8) loquendo ex genere suo; nam sicut prodigere alia bona temporalia ex genere suo solùm est veniale, sic prodigere famam; nisi ex circunstantia sit graue, velut si is sit persona publica, cuius fama aliis est obligata; vel si infamatio afferat sibi, aut aliis graue damnum, veluti si de se diceret, esse hæreticum, proditorem, assassinum, adulteram, aut similia. Inde debet, vt bono publico, & suæ gentis consulat, famam sibi ablatam recuperare.

7. Armilla *verb. Detractio, §. 4.* Nauarrus. Pedraza. Maior. Paludanus. Panormitan. & plures.

8. Sotus *l. 5. de iust. q. 10. art. 2.* Adrianus. Couarruuias. Nauarra, & alij.

10 Quem in tortura aperire crimen secretum alterius, etiam sub secreto acceptum, licitum est; non enim (9) tenetur cum tanto dispendio alterius famam, imò nec vitam seruare.

9. Nauarra *de restit. l. 2. c. 4. num. 130.* Sotus. Corduba.

11 Constitutus iam in tortura non peccat mortaliter si falsum de se crimen fateatur: cum finis euadendi tormenta eum liberet (10) à culpa graui: dum tamen illud crimen non damnificet aliis, vt dixi.

10. Angelus *verb. Detractio, §. 6.* Sotus. Adrianus.

12 Peccata notoria manifestare etiam nescienti non est peccatum mortale, quia iam amisit delinquens iura secreti;

& idem est, cum quis publicè per sententiam est notatus. Et quamvis multis ante annis sententia præcesserit, non est contra iustitiam delictum manifestare; erit verò contra charitatem, si ignoratur iam crimen, dummodò non fiat in informationibus sanguinis, in quibus licèt, & debetur manifestari, si parentes fuerint damnati ob hæresim, aut quid simile. Ledesma. Sylvester. & plures.

13 Aliquando peccatur grauiter detrahendo in re veniali famæ: v.g. si de Episcopo dicatur, frequenter mendacia proferre, aut quid simile; nam ille facit magnam iacturam honoris, (11) siue sint vera, siue falsa ea delicta leuia, dum tamen sint occulta. 11. Communis.

14 Non est peccatum mortale (12) asserere de aliquo, esse superbum, iracundum, & his similia, quibus non denotentur culpæ graues occultæ, sed inclinatio indolis, cum non lædatur notabiliter fama: nisi ea esset persona, quæ honorem ex eo amitteret, vt si dicatur de Episcopo esse auarum, dum id non sit notorium. 12. D. Antonin. 2. p. tit. 8. c. 4. Sylvester. Corduba. Nauarrus.

15 Defectuum naturalium manifestatio non est detractio famæ, nisi ex ratione circunstantiæ sit lethalis, veluti si ex fine inferendi grauis damni, aut remouendi amicitiam vtilem, vel ob quid simile manifestentur. (13) Nec item manifestatio peccati grauis alterius, cum ille sibi indecorum non iudicat, nec contra suam famam, vt si de iuuene (14) dicatur, peccare cum fœminis. Nisi enim mala opinio in famam generetur in audientibus, culpa grauis non datur. 13. Communis. 14. Caietan. 2. 2. q. 73. art. 2. dub. 2. Sotus. Nauarra. Angles. Mercatus. Pedraza, & alij.

16 Si quis infamatus sit de aliquo graui peccato, non ideo potest lædi eius fama in alio diuersæ speciei non adeo graui. Vt si infamatus sit de hæresi, nequit euulgari eius latrocinium: nam ille habet ius conseruandæ suæ famæ in cæteris, in quibus eam non amisit.

17 Si quis audiuit graue crimen alterius, nequit propterea illud manifestare, nisi sit publicum, nec potest asserere (15) se audiuisse; sic enim paulatim fit illud publicum, & dehonestatur fama; cum audientes concipiant siniistram opinionem, estò à dicente non affirmetur. 15. Sotus l. 4. de iust. q. 6. art. 3. ad 4. Nauarra.

18 Dicere vni aut alteri taciturno crimen occultum alterius Mercatus.

alterius non eſt detractio grauis, quia leuiter læditur fama, nec eſt notabile nocumentum, (16) cum perinde ſe habeat, ac ſi nullus ſciret: dummodò non detur finis nocendi, ſed fiat ex leuitate.

16. Nauarra *de reſt. l. 2. cap. 4. num. 333.* Caietanus. Corduba.

19 Audire detractionem non cooperando, eſtò non reſiſtendo, nec reprehendendo, vel ex timore iuſto, vel ex negligentia, aut leuitate, ſolùm eſt peccatum veniale; nam ea eſt auditio materialis, (17) dum nec laudat, nec approbat, nec eſt concauſa: niſi ex officio audiens teneatur corrigere, aut ex eius taciturnitate ingens alteri damnum ſequatur, vel iudicetur, eum approbare detractionem.

17. Cordub. *membro 4. de detract. q. 4.* Nauarra, & alij.

20 Nequit famæ alterius detrahi, etiamſi ille falsò eam eſſet adeptus fictionibus, ac mendaciis: dum ea manifeſtare non ſit vtile bono publico; (18) quale eſſet, mulierculas hypocritas, aut ſimiles detegere.

18. Corduba *de detract. q. 2. concl. 4. ad 2.* Nauarra. Sotus, & alij.

21 Tacere laudes, quæ ad famam innocentis pertinent in caſu neceſſitatis, eſt genus detractionis; ſicut laudare ingenter aliquem reſpectu habito ad alium, qui inde vituperatur.

22 Qui iniuriam ſibi ab alio inflictam narrat, ob ſolatium, aut conſilium capiendum, non peccat; nam vtitur iure ſuo, & per accidens ſequitur detectio criminis iniuriantis; ſicut ſequitur, cum quis culpam grauem alterius detegit ſuperiori, vel ob remedium, vel vt de illo conqueratur. (19)

19. Communis.

23 Detractio famæ mortui eadem regula metienda eſt ac detractio viui. At ſi infamia non redundet in conſanguineos, & hæredes, non eſt obligatio reſtituendi eam illis: (20) ſic verò bono nomini à defuncto relicto, ne contra eius famam extantem apud viuos ſiniſtrè concipiatur.

20. Angles *in flor. 4. ſent. q. de reſt. honoris.* Nauar. & alij.

24 Detrahens Communitati tenetur eius famam reſtituere. Qui ſecretò inquirit crimen alterius, vt ſciat illud, non alio prauo fine, non peccat grauiter: nam ſi detegens crimen vni non ita peccat, minus peccabit curans abſque nota ſibi ipſi illud conſtare, (21) ex quadam curioſitate.

21. Nauar. *in ſum. c. 23. num. 26.* referens D. Th. *2. 2. q. 167. art. 2. ad 4.*

25 Infamator alterius in aliqua re, etiamſi in alia eius famam adauxerit, tenetur ablatam reſtituere; dum enim ille ea caret, ſimpliciter non iudicatur bonus.

(22) Nec

(22) Nec fama eſt velut pecunia, quæ reſtituitur, ſi aliunde compenſatio fiat. 22. Adrianus *de reſt. q. 34. col. 7. num.* 4.

26 Si quis famam ab alio ablatam ſuis geſtis omnino recuperauit, ablator non tenetur reſtituere eam famam; nam reſtitutio fit ad vitandum damnum, quod iam eſt vitatum. Sicut ſi ego mea induſtria recuperaui pallium, quod à me abſtuliſti, eſtò tu mihi illud non præbueris, non teneris ad reſtitutionem. (23) Nauar. & alij. 23. Nauarra *de reſt. l. 2. c. 4. num.* 372. Sotus. Nauarrus. Mercatus.

27 Damna temporalia, quæ ſequuntur alicui ex detractione famæ tenetur infamator reſtituere. (24) 24. Communis.

28 Reſtitutio præſtanda eſt eo modo, quo fama maneat illæſa; & id arbitrio prudentis eſt menſurandum, ita vt ſi opus ſit hæc, aut illa verba proferre, vt famæ læſæ omnino ſatisfiat, proferantur.

29 Licitum eſt iniuriato condonare reſtitutionem famæ, (25) niſi aliis neceſſaria ſit fama iniuriati, quia damnum experientur niſi reſtituatur. 25. D. Thom. 2. 2. *q. 64. art. 5. & q. 73. art. 4.* & communis.

30 Si mutuò duo ſe infament, non datur compenſatio, ſed vterque reſtituere tenetur, cum fama vnius ſit diuerſa à fama alterius; nec per ablationem vnius alter illæſus maneat. (26) 26. Maior *in* 4. *d. 1. q. 16.* Caietanus. Nauar. & alij.

31 Pro reſtituenda fama non tenetur quis exponere vitam, quia hæc eſt ſuperioris, & tertij ordinis, fama verò ſecundi, facultates autem infimi; & licet in pari caſu melior ſit conditio innocentis, non tamen eſt par caſus, famæ diſpendium, & vitæ. (27) Hinc fœmina, quæ ex adulterio concepit filium, qui eſt cauſa, vt alius non ſit hæres magni patrimonij, non tenetur ſe infamare, & rem detegere; quia æſtimabilior eſt eius fama, quàm illa bona. (28) Vide *vxor.* 27. Couarruuias *in reg. Peccatum, 1. p. n. 6. §. 3.* Nauar. & alij. 28. Nauar. *in ſum. c. 16. n. 43. & c 17. num. 85.* Scotus. Couarruuias. Sylueſter. Medina. Gabriel. Caietanus. D. Antonin. Ant. Gomez. Angles, & plures.

32 Quando impoſsibile eſt, famam reſtitui, per pecunias non tenetur vllus eam compenſare, quia non eſt pretio æſtimabilis. Si iniuriam omnes ſint obliti, non tenetur quis reſtituere famam; cum id potiùs eſſet refricare iniuriam: quod eſſet peccatum.

33 Hæres non tenetur reſtituere famam à defuncto ablatam, ſic verò damna, ſi ſint ſecuta.

34 Excuſatur quis à famæ reſtitutione, quando etſi animum habuerit lædendi alium, tamen in effectu non læſerit. Et etiam quando infamatus ita eſt infamis, vt nihil

nihil amittat ; aut cum infamator eſt ita vtilis , vt nihil ei credatur , aut credendum ſit.

35 Non licet peccatum alterius manifeſtare , eſtò ſimul dicatur eius pœnitentia, (niſi ob altiſſimos fines;) nam diffamatur ille , eſtò pœnituerit ; pluſque dolebit, de ſe dici , fuiſſe v.g. ſodomiticum , quàm gaudebit de laude ſuæ pœnitentiæ.

36 Si quis famam læſit alicuius, detecto aliquo crimine , & id poſtmodùm factum eſt aliunde publicum, non tenetur quidquam reſtituere , cum nequeat ad bonam famam illum reducere. Si autem hi , quibus ipſe detexit crimen , illud publicarunt , ipſis imputabitur; & ferè impoſſibile eſt , toti populo deinde ſatisfacere.

29. D. Thom. 2. 2. q. 68. art. 3.

37 Calumnia eſt idem ac falſum teſtimonium, nempe falſa , & malitioſa impoſitio criminis : ( 29 ) & in re graui eſt culpa lethalis , ac datur obligatio reſtituendi famam ; hæc autem obligatio etiam datur , ſi quis abſque graui culpa inaduertenter calumniam grauem proferat.

30. Nauarrus *in rubr. de iudic. num.* 52. Syluester. Eman. Sà.

37 Ad probandum famam ſufficiunt duo teſtes , qui deponant , ſe à maiore populi parte audiuiſſe , ( 30 ) & ſimul rationem reddant rei , de qua deponunt.

31. Diana *p.* 5. *tr.* 13. *reſ.* 26. Hurtado.

39 Si quis obiiciat alteri crimen verum , ſed occultum , coram aliis , in cuius manifeſtatione grauiter peccet , poteſt alter , vt ſuo honori conſulat , reſpondere *Mentiris* , (31) ſignificans , ſe non ita illud patraſſe , vt ab aliis ſciatur ; quod ſi id non ſufficiat , vt adſtantes fidem negent ei , qui crimen ignominioſum obiecit , valet iniuriatus oſtendere , illum eſſe mendacem. Semper autem præ oculis eſt habendum, eos, qui honoris iacturam non patiuntur , aut ſaltem tenentur ſtrictiùs ad manſuetudinem , & patientiam ſeruandam, veluti Religioſos , non poſſe ea via iniurias propulſare.

40 Morti proximus , qui non vult reſtituere famam à ſe ablatam , nequit abſolui , etiamſi Confeſſario , aut alij committat reſtitutionem eius poſt ſuam mortem. Aliud eſt, ſi repentino morbo , aut vulnere laboranti non ſupereſſet tempus ad reſtitutionem famæ ;

nam

nam tunc sufficeret committere Confessario, aut viro timorato, ac prudenti, quòd eius nomine id præstaret.

41 Moriturus, qui per plures vitæ annos infamauit plurimos, tu min colloquiis detegens crimina occulta, vel falsas calumnias imponens; tum in informationibus sanguinis testimonium falsum deponens; tum aliis viis, nec vlli famam restituerat; in primis damna illata in bonis tenetur restituere eo modo quo possit; deinde quia moraliter vix fieri poterit, quòd tunc singulis famam, & honorem restituat, nec ad eum conueniant omnes illi, in quorum præsentia famam abstulit, non apparet alia via opportunior, quàm vocatis coram se aliquibus viris prudentibus, & timoratis, seriò, & efficaciter enuntiare, se in omnibus, quæ de aliis est locutus, seu testificatus, semper mentitum fuisse, velleque id cunctis innotescere, & facti omnino ipsum pœnitere; eosque viros deprecari, vt id omnibus notum faciant. Sic nonnullus, suadente doctissimo ipsius Confessario præstitit; nec vlli videatur praxis ferè impossibilis.

## *Horæ Canonicæ: seu Officium diuinum.*

1 HOræ Canonicæ dicuntur, quia per sacros Canones sunt præfixæ, & horis statis sunt recitandæ. Officium verò diuinum nuncupatur, nam huic muneri, seu officio vacare debent Ecclesiastici, & illud diuinas laudes continet, ac magna ex parte ex literis diuinis est compactum.

2 Attentio interior in recitatione potest esse triplex; Ad verba, Ad sensum, Ad spiritum. Sufficit autem ad satisfaciendum præcepto attentio ad verba animo laudandi Deum; quòd si hæc ad minùs non habeatur, præceptum (1) non adimpletur; nam id est præceptum orandi, oratio autem ad Deum absque attentione non datur; cum sola actio legendi, aut cantandi Horas sit indifferens ex se, vt sit oratio, aut studium, aut quid delectabile. In quo differt ab auditione Missæ

1. Card. Toletus. Suarez. Sà. Vasquez. Th. Sanchez. Lessius. Reginaldus.

Layman, & alij apud Me *in Statera, d. 7. q. 3. & in Bulla Cruc. in Appendice, d. 3. num. 41.*

sæ præcepta, cum non præcipiatur in ea oratio, sed assistentia humano modo.

3 Pontifex Alexander VII. damnauit sequentem propositionem; (2) *die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.* Non tamen propterea reddit probabilem opinionem asserentem, in cæteris diebus recitantem illud Officium præcepto satisfacere; quam nullo modo teneo. Etenim id Officium non æquiualet, adhuc paulò minúsve, cæteris Officiis Canonicis per annum; nec cæteris temporibus adest motiuum, ob quod Ecclesia, veluti quodammodò dispensans, instituit illud Officium: nempe ob solennitatem Paschæ, & ob leuamen laboris percepti in Officiis hebdomadæ maioris, ac totius Quadragesimæ. Et sanè ea mutatio esset soliti in insolitum: vnde hinc est sumenda grauitas mutationis.

2. In Constitutione edita anno 1666. die 23. Martij.

4 Commutare vnum ex aliis Officiis Canonicis pro alio, non esse peccatum mortale, (3) certò probabile est, quia satisfit substantiæ recitationis, & præcepti: nec enim est mutatio soliti in insolitum; quare est parua mutatio. Sic qui in die Paschæ relinqueret *Credo*, non peccaret grauiter ob paruam mutationem, quia non est insolitum, non dici *Credo* in Missa; at qui omitteret Euangelium, peccaret grauiter, quia id est insolitum. Erit tamen culpa venialis ea mutatio Officij, nisi sit causa sufficiens arbitrio viri prudentis. Qui versantur in Academia Salmantina, possunt recitare Officium Romanum, etiamsi Regulares sint, & in eorum Religione detur Officium speciale, ex concessione (4) Clementis VIII.

3. Diana, & quatuordecim Authores apud Me *de Iure Academ. l. 2. q. 32.*

4. In Bulla expedita die 10. Octobr. anno 1532.

5 Nequit Officium diuinum recitari, nec Missa celebrari de Sancto, qui non est canonizatus, aut beatificatus, iuxta decisionem Romanam (5) nisi sit consuetudo immemorialis; & tunc assumendum est Officium de communi.

5. Die 21. Iunij, anno 1605.

6 Non recitare Officium horis præscriptis non est peccatum (6) mortale; & si detur causa, nec veniale: melius autem est anticipare, quàm postponere. Absque vllo peccato simul recitari queunt, ex consuetudine introducta, Prima, Tertia, Sexta, & Nona manè;

6. Azor *l. 10. inst. c. 9. q. 2.* Valentia. Francolinus. Navarrus. Bonacina.

&

& post prandium Vesperæ cum Completorio, excepta Quadragesima, in qua Vesperæ à primo Sabbato dicuntur ante prandium, nisi Dominicis diebus. Totum autem Officium debet finiri ante mediam noctem, nec sufficit incipi, & postmodùm perfici. Ea enim est Ecclesiæ firma consuetudo, & antiqua.

7 Anteponere vnam Horam alteri inuertendo ordinem, (7) non est mortale; quia satisfit substantiæ præcepti: & si detur causa, nec veniale. Ante recitationem Matutini celebrare Missam non est lethale peccatum, (8) & ex causa nec veniale.

8 Recitans priuatim non peccat, si non stet, aut genuflectat, cum Rubricæ id iniungunt; nam eæ in Choro obligant, (9) extra Chorum autem non sunt receptæ vt obligantes sub culpa.

9 Qui omittit vno die totum Officium diuinum, vnum solum peccatum patrat, (10) quia vnum dumtaxat Officium omittit, vnumque violat præceptum habens pro obiecto totum Officium; & quidem voluntas omittendi totum Officium, cui omissio illius correspondet, vnicum est peccatum mortale. At si quis interruptè eam voluntatem pluries in die habeat, pluries peccabit. Cæterùm in Confessione debet exprimi, an totum, an pars Officij fuerit omissa, (11) quia id obiectum constituit actum in esse indiuiduali.

10 Qui in Choro occupantur in libris hinc illuc mutandis, aut in præparando thure, quamvis aliquos versiculos omittant, dum ad eos attendant, (12) satisfaciunt. Dum organum sonat, sufficit vnum in Choro proferre versiculum, quin teneantur cæteri illum proferre.

11 Pontifex potest ex causa dispensare in recitatione Officij diuini, quia solùm est de iure Ecclesiastico, nec (13) datur præceptum diuinum. Nullus autem alius, nisi ex Pontificis priuilegio, dispensare valet; (14) nisi in dubio obligationis, in quo possunt cum suis subditis dispensare Episcopi, & Prælati regulares.

12 Regulares possunt recitare, ac celebrare de Sanctis Diœcesis, intra quam extant. Idem dic de Religiosis Militiarum Equestrium, habentibus Ecclesias proprias,

7.
Sylvest. *verb. Hora, q. 9.* Suarez. Graffis. Vasq. & alij.

8.
Carol. Macign. *de Hor. Can. cap. 46.* Card. Bellarm. Lessius. Aragon. & innumeri.

9.
Bonac. *de Hor. Can. d. 1. punct. 6.* cum aliis.

10.
Naldus *verb. Diuinum Officium, n. 10.* Card. Bellarm. Suarez. Nauarrus. Paul. Squillas. Saz Ploue. Vasquez. Filliucius, & plurimi.

11.
Garcia 3. *p. c. 1. n. 142.* Henriquez. Tabiena. Valentia. Suarez, & alij.

12.
Molfesius *lr. 5. c. 2. num. 21.* Naldus.

Azor. Aragon, & plurimi.

proprias, seu etiam territorium, respectu Sanctorum Diœcesis, (15) intra cuius limites versantur: quòd si in eorum Ecclesiis celebretur de Sancto, quia ibi natus, aut mortuus, aut Dignitate functus fuerit, potest Oppidum, intra quod sunt illæ, de eo recitare. (16)

13. Bonacina *de Hor. Can. d.* 1. *q.* 1. *p.* 2. *n.* 5. Sylvester. Nauarrus. Suarez, & alij.

15 In Ecclesia, vbi est Reliquia notabilis Sancti, veluti caput, crus, brachium, aut ea corporis pars, in qua præcipuè fuit passus, potest de illo sub ritu duplici recitari.

14. Communis.

14 Si quis absit à loco domicilij sui, potest recitare de Sanctis, de quibus in suo domicilio poterat; atque etiam de Sanctis eius loci, in quo adest. Officia verò specialia de Sanctis sola Sedes Apostolica potest condere, & Officium approbatum ab ea pro aliqua Diœcesi potest in alia, in qua de eo Sancto recitatur, persolui, (17) quia absolutè iam est approbatum.

15. Ego *de Ordin. Militar. d.* 12. *q.* 10.

16. Ego *vbi nuper*, & Quintanad.

17. Ego *vbi nuper.*

15 Ad Horas Canonicas recitandas tenentur hi, qui Beneficium Ecclesiasticum, aut Capellaniam habent, statim ac eis conferuntur. Qui Ordine sacro Subdiaconatus initiantur, recitare tenentur ab illa Hora Canonica, quæ correspondet in Choro horæ, in qua ordinantur. Regulares Choro addicti tenentur ab illa Hora Canonica correspondente horæ, in qua professionem emittunt, nam nouitij non obligantur ad eas Horas persoluendas.

16 Omissio vnius Horæ, adhuc minoris, est peccatum graue, non (18) verò vnius Psalmi.

18. Gauantus. Leffius. Bonac. & alij.

17 Causæ excusantes à recitatione Horarum sunt; infirmitas corporis; grauis occupatio, quæ sine ingenti dispendio omitti nequit; carentia Breuiarij; cæcitas, & periculum imminens vitæ; non autem excusant peregrinatio, iter, & similia; (19) nisi ea inde fatigatio proueniret, vt absque graui incommodo recitari non possint.

19. Ego *de Iure Academ. l.* 3. *q.* 26. referens alios.

18 Qui solus recitat, sat est, si verba ita ore proferat, vt seipsum percipiat, ac intelligat; non autem satisfacit mentaliter recitando, quia præceptum est id de oratione vocali.

19 Matutinum, & Laudes diei sequentis possunt recitari,

tati, transactis tribus horis post meridiem diei antecedentis. Non est peccatum diuidere Matutinum à Laudibus; nec ex iusta causa vnum Nocturnum ab alio non vltra tres Horas; nec vnum (20) Psalmum ab alio, dum non sit per longum tempus; namque si id intercedat, necessum est repetere totam Horam Canonicam, quæ fuit interrupta.

20. Arnaud. *in epitome Gauanti, pag. 399.* Bonac. & alij.

20 Gaudens redditibus Ecclesiasticis ratione Capellaniæ institutæ cum authoritate Papæ, vel Episcopi, aut Beneficij, seu pensionis (& si hæc sola habeatur absque Ordine sacro, solùm est obligatio recitandi Officium parùum B. Mariæ,) tenetur post sex menses ab obtentione restituere, si non recitet, fructus correspondentes (21) omissioni recitationis. Nec requiritur sententia iudicis vt restituat, cum illi fructus non sint sui, nec requiratur sententia iudicis, vt restituatur, quod suum non est, (22) & iniustè receptum. Sic declararunt Concilium Lateranense, ac Pius V. & hæc est praxis sacræ Pœnitentiariæ.

21. Concilium Lateranense sub Leone X. Pius V. in Bulla, *Ex proximo.*

22. Th. Sanchez. Vasquez. Filliucius. Bonacina. Layman, & alij apud Me *in Statera, d. 7. q. 3.*

23 Fructus autem partim correspondent oneribus Beneficij, partim ipsi titulo, quo collatum est, partim recitationi. Vnde Episcopus non recitans tenetur quintam partem redditus restituere: (23) Canonicus quartam: Parochus quartam: cæteri Beneficiarij, & Pensionarij tertiam. Pro Matutino omisso debetur dimidia pars eius, quod vni diei correspondet, modo designato; & pro totis cæteris Horis alia dimidia. Si Canonicus, aut Dignitas (24) non teneantur assistere Choro, debent restituere tertiam partem.

23. Medina. Th. Sanchez. Apud Me *de Bullæ Cruciat. d. 34. num. 25.*

24 Etiam pro parte omissa vnius Horæ debetur restitutio (25) fructuum correspondentium, quia non est ius, aut titulus, quo percipiantur. Qui inculpatè omittit recitationem, non tenetur ad restitutionem, quia non obligatur ad pœnam, qui non commisit culpam.

24. Ego *vbi supra, num. 26.*

25. Suarez. Reginaldus. Castr. Palao. Apud Me *sup. num. 31.*

25 Restitutio fructuum ob omissionem Horarum non potest suppleri per eleemosynas, quas ante Beneficiarius fecerit de fructibus sui Beneficij. Contraria propositio (26) damnata est ab Alexandro VII.

26. In Constitutione edita die 23. Martij anno 1666.

26 Habens Cappellaniam collatiuam, aut quodvis aliud

aliud Beneficium, non ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi eo quòd ſtudio literarum vacet, recitet per alium Horas Canonicas. Contraria propoſitio (27) damnata eſt ab eodem Pontifice.

27. In Conſtitutione edita die 24 Septēb. anno 1666.

27 Non poteſt quis recitatione vnius Officij Canonici ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino. Contraria propoſitio ſimiliter damnata eſt (28) ab eodem Pontifice.

28. In Conſtitutione edita die 23 Martij, anno 1666.

28 Vt quis non initiatus ſacris teneatur ratione Beneficij recitare Officium Canonicum, (aptabis id ipſum Penſionibus) neceſſum eſt, vt redditus annui illius accedant ad tertiam partem ſuſtentationis hominis parci, & moderati, quin attendatur ad circunſtantias, & ſtatum perſonæ. (29) V.g. in Hiſpania ſufficiet ad tertiam partem centum ducatorum æris accedere.

29. Aragon. Malderus. Apud Me *de Bulla Cruciat. d.34. num. 22.*

29 Recitans Horas Canonicas voluntariè diſtractus, dum attendat ad verba, animuſque in eo ſit laudandi Deum, (quo ſatisfacit præcepto) non tenetur quidquam (30) reſtituere.

30. Card. Toletus. Medina. Malderus. Corduba. Apud Me *vbi nuper in Append. d.3.n.37.*

30 Qui non aſſiſtit Choro, nequit lucrari diſtributiones quotidianas; & ſi hæ percipiantur iniuſtè, nequeunt componi per Bullas compoſitionis, vbi hæ Bullæ vigent, quia non debentur Eccleſiæ, ſed cæteris (31) intereſſentibus. Et quamvis illæ diſtributiones forent deſignatæ Eccleſiæ, nequirent per illas Bullas componi, quia ea ſuccedit loco intereſſentium. (32) Qui aſſiſtit Choro, quamvis non cantet, poteſt percipere diſtributiones.

31. Trid. *ſeſſ. 24. c. 12. de refor.*

32 Ego *de Bulla Cruciat. d. 34. num. 38.*

31 Sub nomine diuini Officij intelliguntur Litaniæ dicendæ die Sancti Marci, & tribus diebus ante Aſcenſionem Domini, vt præfigitur in Rubricis; & qui eas non recitat, reſtituere tenetur pro rata, iuxta modum aſſignatum, & peccat lethaliter. Cæterùm cum in Rubricis profertur, dicendos eſſe Pſalmos Pœnitentiales, aut Graduales, ſeu Officium defunctorum, (præterquam reſpectu huius die ſecunda Nouembris) nullus extra Chorum ea recitare tenetur. (33) In Diœceſi Mediolanenſi iuxta ritum Ambroſianum à Romano diuerſum, ibi obſeruatum, litaniæ recitantur tri-

33. Communis. Cum Franco-lino *tr. de Hor. Can.*

bus

bus primis diebus hebdomadæ post Ascensionem Domini.

32 Moniales addictæ Choro post Professionem tenentur ad recitandas Horas Canonicas; (32) quæ obligatio ex consuetudine vim legis habente dimanat. Degradatus tenetur ad persoluendas Horas Canonicas, omisso *Dominus vobiscum*. Vide *Degradatio*.

32. Card. Toletus *l.2. c.2. n.7.* Azor. Sotus. Eman. Sà. Victorellus, & plurimi.

33 Cum quis in Choro, adhuc attentus, non rectè percipit eam partem, quam alij recitant, seu cantant, non tenetur repetere, nisi esset surdus. (33)

33. Eman. Sà *verb. Horæ Canonicæ, n.9.*

34 Esse quem excommunicatum non liberat eum ab obligatione recitandi Horas Canonicas; quòd si excommunicatio sit minor, potest eas recitare cum aliis, secus si sit maior, & hoc casu dicere nequit, *Dominus vobiscum*. (34)

34. Fumus *in Armilla, verb. Horæ Canonicæ, num. 12.* & communis.

35 Prouisus in Beneficio, non initiatus sacris, non tenetur recitare Horas Canonicas antequam possessionem accipiat, (35) & eo die tenetur ab Hora correspondente horæ acceptæ possessionis. Nec tenetur, si possessio sit litigiosa, donec eam pacificam obtineat.

35. Nauar. *consil. 14. de celebr. Missarum.* & communis.

36 Qui omisit vno die Officium, non tenetur recitare illud die sequenti; (36) nam præceptum ita est annexum diei, vt eo elapso, nequeat adimpleri.

36. Communis cum D. Thom. *quodl. 3. art. 29.*

37 Satisfaceret præcepto, qui Horas Canonicas recitaret lingua Hebræa, aut Græca; (37) non verò, qui lingua vulgari: tum quia omnino prohibita est versio Scripturæ in vulgarem linguam; tum quia Ecclesiæ consuetudo induxit, ne in ea lingua Horæ persoluerentur, & ea consuetudo obligat, vimque legis habet. Nequit recitari (etiamsi fuerit consuetudo) sub ritu semiduplici de Sancto, cuius est reliquia notabilis, non insignis. Sic Sacra Rituum Congregatio anno 1668.

37. Diana *p. 9. tr. 7. res. 67.* Eman. Sà.

38 Damnati ad triremes, siue sint Religiosi addicti Choro, siue Clerici, dum in eis versantur, non tenentur (38) ad recitandum; nam labor, ac fatigatio, & qualitas occupationis, seu status eos excusat. Non idem sentio de Religioso fugitiuo, cum non debeat reportare commodum ex iniquitate; & aliunde obligatio in eo oritur ex eo, quòd sit addictus ex se ad

38. Th. Sanchez. Diana, & alij.

Chorum, non ex eo, quòd permaneat in Monaſterio, aliter Religioſi itinerantes non tenerentur recitare, cum non verſentur in Monaſterio. Prætereà ſi fugitiuus eſſet initiatus ſacris, non excuſaretur à recitatione, eo quòd ſecum ferret titulum obligationis, nempe Ordinem ſacrum; ſimiliter ergo non initiatus ſacris fert ſecum titulum obligationis, nempe ſtatum addictum Choro.

39. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 146. & *p.* 9. *tr.* 9. *reſ.* 22. Th. Sanchez.

39 Non tenetur recitare Officium is, qui non initiatus ſacris inualidè quauis ex cauſa obtinuit Beneficium, cum illud dimittere teneatur cum fructibus; (39) nec ille, qui ſuſpenditur à Beneficio, ſeu perpetuò, ſeu ad tempus. At ſi poſtmodùm reualidationem Beneficij, & fructuum obtineat, ac non recitauerit, tenetur reſtituere, aut componi de fructibus correſpondentibus recitationi. Tenetur cæterùm recitare is, qui nullos fructus accidentaliter percipit ob anni ſterilitatem, ſeu quia prædones depopulati ſunt illos; atque etiam is, qui fructus pro penſione ſoluit, cum voluntariè id onus ſuſceperit. (40)

40. Suarez. Diana, & alij.

40 Si in Italia penſio Beneficij ſiti in Hiſpania apponatur in capite cuiuſdam Hiſpani, vt ſoluatur Italo, qui per ſe nequit percipere ex Hiſpania fructus, hic Italus tenebitur recitare Officium paruum B. Mariæ, cum percipiat fructus, & alter ſe habeat merè paſſiuè cum iure apparenti, non reali percipiendi illos. (41)

41. Bonacina. Diana.

41 Coadiutor Dignitatis, aut Canonicatus non tenetur recitare Horas Canonicas, (42) quia Coadiutoria non eſt Beneficium; etiamſi principalis ei aliquod ſtipendium tribuat, vel ob amicitiam, vel vt inde victitet. Nec tenetur recitare is, qui Beneficio, aut penſioni ceſſit, etiamſi redemerit penſionem ſolutione anticipata aliquorum annorum. At qui Clericatum obtinuit, vt gaudens penſione vxorem duceret, adhuc poſt matrimonium tenetur recitare Officium paruum B. Mariæ, ad quod omnes Penſionarij tenentur, niſi ſimul ſint Beneficiati, aut Ordine ſacro initiati; tunc enim ſatisfaciunt per Horas Canonicas, quas perſoluunt.

42. Suarez, & alij.

42 Si initiatus Ordine ſacro obtineat diſpenſatio-

nem

rem ad ducendam vxorem, non ideo dispensatus censetur ad non recitandum, cum obligatio recitandi compossibilis sit cum matrimonio; & deobligatio à recitatione non sit medium ad finem ducendi vxorem, vnde hoc concesso, non conceditur illa; quare indigebit dispensatione, aut commutatione Pontificia ad omittendum Horas Canonicas.

43 Cardinalis titulo præcisè Cardinalatus tenetur ad Horas, tum quia Dignitates singularum Ecclesiarum tenentur, ipse verò est Dignitas eminens Vniuersalis Ecclesiæ; tum quia est Caput Ecclesiæ illius, cuius titulum habet: & sicut Decani, Abbates, Priores, seu quovis nomine nuncupati, qui sunt Capita Ecclesiarum, tenentur ad Horas Canonicas eo solo titulo, sic & ille. Et statim ac nominatur à Pontifice, cum consciun vrget obligatio.

44 Vicarius generalis Episcopi, qui non sit initiatus sacris, nec Beneficio gaudeat, non tenetur ad Horas, quia non est Prælatus, nec munus Vicarij est Beneficium, nec ex se perpetuum, sed amouibile; & esto habeat iurisdictionem Ecclesiasticam, at hæc sola ex se non est titulus obligationem ad recitandum inducens.

Extat Decretum Sacræ Congregationis Rituum (43) sub die prima Septembris 1607. quod Matutinum in die Commemorationis omnium Defunctorum nequeat recitari die antecedenti; (quod in praxi non video) id autem permittit Cæremoniale Episcoporum Episcopis cum suo Clero.

43. Affertur à P. Guyeto *de festis Ecclesiarū*, l. 4. c. 23. q. 22. & à Gauanto.

45 Quamvis aliqui octo Horas Canonicas recenseant, tamen communiter septem enumerantur, quia Laudes cum Matutino vna hora iudicantur; & mysticam significationem earum versus hi communes continent; *Hæc sunt septenis, propter quæ psallimus, horis. Matutina ligat Christum, qui crimina purgat. Prima explet sputis. Causam dat Tertia mortis. Sexta Cruci nectit. Latus eius Nona biparti. Vespera deponit. Tumulo Completa reponit.*

# I

## *Ieiunium Eccleſiaſticum.*

1 FRangens ieiunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, peccat mortaliter, etiamſi non frangat illud ex contemptu, aut ex inobedientia, quâ non vult ſe ſubiicere præcepto. Contraria propoſitio damnata eſt ab Alexandro VII. anno 1665. Qui in die ieiunij ſæpiùs modicum comedit, quod in fine efficiat notabilem quantitatem, frangit ieiunium. Contraria propoſitio damnata eſt ab eodem Pontifice anno 1666. Nequit enuntiari, quod omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione ieiunij, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum ieiunio. Etenim ea enuntiatio damnata eſt ab eodem Pontifice eo anno. Vnde ab obligatione ieiunij non excuſantur ſartores, pictores, barbitonſores, & ſimiles, quorum labor compatibilis eſt manifeſtè cum ieiunio.

2 Nec præterea poteſt aſſeri, quòd excuſantur abſolutè à præcepto ieiunij omnes illi, qui iter agunt equitando, vtcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter vnius diei conficiant. Quippe hæc aſſertio damnata eſt ab Alexandro VII. anno 1666. Quare attendi debet ad grauitatem incommodi percepti ab itineratione equitando, & ne in fraudem ieiunij iter peragatur.

3 Octo vnciæ poſſunt ſumi ad collationem ſerotinam; (1) nec amplius, quamvis cibi ſint humidi; nam attenditur ad quantitatem, quam de facto habent, non ad eam, quam haberent, ſi ſiccarentur: aliàs nequibit dari regula fixa. Qualitas autem cibi ad collationem debet eſſe ex fructibus, aut herbis; nam conſuetudine inducta eſt collatio, ea autem conſuetudo

1. Ego cum communi *in Statera, diſſ. 8. q. 1.*

tudo non eſt de aliis cibis. (2) Aliquis piſciculus paruus poteſt ſumi, iuxta certò probabilem opinionem; (3) non verò tota collatio poteſt conſtare piſcibus, id enim perſuaſio communis, & praxis, ac conſuetudo non ſuadent; aliàs ſi ad ſolam quantitatem, & non ad qualitatem cibi eſſet attendendum, poſſent in collatione oua, & lacticinia vſque ad octo vncias manducari, quod eſt abſonum, & improbabile.

4 Paruitas materiæ, quæ non frangit ieiunium Eccleſiaſticum, & non eſt lethalis, etiamſi abſque cauſa ſumatur, eſt quantitas duarum vnciarum, iuxta certò probabilem opinionem: (4) quæ limitat, non debere eſſe eas vncias carnium; ſed exinde probabilius eſt, paruitatem materiæ reſtringendam ampliùs fore: nam ſi duplex vncia carnium non eſt paruitas materiæ ad violandum grauiter præceptum abſtinendi à carnibus; nec duplex vncia alterius cibi erit paruitas materiæ ad violandum præceptum abſtinendi à cibo.

5 Potio chocolatica, abſque ouo, & vt communiter fit, non frangit ieiunium, (5) quia facta eſt potus vſualis; ſicut alij potus, qui condiuntur ex melle, aut ſaccharo, qui etiam in magna quantitate non frangunt ieiunium, cum tamen ſic contineant magnam quantitatem ſacchari, aut alterius cibi.

6 Quis, & lacticiniis nequit vllus veſci in ieiuniis Quadrageſimalibus, ſiue id ſit ex lege Eccleſiaſtica, vt mihi eſt certum, (6) ſiue ex conſuetudine; (7) niſi fruatur Bulla Cruciatæ, vbi illa ei ſuffragatur; vel priuilegium ad id habeat non reuocatum, quod eſt introſpiciendum. Non prohibentur oua, & lacticinia in ieiuniis extra Quadrageſimam, niſi ſpeciali conſuetudine alicuius Diœceſis, aut loci prohibeantur. In Gallæcia, & Aſturiis in Hiſpania licet in ieiuniis Quadrageſimalibus veſci lacticiniis, eaque eſt inibi conſuetudo. Etiam conſuetudine eſt licitum in Gallæcia, Sicilia, Regno Peruano (etſi ea alibi conſuetudo detur) vti in his ieiuniis larido, aut ſagimine, ob penuriam olei. Cæterùm ea conſuetudo non eſt vniuerſalis; & cum propiùs ſagimen, & laridum ad carnem accedant, quàm oua, & lacticinia, inde nequit

2. Azor. Filliucius. Reginaldus. Buſembaum, & cum aliis ego *vbi ſuper.*

3. Caietanus. Bonacina. Paſqualigus. Giptius. Verricelli, & alij apud Me *ſupra.*

4. Leand. à Murcia. Aloyſ. Turrian. Ant. de Leon. Diana cũ aliis apud Me *ſup.*

5. Dauila Padill. Ioan. Henriq. Th. Hurtado. Diana retractans ſe.

Fr. Ludou. à Conceptione. Extant alia teſtimonia apud Me *in Statera, diſſ. 8. q. 2.*

Card. Brancatius, & plures apud illum *in Diatribe de Chocolatis potu.*

6. Ego *in Statera, diſſ. 8. q. 3.* & *in Bull. Cruc. diſp. 18. c. 1.*

7. Plurimi apud Me *in Statera ſuper.*

esse vsus laridi, aut sagiminis, nisi vbi sit consuetudo, in diebus quibus à carnibus est abstinendum.

7 In diebus ieiunij potest licitè anteuerti collatio serotina, & pranderi in nocte, si causa detur; & absque peccato lethali, 8) etiamsi non detur causa: est enim mutatio modi, non substantiæ. Id tamen nequit fieri in Vigilia Natiuitatis Domini, si collatio sumatur supra octo vncias; nam ea nocte consuetudine inductum est, vt non mutatà qualitate cibi, edat quisque supra eas vncias: quod ita inductum est vel ob solennitatem Festi, quod à Vesperis incipit; vel quia ea nocte est vigilandum, & consuetudo arctatur ad collationem nocturnam: quare in ea maiori quantitate anteuerti nequit ad meridianum tempus, cum tunc nullus ex his titulis consuetudine probatis adsit. Hinc nec in vigilia Resurrectionis, nec Pentecostes, collatio serotina potest esse vltra octo vncias, quia etsi Festa sint solenniſſima, id non ſufficit, cum consuetudo non extet ad id honestandum. (9)

8 In collatione serotina, etiam consuetudo inducta est, vt parum panis bis cocti edatur; nam oua, quibus hic panis conficitur, in parua quantitate cibum paucum immutant. Non verò potest panis bis coctus in ea edi quantitate, in qua v.g. vnum, aut duo oua immiſceantur; nam qualitas cibi grauiter mutatur. (10)

9 Sumere plures paruitates materiæ, aut habere intentionem eas sumendi, est peccatum lethale, vt *suprà* decretum est à Pontifice, quia frangitur ieiunium, cum in vnum coalescant, (11) etiamsi primâ sumptâ, detur intentio non sumendi amplius; sed solùm patratur vnum peccatum mortale, etiamsi postèa multum comedatur; nam seruari non potest iam ieiunium: & præceptum non comedendi nisi semel in die ieiunij est negatiuum secundum quid, ita vt posita comestione, quæ illud violat, non obliget vlteriùs. Aliud est de præcepto negatiuo esus carnium, quod adhuc posita comestione prima carnium, obligat vlteriùs, & in quavis comestione peccatur; quia id præceptum potest seruari etiam post primam comestionem. (12)

8. Fr. Io Henriq. Angles. Naldus. Bonacina. Llamas. Cenedo. Pasqualigus. Bassæus. Leander. Villalobos. Diana, & alij apud Me *in Statera, diſſ.8. q.2. & de Bull. Cruciat. d.18. n.12. & in Appendice, d.2. cap.14.*

9. Ego *in Statera, diſſ.8.q.2.*

10. Ego *in Statera, diſſ. 8.q.2.*

11. Reginaldus. Sà. Busembaum. Fillmcius, & Ego cum aliis *in Statera, diſſ.8. q.5.*

12. Syluester. Nauarrus. Rodriguez.

10 Sutores excusantur à ieiunio, (13) quia eorum ars est grauiter laboriosa, incommodumque graue sentirent, si vnica vice in die prandercnt; & Ecclesiæ præcepta benigna sunt, quæ cum eo incommodo non obligant. Si inter dies ieiunij interueniat dies festus, qui etiam sit dies ieiunij, agricolæ, fabri ferrarij, & alij artifices laboriosa opera exercentes non tenentur eo die festo ieiunare, si lassati permaneant, & reddantur minùs apti ad laborem diei sequentis; (14) quia tunc præceptum non potest adimpleri absque magno labore. Quin certò probabile est, absque ea conditione excusari à ieiunio, quia ea defatigatio, & debilitas imbibitur in ipso labore prædictorum. (15)

11 Prægnantes, & lactantes non tenentur ieiunare, quamvis robustæ sint; (16) etenim indigent victu pro se, & pro fœtu, & valetudo robusta non supplet defectum cibi; tamen nequeunt vesci carnibus diebus prohibitis, cum necessitas cibi non restringatur ad cibum carniam. Qui in Academia lectionem oppositionis legit, excusatur eo die, & die antecedenti quo incumbit lectioni faciendæ, à ieiunio, quia est grauis defatigatio. (17) Qui præsidet Assertionibus per integrum diem, & præcipuas partes agit, ob minorem sufficientiam defendentis, deobligatur à ieiunio, maximè si studium cum fatigatione coniunxit. Lectores Grammaticæ, qui quatuor lectionibus assistunt, etiam deobligantur. Qui vnicam lectionem legit in Academia ex obligatione, aut absque illa, si grauem laborem in studio coniungat, vt plenè satisfaciat, (18) etiam deobligatur, dum graue incommodum sentiat. Similiter deobligantur Aduocati causarum, quando nequeunt eis patrocinari absque graui incommodo, nec tenentur pauciores defendere. Die, quo concionatur, deobligatur quis à ieiunio; imò si tota Quadragesima concionatur, vno vel altero die excepto, nec in his tenetur ieiunare; sicut agricola non tenetur die ieiunij festiuo, quamvis in eo non laboret, si tota hebdomada laboret, ob fatigationem antecedentem, & subsequentem, quæ incommodum graue affert. Et generaliter qui nimium laxatur in studio, ita vt sine magno incommodo nequeat ieiunare, non tenetur ad

10. Card. Toler. Azor, & alij apud Me *vbi supèr.*

13. Ioan. Henriq. Bonacina. Trullench. Diana. Leander. Pasqualigus, & alij apud Me *suprà.*

14. Pet. Ledesma. Medina. Sylvius. Bonacina. Ego *in Statera, diff. 8. q. 7.*

15. Bassæus. Io. de la Cruz. Azor. Fagundez. Leander, & alij apud Me *suprà.*

16. Communis. Ego *in Statera, diff. 8. q. 9.*

17. Pasqualigus. Leand. a Sacram. Th. Sanchez. Angles, & alij apud Me *de Iure Academ. l. 2. q. 9.*

18. Cajetanus. Bassæus. Fagundez. Pasqualigus. Nauarrus, & plurimi *sup.*

ieiunium, nec tenetur abstinere ab studio; quod esset iur. suo cedere, vt possit ieiunare, sicut non tenetur (19) abstinere ab aliis actionibus corporalibus, in quibus est defatigandus; & posita fatigatione, ieiunare nequit, nam vtitur iure suo in eis exercendis, dum non agat directè in fraudem ieiunij, ita vt ideo velit fatigari, ne ieiunet.

19. Sanchez. Pasqualigus. Diana. Leand. de Sacram. & alij apud Me*sup. l.3.q.27. & de Bull. Cruciat. d.3.*

12 Dispensatum ad edendas carnes in diebus ieiunij, etiamsi edat pisces aliquo die, certò probabile est, non teneri ad ieiunandum; (20) nam per dispensationem tollitur obligatio abstinendi à carnibus, & consequenter obligatio ieiunandi, quæ ex esu piscium non reuiuiscit, cùm dispensato liberum sit ieiunare, & non ieiunare, ac eligere quod malit, & habeat se ille sicut in diebus non ieiunij, in quibus potest quilibet edere pisces: & præterea quacumque hora diei post esum piscium valet edere carnes, indeque non ieiunare; quippe quòd non edat eas, dum posset, non inducit obligationem ieiunij; & sicut dispensatus, quamvis edat simul pisces, & carnem, non peccat contra præceptum ieiunij, (estò si ei nociui sint pisces, peccet contra aliam virtutem;) sic edens pisces solùm, non peccat contra præceptum, si non ieiunat, cum possit edere, quando velit, eodem die carnes. Et quidem dispensatio non tendit ad causam, nempe nutrimentum salubrius carnium, sed mouetur ab hac causa, & tendit ad tollendam obligationem abstinendi à carnibus, & per consequens ieiunandi. Nec quis dispensatus adeò est liber ab obligatione ieiunij, quia apponit comestionem carnium incompossibilem cum illo; sed quia dispensatio relaxauit obligationem ieiunij, quæ relaxatio non prouenit ab actione propria, sed à dispensatione; non à se ipso, sed à superiore; nec quis potest sibi imponere obligationem, quam tollit superior.

20. Pasqualigus. Leand. de Sacram. Author casuũ Bononiensis, anno 1638. Apud Me *de Bull. Cruciat. in Appendic. d.2. cap. 9.*

21. Card. Toletus *l.6 c.5.num.7.* Azor. Eman. Sà, & alij.

13 Cum quis per locum transit, vbi ieiunatur aliquo die, si integro die ibi maneat, tenetur ad ieiunium, (21) secus si non maneat. Si in Religione sit ieiunium ex præcepto, tenentur ad illud Religiosi, etiamsi primum & vigesimum ætatis annum non expleuerint. (22)

22. Sylvest. *verb. Ieiunium.*

14 Non

14 Non violatur ieiunium per vllum genus potus vſualis, nec per electuaria ſumpta in medicinam, nec per quantitatem exiguam ſumptam, ne potus noceat; nec per cibi præguſtationem factam à coquo, etiamſi cibus ſit carnium; nec ſi poſt finitum prandium paulò poſt, aut paulò ante illud aliquid edatur; nec per modicum quid ſumptum vrbanitatis cauſâ. Eman. Sa. Azor.

15 Dies ieiunij incipit à dimidia nocte vſque ad aliam dimidiam noctem. Ad ieiunandum autem non tenentur, qui non adimpleuerint vigeſimumprimum ætatis annum, nec qui attigerint ſexageſimum annum, quia ſenectus ipſa eſt morbus; fœminæ autem, quia debiliores ſunt, dum attingant quinquageſimumquintum, à ieiunio excuſabuntur. Pauperes etiam mendicantes, qui vnum pranſum ſufficientem nequeunt percipere, deobligantur. Prætereà ſi maritus nequeat coniugi reddere debitum, ſi ieiunet, non tenebitur ieiunare. Rursùs deobligabitur is, cum quo ob cauſam dubiam, ſeu ingentem in ieiunando difficultatem, Prælatus diſpenſauerit. (23) 23. Azor *lib. 7. cap. 28.* Card. Toletus, Nauarrus, Valentia, Eman. Sa, & alij.

16 Pueris ante ſeptennium, & amentibus poſſunt in die ieiunij carnes miniſtrari, cum non teneantur legibus Eccleſiaſticis. Ei, qui tenetur ieiunare, non poteſt quis cibum, quo frangat ieiunium, abſolutè offerre, eſtò ſciat, eum fore quæſiturum, & repertum cibum; ſicut nequit die ieiunij offerre carnes, cum tam illud, quàm id ſit contra eſſentiam ieiunij; & vnuſquiſque teneatur non eſſe cauſa violationis præcepti, concurrens ad eam. Qui autem offert cibum, ſeu carnes, immediatè eſt cauſa concurrens. Sicut etiam non poteſt quis parato ad mœchandum, & reperturo meretricem, offerre fœminam, cum qua peccet; & quamvis id ſit intrinſecè malum, etiam illud eſt malum, quia prohibitum; quod ſufficit, ne fieri queat, dum non detur ſufficiens cauſa excuſans; cum hæc poſſit reperiri circa mala, quia prohibita, non verò circa intrinſecè mala.

17 Certò probabile eſt, eum qui vouit ieiunare omnibus Feriis ſextis, ſi incidat dies Natalis Domini in Feriam ſextam, (24) eo die deobligari. Oppoſitum eſt 24. Diana *p. 1. tr. 9. reſ. 22.*

Molina, & non pauci. 25.

est certius; nam dum ipse eum diem à voto non excepit, per se in voto includitur cum cæteris. (25)

Medina *l.* 1. *c.* 14. §. 10. Navarrus. Sylvester. Suarez. Azor. Eman. Sà, & plurimi.

## *Ieiunium naturale.*

1 IEiunium naturale requiritur ante Communionem Sacramentalem, nisi hæc per modum Viatici accipienda sit à grauiter ægrotante. Si inter dentes aliqua cibi reliquia ex cœna detur, & deglutiatur mane inconsultò, non frangitur id ieiunium, nam per modum saliuæ traiicitur; secùs est, si data opera id fieret, nam id esset formalis comestio, & non traiectio per modum saliuæ. Per res non comestibiles certò probabile est non frangi ieiunium naturale. (1) Sumptio medicinæ, & aquæ potus frangunt id ieiunium. (2) Hora autem, ex qua abstinendum est à quovis ex his (idem dic proportionatè circa ieiunium Ecclesiasticum) est ex hora duodecima noctis, hoc est, ex dimidia nocte; cuius horæ in horologiis Italiæ variantur. Vbi est vnicum horologium benè regulatum, censenda est dimidia nox, vbi primus sonitus horæ duodecimæ audiatur: nec alia regula prudenter tradi potest; nam si dicatur (3) horologium optimum per quadrantem, aut semiquadrantem deuiare à veritate, fiet quod nesciatur, an anteponatur, an postponatur; & cum eo dubio, quomodo poterit quis post horam duodecimam vesci in eo quadrante, aut semiquadrante? Vbi sunt plura horologia, non est standum ei, quod communiter malè regulatur: si autem plura æquè benè regulata sunt, poterit quis cuilibet conformari, dum tamen non sequatur duas contrarias opiniones: v. g. erat Sabbatum dies ieiunij; sonuit in primo horologio hora duodecima, & statim quis manducaret carnes vsque ad sonitum alterius horologij; non posset is cessans à comestione, cùm secundum horologium sonuit, sumere Eucharistiam die Dominica, quasi ieiunans naturaliter ex hora duodecima; id enim esset

1. Ego *in Stateca, diff.* 8. *q.* 1.

2. Suarez, & communis. Ego *sup.*

3. Caramuel. Pasqualigus. Apud Me *sup.*

coniungere

coniungere simul duas opiniones, seu probabilitates oppositas.

2 Non frangit ieiunium naturale sumptio pulueris, qui dicitur *tabaco*, nec si in ore folium eius portetur, aut fumus ex eo traiiciatur. Sed vitanda omnino est indecentia.

3 Deinde ieiunium naturale non frangitur, si casu ventus portet ad os paleam, aut quid simile, & repentè inuoluntariè deglutiatur, quia non datur ibi esus formalis; præterquam quòd non sunt eæ res ad victum, nec ad sustentationem, nec ad medicinam opportunæ. Idem dic, cum quis nolens deglutit puluerem vento portatum. Demùm aliquibus contingit, vt puluis tabaci per nares sumptus descendat ad fauces, & inuoluntariè deglutiatur; idemque dicendum de hoc existimo, maximè cum id per os non fuerit sumptum. At si quis naribus aquam infundat, sciens peruenturam esse ad fauces, ac traiiciendam, censeo frangi ieiunium naturale; nam aqua est potus, quacumque via ad fauces perueniat: potus autem id ieiunium frangit.

## *Ignorantia.*

1 IGnorantia alia est affectata, qua quis affectat, seu vult ignorare quæ sui muneris sunt; sic qui nollet audire Missam Parochi, ne ei paterent festa, & vigiliæ hebdomadæ ab illo manifestandæ populo, posteà non ieiunans, aut non seruans festum, peccaret grauiter, quia ignorantia affectata non excusat à peccato.

2 Alia ignorantia est inuincibilis, quæ à peccato excusat; nempe cùm quis operatur ignorans prohibitionem, nec habens titulum, quo cogeretur ad curandam scientiam illius; nec motiuum probabile ad dubitandum de eo: v. g. ingreditur Hispanus Mediolanum, & illicò petit Ecclesiam, in qua intrat in Capellam ad audiendam Missam. Ibi est prohibitio, ne quisquam, nisi minister, intret in capellas ad audienda sacra; at ille ignorantia inuincibili laborabat, cum

omnes

omnes circunſtantiæ poſitæ ei faueren̄t, vnde nullo modo peccauit.

3 Alia ignorantia eſt vincibilis; & hæc eſt, vel craſſa, ſeu ſupina, ſcilicet cum quis non ſcit ſcienda ex negligentia lata, ſiue latæ culpæ, veluti cum quis non ſcit publica, & manifeſta, ſeu quæ omnes ſciunt. Vel eſt ignorantia non ſupina, quæ adhuc aut eſt improbabilis, aut probabilis. Prima datur cum quis ignorat, quod ferè omnes ſciunt. Secunda, cum quis ignorat, quæ ferè omnes ignorant.

4 Deinde ignorantia alia eſt iuris, alia facti. Prima datur cum quis ignorat aliquid ſtatutum in Iure, veluti aliquam excommunicationem in illo latam, & quævis alia. Secunda cum ignorat aliquid facti. Ignorantia autem iuris poteſt eſſe iuris diuini, aut Eccleſiaſtici, aut humani; & prætereà vel affectata, vel craſſa, vel inuincibilis, vel non ſupina.

5 Ignorantia autem erit craſſa, ſi quis ignoret præcipua myſteria fidei, & ea, quæ in Symbolo continentur, & tenetur explicitè credere; prætereà ſi neſciat præcepta Decalogi, & quinque præcepta Eccleſiæ, quin & alia, quæ ſine lata negligentia ignorari nequeunt, v. g. quòd excommunicatio datur contra percuſſorem Clerici, ac alia huiuſmodi: & quæ pertinent ad munus, quod quiſque exercet.

1. *Cap. Ignorantiæ, de reg. iur. lib. 6.*

6 Ignorantia facti excuſat à peccato, (1) quia cauſat inuoluntarium ſimpliciter. Sic qui exploſit ſclopetum in feram, ignorans omnino, hominem inter herbas, aut vepres abſcondi, nec habens motiuum vllum ad dubitandum, ſi eum occidat, ignorantia facti eum excuſat à peccato.

7 Dicitur etiam ignorantia erronea ea, quâ quis, cum ſit in via veritatis, aut poſſit ad eam peruenire, voluntariè ab ea recedit in viam erroris, (2) ſeu in hac perſiſtit, cuiuſmodi eſt ignorantia hæreticorum; & ea à peccato non excuſat.

2. *Angel. verb. Ignorantia, & communis.*

8 Ignorantia iuris poſitiui ſæpè excuſat à peccato, adſunt quippe ſæpè impedimenta incuitabilia, quominùs poſſit noſci. Sic ſi noua aliqua præcepta, prohibitiones, ſeu conſtitutiones prodeant à Pontifice, vel Epiſcopo, paſtores gregum, & ſimiles eas ignoran̄t

rant absque culpa; ac etiam si quis, cum publicantur, abest à loco, nec postea ei innotescunt; & eiusmodi alia. (3)

3. D. Thom. & cæ. co communis.

9 Ignorantia iuris, quæ non est affectata, nec crassa, non tollit bonam fidem vlli, ad faciendum fructus suos; cum aliter, si eam non haberet, non faceret. (4)

4. *Leg. Sed etsi lege, §. Scire, ff. de petit. hæredit.*

10 Ignorantia, nescientia, & error, valdè inter se differunt; quia nescientia est carentia scientiæ, quæ datur absque ignorantia; sic Iurisperitus habet nescientiam Theologiæ Scholasticæ: & Theologus nescientiam Medicinæ; quin & ipsi Beati non omnia sciunt. Error autem est vnum pro alio putare. (5) Ignorantia verò, est nescire, (6) quod quis scire tenetur vel absolutè, vel in aliqua circunstantia.

5. *Cap. In quibus. 22. q. 2.*

11 Hoc discrimen obseruandum est inter ignorantiam crassam, & inter affectatam; quòd crassa, licet non excusat à peccato, illud minuit; (7) affectata verò illud auget.

6. *Cap. fin. 37. dist.*

7. Fumus *in Armilla, verb. Ignorā ia, n. 7.* cum communi.

12 Quando actionem ex se peccaminosam antecedit ignorantia inuincibilis circunstantiæ, excusat à circunstantia peccati, non ab ipso; veluti si quis credens se occidere inimicum occidat suum patrem cum ignorantia inuincibili, reus erit homicidij, non autem parricidij, saltem in foro interno.

13 Ignorantia iuris obscuri, & non multùm frequentis, excusat à peccato, (8) non secùs ac ignorantia facti. Generaliter autem ignorantia præsumitur vbi scientia (9) non probatur.

8. Glossa *in c. 1. de postulat. lib. 6.*

14 Si quis malè initietur Ordinibus cum ignorantia probabili, excusatur à suspensione; (10) hæc enim infligitur contra præsumentem illud exequi; id est, dolosè agentem.

9. *Cap. Præsumitur, de reg. iur. lib. 6.*

15 Homines rudis, & crassæ mentis frequentissimè excusantur à peccato ratione ignorantiæ inuincibilis; sicut etiam paruuli, estò vsum rationis habeant.

10. Nauar. *cons. 9. de tempor. ordin. num. 3.*

16 Quando nulla præcessit actualis cogitatio, aut scrupulus, seu dubitatio de malitia morali actus, (11) excusatur quis à peccato. Quin si quis operetur cum conscientia dictante aliquid esse malum, sed cum ignorantia,

11. Diana *p. 4. tr. 4. res. 36.*

p. 11. tr. 4. ref. 4. Vasquez, & innumeri.

ignorantia, an sit malum lethaliter, an venialiter, certò probabile est, (12) solùm venialiter peccare, ob imperfectionem determinationis in genere mali. At si dubitet expressè, an sit peccatum lethale, & operetur,

12. Valentia. Diana, & non pauci.

grauiter peccat, quia se manifestè exponit periculo. Præterea si quis eo animo sit, vt solùm velit vitare peccata mortalia, & non curet de venialibus, nec retrahatur ab operando ex eo, quòd agnoscat malum veniale, is operans cum conscientia dictante, aliquid esse malum, eumque pungente, videtur peccare mortaliter; nam anxius non est de malo veniali; quare cernitur, malum lethale suæ conscientiæ offerri.

17 Ignorantia pœnæ designatæ alicui delicto excusat, ne incurratur, (13) quia incursio pœnæ exigit

13. Th. Sanch. & & alij apud Me *de Bulla Cruciat. in Append. d. 2. c. 25.*

contemptum in operante; ignorans autem pœnam nequit eam contemnere. Quod intellige de pœna rigorosè sumpta; nam quodvis incommodum solet vocari pœna, nec ab eo excusat ignorantia. Sic ab aliquibus pœna vocatur reseruatio peccati, aut censuræ; & rigorosè non est pœna, estò in odium peccati, & ob bonum regimen sit imposita, sed ablatio iurisdictionis ad absoluendum, vt melius prouideat Prælatus de remedio; quamvis exindè etiam sequatur, subditos arceri à reseruatis, ob fugiendam difficultatem adeundi Prælatum. Nec solùm est pœna irregularitas ex homicidio, aut mutilatione proueniens, & sic incurritur ab ignorante. Et præterea ignorantia, qua quis habens copulam cum consanguinea suæ vxoris in primo, & secundo gradu, nesciebat se non posse petere ab vxore debitum absque dispensatione, non est solùm pœna, sed impedimentum affinitatis, atque adeò indiget dispensatione. (14)

14. Ego *sup. in Appendic. d. 3. num. 20.*

18 Quando ignorantia inuincibilis excusat à peccato, etiam excusat ab excommunicatione (15) ei annexa. Ignorantia cæterùm semper excùsat ab incursione

15. Victorellus *in addit. ad Emanuelem Sa, verb. Ignorantia.* Sotus, & alij.

in censuras appositas in Bullis Pontificum.

19 Cùm quis ignorat statum fœminæ, cum qua peccat, aut desiderat peccare, id peccatum patrat, cuius periculo verosimiliter exponitur, v. g. adulterij, si fortè esset nupta; nam estò possit habere aliam qualitatem, v. g. consanguineæ, affinis, voto castitatis

tatis adſtrictæ, cum hæc ignorentur, probabiliter non præſumuntur. Quoad hoc idem dic de eo, qui cum ignorantia affectata peccaret cum fœmina, affectans non ſcire eius ſtatum; at teneretur (16) in Confeſſione exponere hanc circunſtantiam ignorantiæ affectatæ. 16. Th. Sanchez, Diana.

20 Quando aſſeritur; *Omnis peccans eſt ignorans*, non eſt ſermo de ignorantia excuſante à peccato, ſed de ignorantia prauæ electionis; nam cùm vniuerſaliter ille ſciat eſſe malum, v. g. mœchari, eligit hîc & nunc mœchiam, tanquam bonum, ſcilicet delectabile; & hæc ignorantia non eſt propriè talis, ſed eſt inconſideratio prouenies ex paſſione, aut habitu, qui prohibet rationem, ne conſideret actualiter ea, quæ retrahunt à peccato.

## *Illegitimus.*

1 ILlegitimus eſt, qui ex legitimo matrimonio non eſt natus; alius eſt naturalis, ſeu nothus, ſcilicet natus ex ſoluto, & ſoluta; alius ſpurius, ſcilicet natus ex adulterio, aut ex conſanguinea; & etiam dicitur ſacrilegus, ſi naſcatur ex eo, aut ea, quæ voto caſtitatis publico ſint adſtricti; ſicut inceſtuoſus, qui ex conſanguinea.

2 Omnes illegitimi in Iure (1) prohibentur ordinari. At prohibitio non comprehendit eos, qui legitimantur per ſubſequens matrimonium, hi enim quoad omnia habentur legitimi. Legitimati autem per Principes nequeunt Ordines, nec Beneficia nanciſci, quia illi nequeunt tollere impedimenta canonica. (2) 1. *Cap. Innotuit, de elect. Tit. de filiis presbyteror.* 2.

3 Qui in Religione emittit Profeſſionem, ſeu in Societate Jeſu tria vota ſimplicia conſtituentia verum Religioſum ſtrictè, legitimatus manet ad Ordines ſuſcipiendos abſque alia diſpenſatione. An verò queat Religionis Prælaturas aliquas, aut omnes habere, videndum eſt in priuilegiis, quibus vnaquæque Religio gaudet per ſe, aut per communicationem. Portel. Diana, & alij.

4 Nequit Clericus filius Clerici legitimari à Principe

cipe laico, quia non habet erga Clericos iurisdictionem, cuius est actus legitimatio. (3)

3. Diana *p.* 1. *tr.* 2. *resol.* 12. Basil. Pontius.

5 Quando poscitur dispensatio illegitimitatis à Pontifice, aliqui volunt (4) exprimendam esse qualitatem illius; an spurius, an sacrilegus, incestuosus, aut naturalis sit; alij negant. Stylo Curiæ standum est. Cæterùm in dubio, an quis sit illegitimus, censendus est legitimus. Talisque est, qui etsi genitus à parentibus ante nuptias impedimento dirimente ligatis, postmodùm cum dispensatione contrahentibus, natus est post nuptias; & qui à parentibus post nuptias genitus, cum tunc impedimentum dirimens occultum fuisset cognitum, cuius dispensationem obtinuerunt.

4. Videantur Lezana. Eman. Rodrig. Diana, & alij.

6 Potest Episcopus dispensare cum illegitimo quoad minores Ordines, & Beneficium sine cura. Nequit illegitimus institui hæres in testamento patris. Filius Clerici nequit habere Præbendam, quam pater habuit, nec in Ecclesia eadem, illo viuente, nisi dispensetur; & in hoc vltimo, cum aliqui oppositum sentiant, standum est Stylo Curiæ.

## *Indulgentia.*

1 INdulgentia est pœnæ temporalis relaxatio, quam quis iustè pro peccatis suis sustinere debuisset, de thesauro communi Ecclesiæ extra absolutionem Sacramentalem, ad diuinam iustitiam persoluendam sumpta à Prælatis Ecclesiæ. Thesaurus Ecclesiæ sunt satisfactiones superabundantes Christi D. & Sanctorum, quas Deus in thesauro suæ memoriæ seruauit; easque acceptat, vt pœnas debitas aliis remittat, quando Prælati Ecclesiæ eas applicant, vtpotè quibus id Christus commisit. Indulgentia vel est realis, alicui Ecclesiæ, altari, imagini, grano, aut simili concessa; vel est personalis, concessa personæ, vt in hoc aut illo euentu eam obtineat. Rursùs vel est totalis, plenaria, aut plenissima, (quibus vocibus idem significatur) (1) quâ totum pœnæ debitum pro peccatis

1. Sotus. Corduba. Medina. Suarez.

iam

tam remissis soluitur; vel est partialis, qua pars pœnæ, non tota compensatur. Card. Lugo. Trullench.

2 Indulgentia (quæ vulgò vocatur Iubilæus) concessa Ecclesiæ in die vnius Sancti, etiamsi festum Sancti transferatur, non transfertur, sed ipso die obtinetur; scilicet à vesperis antecedentibus diem vsque ad occasum solis diei; & in Quadragesima, cum vesperæ dicuntur ante prandium, ex tunc incipit indulgentia; nam annectitur celebrationi (2) eius Festi. Regulares, si absint à domo suæ Religionis, & ad Indulgentiam requiratur visitatio Ecclesiæ, dum sit indulgentia concessa Religioni, eam obtinent (3) visitando Ecclesiam loci, in quo adsunt. Nouitij gaudent Indulgentiis Religionum, cum in fauorabilibus pro Religiosis habeantur. Apud Me *de Bulla Cruciat. d. 6. c. 1.* 2. Nauarrus. Medina. Suarez. Henriquez. Quintanad. Ego *de Ordin. Milit. d. 12. q. 6.*

3 Indulgentia tot dierum, aut annorum remittit pœnam quæ remitteretur, si tot dies, aut anni pœnitentiæ agerentur, stando consuetudini antiquæ, qua per sacros Canones stabiliebantur sustinendæ pœnitentiæ pro culpis iuxta earum qualitatem pro tot diebus, aut annis. Quando asserirur, indulgentiam plenariam de pœnitentiis iniunctis concedi, significatur, eam solam pœnam remitti, quæ esset remittenda, (4) si pœnitentiæ pro peccatis confessis, non pro aliis iuxta sacros Canones adimplerentur; nam est limitatio apposita à concedente indulgentiam, qui potest eam limitare; & indulgentiæ tantum valent, quantum sonant. Per indulgentiam non remittitur culpa, sed effectus culpæ, nempe debitum pœnæ, & cùm asseritur in Iubilæo aliquo, obtinentem liberari à culpa, & à pœna, significat, per confessionem requisitam ad Iubilæum liberari à culpa, & per indulgentiam à pœna; quòd si Iubilæus sit ex his, in quibus conceditur specialis facultas ad absoluendum, denotatur, per eam facultatem posse quem à grauioribus culpis absolui (nisi aliqua excipiatur) à quibus vtpotè reseruatis non posset absque eo priuilegio, aut simili absolui; & deinde à pœna liberari. Nec enim indulgentia plenaria confundenda est cum Iubilæo, vt præstatur à vulgo, siquidem Iubilæus præter indulgentiam affert alia specialia priuilegia, & facultates. 3. Quintanad. *vbi super.* 4. Nauarrus. Henriquez. Lugo, & innumeri *vbi super*, & *in Append. d. 2. c. 16.*

4 Qui lucratur ſibi indulgentiam debet exiſtere in gratia; nam pœna vlla non remittitur, non remiſſo peccato mortali, cui debita eſt pœna æterna, & eo remiſſo, commutatur ea pœna in temporalem: nec effectus indulgentiæ manet in ſuſpenſo, cum ex opere operato remittat debitum. Abſolutio generalis, quæ in aliquibus Feſtis præſtatur in templis Ordinum SS. Trinitatis, & B. Mariæ de Mercede, eſt communicatio indulgentiæ plenariæ. Ad indulgentias concedendas requiritur cauſa.

5 Pontifex poteſt concedere indulgentias pro tota Eccleſia. Epiſcopi in ſua Diœceſi quadraginta dies indulgentiæ. Archiepiſcopi in tota ſua Prouincia, etiam non viſitantes eam, octoginta. In die quo Eccleſia dedicatur, poteſt Epiſcopus vnum annum indulgentiæ concedere. (5) Pontifex valet delegare poteſtatem concedendi indulgentias cuilibet capaci iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, cum in ipſo ſit poteſtas ordinaria, & hic non ſit actus Ordinis, ſed iuriſdictionis. Indulgentiæ ſunt latè interpretandæ; (6) effectus earum, poſitis requiſitis, eſt infallibilis; ceſſant deſtructa Eccleſia, imagine, aut grano, quibus ſunt conceſſæ. Non ceſſant renuntiatione perſonæ, nam renunciatio non acceptata à concedente, non impedit valorem illarum. Nec ceſſant morte concedentis; nec item ceſſante cauſa pia, ob quam fuerunt conceſſæ, (7) nam motiuum non fuit perſeuerantia cauſæ, ſed exiſtentia illius, dum conceſſæ fuerunt, quæ ſufficit, vt tunc pro toto tempore ſequenti concedantur.

5. *Cap. Cùm ex eo de pœnit. & remiſſ. cap. vltimo, eod. tit. in 6.*

6. Ego *de Bulla Cruc. d. 6. c. 1.*

7. Card. Lugo. Ego *vbi ſuper.*

6 Quando in conceſſione indulgentiæ exprimitur, eam præſtari contritis, & confeſſis, requiritur actualis Confeſſio, ſi quis non exiſtat in ſtatu gratiæ: nam indulgentiæ non plus valent, quàm ſonant; (8) & qui cadit à litera, cadit à cauſa; vnde non ſufficit impotentia adimplendi opus, ſi de facto non adimpleatur, niſi à concedente indulgentiam id exprimatur. Si quis Confeſſionem informem efficiat, cum poſteà appoſuerit requiſitum ad gratiam adquirendam, (9) obtinebit indulgentiam. Cum plura opera requiruntur, opus eſt, eſſe in ſtatu gratiæ, dum vltimum opus impletur; nec

8. Sotus. Bellarminus. Benzonius. Syluester. Corduba. Trullench. Henriquez, & plurimi *vbi ſuprà.*

9. Nauarrus.

pars

pars indulgentiæ obtinetur per opera partialia: (10) quòd si vltimum fiat in gratia, non obstat quòd cætera fiant in statu peccati, quin nec quòd peccaminosè fiant ex aliquo affectu prauo, quia non exigitur nisi quod fiant; sicut adimplet præceptum audiendi Missam, qui fine prauo eam audit. Henriquez, Suarez *vbi sup. c.* 3. 10. D. Antonin. Paludanus. Cordoua. Villalobos. *vbi nuper.*

7 Itaque tria sunt essentialia ad indulgentiam consequendam; potestas in concedente; pietas in causa; & gratia in obtinente, ac appositio operum, si iniungantur; nam absque eis potest Pontifex concedere indulgentiam personæ in articulo mortis, & aliis in euentibus. (11) Ad hanc obtinendam requiritur intentio formalis, vel virtualis (12) lucrandi eam, dum apponuntur media; nam à Pontifice, seu Prælatis iniungitur, vt ad eiusmodi finem media apponantur. Qui opus vltimum impleuit in statu peccati, si supersit tempus, potest iterum media apponere, vt in statu gratiæ indulgentiam obtineat, cum adhuc non obtinuerit: & sat est, si vltimum opus repetat, tunc enim se habet, ac si illud non præstitisset in peccato lethali, cum ad indulgentiam prima illa executio vltimi operis nihil conduxerit. 11. Suarez. Granado. Quintanad. *vbi sup. c.* 4. 12. Rodriguez. Vega. Corduba. Suarez, & alij apud Me *de Bulla Cruciat. d.* 6. *c.* 4.

8 Quoties non exprimitur, vna solùm vice posse obtineri indulgentiam, poterit obtineri toties quoties, nempe quoties quis visitet (13) altaria, aut Ecclesias, aut similia perficiat; & in Iubilæo duplicis hebdomadæ poterit is obtineri in vtraque. Quia dum concedens indulgentiam ad vnam vicem non restringit, nec nos restringere debemus; & in fauorabilibus extendenda sunt verba dispositionis, quantum iuxta propriam significationem possint; & indulgentiæ concessio est Principis beneficium non ambitiosum, nec in tertij præiudicium, atque adeò latissimè interpretandum; (13) & quamvis sermo prolatus simpliciter, de primo actu intelligatur, id in onerosis solùm locum habet. Hinc cum Confessio, & alia opera ad indulgentiam requiruntur, non est opus repetere Confessionem, si quis non sit conscius culpæ grauis, cum Confessio non requiratur, nisi quando quis existit in statu peccati. Si requiratur Communio, & duplici die obtineatur indulgentia, vtroque die poterit Communio 13. D. Thomas. Nuñus. Angelus. Rodriguez. Villalobos. Trullench. Diana. Henriquez. Suarez. Card. Lugo. Layman. Naldus, & plurimi apud Me *sup. c.* 5. 13. *Leg. Beneficium de constit. Princip. c. quamuis de præb. in 6.*

munio repeti. Cum autem conceditur indulgentia præstanti vnum opus, v. g. accipienti Bullam Cruciatæ, non repetita acceptione (cum solùm duplex Bulla accipi queat) non obtinetur iterum indulgentia.

9 Qui lucratur indulgentiam plenariam, liber manet à pœnitentiis iniunctis à Confessario, nec tenetur eas adimplere. (14) Nam per eam indulgentiam remittitur tota pœna debita pro culpis, quas quis confessus est ritè; & ablato debito pœnæ, tollitur fundamentum obligationis implendi pœnitentias, nec est materia, supra quam fundetur obligatio. Pœnitentiæ medicinales, si sint necessariæ ad vitanda peccata, non debentur ex eo quod sint pœnitentiæ, sed quia sunt vitatio occasionis, vel quid simile, & ex iure naturali diuino debentur apponi; si verò sint ad melius esse, & Confessarius imponat eas non ex præcepto, sed ex consilio, non tenetur pœnitens eas exequi, quamvis non obtineat indulgentiam; si verò eas imponat vt iudex, non potest imponere nisi per modum satisfactionis, quæ integrat Confessionem; indulgentia autem remittit pœnam, pro qua ea satisfactio erat præstanda. Sic pœna à iudice imposita, etiamsi simul sit medicina, ne vlteriùs reus delinquat, condonata à Principe pœna, non tenetur reus eam vt medicinam subire; quod idem accidit in præsenti. Nec irrogatur iniuria Sacramento ex eo, quod satisfactio non apponatur; nam hæc eatenus requiritur, quatenus effectus satisfaciendi indè est sequendus, quo effectu posito per indulgentiam, non datur irreuerentia. Et quidem Confessarius loco pœnitentiæ potest opera ad indulgentiam requisita apponere, vt (15) admonuit Bonifacius VIII. exponens, pœnitenti non eam, quam merebatur, pœnitentiam iniungi, ob occasionem indulgentiæ plenariæ: & expedit monere eum, vt etiam alias pœnitentias adimpleat, ne paruipendeat peccata grauia.

10 Vt Confessarius commutet pœnitentiam ab alio Confessario iniunctam, necessum est, vt peccata, propter quæ iniuncta fuit, audiat, aliter (16) temerè procedet; at non auditis illis, poterit eam commutare

14. D. Thomas. D. Bonauent. Durandus. Richardus. Syluester. Nauarrus. Card. Lugo. Coninch. Amicus. Suarez, & plurimi apud Me *sup. c.6. & in Appendic. d.2, c.17.*

15. Glossa *in Extrau. Antiquorum, de pœnit. & remiss.*

16. Communis.

tare in obtentionem indulgentiæ plenariæ; quod non eſt abſolutè commutare, ſed docere pœnitentem per eam obtentionem liberum manere ab impletione eius pœnitentiæ. Si indulgentia obtinenda ſit partialis, poteſt Confeſſarius eam iniungere, & aliquid de pœnitentia minuere; quod ſi non eam iniunxit, poteſt pœnitens (17) aliquid de pœnitentia omittere, conſulto viro docto de quantitate omittenda, niſi ipſe id poſſit, quia doctus eſt, prudenter decernere. 17. Ego *de Bulla Cruciat. d. 6. c. 6. n. 87.*

11 Indulgentiæ applicantur defunctis per modum ſuffragij, cum expreſsè enuntiat concedens eis poſſe applicari. Etenim Pontifex diſpenſator theſauri Eccleſiæ reſpectu viuorum, quos poteſt ſoluere, & ligare, authoritate iudiciali liberat eos à pœnis offerendo ſatisfactionem per modum abſolutionis pro illis ex eo theſauro mediis indulgentiis; at reſpectu defunctorum, qui ei non ſubduntur, offert ſolutionem pro pœnis ex eo theſauro per modum ſuffragij, ſeu adiutorij, eamque Deus acceptat: ſicut ſi quis pro aliquo detento in carcere propter debitas à ſe pecunias, ſoluat illas creditori, ſuffragium præſtat debitori, quo à carcere liberatur. Eæ autem indulgentiæ conceduntur immediatè viuis, & mediatè aut ſecundariò defunctis, ita vt viuens aliquod pium opus exerceat; (ſemper enim Eccleſiæ vſus fuit, vt indulgentiæ defunctorum applicarentur mediis operibus viuentium) & applicet ſatisfactionem ex theſauro Eccleſiæ pro defunctis. Nam ſicut poteſt viuens independenter ab indulgentia applicare ſatisfactionem ſuorum operum defuncto, ſic per eam indulgentiam applicat ſatisfactionem ex theſauro, quam ſibi erat obtenturus. (18) Hinc etiam poſſet Pontifex concedere indulgentiam viuenti, quam ipſe poſſet applicare pro alio viuente; nam viuens poteſt ſuas ſatisfactiones alij viuenti applicare. Si cauſa occurreret, (qualis non facilè reperitur) poſſet Pontifex concedere indulgentiam viuenti, quam ſine vllo ſuo opere applicaret animæ Purgatorij. (19) 18. Suarez, & alij apud Me *de Bulla Cruciat. d. 12. c. 2.* 19. Trullench. Ego *vbi ſupra.*

12 Simul poteſt concedere Pontifex, vt ob idem opus viuens pro ſe indulgentiam obtineat, & ſimul liberet animam à Purgatorio, vt videre eſt in aliquibus diebus deſignatis in Bulla Cruciatæ ad viſitatio-

nem Altarium. Quippe etiam Pontifex ſolet concedere pro vno opere indulgentias, quæ Romæ, Hieroſolymis, & Compoſtellæ obtinentur; & quia obtenta per illud vna indulgentia plenaria, remittitur tota pœna, non manet materia, nec capacitas obtinendi aliam, ideoque non obtinentur plures; at obtenta vna indulgentia ſibi, manet capacitas in anima Purgatorij, vt offeratur pro ea ſatisfactio ex theſauro Eccleſiæ.

20. Ego *vbi ſup.*

13 Praxis fidelium eſt, vt indulgentia prædicta vni animæ applicetur, ſed non videtur contra Pontificis mentem, quòd quis eam (20) pluribus applicet, quibus Deus remittat proportionatè partem pœnæ. Poteſt autem quis deſignare animam liberandam à Purgatorio, aut Deo deſignationem relinquere.

21. Trullench, & alij apud Me *de Bullæ Cruc. d. 19. c. 2.*

14 Oratio, quæ in communi requiri ſolet in indulgentiis, poteſt eſſe vocalis, & etiam mentalis; (21) nam non exprimitur, debere eſſe vocalem, & aliundè Pontifex valet concedere indulgentiam orantibus mentaliter, ſicut concedit examinantibus ſuas conſcientias, & dicentibus in corde ſuo, ſi ore nequeant, in mortis hora *Ieſus*. Nec id eſt imperare actus internos, quos Eccleſia ſenſibilis, & viſibilis nequit præcipere; ſed eſt apponere conditionem, quam quis voluntariè adimpleat. Et quamvis loco ſatisfactionis Sacramentalis oratio iniungatur, etiam ſunt ſatisfactoria opera interna; (22) nec opus eſt, vt æqualitas ſeruetur inter ſatisfactionem Sacramentalem, & opera appoſita ad lucrandam indulgentiam. Aliud eſt in recitatione Officij Canonici, quod expreſsè præcipitur vocaliter perſolui. Oratio autem, ſi ſit vocalis, ſufficit, quòd bis recitetur oratio Dominica, & ſalutatio Angelica: quod ſi mentalis ſit, id temporis inſumatur, quod in vocali eſſet inſumendum; (23) quod intellige ſi ſit Indulgentia Stationum, in quovis Altari; ſi verò ſit alia Indulgentia, quæ ſemel orari exigat, ſufficiet eas orationes fundere vna vice.

22. Trullench. Henriquez, & alij apud Me *ſuprà.*

23. Ego *vbi ſuper.*

15 Oratio autem, aut alia opera ad indulgentiam requiſita, debent eſſe aliundè non debita, quia Pontificis mens eſt, vt aliquid voluntarium peragatur. Excipe, ſi in Iubilæo duplicis hebdomadæ incidat

ieiunium Eccleſiæ; (24) nam cum is Iubilæus determinat dies hebdomadæ, quibus eſt ieiunandum, & ſtatim ſit publicandus, ex Pontificis voluntate, hi dies etiam aliundè ieiunij debiti, deſignari à Pontifice cenſentur, cum videat, & conſentiat, tum Romæ, tum alibi ita fieri. Hinc ſi quis ex voto deberet orare, aut ieiunare, nullo appoſito fine, non ſufficeret orare, aut ieiunare apponendo finem indulgentiâ præfixum, quia ea opera non ſunt abſolutè ſpontanea, vt Pontifex vult, ſed abſolutè debita.

24. D. Bonauent. Rodriguez. Quintanad. Apud Me *vbi ſupra.*

16 Diebus in Bulla Cruciatæ deſtinatis, viſitando quinque Eccleſias, aut quinque altaria, vel in defectum Altarium, quinquies vnum, obtinetur indulgentia, & quidem plenaria; (25) nam exprimitur à Pontifice obtineri eam, quæ datur in Stationibus Romæ; eis autem diebus datur ſaltem aliqua indulgentia plenaria in illis: eaque expreſſio eſt ſufficiens, vt plenaria intelligatur. Cum additur in Bulla, tali die liberari animam à Purgatorio, eadem viſitatione Altarium obtinet quis ſibi indulgentiam plenariam, & liberat animam. Cum id non additur, poteſt quis, (nam id ibi expreſsè concedit Pontifex) applicare animæ indulgentiam plenariam, quam pro ſe erat obtenturus, & liberare animam, & nihil pro ſe remiſſionis obtinebit; ſed quia toties quoties poteſt ea indulgentia obtineri, poterit (26) vnam viſitationem altarium pro anima, aliam pro ſe applicare. Cum quis per vnum indultum Pontificis poteſt liberare animam, exequendo tale opus; & per aliud indultum valet obtinere indulgentiam plenariam, exequendo idem opus, vt vtrumque obtineat, debet opus repetere, nec vno opere vtrumque lucrabitur; (27) nam intentio Pontificis videtur eſſe, vt dum vnum opus exigit, ad vnam indulgentiam reſtringat, & ſic cauſa concedendæ indulgentiæ per opus adæquatur, ac deuotio fidelium excitatur; ne videatur nimia conceſſio, ſi vno opere quis plures indulgentias conſequatur, & plures animas à Purgatorio liberet, ſi v. g. habeat plura, & diuerſa grana benedicta, & indulta Bullæ Cruciatæ, & idem opus (vt aſſolet) deſignaretur pro ſingulis. Oppoſita ſententia fauorabilis eſt certò probabilis, (28) nempe

25. Garnica. Lud. Lopez. Villalobos. Diana. Rodriguez. Trullench. Machado. Leand. à Sacr. Baſil. Legion. & alij. Apud Me *de Bull. Cruciat. d. 20. c. 1.*

26. Ego *ſup. c. 2.*

27. Bonacina. Lugo. Suarez. Granado. Layman. Diana, & plures apud Me *de Bullæ Cruc. d. 20. c. 2.*

28. Corduba. Fauſtus. Henriquez.

Sanctarellus. Graffis. Sa. Hostiensis, & alij *suprà.*

vno, eodemque opere in diuersis Indulgentiis requisito, eas simul obtineri posse.

17 Omnibus anni diebus obtinentur virtute Bullæ Cruciatæ per visitationem altarium indulgentiæ partiales, non plenariæ; quia si essent plenariæ, id exprimeretur à Commissario Generali, vtpote res tanti momenti; & Pontifex non concedit indulgentias omnes, quæ Romæ obtinentur, sed indulgentias stationum; non sunt autem Romæ omnibus anni diebus stationes, in quibus indulgentia plenaria obtineatur. (29)

29. Ego *vbi sup. c.3.* cum Onuf. Panuino, & aliis.

18 Nomine Ecclesiæ visitandæ veniunt Oratoria, & Capellæ, Eremitoria, quæ in fauorabilibus eo nomine continentur; (30) necnon Ecclesia interdicta, aut violata, quia id non obstat ad orationem fundendam; (31) & item Ecclesia fundata authoritate Episcopi, quamvis non sit benedicta, (32) quia fruitur priuilegiis, quæ Ecclesiis conceduntur. Si quis visitet quinque Ecclesias, sufficit visitare quodvis Altare in vnaquaque. Altare autem debet esse approbatum ad Missam celebrandam. Si daretur Ecclesia absque vllo altari, non sufficeret eam visitare; nam non visitantur postes, nec preces funduntur nisi coram imagine in altari constituta. Si in Ecclesia dentur quinque altaria, non sufficit visitare vnum quinquies, nec si dentur duo aut tres, sed necesse est ea semel visitare, (33) & postea repetere visitationes in vno, aut in vtroque. Etiamsi in loco dentur plures Ecclesiæ, & quinque altaria in illis, sat est, si Ecclesia detur cum vnico altari, visitare illud quinquies; (34) ea enim est praxis fidelium: & sat est visitare Oratorium quinquies; & Moniales obtinent eam indulgentiam Stationum, etiamsi in earum Ecclesiis non sint quinque altaria, & sint in aliis Ecclesiis: nec impotentia adeundi eas suffragaretur; non enim obtinentur indulgentiæ, si non apponantur requisita, quamvis detur impotentia ad ea apponenda.

30. Suarez. Tusch. & alij *sup. c. 5.*

31. Suarez *sup.*

32. Sylvest. & alij *suprà.*

33. Trullench. Ego *suprà.*

34. Nunus. Diana, & alij *sup.* & apud Me *ibi in Append. d.2.c.18.*

19 Hora visitandi Altaria est à media nocte vsque ad mediam noctem; (35) dies enim in præsenti, & in vsitatiore loquendi modo sic accipitur. Visitans vnum altare quinquies, aut quinque Altaria ex loco, vbi ea

35. Mandosius. Villalobos. Rodriguez. Quintanad.

videt,

videt, non indiget ad ſingulas viſitationes mouere corpus; nam (36) abſque eo motu ſtat viſitatio repetita ex intentione orantis, & datur ſufficiens præſentia moralis; nec ex motu reſultat aliquis fructus ſpiritualis, aut conuenientia. Et ſanè non ſufficit acceſſus mentalis ad Eccleſiam, quia is non eſt propriè acceſſus: at propriè eſt quinquies fundere preces ad Deum, quamvis quis loco non moueatur. Si Eccleſia ſit plena hominibus, & foris quis ſit præſens moraliter quinque Altaribus, ſufficit indè ea viſitare; ſi præſens vni, pro vnica viſitatione ſufficiet, nō verò ſufficiet quinquies illud inde viſitare, ſi in Eccleſia ſint plura Altaria, ſicut non ſufficeret, ſi intra Eccleſiam verſaretur. Non eſt opus continuare viſitationes Eccleſiarum, ſeu Altarium, (37) quia inter ſe non habent connexionem, ſed poteſt quis diuerſis horis diei viſitationes ſingulas facere. At ſi vno die quis viſitet duo Altaria, & aliis diebus alia, non obtinebit indulgentiam ſtationum adhuc vni diei conceſſam, nam tempus determinatum eſt vna dies; aliàs ſufficeret primo, & vltimo anni die viſitationes pro vna indulgentia perficere, quòd eſt abſurdum; nec poſſet exponi cui diei correſponderet indulgentia, & quæ, cum aliæ ſint totales, aliæ partiales; & ſanè Romæ eodem vno die ſtationis indulgentia obtinetur.

Ego *de Bulla Cruciat. d. 20. cap. 5.* 36. Vega. Cruz. Diana. Henriquez. Villalobos, & alij apud Me *ſup.* & *in Append. d. 2. c. 18.*

37. Quintanad. Apud Me *ſup.*

20 Indulgentiam plenariam obtinet habens Bullam Cruciatæ in articulo mortis, quæ applicanda ei eſt à Confeſſario; applicatio autem fieri poteſt vocaliter, aut mentaliter; & in ipſa Confeſſione, aut extra illam: quòd ſi non poſſit confiteri, & contritus decedat, dummodò confeſſus fuerit tempore ab Eccleſia ſtatuto, obtinet eam indulgentiam. Idem eſt, ſi Confeſſarius ei iniuſtè negaret abſolutionem, & eſſet ipſe contritus. Et quia ſi ſemel obtineatur ea indulgentia, & non moriatur quis, nequit virtute eiuſdem bullæ in alio articulo mortis ſuperueniente eo anno lucrari illam, poteſt Confeſſarius aſſerere; *Ego tibi applico indulgentiam plenariam Bullæ, ſi è vita decedas.* Non eſt incoueniens in eo, quòd in abſentia Confeſſarij laicus applicet eam indulgentiam, quamvis eſſe neceſſariò

38. Latè hæc omnia apud Me *de Bull. Cruc. d.* 27.

necessariò faciendam applicationem (38) à Confessario censeam; is autem qui potest absoluere moribundum virtute Bullæ, potest indulgentiam applicare.

21 Absenti potest applicari indulgentia prædicta, v. g. si moribundus per nuntium, aut epistolam petat à Confessario applicationem; siquidem hæc extra Confessionem fieri valet. (39)

39. Ego *de Bulla Cruciat. d.* 27. *n.* 15.

22 Sufficit, quòd implicitè, & interpretatiuè moribundus poscat applicationem indulgentiæ, (40) nam ad eam non requiritur materia determinata ab illo præstita, sufficitque scire, eum habere Bullam Cruciatæ, & probabiliter coniectari, eum esse in gratia, & optare id beneficium indulgentiæ. Quis autem sit articulus mortis, vide *Articulus mortis.*

40. Henriquez. Suar. cum aliis *vbi super*, *n.* 17.

23 Non lucratur eam indulgentiam qui negligens fuerit in adimplendo præceptum Confessionis, ex Bullæ confidentia, nempe positiua, scilicet si non omissurus fuisset Confessionem, nisi fideret, per Bullam fore absoluendum in articulo mortis; nam confidentia negatiua non obstat; scilicet ea, qua quis ob fragilitatem aliundè omittit Confessionem, fidens quasi ob solatium fore virtute Bullæ absoluendum.

24 Vbi Bulla Cruciatæ viget, nullus, nisi habeat Bullam, potest indulgentias extra Bullam concessas lucrari; (cum limitationibus *infrà* apponendis) nam per eam suspenduntur omnes indulgentiæ similes, & dissimiles, ac omnes gratiæ, & facultates respectu eorum, qui Bulla non gaudent; & reualidantur respectu eorum, qui illa gaudent.

25 Attamen vt obtineatur Iubilæus duplicis hebdomadæ, necessaria non est Bulla Cruciatæ, quia ea est intentio Pontificis, & Commissarius Generalis Cruciatæ illum non suspendit. (41)

41. Ego *sup. d.* 29. *n.* 8. cum Quintanad. *n.* 20.

26 Nec suspenduntur facultates Iuri communi insertæ, nec illæ, quæ vim habent consuetudinis: (42) quia hæ non reuocantur, nisi fiat expressa mentio; vnde tempore interdicti Clerici audire queunt Missam, quin habeant Bullam, & alia huiusmodi.

42. Communis.

27 Nec suspenduntur facultates, & indulgentiæ ab

Episcopis

Episcopis (43) concessæ. Nam solùm suspenduntur eæ, quæ à Sede Apostolica emanant, vt ex verbis Bullæ Latinæ est planum. 43. Nauarrus. Rodriguez. Villalobos. Trullench.

28 Suspenduntur autem gratiæ non solùm ante publicationem Bullæ concessæ, sed post illam; nam hæ etiam contrariantur fini expeditionis Bullæ, (44) & priuilegium respicit etiam futura, si contrarientur consecutioni illius. Henriquez *vbi sup. n.* 13. 44. Trullench *sup. n.* 22.

29 Suspenditur etiam per Bullam Cruciatæ gratia liberandi animam à Purgatorio in altari priuilegiato; (45) nam suspenduntur gratiæ similes, & dissimiles, & etiam indulgentiæ plenariæ, & eæ quæ sunt concessæ piis locis; eaque gratia est indulgentia plenaria respectu animæ Purgatorij. Vt autem reualidetur ea gratia, requiritur Bulla in celebrante, (46) non in faciente celebrari, quia ille est, qui lucratur pro defuncto indulgentiam. Missa autem non debet necessariò esse ex applicatis in Missali pro defunctis, sed quælibet sufficit, dum applicatio valoris illius fiat à celebrante pro defuncto. 45. Lud. à Cruce. Moure. Rodriguez. Villalobos. Apud Me *de Bulla Cruciat. d.* 29. *num.* 24. *& in Append. d.* 5. *c.* 17. 46. Rodriguez. Ego *vbi nuper, num.* 30.

30 Non suspenduntur Indulgentiæ concessæ Religionibus, quoad eorum Fratres. Sic enim cauetur (47) in ipsa Bulla. Quod etiam intelligi debet de Religionibus non Mendicantibus, quæ communicant priuilegia Mendicantium; (48) nam communicatio in omnibus priuilegia quæcumque comprehendit, & non frustratur intentio Pontificis volentis fauere Ordinibus Mendicantibus, & consequenter Religionibus, quæ ipsorum priuilegiis communicant; cum aliundè priuilegium communicationis secundum se non suspendatur per Bullam, quia non contrariatur eius expeditioni, estò ex eo sequatur, posse obtineri indulgentias. 47. Communis. *Sup. num.* 43. 48. Acosta. Villalobos. Diana. Ego *sup. n.* 47.

31 Id omne intelligitur etiam (49) de Monialibus Religionum Mendicantium, & item non Mendicantium, si communicent priuilegia Mendicantium; nam nomine Religiosorum, quoad proportionabilia, intelliguntur Moniales. (50) 49. Communis. 50. Felinus. Barbosa. *vbi sup. n.* 52. & *de Ordinib. Mendicar. d.* 14. *num.* 43.

32 Nec suspenduntur per Bullam Cruciatæ gratiæ liberandi animam à Purgatorio concessæ Altaribus Mendicantium, respectu ipsorum; (51) quare ipsi in 51. Plures apud eis

Me *de Bulla Cruc. d. 29. ex num. 24.*

eis celebrantes liberabunt animas, nam nulla gratia Mendicantium quoad ipsos Religiosos in Bulla suspenditur.

33 Solet in Breuibus indulgentiarum apponi clausula, quòd non obtineatur ea indulgentia, si alia sit in ea Ecclesia. Quod intelligendum est, si sit alia concessa ei Ecclesiæ per se primò, & directè; non autem si sit alia concessa toti Religioni, qualis concedi solet in Festis Sanctorum, & in aliis casibus.

34 Cum pro indulgentia plenaria obtinenda, aut pro Iubilæo imponitur erogatio eleemosynæ, quin exprimatur quantitas, non est opus eam proportionari statui cuiusque, sed relinquitur eius deuotioni. Quòd si quis (52) pro alio eleemosynam eroget, & ille sciat, ac ratum habeat, non habet necesse aliam eleemosynam erogare. Si autem quis tradat alij eleemosynam, quam pro ipso eroget, seu ad locum pium portet, ille verò non præstet, sed sibi eam retineat, certò probabile est, sufficere id ad obtinendam indulgentiam, vel Iubilæum; nam estò requiratur executio operum, ille quantum est ex se, executus est prudenti, & morali modo; cum enim Viri Magnates non soleant per seipsos erogare eleemosynam, intentio Pontificis videtur, quod erogent, vt assolent, per suos famulos; & præterea quòd hi, qui in lecto ægrotant, nec possunt per seipsos eleemosynam concedere, tradant eam ab aliis concedendam; quod dum præstant, exequuntur opus impositum pro indulgentiæ, aut Iubilæi obtentione.

52. Eman. Sà *in sum. verb. Indulgentia, n. 4.*

35 Si aliqua indulgentia, aut facultas absoluendi in Iubilæo concessa reuocetur, potest illa obtineri, & præterea absolutio valet ante promulgationem reuocationis factam (53) in Ecclesia Matrice; quamvis ante illam priuatè alicui constaret de reuocatione: & idem dicito de suspensione Indulgentiæ, aut Iubilæi.

53. Sylvest. *verb. Indulgentia, num. 17.* Sotus. Victorellus.

36 Si Ecclesia omnino destruatur, & iterùm reædificetur, vel ad alium locum ædificanda transferatur, retinet indulgentias, quibus prius gaudebat; (54) nisi authoritate superioris in pœnam destrueretur, tunc enim amittit omnia priuilegia.

54. Suarez. Diana, & plures.

37 Religiones

37 Religiones communicantes in priuilegiis non communicant in indulgentiis vnicuique conceſſis pro ſuis Sanctis; nec in liberanda anima à Purgatorio in Altari priuilegiato. (55)

55. Diana *p. 9. tr. 2. reſ. 20.* Lezana, & alij.

*Infirmus.* Vide *Medicina.*

## *Inimicus. Iniuria.*

1 INimici mortem poteſt quis licitè deſiderare, & poſcere à Deo, vt euadat damna ab illo inferenda, quæ aliter nequit euadere. (1) Nam poteſt quis deſiderare malum alterius, non quia illi malum eſt, ſed quia ſibi vtile, & ſub ratione boni; cum hic affectus non oriatur ex inimicitia, ſed ex vtilitate propria. Cautè autem procedendum, ne ratio vindictæ ſubrepat. Nec facilè credendum, non poſſe vitari damna ab inimico imminentia, niſi eius morte ſecuta. Fit ex primo prolato, licere alterius mortem optare, & de illa delectari, quicumque ille ſit, non quia illius malum eſt, ſed quia inde quis vtilitatem percipit. (2)

1. D. Thomas. Caietanus. Prado. Serra. Hurtado, & plures apud Me *in Statera, diſſ. 4. q. 1.*

2 Tenemur inimicum diligere generali amore, non ſpeciali; ſi verò ſit in extrema neceſſitate, debemus ei ſuccurrere, velut alij cuilibet non inimico. (3) Si non ſequatur ſcandalum, non tenetur quis inimicum ſalutare, aut alia vrbanitatis ſigna ei exhibere, dum hæc non omittat ex vindicta, ſed quia non vult ei gratioſum obſequium exhibere. Si autem reuerentia ei ob Dignitatem ſpecialem debeatur, nequit illa omitti, eſſet quippe actio iniurioſa.

2. Ioan. de la Cruz. Zanardus. Galleti. Th. Sanchez. Paſqualigus. Verricelli, & alij apud Me *ſup. q. 4.*

3. D. Thom. *2. 2. q. 25. art. 8.*

3 Vt id dilucidiùs capiatur, aduerte, ex iniuria illata ab inimico tria poſſe oriri; rancorem animi, ſeu iram, & indignationem, & hanc tenetur quis deponere; ſigna rancoris in opere, nempe omiſſionem ſalutationis, oſtenſionem vultus torui, & negationem locutionis. Hæc cum ſcandalo nequeunt fieri, veluti ſi tuus inimicus verſaretur cum alio, & accederes ad eos, & ſalutato vno, non ſalutares alium; vel loqui cum vno, & non reſpondere alteri; vel etiam ſi neceſſe haberes

beres illum alloqui, id omittere : ſanè hæc omnia rancorem, & odium præferunt, nec poſſunt (4) peragi.

4. Graffis *in deciſ. l. 2. c. 72. num. 4.* Sylueſter, & communis.

Demùm oritur ex iniuria actio contra iniuriantem. Cum ergo offenſor poſcit veniam ab offenſo, non tenetur in ſuam familiaritatem eum admittere, nec ſigna beneuolentiæ ei oſtendere, nec tenetur deſiſtere ab actione aduerſus illum in iudicio : itaque ciuiliter poteſt agere, poſcendo expenſas, & damna ſecuta. (5)

5. *Cap. Coqueſtus, de for. compet. Cap. Officij, de ſent. excomm.*

Præterea debitis ſeruatis circunſtantiis, poteſt contra illum criminaliter agere, petendo quòd debita pœna ei infligatur, non quidem ex odio, aut vindicta, ſed zelo iuſtitiæ, (6) ad comprimendam malitiam, vel pro pace aliorum, ſeu ad cohibendum offenſorem, vt emendatus aliorum iniurias non intentet. Et dum intentio non ſit ſumere vindictam, & ſuæ iræ indulgere, poteſt titulis prædictis contra iniuriantem in iudicio procedere.

6. D. Thom. *in comm. ad Romanos, cap. 13. lect. 3.*

4 Ex his ſit, offenſum non poſſe ab offenſore accipere pecunias, vt cordis iram deponat, cum hoc ſit debitum ; poteſt tamen accipere, vt cedat actioni, qua poterat contra illum agere, dum acceptum non excedat arbitrio viri prudentis æſtimationem ceſſionis. Quin ſi offenſor promiſit aliquid pro ea ceſſione, poterit offenſus poſcere id in iudicio, (7) ſi ille non ſoluat.

7. *Leg. Tranſigere, C. de tranſact.*

5 Si iniuria ab inimico facta ſit eiuſmodi, vt debeatur compenſatio, nequeunt religioſus, vxor, filius non emancipatus, & ſeruus, cedere actioni iniuriarum abſque conſenſu ſuperioris, mariti, patris, & domini. (8)

8. *Leg. In perſonâ, ff. de pact.* Gloſſa *in cap. Parochianos, de ſent. excom.*

6 Si duo mutuò ſe iniurient, & ſit grauis æquè iniuria vtriuſque, primus qui cauſam dedit, tenetur conari cum inimico reconciliationem ; ſi iniuria facta à ſecundo ſit grauior, hic tenetur. (9)

9. Graffis *vbi ſup. num. 22.* cum aliis.

7 Confeſſarius non poteſt cogere pœnitentem, vt remittat inimico iniuriam quoad actionem, quæ illi licet ciuiliter, & criminaliter modo expoſito ; ſed vt rancorem, iram, & indignationem aduerſus eum deponat : nec poteſt cogere, vt ſigna externa beneuolentiæ ei oſtendat, ſed vt ſigna externa odij non exequatur, iuxta dicta ; quod præ oculis eſt habendum.

*Intentio.*

## *Intentio.*

1 NOn eſt neceſſaria intentio poſitiua adimplendi præceptum, v. g. auditionis Miſſæ, ieiunij, & ſimilium, dummodò opus præceptum executioni mandetur. Quin ſi detur intentio poſitiua contraria non adimplendi illud per hanc auditionem Miſſæ, v.g. vel non adimplendi ſatisfactionem Sacramentalem in ieiunio impoſitam, per hoc ieiunium certò probabile eſt, adimpleri. (1) Nam Eccleſia, aut Confeſſarius non exigunt intentionem, quæ per accidens ſe habet, ſed opus, quod iàm impletur; nec per intentionem eleuatur opus ad hoc vt ſit adimpletio præcepti, aut pars Sacramenti; nec magis obligat Confeſſarius ad ſatisfactionem exequendam, quàm Eccleſia ad Miſſam audiendam. Sed probabilius eſt oppoſitum; (2) nam executio operis præcepti eſt actus formalis obedientiæ, ſi ſit ſatisfaciendum præcepto; quæ non ſtat cum intentione contraria, ſiquidem hæc eſt intentio non obediendi per illud opus. Et quando actus externus nequit ſtare abſque actu interno, tunc indirectè actus internus (qualis eſt omiſſio intentionis contrariæ) præcipitur, dum præcipitur externus. Attamen ſi tempore, quo poteſt audiri alia Miſſa, ſeu adimpleri ſatisfactio ſacramentalis, mutet quis eam voluntatem contrariam, ſatisfaciet præcepto per primum illud opus; quod quidem externè habuit totum id, quod requirebatur ad præcepti adimpletionem; & obedientia, quæ defuit, adiungitur per moralem relationem prouenientem à voluntate ſubſequenti, per quam redditur illud opus ſubordinatum præcepto.

1. Aragon. Bonacina. Diana. Caſpenſis. Machado. Torre. Prado. Delgadillo. Acat. de Velaſco. Baſſæus, & innumeri apud Me *in Statera, diſſ.* 10. *q.* 2.

2. Azor. Suarez. Henriquez. Baldellus. Fagundez, & ego *vbi ſup.*

2 Cæterùm intentio eſt voluntas, ſeu propoſitum faciendi aliquid. Hæc poteſt eſſe actualis, elicito voluntatis actu tendente in id, quod vult facere. Præterea habitualis, quæ variè explicatur; nempe intentio actualis præterita non reuocata; vel eſt, qua is, qui antecedenter actualem intentionem non habuit, ex vi cuius ſequeretur operatio, tamen ſi ei in mentem veniret,

niret, eſt ita diſpoſitus, vt eliceret eiuſmodi intentionem actualem. (3) Intentio virtualis eſt virtus, & energia, ſeu vis quædam relicta ex intentione actuali præhabita, qua fit aliquid, quod aliter non fieret. Sic cum quis ſe accingit ad baptizandum, ad audiendum Confeſſiones, ad celebrandam Miſſam, & ſimilia, habet intentionem actualem peragendi ea opera; & poſtmodum cum profert verba baptiſmi, abſolutionis, conſecrationis, & ſimilia, eſtò non habeat intentionem actualem proferendi ea verba ad conficienda ea Sacramenta, habet tamen intentionem virtualem exiſtentem in eis diſpoſitionibus.

3. Gobat. *in exper. Theol. tr. 1. num. 62.* Card. Lugo. Dicaſtillo. Tanner.

3 Intentio rurſus alia eſt explicita, cum expreſsè quis vult aliquid cognitum, & cogitatum; alia implicita, qua aliquid intenditur non expreſsè cogitando de illo, ſed de alio, cui eſt annexum vel naturaliter, vel per legem. Sic qui habet intentionem ſuſcipiendi Ordinem Subdiaconatus, implicitè intendit vouere, & ſeruare caſtitatem ei annexam ex præcepto.

4 Adhuc intentio alia eſt directa, alia indirecta. Prima eſt, qua quid volumus formaliter, poſitiuè, & explicitè. Indirecta verò, (4) qua volumus aliquam cauſam, ex qua videmus fore ſecuturum effectum, quem tunc indirectè intendimus, aut ſaltem poſſumus intendere; ſæpè enim oppoſitum deſideratur. Et hinc exponitur, quid ſit voluntarium directè, quid voluntarium indirectè, ſeu in cauſa. Hæc intentio indirecta appellatur etiam interpretatiua ab aliquibus.

4. Suar. *in 1. 2. tr. 2. d. 1. ſect. 4.* Tannerus. Card. Lugo. Dicaſtillo. Gobat.

5 Præterea intentio alia eſt abſoluta, alia conditionata; hæc eſt voluntas faciendi aliquid dependenter ab aliqua conditione, & non eſt efficax, donec conditio ponatur. Abſoluta autem eſt voluntas peragendi aliquid independenter à conditione.

6 Demùm intentio quoad Sacramenta alia eſt, qua quis vult in particulari conficere Sacramenta; alia, qua quis vult efficere, quod facit Eccleſia. V. g. infans vicinus eſt morti, nullus adeſt niſi Turca, qui rectè callet, Chriſtianos iuxta ſuum Eccleſiæ ritum baptizare infantes, abluendo, & proferendo verba, quæ ille etiam memoriter teneat; ſi ille intendat facere, quod facit Eccleſia, & infantem abluens formam verborum

tum proferat, ſanè ea intentio ſufficit ad valorem Baptiſmi.

7 Jam verò ad valorem cuiuſvis Sacramenti non ſufficit intentio habitualis (intentio autem Miniſtri omnino eſt neceſſaria) excepto Sacramento matrimonij; (5) nam ea nihil ponit in eſſe, vnde nihil valet operari: neque ea intentio præterita, cum nihil ſui relinquat, poteſt eſſe cauſa alicuius effectus. Matrimonium excepi, nam ſequitur naturam contractuum, ad quos ſufficit voluntas, ſeu intentio actualis præterita non reuocata; ſic ad debiti ſolutionem ſufficiet, ſi dicas: *Volo, vt manè pro quinquaginta ſcutis, quæ tibi debeo, meus equus ſit tuus.* Sufficiet ſimiliter, ſi contrahentes matrimonium dicant alter ad alterum: *Volo, vt manè ſis meus coniux, & meum corpus tui iuris*; cum enim ſic fiat validè contractus, & hic, cum perficitur, eleuetur ad rationem Sacramenti, & miniſtri ſint hi, qui perficiunt contractum, ſufficit ea intentio, & voluntas non retractata. (6) Et quidem leges humanæ, & conſuetudines valent efficere, vt voluntas habitualis habeat in tranſlatione dominij per contractus, & pacta tantam vim, ac ſi eſſet tunc actualis; cum etiam eiuſmodi leges poſſint ratihabitionem retrotrahere ad præterita. Hinc fit, ſufficere ſi dicas hodie, te velle celebrare manè pro tali defuncto; & quamvis manè nihil de eo cogites, dum non reuoces voluntatem, Miſſa ei proderit; quia fuit illa quædam donatio ſatisfactionis Miſſæ. At non ſat eſt, ſi hodie habeas intentionem conſecrandi manè, vt manè, ſi alia intentio ſtatim exponenda, non detur, conficias Sacramentum; nam hæc voluntas hodierna, nihil ſui relinquens, manè nihil operatur, vt tua intentio ad Sacramentum conficiendum concurrat.

8 Intentio virtualis in miniſtro Sacramenti ſufficit, (7) cum hæc ſufficiat ad quoſlibet actus humanos, vota, permiſſiones, mandata, prohibitiones, & ſimilia. Et quidem exiſtit in aliquo intentio actualis, dum datur virtualis; ac aliundè res eſſet obnoxia innumeris dubitationibus, & ſcrupulis, ſi intentio actualis requireretur. Inde etiam ſufficit intentio

5. Card. Lugo *de Sacram. d. 8. ſect. 6. n. 90.* & communis.

6. P. Dicaſtillo *tract. 1. de Sacram. d. 3. dub. 6. n. 137.* Gobat.

7. Communis.

virtualis ad impetrandum, merendum, audiendum ſacrum, recitandum Horas Canonicas, & ſimilia. Quin ſufficit intentio virtualis implicita ad conficienda Sacramenta, qua quis antecedenter habuit explicitam voluntatem faciendi, quod facit Eccleſia.

9 Cum intentione conditionata de futuro nequit confici Sacramentum; nec enim valet abſolutio, ſi dicas: *Abſoluo te, ſi cras reſtitueris*; nec dependenter à conditione qualibet contingente, ſic verò à conditione præterita. Si in matrimonio dicatur; *Accipio te in meam, ſi manè pater tuus mihi tradiderit dotem*; cum hic ſit contractus, poſita conditione, & non reuocata intentione, perficitur matrimonium, cum apponitur conditio, cum tunc dentur materia, & forma, nempe traditio, & acceptatio habitualiter; quam exiſtentiam habitualem ad matrimonij valorem ſufficere, iam diximus. (8)

8. Gobat. *in exper. Theol. tr. 1. num. 90.*

10 Ex his fit, non eſſe validum Baptiſmum, quo obſtetrix, aut alius diceret, *Si non aduenias Parochus, qui te baptizet, ego te baptizo*; quia ea intentio pendet à conditione de futuro.

11 Intentio indirecta non ſufficit ad ſuſcipiendum Sacramentum; (9) v. g. ſi præuideas, te fore baptizandum, ſi dormias, aut inebrieris, & velis ſomnum, aut ebrietatem; nam ſtat, præuidere effectum in cauſa, & deſiderare, ne ſequatur effectus; vt cum homo caſtus præuidet ex ſomno ſecuturam pollutionem, quam non vult.

9. Coninch *in 3. p. q. 64. art. 8. dub. 5. n. 106.* Valentia. Gobat.

12 Vt adultus recipiat Sacramentum baptiſmi, ſufficit, & ad minùs requiritur voluntas habitualis; liberè enim debet renaſci ad nouam vitam; & qui non conſentit, (10) non baptizatur: habitualis autem ſufficit, quia nec eſt fundamentum ad vlteriorem requirendam, nec ea requiritur, quæ in miniſtro, qui eſt cauſa efficiens; baptizatus autem eſt cauſa materialis: maior autem perfectio requiritur in cauſa efficiente, quàm in recipiente, vt conſtat ex omnibus effectibus naturalibus, & ſupernaturalibus.

10. *Cap. Maiores, de Baptiſmo.*

13 In paruulis non datur, nec eſt neceſſarius, nec poſſibilis

possibilis consensus, & intentio; & peccatum originale sine consensu contractum, sine consensu per Sacramentum dimittitur. Nec dicas, adesse intentionem, & consensum omnium Catholicorum ad paruulorum baptismum; nam si in orbe vnus solus esset baptizandus, & vnus solus minister, validè eum paruulum baptizaret.

## *Interdictum.*

1 INterdictum est censura Ecclesiastica, quâ prohibentur diuina Officia, aliqua Sacramenta, & sepultura Ecclesiastica. Priuat diuinis Officiis Ordini sacro annexis, non aliis Orationibus. Triplex est: purè locale, quo in tali loco prohibentur ea Sacramenta, & Officia; purè personale, quo prohibentur aliquæ personæ ab illis; mixtum, quo prohibentur aliquæ personæ in quolibet loco, vel aliquis locus respectu omnium personarum. Interdicto populo, non interdicitur Clerus; ideóque Clerici, etiam primò tonsurati, gaudentes priuilegio canonis, & fori, exceptis clericis coniugatis etiam Ecclesiæ addictis, & Regulares possunt Missas, & Diuina Officia audire, aut respectiuè celebrare ianuis clausis, voce submissa, & campanis non pulsatis, dum ipsi non sint specialiter interdicti, nec in Ecclesia specialiter interdicta, nec in Oratoriis, & exclusis his, qui nequeunt assistere. (1) Non prohibentur Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, & respectu infirmorum periclitantium Eucharistia, nec Matrimonium sine benedictionibus, sic verò cum illis. Cætera prohibentur. (2)

2 In Ecclesia specialiter interdicta potest vnica Missa in hebdomada celebrari cum vno vel duobus Ministris ad renouandam Eucharistiam. Clerici possunt sepultura Ecclesiastica donari absque Missa, & solennitate, etiam in Ecclesia specialiter interdicta. Violare interdictum exercendo aliquid prohibitum, etiam absque contemptu, (3) est peccatum graue. Qui habet Bullam Cruciatæ, dum causam interdicto

1. Communis: Ego *de Bullâ Cruciat. d. 1 §. & de Iure Academ. lib. 3. 9. 47.*

2. Granado. Trullench. Suarez, & communis apud Me *vbi supra.*

3. Suarez, & alij *vbi supra.*

non dederit, aut per eum non ſtet, quominus amoueatur, & cum eo famuli, & in eius obſequio occupati, ac eius expenſis victitantes, & conſanguinei vſque ad quartum gradum poſſunt tempore interdicti aſſiſtere diuinis Officiis, & Miſſæ, etiam in Eccleſia ſpecialiter interdicta, cum in ea celebratur.

4. Rodriguez. Cruz.

(4) Habens eam Bullam tenetur audire Miſſam diebus feſtis, adhuc in Oratorio, ſi non poſſit alibi; (5)

5. Ant. Gomez, & alij *ſup.* & *in Appendic. d. 5. num. 168.*

nam inſtat præceptum, & poteſt illud implere, & id priuilegium relinquit illum in ſtatu, ac ſi non eſſet interdictum; ſicut in carcere detentus, ſi diebus feſtis ſolueretur, & relinqueretur liber, præſtando ei hanc gratiam, vt exiret, & audiret Miſſam, ad id teneretur; & ſicut ſi ferens interdictum aſſereret: Interdico omnes præter Petrum, & Paulum, hi tenerentur Miſſam audire: ſic in præſenti ſe habet, qui fert interdictum; Interdicto omnes, ne Miſſam audiant præter habentes Bullam, quos nequeo interdicere, quia à Pontifice excepti ſunt; & non minorem vim habet, ſi Pontifex eos excipiat, quàm ſi inferior ferens interdictum. (6) Attamen non teneri, eſt certò probabile; (7) quia id eſt priuilegium, cui poteſt quilibet renuntiare, & vti ſuo priuilegio nemo tenetur.

6. Nauarrus. Sotus. Medina. Sylueſter. Couarruuias. Rodriguez. Trullench. Barboſa. Cruz. Suarez. Azor. Bardi. Caſtr. Palao. Fagundez. Henriquez. Tannerus. Nuñus, & alij apud Me *de Bull. Cruciat. d. 15. cap. 3. & in Append. d. 2. cap. 6.*

3 Habens Bullam Cruciatæ poteſt tempore interdicti recipere omnia Sacramenta, dum ei non dederit cauſam, nec per eum ſtet, quominus tollatur. Poteſt donari ſepultura Eccleſiaſtica cum moderata pompa funerali, aſſignanda reſpectiuè ad vſum patriæ, arbitrio prudentum, etiam in Eccleſia ſpecialiter interdicta. (8)

7. Llamas. Alterius. Diana. Coninch. Auila, & alij apud Me *de Bulla Cruciat. d. 15. & de Iure Academ. lib. 3. q. 47.*

4 Tempore interdicti tenentur omnes perſonaliter non interdicti audire Miſſam in Eccleſia, quæ non ſit interdicta, ſi fortè ſit aliqua in loco, vel prope illum; non tamen tenentur pergere ad locum diſtantem cum graui incommodo. Quòd ſi vnica Miſſa celebraretur in Eccleſia non interdicta, & non poſſet quis præ multitudine adſtantium ingredi, aut ante fores ſtare, nullius culpæ eſſet reus.

8. Ego *de Bulla Cruciat. d. 15.*

5 Non prohibentur tempore indicti niſi diuina Officia, quæ alicui ſacro Ordini ſunt annexa; quare poteſt

poteſt Concio haberi, & campana ad illam, necnon ad Salutationem Angelicam pulſari, & alia huiuſmodi. Infames, & amentes poſſunt eo tempore aſſiſtere diuinis Officiis, quia (8) non habent præſentiam humanam moralem.

*n. 45. & in App. d. 2. c. 5.*

8. Valentia, & cum aliis ego *de Bull. Cruc. d. 15. cap. 1.*

6 In Oratorio tempore interdicti conceditur in Bulla Cruciatæ, poſſe audiri ſactum, & recipere Euchariſtiam, fundendo aliquas preces ad Deum. At non fundi eas, non eſt peccatum graue, nec tollit die feſto adimpleri præceptum audiendi Miſſam. Si Sacerdos non habeat licentiam ad miniſtrandam vllibi Euchariſtiam (in Hiſpania omnes eam habent, ſiue Regulares, ſiue Sæculares, aut ab Ordinario, aut à Parocho, ſaltem tacitam, & præſumptam) non poſſet quis virtute Bullæ Cruciatæ ab eo recipere Euchariſtiam, (9) quia Bulla nihil amplius præſtat, quàm tollere impedimentum interdicti ad eam recipiendam, non verò circa approbationem, aut licentiam in Sacerdote neceſſariam; ſicut cum concedit licentiam ad eligendum Confeſſarium, ſupponit in eo approbationem, non concedit illam.

9. Nuñus. Rodriguez, Henriquez. Suarez. Auila. Trullench. Ego *ſup. d. 158 cap. 4.*

7 Ab interdicto reſeruato ſolus reſeruans, aut eius ſuperior valet abſoluere. Interdictum locale, niſi in Iure vſque ad certum tempus decernatur, poteſt tolli, aut ſuſpendi ab Ordinario loci. Si interdictum vſque ad certum tempus imponatur, elapſo eo tempore ceſſat. Confeſſor ordinarius poteſt abſoluere (10) ab interdicto perſonali à Iure non reſeruato, ſicut ab excommunicatione, ob ſimilitudinem effectuum vtriuſque cenſuræ. Interdictum latum propter contumaciam non ceſſat, eo quòd ceſſet contumacia, (11) ſed opus eſt, tolli ab eo, qui illud inflixit. Ab Epiſcopo autem poſſunt tolli interdicta generalia localia, & perſonalia à Iure, niſi ſint Pontifici reſeruata; & hæc etiam, ſi ad certum tempus (12) ſtatuuntur. Qui ex priuilegio poteſt abſoluere in foro conſcientiæ ab interdicto, nequit abſoluere ab interdicto locali, nec perſonali Communitatis; quia locus, & Communitas non ſubiiciuntur foro conſcientiæ. Qui autem poteſt abſoluere à cenſuris à Iure, proportionatè poteſt abſoluere ab interdicto

10. Mercerus, & alij *vbi ſup. d. 25. n. 32.*

11. Suarez, & alij apud Me *de Bull. Cruciat. d. 25. num. 33.*

12. Laym. *ſuper.*

à Iure. Interdictum Communitatis ceſſat, ſi ea diſſoluatur; non verò interdictum locale, quamvis locus, aut Ciuitas, ſeu Eccleſia diruatur. (13)

13. Suarez, & alij *vbi ſuprà.*

8 Interdictum ſpeciale perſonale latum ab homine ſolus hic poteſt tollere, & non poteſt eius ſuperior, dum non ſit ſummus Pontifex, (14) niſi de eius conſenſu, & præſtita ſatisfactione. Interdictum generale, ſiue locale, ſiue perſonale, ſolus qui inflixit, poteſt tollere: aliàs ſi ſinguli ab interdicto generali perſonali à Confeſſario abſoluerentur, tota Communitas compoſita ex ſingulis omnibus libera maneret ab eo interdicto. Qui dedit cauſam interdicto, nequit abſolui, nec virtute Bullæ Cruciatæ, niſi ab eo, qui interdixit. Ab interdicto generali locali prohibita eſt (15) abſolutio ad cautelam, non verò ab aliis interdictis. Non datur forma determinata ad abſoluendum ab interdicto; in abſolutione autem ab interdicto præſtanda ſunt ea, quæ in abſolutione ab excommunicatione, circa ſatisfactionem, & ſimilia.

14. *Cap. Cùm Eccleſiarum, de offic. Ordinar.*

15. *Cap. Præſenti, de ſent. excom. in 6.*

9 In Iure ſunt aliqua interdicta Pontifici reſeruata. 1. fertur in Gubernatorem, Dominum, & Miniſtros Ciuitatis, in qua Pontificem mori contigerit, ſi non obſeruent ea, quæ in ipſo Iure (16) ſtabiliuntur. 2. in eos, & eorum Ciuitates, qui hoſtiliter (17) inſectantur Cardinales. 3. in eos, qui Pontifici, aut Epiſcopis corporalem inferunt iniuriam. Quòd ſi is (18) ſit Dominus territorij, hoc manet interdictum; ſi Dominus ſit plurium diœceſum, manet interdicta ea, in qua ille habet præcipuum domicilium, necnon ea, in qua delictum eſt commiſſum, & inſimul duæ aliæ viciniores; & ex culpa Communitatis in ſuum Epiſcopum, Ciuitas manet interdicta. 4. Contra prohibentes, (19) prætextu conſuetudinis, ne Legati Pontificis locum aliquem ingrediantur; locuſque manet interdictus. 5. in Prælatos, qui (20) dum viſitant, recipiunt aliquid, contra conſtitutionem (21) Innocentij IV. Et extenditur hoc interdictum ad omnes, qui ſunt de familia (22) Epiſcopi, niſi intra duos menſes duplum reſtituant. 6. interdicuntur Eccleſiæ

16. *Cap. Vbi periculum, de elect. in 6.*

17. *Cap. Felicis, de pœnis.*

18. *Clementin. 1. de pœnis.*

19. *Extrauagant. Super gentes, de conſuetud.*

20. *Cap. Exigit, de cenſib. in 6.*

21. *Cap. Romana, eod. tit.*

22. *Extrau. Vnica, de cenſib.*

cleſiæ ingreſſu Epiſcopi, & ſuperiores (23) vſurpantes vacantium Beneficiorum bona, ſi intra menſem non reſtituant.

23. *Extrau. vnic. Ne Sede vacã.*

10 7. Stabilitur interdictum in eum, (24) qui accipit dignitatem Eccleſiaſticam de manu laici, & in ipſum laicum. 8. In Vniuerſitates, quæ concedunt repreſſalias contra Clericos, niſi (25) intra menſem eas reuocent. 9. in Capitulum, & Vniuerſitates, quæ malè ſe gerunt circa (26) fructus Beneficiorum vacantium. 10. in Iudices Eccleſiaſticos, qui priuant Beneficiis degentes Romæ (27) pro ſuis negotiis, aut aliquod munus exercentes. Vbi non interdicuntur Epiſcopi, quia non exprimuntur, & in Iure non includuntur ſub cenſuris illis, niſi fiat expreſſa mentio ipſorum. 11. Interdicuntur per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ (& non exprimuntur Epiſcopi) qui ſcienter non ſeruant formam (28) præſcriptam in ferendis cenſuris. 12. Interdicitur etiam per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ, (29) qui profert excommunicationem abſque debita monitione, & teſtibus.

24. *Cap. Si quis deinceps, 16. q. 7.*

25. *Cap. vnic. de iniuriis. in 6.*

26. *Extrau. vnic. Ne Sede vacat.*

27. *Extrau. 3. de priuileg.*

28. *Cap. 1. de ſent. excom. in 6.*

29. *Cap. Sacro, de ſent. excomm.*

11 13. Interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ ſæculares, & exempti à iuriſdictione Epiſcopi, (30) qui ſcienter violant interdictum locale à iure, vel ab homine. Et præterea qui excommunicatos denuntiatos, aut publicos Clerici percuſſores admittunt ad diuina Officia, Sacramenta, aut Eccleſiaſticam ſepulturam. 14. Interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ (31) Clerici in ſacris conſtituti iacentes in peccato fornicationis. 15. Interdicuntur Clerici, & Religioſi cogentes aliquem (32) ad eligendam, aut non mutandã ſepulturam; & eorum Eccleſiæ ſubiacent interdicto, donec reſtituant corpora, & emolumenta. 16. Interdicuntur Collegia, aut Vniuerſitates (33) exigentes tributa à perſonis Eccleſiaſticis; & locus, vbi eſt Collegium, aut Vniuerſitas ſubiicitur interdicto, quia ſic exprimitur; non verò interdictum locale generale extendendum eſt, vt ſit generale perſonale, quia eſt extenſio odioſa; ſed ſolùm ad perſonas, quæ dederunt cauſam interdicto.

30. *Cap. Epiſcoporum, de priuil. in 6.*

31. *Cap. Si quã ſunt, d. 8.*

32. *Cap. 1. de ſepulturis, in 6.*

33. *Cap. Quamquam, de veſt.*

12 17. Extat interdictum (34) in Collegia, & Vniuerſitates concedentes locum habitandum vſurariis

34. *Cap. 1. de vſur. in 6.*

alienigenis, & durat quandiu hi perſeuerant. 18.

35. Trid. *ſeſſ.* 7. *cap.* 10.

Interdicitur Capitulum (35) ſi Sede vacante intra annum præſtat dimiſſorias ad Ordines vlli, qui Beneficio non arctatur. Demùm extat interdictum (36) in Vniuerſitates, Capitula, & Collegia appellantia ad futurum Concilium.

36. In Bulla Cœnæ.

13 Vbi viget Bulla Cruciatæ, interdictum ſuſpenditur per octo dies antè, & totidem poſt publicationem ipſius Bullæ quolibet anno, à quovis ſuperiore procedat interdictum, etiam à Sede Apoſtolica, vt conſtat ex ipſa Bulla, vt ſic ſolenniùs publicetur. Non tamen ſuſpenditur vlla excommunicatio, nec eorum qui dederunt cauſam interdicto, cum poſſit hoc ſuſpendi, & illa remanere, vtpotè diuerſa cenſura. (37) Nec ſuſpenditur interdictum perſonale vnius, aut alterius, etiamſi non ſint ſimul excommunicati; nam ſolùm ſuſpenditur interdictum illius loci, in quo publicatur Bulla, vt id fiat ſolennius: cui ſolennitati non obeſt interdictum perſonale, niſi omnes incolæ vnius loci eſſent interdicti perſonaliter; nam id interdictum, vtpotè generale, opponeretur cauſæ finali ſuſpenſionis. Et licet in vna ſola Eccleſia loci ſit interdictum, id ſuſpenditur, quamvis publicatio fiat in alia Eccleſia. Tranſactis autem præfatis diebus, abſque noua Iudicis reualidatione redit interdictum, ſi interim non fuerit ab eo ablatum.

37. Ego *de Bulla Cruc. d.* 30. *n.* 7.

38. Sylueſt. *verb. Interdictum* 5. *q.* 4. *in fin.* Henriquez. Sayrus. Alterius. Bonacina. Filliucius, & alij.

14 Inter diuina Officia, quæ prohibentur tempore interdicti annumerandæ ſunt Litaniæ cum *Dominus vobiſcum.* (38) Nec poteſt pulſari campanula adhuc ad vocandos domeſticos Religioſos ad illas; eſtò ianuis clauſis, & ſubmiſſa voce poſſint dici.

39. Couarruuias *in cap. Alma mater, p.* 2. §. 1. Nauarrus. Eman. Sà. Diana.

15 Quicumque poteſt excommunicare, poteſt perſonas, & territorium, quæ ei ſubduntur, interdicere; & in caſibus, in quibus eſt nulla excommunicatio, eſt nullum interdictum. At pro debito pecuniario nequit interdicere locum. (39)

40. Eman. Sà *in*

16 Religioſi debent ſeruare interdictum, quod ſeruat Eccleſia Cathedralis; quòd ſi hæc non detur, id eſt generale, quod ſeruant omnes Eccleſiæ Parochiales. (40)

17 Qui

17 Qui eſt interdictus, poteſt in Eccleſiam ingredi, & orare, cum non celebrantur diuina Officia. Et interdictus ſolùm ab Officio, poteſt exercere iuriſdictionem, quæ non eſt Officium Ordinis. Et ſi ingreſſus dumtaxat Eccleſiæ eſt alicui prohibitus, poteſt in Oratorio celebrare. Cæterùm interdictus abſolutè nequit celebrare, nec iuriſdictionem licitè exercere, nec eligere, nec eligi.

*ſum. verb. Interdictũ, n.13.* Viuald. & alij.

18 Tollitur in Iure (41) interdictum ratione ſolennitatis in Natiuitate, Paſchate Reſurrectionis, Pentecoſte, Feſto Corporis Chriſti cum tota Octaua, Aſſumptione Deiparæ, & Conceptione cum tota octaua. Et in feſtis Natiuitatis, Paſchæ, & Pentecoſtes etiam continentur dies ſequentes feſtiui. (42)

41. *Cap. Alma mater, de ſent. excom. lib. 6.*

42. Diana *p. 5. tr. 10. reſ. 61.* Auila. Moſcoſ. & alij.

19 In interdicti violatione datur materia parua, veluti ſi quis benedicat aquam, dum tamen ſolenniter non aſpergat populum, ac alia eiuſmodi. At ſunt aliqua, quæ in ſe videntur materia parua, & ſunt grauis materia, veluti eſſe ianuas Eccleſiæ apertas, dum dicuntur diuina Officia; nam ea circunſtantia cum afficiat totum Officium, non eſt parua materia, ſed grauis.

20 Si Epiſcopus ſit interdictus ſolùm à ſacro celebrando certò probabile eſt, poſſe conferre Ordines, alio celebrante, quia eo modo eſt probabile, non eſſe opus, quòd ipſe ordinans celebret. (43)

43. Diana *vbi ſupra, reſ. 86.* Præpoſitus.

21 Interdictus ab Officio non ſit irregularis exercendo Ordines minores, quia non eſt hæc pœna expreſſa in Iure; & irregularitas impoſita his, qui malè vtuntur Ordinibus ſacris, vtpotè odioſa, non eſt extendenda ad Ordines minores. (44)

44. Nauarrus *in Conſil. conſ. 28. de ſent. excom. num. 10.*

22 Quando eſt interdictum perſonale generale in aliquo loco, ſi incola illius transferat ſe ad alium locum, dum ipſe non dederit cauſam interdicto, non manet interdictus, quia in eo cauſa interdicti ceſſat. (45) At tutius eſt, eum abſolui, cum fuerit vnus è populo, qui dedit cauſam interdicto, vt ſimul ſumptus. Cæterùm ſi populus interdicatur, & ibi verſentur aliqui qui non ſunt de populo, nec ſimul cum eo cauſam interdicto dederunt, non remanent interdicti

45. Fumus *in Armilla, verb. Interdictũ, n.14.* & alij.

dicti. (46) Secus est de absentibus, qui sunt de populo, & ad eum redeunt; nam hi pœnæ interdicti subiacent. (47)

46. *Cap. Si sententia, de sent. excom. in 6.*

47. Doctores *in dicto cap.*

## *Irregularitas.*

1 IRregularis fit suppeditans arma alicui sciens, aut timens prudenter, moraliter, seu probabiliter, posci ab ipso ad infligendam mortem, seu mutilationem membri, effectu secuto; (1) nam cooperatur voluntariè ad mortem, & est causa moralis: sufficit autem esse causam voluntariam adhuc indirectè, nempe volendo aliquid, ex quo mutilatio, seu homicidium præuidetur fore sequendum, vt irregularitas contrahatur; quæ quidem contrahitur per consilium, mandatum, aut cooperationem. (2) Dans operam rei illicitæ prohibitæ in Iure propter periculum homicidij, estò id sit casuale, irregularis fit. (3) Membrum autem, cuius mutilatio inducit irregularitatem, est id, quod habet proprium officium, vt disiunctum à cæteris corporis partibus, vt pes, manus, oculus, auris, membrum virile, & mammilla fœminæ. (4) Non incurritur irregularitas occidendo, aut mutilando, cum id est necessarium ad defensionem vitæ, seu corporis cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec incurrit occidens, aut mutilans inuasorem innocentis, non potens alia via eum liberare; nam cogit lex charitatis & naturæ, & facit, vt homicidium id non sit voluntarium.

1. Sayrus. Gasp. Hurtad. Vgolinus. Suarez. Gibalinus. Castro Palao. Ioseph. Augustt. Ego cum aliis *in Statera, diff.* 13. *q.* 12.

2. *Cap. vlt. de homic. lib.* 6. *Cap. Sicut dignè, de homic. Cap. Quod in dubiis, de pœnis.*

3. Suarez apud Me *suprà.*

4. Nauarrus. Abbas. Villadiego. Molina. Sayrus, & alij apud Me *in Statera, diff.* 13. *q.* 12.

2 Iudex, carnifex, & cæteri cooperantes ad mortem, aut mutilationem delinquentis manent irregulares ex defectu lenitatis; & licet eos obliget lex iustitiæ, non tamen absolutè, & ex se, sed ex suppositione, quod voluntariè acceptarunt illa munera publica; cum eos, qui his muneribus non funguntur ea lex non obliget. Qui vt defendat res suas, interficit, aut mutilat, fit irregularis, quia vt in Iure asseritur, potiùs debet dimittere sua, quàm interficere;

& rerum ſuſtinere iacturam, quàm pro conſeruandis vilibus, & tranſitoriis rebus (5) tam acriter in alios exardeſcere; & non eſt ea neceſſitas adeò conformis naturæ, ac neceſſitas defendendæ vitæ propriæ. Etiam ſit irregularis, qui ob defendendum honorem, alium occidit, aut mutilat; (6) eſtò ſi alio modo defendere non poſſet, non peccaret. Hanc irregularitatem contrahi, confirmat Curiæ Romanæ ſtylus.

5. *Cap. Suſcepimus, de homic.* & Gloſſa *ibi.*

6. D. Antonin. Sylueſter. Nauarrus. Molina. Auila. Layman, & plures apud Me *de Iure Academ. l.3. q.29.*

3 In irregularitate ex homicidio voluntario contracta ſolus Pontifex diſpenſare valet, ſicut in cæteris ei reſeruatis, niſi ſuis Nuntiis id committat. In irregularitate ex mutilatione, ſi ſit occulta, nec deducta ad forum contentioſum, poteſt iuxta Tridentinum Epiſcopus diſpenſare, (7) ſicut in aliis irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus.

7. *Seſſ.24. cap.6. de reform.*

4 In dubio homicidij contrahitur irregularitas; (8) at duplex poteſt eſſe dubium: primum, an poſita cauſa vulnerationis, auxilij, iuuaminis, ſecutum de facto fuerit homicidium, necne? Secundum, an quis dederit cauſam culpabilem homicidio ſecuto? In primo dubio contrahitur irregularitas, (9) non in ſecundo: id enim eſt conformius Iuribus eam irregularitatem decernentibus. Et ſanè poſita cauſa, datur culpa certa, cui correſpondeat pœna; at pro dubia culpa in poſitione cauſæ, durum videretur, pœnam grauem infligi. Et ſic ſaluatur, quod in dubiis melior eſt conditio poſſidentis, cum in dubio poſitionis cauſæ poſſeſſio ſtet pro libertate. Poſita autem cauſa, etiam dubio effectu, poſſeſſio ſtat pro lege obligante ad ſubeundam pœnam, dum per exceptionem oppoſitam non ſe defendat, qui cauſam appoſuit.

8. *Cap. Ad audientiam, cap. Significaſti 2. de homicidio.*

9. Barboſa. Gibalinus. Boſſius. Arriaga. Caſtr. Palao. Diana. Suarez. Th. Sanchez. & plures apud Me *de Iure Academic. lib. 3. q.30.*

5 Cæterùm irregularitas eſt impedimentum canonicum ex facto, vel defectu prouenies, quo aliquis directè prohibetur Ordines ſuſcipere, & in illis miniſtrare. Non eſt de iure diuino, nec contrahitur niſi in caſibus in Iure expreſſis, neque poteſt iudex nouam irregularitatis pœnam infligere. (10) Differt ab aliis pœnis Eccleſiaſticis, quia priuat receptione

10. Couarruuias. Borgaſius. Ant. Gomez.

& alij apud Me *de Bulla Cruc. d. 10. c. 1.*

tione Ordinum, & vſu, quatenus Ordines ſunt; quippe excommunicatio priuat vſu eorum, quatenus eſt communicatio cum fidelibus; ſuſpenſio, quatenus is vſus eſt Eccleſiaſtica poteſtas; interdictũ quatenùs eſt is vſus Officium Eccleſiaſticum. Non eſt cenſura. (11) Prouenit vel ex facto, vel ex defectu. Ex defectu autem, vel corporis, vel animæ, vel lenitatis, aut ſignificationis. Ex defectu corporis, cum is eſt talis, vt abſque horrore, vel deformitate celebrare quis nequeat; & ſolus Pontifex valet in ea diſpenſare. Et etiam ex defectu membri, quamvis non ſit deformitas, ſi propriâ culpâ contigit, aut in pœnam delicti, vel ſi quis putans ſe placere Deo membrum ſibi abſcidit. (12) In hac irregularitate ex delicto, ſi ſit occultum, prouenient, (13) poteſt Epiſcopus diſpenſare. Ex defectu natalium contrahitur irregularitas per illegitimitatem. Cum illegitimis poteſt Epiſcopus diſpenſare ſolùm quoad minores Ordines, & Beneficium ſimplex. (14)

11. *Cap. Quærenti, de verb. ſignif.* Sylueſter. Angelus. Armilla, & plurimi *ſuprà.*

12. *Cap. Hi qui, 55. diſt.*

13. Trid. *ſeſſ. 24. c. 6. de refor.*

14. *Cap. 1. de filiis presbyteror.* Nauarrus. Apud Me *ſup.*

6 Ex defectu animæ illiteratus omnino, eſt irregularis, & ſolus Pontifex (15) poteſt cum eo diſpenſare. Si is, qui literas requiſitas non didicit, ſit iam ordinatus, poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt in Ordinibus (16) miniſtret. Hæretici externi, apoſtatæ, & eorum fautores, defenſores, receptatores ſunt irregulares, & nec poſt conuerſionem ſunt ordinandi. (17) Quòd ſi ordinatus incidat in hæreſim, poteſt poſt conuerſionem ab Epiſcopo diſpenſari. Hæreticus autem occultus non eſt irregularis; quare poſt abſolutionem poteſt ab Epiſcopo ordinari. Filij hæreticorum, & receptatorum vſque ad ſecundam generationem per lineam paternam, & vſque ad primam per maternam, ſunt irregulares, niſi filij eorum, (18) qui reconciliati deceſſerunt. Solus Papa diſpenſat in hac irregularitate. Neophytus eſt irregularis; quòd ſi iudicio Epiſcopi ſit confirmatus, & fidem iam diu ſuſcepit, poteſt Epiſcopus cum eo diſpenſare; ſiquidem abſolutè non eſt neophytus, ſeu recens conuerſus. Infantes ſunt à iure irregulares. Infames etiam; quòd ſi infamia ſit Iuris Canonici,

15. *Cap. Illiteratos, 36. diſtinct.* *Cap. Dilectus, de tempor. ord.*

16. Henriquez, & alij apud Me *de Bull. Cruc. d. 10. cap. 1.*

17. *Cap. Si quis omnem, 1. q. 3.* cum pluribus.

18. *Cap. Statutum, de hæret. in 6.*

nici, ſolus Pontifex diſpenſare poteſt; ſi verò ſit infamia Iuris Ciuilis, Princeps poteſt eam tollere. Quòd ſi quis laboret notoria infamia orta ex criminibus enormibus, dum non eam tollit per emendationem, nequit Ordinibus initiari, neque miniſtrare in ſuſceptis.

6 Ex defectu lenitatis fiunt irregulares hi, quos ſuprà præfiximus, & à fortiori, qui occidit alium, aut mutilat membrum, vel accelerat mortem, cauſam propinquam præbens. Furioſi, amentes, & dormientes occiſores alicuius non contrahunt irregularitatem, dum dormiens adhibuerit debitam diligentiam, vt non ſuffocaret infantem. Excuſatur ab irregularitate occidens alium ob defendendam Rempublicam, aut Principem, caſu quo ad id iure naturali, aut diuino teneatur. (19) Homicidium caſuale ſecutum ab executione rei non periculoſæ, adhibita ſufficienti diligentia, non inducit irregularitatem, ſecus ſi aliquod ex his (20) requiſitis deficiat. Irregularis eſt, qui dat cauſam abortui, fœtu animato. Præterea qui rebaptizat, & qui ſcienter rebaptizatur.

19. Molina, & alij apud Me *vbi ſuprà.*

20. Corduba. Medina. Aragon. Auila *vbi ſup.*

7 Ex defectu ſignificationis bigamus eſt irregularis; (21) quia nequit ille ſignificare vnionem Chriſti cum Eccleſia, vnica ipſius ſponſa. Quippe bigamus eſt, qui contrahit matrimonium cum fœmina non virgine, vel ſucceſſiuè cum duplici fœmina virgine.

21. *Toto tit. de bigamis.*

8 In bello iniuſto occidens, aut mutilans fit irregularis; nam illicitè præliatur, ſicut qui reſiſtit miniſtris iuſtitiæ, & vt vitam propriam defendat, occidit aliquem ex illis, contrahit irregularitatem, quia illicitè reſiſtit. (22) In bello iuſto occidentes fiunt irregulares, niſi aliter non queant vitam ſuam tueri. At qui adſunt bello, vt adiuuent alios in ſpiritualibus, nec pugnent, ſi vt vitam propriam defendant, occidunt aliquem, non manent irregulares. Clerici iuſſu Pontificis pugnantes propria manu, non fiunt irregulares, quia in iuſſione inuoluitur diſpenſatio. (23) Irregularis fit in bello iniuſto, qui milites iuuat, aut conducit, præbet arma, cuſtodit ſarcinas

22. Sylueſter, & alij apud Me *de Bulla Cruc. d. 10. c. 2.*

23. Molina, & alij apud Me *vbi nuper.*

farcinas, regit nauim, & similia, si occisio, aut mutilatio sequatur, quia sunt (24) causæ morales.

24. Couarruuias. Nauarrus. Auila, & alij *suprà.*

9 Qui hortatur ad prælíandum in bello, maximè contra Infideles, non fit irregularis. (25) Itaque Ecclesiasticis prohibetur manu propria prælíari, præfici agmini, & similia; hortari verò non est causa propinqua moralis occisionis, cum solùm in genere intendat, milites strenuè agere. Quod si iudicetur causa propinqua, per ius speciale est relaxatum ius commune circa bellum. (26) Si in necessitate Clerici suppeditent arma pugnantibus, non fiunt irregulares; nam ius noluit, in bello iusto Clericos contrahere irregularitatem, nisi propria manu occidant, aut mutilent. (27) Vnde si in bello iusto pugnarent, & non occiderent, nec deformarent, non fierent irregulares. Hinc cum in Bulla Latina Cruciatæ declaratur, Clericos in bello exercentes opera pia non contrahere irregularitatem, non est noua gratia, sed expositio iuris, ne scrupulosi retardentur ab operibus piis, inter quæ etiam recenseri potest hortatio ad agendum strenuè. Pontifex solùm dispensare potest in irregularitate ex homicidio.

25. *Cap. Quicũque ex Clero, 23. q.8.* cum aliis.

26. *Cap. Petitio tua, de homicid.*

27. *Cap. Petitio, sup.* relatum. *Cap. Igitur, & seqq. 25.q.8.*

28. Scotus. Paludanus. Sotus. Henriquez. D. Antonin. Couarruuias. Ledesma. Card. Toletus. Th. Sanchez. Molina, & innumeri apud Me *de Bull. Cruciat. d. 25. n. 182. & in Append. d. 5. ex n. 144.*

10 Fit irregularis, qui suspensus, excommunicatus, aut interdictus celebrat. Et qui celebrat in loco interdicto.

11 Irregularitas non est, vt dixi, censura; (28) vnde nequit virtute Bullæ Cruciatæ tolli, quia in ea non datur Confessario electo ab habente Bullam facultas dispensandi in aliquo impedimento iuris, sed absoluendi à censuris. Et quia stylus Curiæ facit ius, & is est, vt in facultate absoluendi à censuris non includatur facultas absoluendi ab irregularitate, (29) ideò non possum absque formidine fateri certò probabilem esse practicè opinionem contrariam, quæ asserit irregularitatem, quæ est purè pœna, posse tolli virtute Bullæ Cruciatæ: quamvis sciam, viros doctissimos esse pro ea opinione.

29. *Cap. Ex literis, de constitution. Cap. Quam grauì, de crimine falsi.*

12 Non solùm excommunicatus celebrans fit irregularis, sed etiam Clericus excommunicatus, qui

so

se ingerit; aut immiscet (30) celebrationi diuinorum. Et præterea fit irregularis, qui exercet ordinem maiorem Diaconatus, aut Subdiaconatus, dum est ligatus aliqua censura; non verò qui exercet actum Ordinis minoris, (31) nec qui recitans enuntiat *Dominus vobiscum.* Contrahit autem irregularitatem excommunicatus ministrans Sacramentum Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ, etiamsi excommunicatio, & delictum sint occulta. (32) At si quis existimans se ligatum esse censura celebraret, aut alia ex dictis exerceret, cum realiter non esset ligatus, non contraheret irregularitatem, quia hæc infligitur exercenti prædicta cum censura vera, non ficta. Quòd si dubitet de censura, & adhibeat diligentiam, liberabit eum ab irregularitate ea diligentia, quæ excusaret à culpa mortali. (33)

Nauarrus. Henriquez. Trullench. Apud Me *de Bull. Cruciat. d.25.n.183.*

30. *Cap. Illud, de Clerico excom.*

31. Villalobos. Auila. Diana. Gasp. Hurtad. Apud Me *sup. d.37.n.53.*

32. Portellius. Bonac. *sup.*

13 Irregularis nequit accipere vllum Beneficium, nec pensionem Ecclesiasticam, & collatio Beneficij ei facta est inualida, nec faciet fructus suos. (34) At non amittit Beneficium acceptum ante irregularitatem, nec fructus ex illo prouenientes; & si aliquod officium, seu munus esset ei annexum, sufficeret satisfeciſſe ei per alium (si id fieri posset) vt retineret fructus ei officio correspondentes, dum irregularis erat: aliàs restituere eos tenetur. Probabile est, non esse nullam collationem factam irregulari.

33. Diana, & alij *sup. num.54.*

34. Communis.

14 Per bigamiam similitudinariam, aut ex iuris fictione, contrahitur irregularitas, nempe cum quis viuente vxore contrahit cum alia nuptias inualidas; vel cum quis contrahit matrimonium cum impedimento dirimente; aut si Religiosus non nouitius, seu sæcularis Ordine sacro initiatus contrahat matrimonium inualidum. At quia hæc prouenit ex delicto, qui potest dispensare in irregularitatibus ex delicto etiam publico prouenientibus (qualis est Commissarius generalis Cruciatæ in Hispania) poterit in illa dispensare. (35)

35.

15 Circa irregularitatem ex homicidio voluntario, oportet scire aliud esse voluntarium perfectè, quod fit cum animo occidendi, licèt sit in rixa repentè

Lud. à Cruce. Rodriguez. Villalobos. Diana. Apud Me *sup. p.65. & in Ap-*

*pendic. d. 3. n. 12.*

36. Suar. *ſup. n. 67.* Molina *tom. 4. de iuſt. tr. 3. diſp. 3.* Sayrus *de cenſ. lib. 7. num. 8.*

pentè (36) ſuborta, in qua irregularitate ſolus Pontifex diſpenſare valet; aliud eſſe caſuale. Et rurſus aliud eſt fortuitum, & omninò inuoluntarium, propter quod non contrahitur irregularitas; aliud non directè volitum, ſed aliquo modo in cauſa, veluti ſi dominus præciperet famulo, vt hominem fuſtibus cæderet, & famulus occideret; aut ſi quis non intendens occidere, ſed ſe defendere, excederet modum iuſtæ defenſionis; aut ſi pater, vel magiſter excedendo modum iuſtæ caſtigationis in verberibus, occiderent puerum. In irregularitate ob id contracta poteſt Epiſcopus diſpenſare pro foro conſcientiæ.

37. Coninch. Diana. Didac. Perez. Auila.

(37) Homicidium ex rixa repentina ortum, plures certò probabiliter volunt eſſe caſuale.

16 Qui dat cauſam abortui, dubitans an ſit animatus fœtus, fit irregularis, cum in dubio homicidij *ſuprà* expoſito contrahatur irregularitas.

38. Communior.

17 Simoniacus in Beneficio non contrahit irregularitatem: (38) nec item ſimoniacus in Ordine, (39) quia hæc pœna non eſt in Iure ſtatuta, ideoque nec extendenda.

39. Villalobos. Suarez. Machado. Trullench. Henriquez, & alij apud Me *de Bullæ Cruc. d. 37. n. 73.*

18 Non contrahitur irregularitas ob hæreſim, aut apoſtaſiam à fide occultas, (40) quia nullibi ea irregularitas eſt expreſſa in Iure; & contrahitur quando ſunt publicæ: quod ideo eſt, quia hæreticus, aut apoſtata à fide publici fiunt infames, & contra infames irregularitas ſtabilitur in Iure. Quòd ſi contraheretur irregularitas ob huiuſmodi delicta occulta, poſſet Epiſcopus in ea diſpenſare, ſicut in aliis irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, dum non ſint ex homicidio voluntario.

40. Sotus. Medina. Cordoua. Cornejo. Sayrus. Diana. Sà. Auila, & plures *vbi ſup. num. 77.*

19 Non fit irregularis, ſed ſuſpenſus, qui ſuſcipit Ordines ab Epiſcopo, qui renuntiauit Epiſcopatui quoad locum, & dignitatem. (41) Nec fit irregularis, ſed ſuſpenſus, qui ligatus cenſura Ordines ſuſcipit. (42) Nec qui ordinatur ab Epiſcopo alieno ſine licentia proprij, manet irregularis, ſed ſuſpenſus, iuxta Bullam Pij V. quæ incipit *Sanctum, & ſalutare.* Nec irregularis ſuſcipiens Ordines contrahit aliam irregularitatem, ſed deponendus eſt, vt ex

41. *Cap. 1. de ordinato ab Epiſcopo, qui, &c.*

42. *Cap. Cùm illorum de ſent. ex.*

Iure

Iure colligunt Authores. (43) Nec est irregularis, qui suscipit Ordines ab Episcopo irregulari, aut censura ligato. (44) Is, qui Ordines suscipit per fraudem, seu furtiuè, hoc est, non approbatus ab Episcopo, aut alium suo nomine ad examen intromittens, in susceptione Diaconatus fit irregularis, in aliorum Ordinum inferiorum susceptione non fieri talem, tutò defenditur. (45) Nec fit irregularis, qui accipit Ordines ab Episcopo non baptizato, aut non consecrato. (46) Nec qui bis eundem Ordinem suscipit. (47) Nec qui ab Episcopo omnino idiota ordinatur. (48) Publicus peccator, si Ordines suscipiat, non ideò fit irregularis; est autem talis ob infamiam. Si quis ordinetur ab Episcopo diuersi idiomatis, aut à duplici Episcopo, quorum vnus materiam, alius formam suppeditet, non fit irregularis. (48) Nec qui ordinatur ante Sacramentum Confirmationis. (49) Nec fit irregularis, sed suspensus, qui ante legitimam ætatem, aut per saltum, vel extra tempora, seu non seruatis interstitiis (50) Ordines suscipit. Exercentem Ordinem, quo non est initiatus, & sæcularem exercentem Ordinem, non contrahere irregularitatem, probabile est. (51)

20 Cæcus est irregularis. (52) Et qui priuatus est vno oculo, maximè sinistro.

21 Certò probabile est, posse Prælatos Religionum dispensare in irregularitate omnino occulta ex homicidio, quæ neutiquam probari potest, cum suis subditis; (53) & Episcopos cum suis. (54) Etenim cùm his negatur in Tridentino, posse dispensare in irregularitate occulta proueniente ex homicidio voluntario, plurimi Authores intelligunt, de occulta prout contraponitur ad deductam ad forum contentiosum, coram iudice legitimo, quæ tamen possit deduci, & probari; non de penitus occulta, quæ nunquam probari possit.

22 Certò probabile est, irregularitatem ex solo defectu lenitatis non contrahi nisi à Ministris iustitiæ, iudice, aduocato, notario, accusatore, testibus, & similibus; non ab his, qui aliquo modo accelerant mortem delinquentis, v. g. ab eo, qui suadeat

43. Apud Me *sup. num.* 82.

44. Communis.

45. Bonacina, & alij *vbi sup. num.* 82.

46. Machado, & communis *sup.*

47. Marchinus *ibi.*

48. Suar. *ibi n.* 83.

49. Communis.

50. Henriquez, & alij apud Me *de Bulla Cruc. d.* 37. *n.* 83.

51. Diana, & alij *vbi nuper.*

52. *Can.* 77. *Apostolor. Can. Euangelicæ, d.* 25.

53. Eman. Rodrig. *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 12. Miranda. Vega. Portel. Nouarius. Bauny. Machado, & plurimi.

54. Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 44. Villalobos.

Hier. Garcia. Nauarrus. Couarruuias. Candidus. Diana, & plures.

suadeat, vt ascendat celeriùs scalam, vt parum in via detineatur, vt carnifex ensem acuat; (55) quia irregularitas in iure expressa solùm est de primis, non de secundis.

55. Turrianus *de censur. lib. 9. d. 66. dub. 3.* Vasquez. Gasp Hurtad. & alij.

23 Ignorantiã inuincibilem irregularitatis ex solo delicto prouenientis excusare ab incursu in irregularitatẽ, certò probabile est; (56) eo quòd natura pœnæ ea sit, vt non incurratur ab ignorante. Quin non pauci ex Authoribus id tuentibus volunt, irregularitatem contractam ex homicidio illicito esse puram pœnam, & non esse annumerandam irregularitati prouenienti ex defectu lenitatis, cum id in iure non exprimatur.

56. Th. Sanchez *de matrim. l. 9. d. 32. n. 17.* Bonacina. Castr. Palao. Nauarrus, Fortel. & alij.

24 Cum quis suppeditat venenum timens probabiliter, eum qui ab illo petit, abusurum illo, & occisurum aliquem, morte secuta, fit irregularis; sed id homicidium inter casualia est recensendum, cum non sit directè voluntarium ei, qui abutenti dedit venenum, & præterea venenum possit inseruire ad alios effectus non illicitos. Et supponimus, illum noluisse ex se, vt quisquam eo veneno occideretur; sed solùm timuisse, ac coniecisse probabiliter. (57) Quare in ea irregularitate potest dispensare Episcopus, si sit occulta.

57. Bonacina *d. 7. q. 4. punct. 4. n. 35.* vbi plures affert.

25 In irregularitate penitus occulta illegitimi orta ex defectu natalium nequit dispensare Episcopus vigore Tridentini. Sed oppositum est certò probabile, quia (58) ea originem habet ex delicto occulto parentum; & quamvis dispensatio sit strictè interpretanda, at amplè est interpretanda potestas dispensandi. Hinc hanc opinionem plures, & graues Authores vt probabilem tuentur.

58. Cornejo 3. *p. tr. de irreg. d. 5. dub. 2. q. 1.* Barbosa. Gerunda. Auila. Layman. Coninch. Peyrinis. Præpositus. Diana.

26 Ad incurrendam irregularitatem ex homicidio fortuito, & casuali, requiritur negligentia graniter peccaminosa, (59) nec sufficit quæcumque. V. g. si quis in campo per viam publicam venetur aues, aut alia, & tormentum igneum explodat, quin vociferetur, vt caueant itinerantes, erit grauiter culpabilis negligentia, si aliquis ex illis percutiatur, & mutiletur, aut occidatur.

59. Syluius *in 2. 2. q. 64. art. 8. concl. 3.* Suarez. Diana.

27 Certò

27 Certò probabile eſt, (60) poſſe Epiſcopum diſpenſare in irregularitate publica proueniente ex homicidio caſuali, non quidem ad Ordines maiores, nec ad Beneficium curatum, ſed ad Ordines minores, & ad Beneficium ſimplex. Nam eſtò ei non concedatur in Tridentino, cum datur facultas ad diſpenſandum in irregularitatibus occultis prouenientibus ex delicto, præterquam ex homicidio voluntario; at ibi ſuperadditur poteſtas, cum etiam ad Ordines maiores, & Beneficium curatum poſſint exindè Epiſcopi in illis irregularitatibus occultis diſpenſare; & nullum ibi eſt verbum, quo tollatur ab eis poteſtas antecedenter competens ad diſpenſandum in ea irregularitate publica ex homicidio caſuali, quæ quidem (61) eis competebat.

Sayrus. Th. Sanchez. Filliucius, & alij.

60. Matchin. *de Sacr. Ordin. tr. 1. part. 9. c. 15. diff. 3. n. 9.* Diana. Henriquez. Aulla. Sayrus. Caſpenſis. Hier. Garcia.

61. Panormitan. *in cap. Ad audientiam, de homicid.* Felinus. Syluester.

28 Non manet irregularis Prælatus, qui mandat ſuo apparitori, vt comprehendat Eccleſiaſticum malefactorem, & mittat in carcerem, ſi malefactor apparitorem occidat, nolens comprehendi; (62) quia Prælatus dedit operam rei, cui ex munere tenebatur.

62. Aulla *de cæſur. part. 7. diſp. 6. ſect. 2. dub. 5.* & communis.

29 Mandans, aut conſilium præbens alicui, vt exeat in duellum, vel occidat alium, ſi ipſe occidatur in duello, aut dum tentat, alium diuerſum occidit, manet irregularis. (63) Oppoſitum eſt certò probabile, quia ille non dedit mandatum, aut conſilium ad id homicidium, ſed ad aliud, quòd non fuit ſecutum; imò id eſt ſecutum, quod non intendebat. (64)

63. Communiora.

64. Vaſquez. Turrianus. Henriquez, & alij.

## *Iubilæus.*

1 PEr Iubilæum Anni ſancti (dum in eo continentur verba, quæ ſolent præfigi) ſuſpenduntur omnes indulgentiæ plenariæ; & ſimul priuilegia Mendicantium ad abſoluendum ab his, vel illis caſibus, & ad commutandum vota, dummodò ea priuilegia ſint conceſſa, & pœnitentes lucrentur indulgentias; cum finis ſuſpenſionis ſit, quod fideles eo anno pergant Romam ad eas lucrandas. Quare abſo-

1. Nauarrus. Renzonius. Villalobos. Leand. à Sacr. Diana. Lugo. Henriquez. Filliucius. Quintanad. & alij apud Me *de Bulla Cruc. d. 2. c. 7.*

lutè non ſuſpenduntur, ſi eo fine non ſint conceſſa, (1) ſed ob ſpecialem fauorem erga Religiones, aut ob alias cauſas. Per alios Iubilæos, nempe duplicis hebdomadæ, vel ſimiles, non ſuſpenduntur, niſi clauſula expreſſa de ſuſpenſione apponatur. In his Iubilæis non conceditur facultas ad abſoluendum ab hæreſi externa, ſaltem in Regnis Hiſpaniarum; quod Pontifices declararunt. In aliis Regnis conſulenda ſunt Decreta Pontificia. Poſſunt autem quicumque Regulares, nullo excepto, virtute Iubilæi duplicis hebdomadæ abſolui per Confeſſarium à ſe electum à caſibus reſeruatis tum Pontifici, tum in ſua Religione. (2)

2. Leand. de Sacram. Card. Lugo. Quintanad. Bonacina. Boſſius. Peyrinus. Diana, & plures *vbi ſup. d. 24. n. 153.*

2 Iubilæum duplicis hebdomadæ poſſe obtineri bis, nempe in vtraque hebdomada, eſt probabile; ſicut indulgentia indefinitè conceſſa, & non reſtricta ad vnam vicem poteſt toties quoties obtineri. De quo, & de indulgentia, quæ in Iubilæo obtinetur, & de aliis ad ipſum pertinentibus, vide verba *Indulgentia, Abſolutio, Votum, Reſeruati caſus.*

3 Si is Iubilæus incipiat à die Dominica, hæc pro prima hebdomada proderit, & ſequens Dominica tam pro prima, quàm pro ſecunda, & demùm tertia pro ſecunda hebdomada. Eccleſiæ deſignatæ viſitatio, & oratio in ea requiritur; ea verò oratio, & viſitatio, qualis ad alias indulgentias lucrandas ſufficit. Eleemoſyna, quæ iniungitur eroganda, non debet proportionari qualitati perſonæ, ſed iuxta eius deuotionem eſt metienda. Confeſſio, & ſuſceptio Euchariſtiæ poteſt fieri qualibet die; vltimum autem opus peragendum eſt in gratia, vt indulgentia obtineatur. Poteſt ab Ordinario deſignari hebdomada, in qua ipſis tribus diebus, quibus iniungitur in Iubilæo ieiunium, aliundè ex præcepto Eccleſiæ ieiunetur. At tenetur Ordinarius quamprimùm publicare Iubilæum, niſi cauſa vrgens ſit, ob quam differatur, & cui præſumatur annuere Pontificem, qui monet, quamprimùm fore publicandum.

4 Si ad vltimum ſecundæ hebdomadæ quis non ieiunauerit diebus antecedentibus deſignatis, vel

quia

quia non intendebat obtinere Iubilæum, vel alia de cauſa, & tunc velit obtinere illum, eſtò videatur præteriiſſe tempus deſignatum ad media ponenda, tamen piè creditur, Pontificem annuere, vt Confeſſarius poſſit commutare iciunia omiſſa, atque impleta commutatione ille obtineat Iubilæum.

5 In diœceſibus Italiæ (vidi id in Mediolanenſi) Ordinarij Monialium deſignant eis Confeſſarios tempore Iubilæi; quod quidem non eſt tollere ab eis liberam electionem Confeſſarij approbati, cum nequeant reſtringere, quod Pontifex eis tunc concedit; ſed quia ad excipiendas Confeſſiones Monialium requiritur ibi ſpecialis approbatio; & iuxta Bullam Clementis X. non poteſt audire Confeſſiones illarum, qui pro illis non eſt approbatus; & in Iubilæo ſolùm indulgetur electio Confeſſarij approbati; idcircò deſignant eos Confeſſarios, quod eſt oſtendere, quinam ſint pro illis approbati. Quare duas regulas ſtatuo. Prima; Tempore Iubilæi Ordinarius tenetur approbare aliquos Confeſſarios pro vnoquoque Monaſterio Monialium; nam ſi vnum ſolum approbet, non datur locus electioni, & obſiſtit conceſſioni Pontificiæ; & quidem pluſquàm duos debet approbare, ne reſtringat libertatem electionis; at congruum eſt, vt ab ipſis Monialibus dignoſcat, ex quo cœtu, Congregatione, aut ſacro Ordine velint ſibi approbatos Confeſſarios; nam ſi hæc omnia non dentur, vel in totum, vel ex parte fruſtratur priuilegium Pontificis, nec eius menti annuitur. Secunda; Moniales eo tempore Iubilæi poſſunt eligere quemvis Confeſſarium ex his, qui approbati ſunt generaliter pro omnibus Monialibus, vel pro ſuo Monaſterio, non autem eum, qui vel non eſt approbatus pro Monialibus, vel ſolùm pro alio Monaſterio determinato.

## Iudex.

1 NEc quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in fauorem vnius præ alia. Contraria propoſitio damnata eſt ab Alexandro VII. anno 1665.

2 Vbi conſuetudine eſt receptum, poteſt Iudex, etiam ſtipendium aliundè habens, accipere eſculenta, & poculenta, quia non præſumitur, his modicis donis corrumpendum fore illius animum. (1)

1. Sylueſter. Caietanus. Clauis Regia. Tabiena. Bonacina, & alij apud Me *in Stat. era, diſſ. 6. q. 7.*

3 Iudex Eccleſiaſticus, qui ſimul iuriſdictione ſæculari gaudet erga ſubditos, poteſt eam tueri cenſuris, vt ſic facilius negotia temporalia (2) expediantur. Ad quam autem iuriſdictionem pertineant cauſæ, dignoſcendum eſt ex qualitate perſonæ, ſeu materiæ.

2. D. Alf. Eſcob. Ego *de Iure Academ. l. 1. q. 8. §. 4.*

4 Iudex ordinarius diſtinguitur à delegato in pluribus. (3) Quippe habet iuriſdictionem à Principe, ſeu à lege: delegatus ab homine, qui eſt iudex ordinarius. Iuriſdictio ordinarij ſequitur officium, non perſonam, ſecus in delegato. Iudex ordinarius habet territorium deſignatum, & in eo vniuerſitatem cauſarum; delegatus autem, ſi non ſit à Principe ſupremo, non habet eam cauſarum vniuerſitatem, nec circa omnes perſonas. Iudex ordinarius poteſt delegare aliquas cauſas, & iuriſdictionem partialem; ſecus delegatus, niſi ſit Pontificis in cauſis Eccleſiaſticis, (4) aut Principis ſupremi in ſæcularibus. Demùm iuriſdictio iudicis ordinarij non exſpirat morte concedentis, quia officium non exſpirat, & data eſt officio. Iuriſdictio autem delegati exſpirat morte concedentis, niſi (5) cauſa ſit cœpta, aut ſit delegatus Pontificis, ſeu Principis ſupremi ad vniuerſitatem cauſarum.

3. Ego *vbi ſuper, q. 24.*

4. *Cap. Paſtoralis, de offic. iudic. delegat. Cap. Cùm cauſam, de appell. Leg. à iudice, C. d. de iudiciis.*

5 Index tenetur ſub mortali ſcire leges Regni, in quo ſuum munus exercet, necnon Ius ciuile commune,

5. Layman. Oñate, & communis. Apud Me *de*

mune, & simul quæ leges ex illo sint derogatæ per leges municipales; nam quæ derogatæ non sunt, vim retinent non ex se, sed ex approbatione potestatis legislatricis in vnoquoque Regno. (6) Ius etiam Canonicum tenentur sub mortali scire Iudices Ecclesiastici, simulque Prouinciales, & Synodales Constitutiones. *Iure Academ. lib. 1. q. 24.*

6. Ego *de Iure Academ. lib. 1. q. 28.*

6 Iudex ordinarius, qui protulit sententiam nullam, potest (7) aliam pronuntiare. Causam à Iudice ordinario non possunt auocare ad se alij Iudices superiores, inhibendo illum, sed solùm Princeps, & hi, quibus ipse commiserit, vt in Hispania Senatus supremus Castellæ; & causa (8) requiritur ad eam auocationem. Similiter Nuntius Pontificis, si ei à Pontifice id concedatur, & non aliter, potest causas Ecclesiasticas ex causa ad se auocare.

7. *Leg. Si Præses, C. quomodo, & quando iudex, &c.*

8. Couarruuias. Castrensis. Lancellotus. Apud Me *de Iure Academ. lib. 1. q. 43.*

7 Si probatio facti sit dubia contra reum in criminalibus, etiamsi probabilior sit quàm opposita, nequit Iudex eum damnare, quia adhuc manet dubia, & in dubiis stat ius pro reo, nec datur sententia probabilis, quòd possit tunc damnari reus.

8 In ciuilibus, si causæ sint priuilegiatæ, vtpotè libertatis, matrimonij, testamenti, & dotis, si vtrinque sint probabiles rationes, imò probabiliores contra eas causas, dum probabiles pro eis maneant, tenetur iudex pro illis ferre sententiam. In aliis causis, si vtrinque sint rationes probabiles, & vnus possideat, iura possessioni fauent, & in pari causa melior est conditio possidentis; nec contra illum ferri sententia potest, nisi certum sit ius contrarium. Quod si non detur possessio, stante iure certo pro vno, nequit pro alio esse ius probabile. Si vtrimque sint rationes probabiles æquè, iudex rem diuidat; si sit indiuisibilis, alius alteri præstet compensationem, vel concordent partes. (9) Idem est tutius, quando est æqua probabilitas interpretationum legis. Cum autem probabilius est ius vnius, quàm alterius, pro illo debet iudicari. Quòd si iudex sentiat contrarium, & alij Authores graues, & timorati, quorum doctrina iudicatur probabilior, poterit iuxta eam ferre sententiam; aut quia certum est, vtriusque ius esse

9. Communior.

esse probabile, prudenter iubebit, vt concordent partes, supponendo, iudicis sententiam etiam esse certò probabilem.

9 Iudex quando teneatur restitutionem præstare ob varias rationes, vide verbum *Restitutio.*

10 Iudex, aut Magistratus committit crimen, quod Hispanè dicitur *Barateria*, quando accipit aliquid pro officiis, quæ ipse distribuit. Præterea cum ante sententiæ prolationem init pactum cum litigante super pœnis, quatum pars ad ipsum attinet. Deinde si antecedenter ad sententiam fert stipendium, quod debetur pro sententiæ prolatione. Rursùs si exigat obligationem indemnitatis, vt proferat iniustam sententiam. Item si minuat pœnam pecuniariam stabilitam, vt litigans partem ei persoluat. Demùm si abutens sua potestate, quasi per vim suas res cariùs vendat, aut res aliorum viliùs emat. (10) Hæc omnia legibus sunt prohibita, & exequendo illa peccat, ac restituere tenetur.

10. Solorzano. Bossius. Bobadilla. Mascardus. Decianus. Martienzo. Berartus. Apud Me *de Bulla Cruciat. d.34. n.139.*

11 Iudex delegatus summi Pontificis in causis sibi commissis est maior omnibus iudicibus infra Pontificem; (11) & nec Legatus à latere, nisi ex commissione speciali potest eius sententiam infirmare; nec Ordinarius potest absoluere à censuris ab illo latis, quamvis eius iurisdictio exspiret; (12) nam Pontifex illam causam sibi aduocat, quamvis aliundè ad Ordinarium pertineat, ad quem (13) iam non redit; nam cum causa Delegato committitur, plenariam is recipit potestatem super omnibus, (14) quæ ad causam spectant. Potest eiusmodi Delegatus suam sententiam ad executionem deferre, tum per Ordinarium loci, (15) eum compellendo, vt faciat executioni mandari; tum inuocando auxilium brachij secularis (16) ad executionem.

11. *Cap. Sanè 2. de officio delegat.*

12. *Cap. Pastoralis, de offic. ordin.*

13. *Cap. Vt nostrũ, de appellat.*

14. *Cap. Præterea, de offic. delegat.*

15. *Cap. Significasti, eod. tit.*

16. Panormitan. *ibi.*

12 Potestas eiusmodi Delegati, si sit ad causam specialem, exspirat illicò, ac sua sententia fuerit executioni mandata; (17) & à die prolationis vno dumtaxat anno potitur ad sententiæ executionem; (18) quo elapso nequit ad finem perducere executionem. Et intra annum, si sententia fuerit executioni mandata, & is turbetur (non tamen in continenti,) in

17. *Cap. In literis, de offic. delegat.*

18. *Cap. Quæremi, eod. tit.*

cuius

cuius fauorem lata est, recurrendum est ad iudicem ordinarium, & ille nequit cognoscere, nisi aliud in literis delegationis contineatur. (19)

19. *Cap. Iu literis, de offic. delegat.*

13 Quando tempus iudici delegato præscribitur, eo elapso exspirat iurisdictio, nisi ante elapsum ab ipsis partibus prorogetur ei terminus. At causas non integras, sed cœptas tempore delegationis potest ad finem perducere, quia iurisdictio semel habita, re non integra non exspirat, quousque causa finiatur. Et iudicatur non integra, (20) quando lis est contestata.

20. Gabriel. Sylvester. Palacios. Auendaño. Aufrerius, & alij apud Me *de Bulla Cruc. d. 37. n. 36.*

14 Vbi fuerit contentio inter Ordinarium, & Iudicem Conseruatorem alicuius Religionis, seu Communitatis, quid præstandum, vide verbum *Conseruator.*

15 Iudex quam opinionem sequi possit, aut debeat, vide in Discursu præuio ad hoc opus. Solùm adde, in æqualibus, siue sint lites ciuiles, siue criminales, fauendum esse potiùs reo, quam actori. (21) Deinde possessorem anteponendum esse in æqualibus. Et demùm debere proferri sententiam pro causis priuilegiatis, cæteris paribus; (22) eæ autem continentur his versibus: *Stat testamentum, libertas, coniugium, dos; si sint æquales, qui producuntur vtrimque.*

21. *Cap. Ex literis, de probation. Leg. Arrianus, ff. de action. & oblig. cap. 11. & cap. 49. de reg. iur. in 6.*

22. *Cap. fin. de sent. & re iudicat.* & *ibi* Glossa.

16 Iudex nequit minuere pœnam in lege pœnali designatam. (23) Quippe lex purè pœnalis respectu subditi non est propriè lex, cum non obliget in conscientia; siquidem legislator nequit obligare nisi præcipiendo, aut prohibendo: id autem in lege purè pœnali non datur; vnde est lex propriè respectu iudicis, quatenus eum obligat ad imponendam pœnam designatam. Ac etiam in lege mixta, cum delictum non debeat manere impunitum, & iudex ad punitionem aliqua regula gubernari debeat: sanè sequi debet regulam legis, siue purè pœnalis, siue mixtæ. Si super vno delicto plures leges extent cum diuersis pœnis, attendendum est ad posteriorum legislatorum mentem, an voluerint primis pœnis alias superaddere, vel primas tollere.

23. Sotus *de iust. lib. 3. q. 4. art. 5.* Suarez *lib. 5. de legib. c. 11.* Salas. Castr. Palao, & communis.

17 Princeps, & legislator possunt minuere pœnas in

24. D.Thom. 2.2. q.67. *art.* 4. & *ibi* omnes. Et Iurisperiti *in leg. nulla iuris, ff. de legib.*

in lege designatas; (24) nam ipse se non arctat, quominus tollat, vel minuat; at cùm vi directiua obligetur Princeps à lege, non poterit illud pro foro interno præstare absque causa.

25. Steph. Gratiã. *tom. 4. disceptat. forens. cap. 38.* Zabarella. Bartolus.

18 Delegatus Principis supremi, quamvis subdelegare possit, quia reputatur (25) quasi iudex ordinarius, tamen cum in aliqua causa Princeps, seu Pontifex addit: *Arbitrio tuo committimus*, an subdelegare possit, alij (26) aiunt, alij (27) negant. Ex contextu literarum inspiciendum est, an industria personæ requiratur, necne; si enim non requiritur, subdelegare poterit.

26. Th. Sanchez *lib. 3. de matr. d. 7. n. 20.* cum pluribus.

19 In causa feudi cum Ecclesiasticis Dominus feudi est iudex competens, & apud eum, seu eius delegatos lis est tractanda. (28) Quippe feudum, etiamsi possideatur ab Ecclesiastico, is repræsentat feudum, & hoc est laicale, vtpotè à Principe temporali procedens. Et præterea leges feudales sunt ab Ecclesia receptæ.

27. Menoch. *de arbitr. lib. 1. q. 14.* & plures.

28. *Cap. Cæterùm, de iudic. cap. ex transmissa, Cap. Verùm, de foro compet.* Communis apud Fajardo *alleg. fiscal. alleg. 33. n. 400.*

20 Inter duos iudices competentes præuentio locum habet; & qui causam præuenit, eam decernere (29) debet.

29. *Cap. penult. de foro compet.* cum aliis.

21 Iudex, cui constat de innocentia accusati, etiamsi probatum sit delictum, nequit eum morte punire; (30) quia ex vno capite instat lex naturalis de non occidendo innocentem, ex alio lex iudicandi secundum allegata, & probata; vrgentior est autem prima, quàm secunda; quare debet requirere modum, quo vel non damnet, vel sententiam non proferat. Secùs est in ciuilibus, in quibus potest damnare innocentem, iuxta allegata, & probata; (31) nam tunc damnatus rationabiliter est læsus, cum pro bono temporali priuato publico bono legum, quibus ille se subiecit, non sit detrahendum.

30 Panormitan. *in cap. Pastoralis, de offic. deleg.* Hostiensis. Lyra. Rosel. Corduba. Angel. & alij.

22 Iudex condemnans aliquem, quem scientia priuata nouit esse reum, crimen verò non est probatum, peccat mortaliter, cum agat contra leges; & restituere tenetur, (32) cum leges non imponant pœnam nisi crimine probato.

23 Damnato ad mortem tempus est indulgendum, vt confiteatur, & die antecedenti Eucharistiam sumat

mat. Quòd si vrgens sit causa, ne dies sequens ad supplicium expecterur, confessionis saltem tempus ei tenetur iudex indulgere. Quòd si quis nolit confiteri, etiam vno, aut duobus diebus concessis, vt suaderi ei confessio possit, potest morte puniri, reo enim imputabitur impœnitentia, non iudici. Quòd si timeatur, eripiendum esse reum, si illi dies addantur, non sunt addendi; secùs verò, si legitimo, ac necessario tempore concesso ad confessionè, timeretur fore eripiendum, adhuc id tempus negari nequit; eius enim saluti animæ in extremo discrimine est consulendum; (33) nisi damnum Reipublicæ ex eius conseruatione, & ereptione sequenda timeretur; tunc enim sufficeret tempus contritioni concedere, & quòd eum datis signis Sacerdos, si esset præsens, absoluere. (34)

31. Nauarra *de restit. lib. 2. c. 3. n. 160.* cum pluribus.

32. Nauarra *ibid. n. 203.* & alij.

33. *Clement. Cùm secundùm, de pœnit. & remiss.*

34. Nauarra *de restit. lib. 2. c. 3. num. 226.* Sylvest. & alij.

24 Si iudex crimen morte dignum à reo indebito ordine confitente extorsit, si sit iudex potens in lege dispensare, nequit eum morte damnare, nec damnatum permittere ad mortem duci, (35) quia iniusta fuit inquisitio, & consequenter effectus ex ea secutus. At iudex inferior, dum non possit à probatis deuiare, tenetur eum damnare, (36) & præcipuè si scandalum è contrario sequatur, cum ille non sit dominus, sed minister legis indicentis pœnam. Et quia in causa iniustè processit, tenetur damna restituere. (37)

35. Sotus *de teg. secret. q. 1. concl. 3.* Nauarrus.

36. *Cap. Postquam, de accusat. in 6.*

37. Nauarra *de restit. lib. 1. c. 3. num. 244.* Sotus, & alij.

25 Iudex potest torturam in reum exercere, vt veritatem indaget; debet autem præcedere vel semiplena probatio, vel indicia sufficientia; aliter confessio erit nulla. Nec potest absque peccato mortali crudelia, & immoderata tormenta exhibere, (38) maximè homini Christiano.

38. *Cap. 1. 23. q. 1.*

26 In publico delicto, v.g. homicidij, combustionis, & similium, ignorato reo, potest iudex inquisitionem facere adhuc de occulto delinquente, (39) quia estò sit lex naturalis, delinquentem occultum non infamare, ea autem lex est secundi ordinis, non primi (veluti primi est non mentiri, diligere Deum, & alia) quæ interpretationem, seu dispensationem recipit, sicut lex naturalis de non exponendo se periculo

39. Gerson *alphabeto 34. lit. Q.* Nauarrus. Angelus. Medina. Corduba. Nauarra.

Panormitan. Innocentius. Arcualo. Armill. & alij.

riculo vitæ, habet eam interpretationem, nisi sit pro bono communi, vel simili. Ita est bonum commune inquirere de eo delinquente : aliàs delicta impunita manerent, & Respublica delictis flagraret.

27 Iudex potest reum conuictum de vno crimine, de aliis similibus, aut connexis interrogare. Quòd si delictum ex se possit sine complice patrari, nequit iudex de complice occulto interrogare; nec reus, aut testis tenetur illum prodere; nec potest, nisi ad euadendam torturam certam.

28 Iudex, etiamsi sciat, testem, vel reum falsò fore iuraturos, potest seruato ordine præcipere, & cogere ad iurandum; nam cum nequeant aliter causæ perfici, id sui muneris est, illi verò sibi imputent iuramenti falsitatem. (40) Alias verò, qui non esset iudex, peccaret mortaliter, si alium cogeret ad iurandum, sciens, falsò illum esse iuraturum.

40. Eman. Sà *in sum. verb. Iuramentum.* Victorellus. Richardus. Syluester. Azor.

29 In aliquibus casibus procedunt æquè ad punitionem iudex Ecclesiasticus, & laicus; sic vterque potest punire laborantem die festo, si Episcopus aut Parochus non dederit facultatem laborandi. (41) Quare datur inter eos præuentioni locus.

41. Gobat. *in exper. Theol tr. 5. num. 75.* Barbosa. Iordanus.

30 A sententia iudicis inferioris potest appellari ad superiorem; quippe appellatio instituta est ad remedium innocentiæ, quæ debet interponi intra decem dies à sententia prolata; (42) & non solùm potest quis appellare à sententia definitiua, sed etiam ab interlocutoria, dummodo grauamen (43) postea nequeat reparari per appellationem à definitiua.

42. *Auth. Hodie, Cod. de appell.*

31 Censura lata à iudice non suspenditur per appellationem : (44) sic verò sententia, qua iudex declarauit, aliquem incidisse in censuram.

43. Trid. *sess. 13. cap. 1. de refor.*

32 Datur etiam appellatio extraiudicialis, quæ à grauamine illato, aut certè inferendo ab vno superiore, interponitur ad superiorem maiorem, qui potest rescindere acta inferioris.

44. *Cap. Peruenit 1. Cap. Pastoralis, de appellat.*

33 Vbi non datur iudex superior, non est ad quem appelletur, vnde à supremo iudice nequit appellari. Præterea si supremus iudex committat causam iudici inferiori cum clausula, *Omni appellatione postposita*, non datur appellatio.

5 Per

34 Per appellationem ſuſpenditur excommunicatio ferenda: (45) ſi tollatur ſuſpenſio, aut interdictum ab Epiſcopo ad reincidentiam, per appellationem (46) ſuſpenditur reincidentia. Cenſura ſuſpenſionis, præter eam, quæ eſt ab Officio, & ingreſſu Eccleſiæ, (47) per appellationem ſuſpenditur.

45. Diana, & alij apud Me *de Bulla Cruciat. d.25. num. 32.*

46. Alter. & alij apud Me *vbi ſuper.*

47. *Cap. Is cui, de ſent. excomm.*

35 Qui iudices, quando, & ex quibus cauſis, & quo modo poſſint recuſari, vide *Recuſatio.*

## *Iudicium temerarium.*

1 IVdicium temerarium eſt, cum quis abſque ſufficienti cauſa, ſeu fundamento iudicat de proximo rem, qua eius honori, aut famæ detrahitur; ſic enim (1) ei iniuriam infert, ipſumque contemnit, quod eſt contra virtutem iuſtitiæ; nam vnuſquiſque eſt dominus ſui honoris, & famæ, habetque ius, ne ab vllo deturpetur. Quare requiruntur indicia clara, ſeu ſufficientia ad iudicandum de alio prudenter abſque peccato; nam leuia indicia ſolùm ſufficiunt ad ſuſpicionem, quæ datur abſque aſſenſu, & iudicio deliberato; indeque iudicium, & aſſenſus, qui ex ſola ſuſpicione, eiuſque leuibus indiciis oritur, eſt peccatum; & quidem mortale, ſi ſit in re graui contra honorem, ſeu famam; leue verò, ſi ſit circa rem leuem.

1. D.Thom. 2.2. *q.60. art.4.*

2 Obſeruandum eſt tamen, non eſſe graues aliquando res, quæ in ſe ſunt peccata mortalia, reſpectu eius, de quo fit iudicium; v.g. iuuenem, qui negligit, quòd non iudicetur caſtus, imò forſan ſua vitia iuuenilia iactat, vidiſti exercere actionem, quæ ſolùm eſt leue indicium inhoneſti peccati; non erit grauis culpa iudicare de illo id peccatum, quia non detrahitur grauiter eius famæ, & honori. E conuerſo ſi leuia peccata detrahant grauiter famæ alicuius, ea iudicare abſque ſufficienti fundamento, erit peccatum lethale, vt de detractione diximus.

3 Quamvis ex conſilio omnes actiones proximorum in meliorem partem ſint verrendæ, cum leuia indicia

indicia cernuntur, at iudicium ſuſpendere, non eſt peccatum.

4 Iudicans temerariè de aliquo, ſolùm internè, quin propalet iudicium, non tenetur reſtituere honorem, aut famam, quia reſtitutio eſt externa, & externa non eſt læſio; ac ſanè potius officeret, quàm proficeret, ſi externè reſtitueret famam, quam internè abſtulit; cum ſic ſuum iudicium propalaret, ex quo alij forſàn arriperent anſam aſſentiendi, quamvis ſimul affirmaret, ſe fuiſſe deceptum.

5 Ad iudicium temerarium requiritur ita certò adhærere ei, vt ſit veluti definitiua ſententia. (2) Vnde ſi quis à ſeipſo interrogaret, an ea æſtimatio ſit apud ſe ita certa, vt iudicet non eſſe falſam, erit iudicium temerarium; at ſi ſimul credat, fortè eſſe falſam, non eſt iudicium, ſed ſuſpicio.

2. D. Thomas. *vbi ſup. art. 3.* Caietanus, & alij.

## *Iuramentum.*

1 VEritatis defectus in iuramento, quæcumque ſit materia, eſt peccatum lethale. Iuramentum promiſſorium duplicem continet veritatem, aliam de præſenti, cuius defectus eſt graue peccatum; aliam de futuro, in qua attendendum eſt primò, quid iuretur: nam ſi quis iurat ſeruare ſtatuta, & leges; & hæ non obligent ad culpam, ſed ad pœnam, etiamſi non ſeruentur, non dabitur culpa; ſi autem obligent ad culpam grauem, aut leuem, ad id ſolùm iuramentum obligabit; (1) nam iuramentum interpretandum eſt iuxta naturam actus, cui adiungitur; nec intendit quis per illud obligare ſe alio modo ad impletionem. Attendendum eſt præterea, an res iurata ſit leuis, nam tunc non adimpletio promiſſionis ſolùm eſt culpa leuis. Nam id iuramentum continet promiſſionem, & adducere Deum in teſtem: id ſecundum, dum de præſenti adſit veritas, & animus adimplendi, quaſi finitum manet, & ſola reſtat promiſſio; & ideò id iuramentum æquiparatur voto. Vnde ad veritatem de futuro intentio requiſita ſe obligandi ſolùm exigit poſitionem materiæ

1. Bonacina. Th. Sanchez. Salas. Caſtr. Palao. Nauarrus. Clauis Regia. Rodriguez. Machado, & alij apud Me *de Iure Acad. lib. 2. q. 13.* & *de Bulla Cruc. d. 34. n. 144.*

riæ ea obligatione, qua ipſa materia poteſt obligare; & cum inſtat, non adducitur de nouo Deus teſtis poſitionis.

2 In iuramento comminatorio ſi intendatur malum graue animo explendi, eſt culpa grauis contra iuſtitiam; ſi malum leue, eſt culpa leuis. Si non ſit animus vllus, eſt peccatum graue ex defectu veritatis. Si adimpleatur, erit noua culpa contra iuſtitiam. Dum tamen parentes, aut ſimiles hæc iuramenta iactant aduerſus filios, v. g. *iuro, te à me occidendum, ſi non ſtudeas*; cum ea verba in ore eorum ſolùm ſignificent ſupplicium aliud proportionatum culpæ, non ſunt peccata grauia, niſi fortè ex defectu veritatis de præſenti, ſi haberet iurans animum, nullum inferendi ſupplicium. Quamvis promiſſio vſurarum nulla ſit, ſi iuretur earum ſolutio, (2) tenetur quis eas ſoluere.

2. *Cap. Debitores, de iureiurand.*

3 Iuramentum non ludendi cum tali perſona ob maleuolentiam, ſeu in tali domo, vel ad talem ludum, eo quod ſuperſtitiosè credat iurans infeliciter in eis ſibi euenire, & contrariis proſperè, non obligat; (3) quia reperiri nequit quid peccaminoſum in materia iuramenti obligantis. At obligat iuramentum, ſi quis iuret non ludere, quia prodigè amittit pecunias, aut multum tempus: non obligat id iuramentum ad non ludendum cum moderatione, id enim non fuit finis iurantis; (4) ſecus ſi iuret non ludere, vt ſe priuet recreatione illa, & ſic meritum augeat: tunc obligatur, cum materia ſit valde honeſta, & pariter finis; nam etſi ludus moderatus aſſumptus ob leuamen naturæ ſit honeſtus, (5) tamen perfectius eſt, abſtinere ab illo ob maius Dei obſequium; ſicut quamvis nuptiæ ſint honeſtæ, votum non nubendi, vtpotè materiæ perfectioris, obligat. Cæterùm ita iuramentum non ludendi ob temporis iacturam obligat, vt ob paruitatem materiæ non peccaret mortaliter, (6) qui non vltra duas horas luderet. Non franguntur iuramenta non ludendi per hoc, quod quis alij pecunias tribuat ad ludendum proſe; quia eſtò finis iuramenti non obtineatur, ea tamen materia, ad quam potiùs attenditur in iuramento,

3. Sotus. Nauarrus. Bonacina. Th. Sanchez. Caſtr. Palao, & alij apud Me *de Iure Acad. lib. 3. q. 28.*

4. Nauarrus. Rodriguez, & alij *vbi ſuper.*

5. D. Thom. 2. 2. *q. 168. art. 2.*

6. Caſtr. Palao. Ego *vbi ſup.*

ramento, quàm ad finem, (7) non fuit in illo comprehensa.

7. Th. Sanchez. Castr. Palao *ibidem.*

4 Iuramentum non mutuandi pecunias, vestes, & similia, aut non fideiubendi, communiter non obligat; (8) nam opponitur operibus pietatis, & misericordiæ; nisi fortè in gratiam tertij id quis iuraret, & ille iam acceptasset; nempe si pater iuraret non mutuare pecunias, aut non fideiubere in gratiam filiorum; at antequam hi acceprent, & adquirant ius, potest pater iuramentum reuocare. Similiter obligabit iuramentum de non mutuando inconsideratè, & absque delectu, cum sit materia honesta vitare prodigalitatem.

8. Couarruuias. Abbas. Gutrierrez. Suarez. Nauarrus, & communis *supra.*

5 Captus ab hostibus, adhuc violentè iurans, sè redituru m, aut missurum redemptionis pretium, ad id tenetur, aliàs sequeretur scandalum, & contemptus Ecclesiæ. Secus est de aliis, qui vi, aut metu graui emitterent iuramentum, adhuc in fauorem tertij; nam id iuramentum (idem est de voto) iure Ecclesiastico est inualidum; & quia deficit ratio voluntarij, nulli ex eo adquiritur ius, (9) & non sequitur scandalum, nec Ecclesiæ contemptus.

9. Ledesma. Rodriguez. Trullench. Lessius. Apud Me *sup. d.* 26. *n.* 74.

6 Iuramentum, quo quis promittit aliquid alteri, ante acceptationem non obligat in conscientia, sicut non obligat nuda promissio; quia (10) secum fert imbibitam conditionem, si alter acceptauerit; si verò votum fiat de eodem, obligat ratione promissionis Deo factæ, estò ante acceptationem possit commutari.

10. Lessius *vbi super.*

11. *Cap. Debitores, de iuramento.*

7 Iuramentum de soluendo vsuras (11) debet seruari, sed potest Episcopus in eo dispensare, & commutari ab habente priuilegium, (12) quia nullum ius vsurario est adquisitum.

12. Lessius. Trullench, & alij apud Me *de Bulla Cruciat. d.* 26. *n.* 76.

8 Si is, qui acceptauit promissionem iuratam, cedat promissioni, relaxatur iuramentum.

13. Sotus. Rodriguez. Th. Sanchez. Ego cum pluribus *sup. n.* 82.

9 Iuramenta materiæ reseruatæ in votis Pontifici, sunt etiam ei reseruata, ob æquiparationem. (13) Vide *Votum.*

14. Leg. *quidquid, ff. de verb. obligat.*

10 Iuramentum ita est restringendum, vt minùs grauet iurantem; (14) nam quando de obligatione agitur, semper est facienda restrictio.

11 Iuramentum promissorium factum alteri etiam de minori bono, (non quidem illicito) obligat in conscientia, (15) ratione fidelitatis iuratæ. Si non sit in fauorem alterius, & sit de re indifferenti, aut maioris boni impeditiua, seu imprudenti, non obligat.

15. Paludanus *in 4. dist. 38. q. 1. num. 29.* Sylvester. Suarez. Th. Sanchez. Molina. Lessius. Rebellus. Eman. Sà. Sotus. Azor. Valentiæ.

12 Non sunt iuramenta hi loquendi modi Hispanè: *En mi conscientia. A fe mia. Por la fe de hombre de bien. A fe de quien soy.* In mea conscientia. Per fidem mei. Per fidem hominis honorati, & similia; cum in his non habeatur respectus ad adducendum Deum in testem, quæ est essentia iuramenti; sed ad fidem, quæ debet præstari homini honorato, Equiti, aut simili. Et præterea *in mea conscientia*, est idem, ac iuxta id, quod habeo in mea notitia, seu conscientia. Hinc nec sunt iuramenta hæc: *A fe de Sacerdote; A fe de Religioso. Per fidem Sacerdotis; Per fidem Religiosi*; solùm enim significant, *per fidem, quæ debet præstari Sacerdoti, aut Religioso*; nec in his significatur fides Catholica, quam profitetur Sacerdos, aut Religiosus; sicut nec in formulis præcedentibus significatur fides Catholica, quam tenet homo honoratus, aut Eques: hæc enim iam habet respectum ad Deum, qui in aliquibus iuramentis affertur explicitè in testem; in aliis implicitè, seu virtualiter, iuxta varias formas iurandi. Quòd si quis proferat verba cum intentione iurandi, seu iudicans esse iuramentum, etsi eiusmodi non sint, in foro conscientiæ erit periurus, si falsum enuntiet. Quæ omnia præ oculis sunt habenda ad confessiones plebeiorum, ac ignorantium.

13 Cæterùm iuramenta sunt hæc: *Coram Deo, quia non mentior. Deus scit, me dicere verum*; & cætera valdè communia. Cum dicitur, *Per vitam meam*, precando aliquid, non est iuramentum; secùs si dicatur enuntiando. Et quamvis quis habeat animum non iurandi, si proferat verba, quæ nescit esse iuramentum, verè iurat. Qui autem iurat, se facturum aliquid, quod nescit non posse facere, falsum iurat. (16)

16. Sylvest. *verb. Iuramentum 4. q. 25.*

14 Qui frequenter iurat, quin aduertat, an sit falsum

Eman. Sà. Nauarrus.

ſum, aut verum, grauiter peccat, quia ſe exponit periculo peierandi. Iurare cum amphibologia tunc licet, cùm ipſa eſt licita, nempe ob iuſtam cauſam defenſionis vitæ, honoris, & ingentium bonorum. Si non adſit ea cauſa, nequit teſtis legitimè interrogatus vti amphibologia. Plura communia iuramento, & voto, circa obligationem, quam pariunt, commutationem, irritationem, & ſimilia, vide verbo *Votum.*

17. Azor *t.1.inſtit. mor.c.11.q.11.* Sotus. Couarruuias. Eman. Sà. Victorellus.

15 Iuramentum per fraudem emiſſum non obligat, ſic verò (17) vi extortum de re licita, (dummodò non ſit de matrimonio contrahendo) iuxta certò probabilem opinionem; at ſecùs mihi videtur, cum in eo deficiat ratio voluntarij.

16 Qui iurat, adhuc fictè, ducere puellam, quæ ideò permittit ſui violationem, tenetur eam ducere; niſi ipſa potuiſſet agnoſcere, ob diſparem valdè conditionem ſe decipi.

18. *Cap. Nullam, de iuram. calumn.*

17 Si procurator, vt poteſt, (18) ex ſpeciali mandato principalis iuret, tenetur hic ſeruare iuramentum.

18 Contractus ſit irreuocabilis, ſi iuramento firmetur; & niſi ius irritet contractum adhuc iuramento firmatum, etiamſi ex ſe ſit iure irritus, firmatur iuramento, dum non irritetur à iure, ob (19) fauorem publicum.

19. Eman. Sà *in ſumm. verb. Iuramentũ, n.19.* & alij.

19 Iuramentum ob vrbanitatem, v.g. *Non tranſibo, non faciam id priùs*, non obligat.

20. Th. Sanchez. Vaſquez. Diana, & plures.

20 Obligat iuramentum redeundi ad carcerem iuſtum, etiamſi mortis (20) ſententia ſit inferenda. At præſtitum latroni, aut raptori, certò probabile eſt, non obligare; nam ibi imbibitur metus rationem voluntarij tollens.

21 Iuramentum præſtitum ab Officialibus ſeruandi taxas in ſtipendiis obligat, dummodò res non ſint notabiliter mutatæ.

22 Blaſphemare eſt de Dei excellentia detrahere, dicendo ineſſe Deo, quod non ineſt, aut detrahendo quod ineſt, vel tribuendo creaturæ, quod eſt proprium Dei: ſeu irriſoriè de Deo, aut Chriſto, ſeu de Sanctis loquendo, aut verba, nominaque indecentia proferendo.

proferendo. Alia blaſphemia eſt hæreticalis, quæ hæreſim imbibit,& eſt denuntianda Tribunali Fidei, nec ab ea poteſt abſoluere, qui non poteſt ab hæreſi. Alia eſt blaſphemia ſimplex, quæ hæreſim non includit.

## *Iuſpatronatus.*

1 IVſpatronatus aliud eſt laicum, aliud Eccleſiaſticum; illud eſt, quod competit, cum quis ex bonis patrimonialibus Eccleſiam, aut Beneficia fundauit. Hoc autem, quod competit, vel quia ex bonis Eccleſiæ ea fundata ſunt, vel ratione Eccleſiaſticæ dignitatis, cui eſt annexum id ius. Iuſpatronatus laicum poteſt tranſire in Eccleſiaſticum donatione, aut teſtamento, ſi donetur, aut legetur Eccleſiæ; ius autem patronatus Eccleſiaſticum nunquam poteſt tranſire in laicum. Patronus laicus, poſtquam præſentauit, dum non eſt facta inſtitutio, aut electio, poteſt variare, & præſentare alium ad Beneficium, ſed non niſi vnica vice; quia licet ei concedatur variatio, (1) de vnica vice eſt intelligenda, quia ea gratia non reſpicit vtilitatem Eccleſiæ, ſed Patroni, & in odioſis ſermo ſimpliciter prolatus (2) intelligitur de prima vice. Quòd ſi Communitas præſentet, & variet, ſi id præſtet priuatiuè, excludendo primum, ſufficit conſenſus maioris partis Communitatis; ſi autem præſentet accumulatiuè, addendo alium cum primo, requiritur conſenſus omnium, nam contrauenitur primo (3) facto omnium. Patronus Eccleſiaſticus poſt primam præſentationem nequit variare, nam inſtabilitas minùs decet perſonam Eccleſiaſticam. (4)

2 Si patronus det alij præſentandi ad Beneficium poteſtatem, adhuc iurans, ſe ratam habiturum eius præſentationem, nihilominùs ſi ipſe præſentet antequam ille alter id præſtet, valida eſt præſentatio, quia abſolutè non abſtulit à ſe poteſtatem præſentandi; at poſt factam præſentationem ab illo altero,

1. Greg. Lopez. Lud. Gomez. Guttierrez. Nauarrus. Felinus, & alij apud Me *de Iure Academ. lib. 1. q. 40.*

2. *Leg. Boues, ff. de verb. ſignif.*

3. Th. Sanchez apud Me *vbi ſuprà.*

4. *Cap. Cùm autē, c. Paſtoralis, de iurepatronat.*

non valet præſentare, quia ille nomine patroni egit, & ratum eſt eius factum.

3 Rex Hiſpaniarum eſt Patronus omnium Beneficiorum Ordinum Equeſtrium Hiſpaniæ, cuiuſvis qualitatis illa ſint. Et quamuis ſit Patronatus Eccleſiaſticus, vtpotè qui eiuſmodi erat olim in Magiſtris eorum Ordinum, & ſic eſt annexus à Pontificibus Regiæ Coronæ; tamen omni tempore pertinet ad eum præſentatio Beneficiorum, etiamſi Romæ, ſeu in Curia Pontificia vacent, quia ſic ei à Sede Apoſtolica eſt (5) conceſſum.

5. Reynoſo. Morote. Maſtrillus. Palac. Rubios. Ego *de Ordin. Milit. d.* 1. *q.* 13.

4 Patronus laicus omni tempore præſentat. Sic etiam Rex Hiſpaniarum, quia eſt eiuſmodi Patronus omnium Eccleſiarum, quæ ſunt in Indiis, & plurium quæ ſunt in Regno Granatæ, præſentat ſemper ad omnes Dignitates, Canonicatus, & Portiones. Patronus Eccleſiaſticus in ſolis deſignatis menſibus præſentat.

5 Si patronus laicus intra quatuor menſes vtiles non præſentet, & Eccleſiaſticus intra ſex, devoluitur prouiſio ad Epiſcopum. (6) Patronus autem Eccleſiaſticus nequit præſentare ſeipſum, at Epiſcopus motu proprio poteſt conferre illi Beneficium. (7) Si non ſit dignus præſentatus à quolibet Patrono, valet Epiſcopus eum repellere. Non tamen poteſt inſtituere Beneficiarium ſine conſenſu, & præſentatione patroni, dum is non ſit negligens in præſentando intra tempus ſtatutum.

6. *Cap. Si laicus, de iurepatron. lib.* 6.

7. Fumus *in Armilla, verb. Iuſpatronatus, n.* 9. Sylueſter. Eman. Sà.

6 Iuſpatronatus laicum tranſit ad hæredes; & ſi feudum, aut hæreditas donetur, aut vendatur, cui id ius eſt annexum, tranſit ad donatarium, ſeu emptorem. Nequit tamen legari in teſtamento iuſpatronatus, niſi Epiſcopi conſenſus accedat. (8)

8. Em. Sà *in ſum. eod. verb. n.* 3. Sylueſter. Fumus.

7 Quia iuſpatronatus ad præſentandum ad Beneficia eſt quid ſpirituale, vel annexum ſpirituali, qui illud immediatè venderet, committeret ſimoniam; (9) ſicut etiam patronus, qui pretium, aut quid temporale acciperet pro præſentatione ad Beneficiū.

9. Nauar. *conſ.* 16. *de ſimō. n.* 7. *& conſil. 67. n.* 1.

8 Iuſpatronatus, vtpotè incorporale, nequit diuidi; poſſunt tamen plures eſſe compatroni, & inter ſe conuenire, vt vnus præſentet vna vice, alius alia.

Non

Non potest autem vnus ex illis præstare compensationem alij, vt cedat suo iuri omninò in ipsum, se illo abdicans; id enim esset vendere illud, ac propterea foret simonia. Peccat mortaliter patronus, qui præsentat scienter indignum ad Beneficium, cùm sit repellendus ab Episcopo.

## L

## *Lacticinia, & Oua.*

1 LACTICINIORVM, & ouorum vsus prohibitus est lege Ecclesiastica diebus Quadragesimalibus, (non autem in aliis per annum ieiuniis, nisi in Pontificis ditionibus,) etiam his, qui ratione ætatis non tenentur ieiunare. Prohibita est ab Alexandro VII. propositio asserens, non obligare consuetudinem non edendi illa. Sed per Bullam communem Cruciatæ vbi valet, possunt illis vesci omnes, qui non sunt Sacerdotes, seu Regulares. (1) Sacerdotes sæculares possunt per Bullam specialem Cruciatæ vesci illis in Quadragesima, excepta hebdomada maiori. At Regulares Ordinum Militarium, dum non sint Prælati, vi Bullæ communis viuorum possunt eo tempore oua, & lacticinia edere. Vide *Equestres Ordines.* (2) Amentes, & quicumque possunt tunc vesci carnibus, valent etiam ouis, & lacticiniis vesci; & qui aliqua necessitate saltem probabili practicè laborant; & hi quibus piscium esus grauiter nocet. Præterea Cantores Ecclesiarum, (adhuc Sacerdotes) & cantores Principis, vocis conseruandæ gratiâ. (3) In aliquibus Prouinciis consuetudo extat, qua omnes edunt in Quadragesima lacticinia, non oua: & in nonnullis etiam licet vsus sanguinis, & laridi ad paranda oua, qui secluſa consuetudine non licet. Studium ex se non est causa sufficiens ad edendum oua, & lacticinia prædicto tempore, nisi ex eo debiliteur stomachus,

1. Ego *de Bulla Cruc. d.* 18.

2. Ego *vbi sup. c.* 3. *& in Appēd. d.* 3. *n.* 169.

3. Diana. Apud Me *de Iure Academ. lib.* 3. *q.* 48. *& de Bulla Cruc. d.* 18. *n.* 5.

& neceſſitas vrgeat; cum non propterea ſtudium omittere quis teneatur. (4) In dubio neceſſitatis poteſt cum ſuis ſubditis diſpenſare Epiſcopus, & in eius abſentia Vicarius, & cum Regularibus proprij Prælati.

4. Ego *vbi ſuper.*

2 Vouens ieiunare in Quadrageſima, aut impleturus in illa ieiunium pro pœnitentia Sacramentali iniunctum, aut à Prælato præceptum, ſi abſque Bulla, & neceſſitate oua, aut lacticinia edat, adhuc ieiunans, peccat contra præceptum non edendi illa, (5) & prætereà contra obligationem illius ieiunij, quod non eſt ieiunium vtcumque, ſed provt in Quadrageſima obſeruatur.

5. Trullench, & alij apud Me *ſup. c.2.n.15.*

3 Dominicæ Quadrageſimales ſunt dies Quadrageſimales, atque adeo non licet in eis edere oua, & lacticinia abſque Bulla. Ita declaratum eſt à Sacra Congregatione Sancti Officij, & à Sacra Congregatione Indicis. (6) Religioſi, & Sacerdotes poſſunt, ſi habeant Bullam Cruciatæ, edere oua, & lacticinia in eis Dominicis; quia eæ Congregationes ſolùm prohibent ea edere abſque priuilegio, (7) & in Bulla Latina Cruciatæ excipiuntur prædicti à priuilegio edendi oua, & lacticinia, *Quoad ieiunia Quadrageſimalia*. Non ſunt autem ieiunij dies hæ Dominicæ. Et quamvis in Bulla Hiſpana exceptio ſit, *En quanto à los dias de Quareſma*, id intelligendum eſt iuxta verba Bullæ Latinæ, cuius ſenſum clarum nequit Commiſſarius Generalis immutare.

6. Apud Me *de Bulla Cruciat. in Appendic. d.5. c.4.*

7. Nuñus. Corduba. Trullench. Gallego. Caſtro Palao. Eſcobar, & alij allati à Me *vbi ſuper.*

4 Sexagenarij Sacerdotes, adhuc Regulares, virtute Cruciatæ poſſunt edere oua, & lacticinia in diebus Quadrageſimæ, & ſufficit eos attigiſſe ſexageſimum annum; (8) nam in iure annus inceptus, & dies, pro completo habetur; (9) & Bullæ priuilegia ſunt amplianda: præterea annus ſexageſimus, qui deobligat à ieiunio, ſufficit inceptus; (10) quia in iudicio prudenti hominum cenſetur tunc natura debilitata. Secus eſt in odioſis. Sic niſi completo anno vigeſimoprimo non obligatur quis ad ieiunium; & ſi apponantur pro materia furti grauis ſex drachmæ, non erũt furtum graue quinque & dimidia, maximè cum diuerſimodè computentur dies, & anni, ac pecuniæ

8. Ego *de Bulla Cruciat. d. 18. n. 10. & in Appendic. d.2. c.11.*

9. *Leg. Qua ætate, ff. de teſtam.* & Gloſſa *verb. dies.*

10. Medina.

cuniæ : nam rectè dicet quis se habere sexaginta annos, si incepti sint ; non verò se habere sex drachmas, si non sint completæ, vt patet in contractibus, in quibus non potest asseri, rem vendi quinque argenteis, si quatuor & dimidio vendatur ; quod etiam ex communi modo loquendi constat.

Flaminius. Trullench. Pasqualigus. Leand. de Sacram.

5 Pueri ante septennium, si vsum rationis habeant, non possunt edere oua, & lacticinia in Quadragesima absque Bulla Cruciatæ, nec enim possunt edere carnes : & tam præceptum est de vno, ac de alio ; & quidem cum sint capaces culpæ, sunt etiã & obligationis. (11) Quare si post septennium non sint præditi vsu rationis, non tenentur obseruare ea præcepta ; septennium quippe designatur quia communiter in ea ætate vsus rationis datur, non quia ea ætas, siue detur, siue non detur vsus rationis, est terminus, in quo obligationibus præceptorum subiacent pueri.

Apud Me *de Bull. Cruciat. in Appendic. d. 2. c. 11.*

11.

Merolla. Villalobos. Trullench. Leand. de Sacram. Azor. Th. Sanchez. Baldellus. Ego *vbi nuper, c. 15. & in Statera opinionum, d. 8. ex n. 19.*

6 Rustici, & similes assueti vilibus esci, etsi non habeant pisces, nequeunt oua, & lacticinia comedere in Quadragesima. Alij autem, qui delicatiùs victitant, & sine incommodo graui nequeunt ieiunare absque esu piscium, si his careant, possunt edere oua, non enim superest aliud alimentum sufficiens ad vnum pransum ; idque præstare possunt, siue itinerentur, siue non. At si non ieiunent, cum possint sæpiùs in die alios cibos edere, & inde se reficere, (12) nequibunt ouis vesci, nec lacticiniis.

12.

Diana *p. 10. tr. 14. res. 59.* Leand. a Sacr.

## *Legatum.*

1 LEgatum annuum, absque temporis limitatione relictum pro anima, durat semper ; & asserere, quòd non durat plus quàm per decem annos, est assertio damnata ab Alexandro VII. anno 1666.

2 Legatum relictum in singulos annos Fratribus Minoribus, (nisi sit ad cultum diuinum) & Capucinis, non est validum, nec tenetur hæres ad illud soluendum ; nam illi incapaces sunt accipiendi hæreditatem, & legatum perpetuum ; id enim esset

1. Barbosa. Rodriguez. Leand. de Murcia. Villalobos. Th. Sanchez. Card. Lugo. Azor. D. Ioan. del Castillo. Nauarrus. Cordoua, & alij.

proprietatem bonorum retinere; (1) nisi redditus legati relinquerentur solùm ad tempus aliquod breue, quod solet designari ad nouem, aut decem annos; seu durante vita Religiosi, qui vltra decennium iudicaretur prudenter non esse victurus: tunc enim eleemosyna censeretur, non proprietas. Idem est, si legatum relinquatur sub alieno nomine, v. g. Titio, vt soluat quotannis redditus prædictis Fratribus; nam quoad effectum id perinde se haberet, ac si eis relinqueretur, effetque palliata eleemosyna, veraque proprietas; ac sola verba legis apparenter seruarentur, quod est fraudulentia; non verò seruaretur mens legislatoris volentis, Fratres prædictos non habere certitudinem sui victus, quem sunt emendicaturi, nec quoad totum, nec quoad partem.

2. *Leg. An vsusfructus, ff. de vsufructu.*

3 Legatum vsusfructus, & legatum annuum extinguuntur morte legatarij; quòd si relinquantur Communitati, quæ non moritur, dum non sit Ecclesia, extinguuntur spatio centum annorum, (2) quorum periodo vita hominis longæui circumscribitur; & perpetuitas annui legati satis verificatur eo spatio. (3) Si legatum determinetur à legante ad aliquod opus, & id fieri non licet, potest in aliud opus conuerti, causa cognita, & vocatis his, quorum interest. Idipsum dic, si non sufficiat legatum ad opus, ad quod relinquitur. Quin legatum relictum Communitati Sæculari potest à Principe (4) in aliud opus commutari. Legatum, aut hæreditas relicta omnibus de Collegio, aut Communitate, si non exprimantur, cedit in Collegium; secùs si exprimantur. (5)

3. *Leg. penult.* cũ Glosla, *ff. de annuis legatis.*

4. Ego cum pluribus *de Iure Academ. l. 1. q. 35.*

5. Ego cum aliis *de Iure Acad. l. 1. q. 35.*

4 Legatum autem est donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præstanda; & nomine legati vocantur latè, quæ relinquuntur præstanda, etiamsi aliquo titulo sint debita, veluti si quis bona incerta retenta leget Ecclesiæ, aut pauperibus.

5 Differt legatum à fideicommisso stricto (nam in aliquibus locis vocatur fideicommissum id, quod est vinculum, aut maioratus) quòd Legatum directis verbis legatario relinquitur, at fideicommissum verbis precatorijs, & fidei hæredis committitur præ-

standum

ſtandum; ac præterea legatum nequit relinqui alteri præſtandum à legatario, ſic verò fideicommiſſum; at quoad ſubſtantiam exæquantur. (6)

6 Legatarius, qui tenetur adimplere aliquod onus teſtamenti, ſi poſtquam à iudice eſt monitus, negligens fuerit per annum in adimpletione, priuatur Legato, & id (7) pro anima defuncti applicatur. Si legatarius per triginta annos non petat legatum, hæres præſcribit contra illum rem legatam, & iuſto titulo ſibi retinet, in pœnam negligentiæ illius. (8)

7 Legatum aliud eſt purum, aliud conditionale: aliud in diem certum, aliud in incertum; teſtator namque omnibus eis modis legare poteſt. Legatario mortuo, aut non comparente, legatum præſtandum eſt eius hæredi neceſſario, aut inſtituto ab ipſo. (9) Si legatum ſit conditionatum, & legatarius obeat ante impletam conditionem, quæ erat apponenda ab ipſo, aut ipſo viuente, legatum manet penes hæredem defuncti, & non tranſit ad hæredes legatarij. Idem eſt, ſi legatum relinquatur in diem incertum, quia dies incertus conditionem in teſtamento facit. (10) Cæterùm mortuo legatario ante teſtamentum, illud non debetur; ſi verò poſtmodùm ante aditam hæreditatem, debetur hæredi legatarij.

8 Quando in teſtamento legantur centum Petro, & alia centum pauperibus, licet Petrus ſit tunc pauper, non poſſunt hæc centum ei dari; (11) quia clauſula generalis non refertur ad ſpecificata. Limita, ſi relicta ſunt centum Petro velut amico, aut affini, qui tempore teſtamenti erat diues, & tempore mortis teſtatoris redditus eſt pauper; tunc aliquid poterit ei concedi ex ſecundis centum, (12) nam non fuit ſpecificatus vt pauper. Præterea ſi teſtator viuens donauit v.g. Hoſpitali proprietatem bonorum, reſeruans ſibi vſumfructum, & ex hoc leget quantitatem piis operibus, poterit ex his aliquid applicari eidem Hoſpitali; quia hæc non ſunt prolata in eadem diſpoſitione, (13) in qua locum habet dictum axioma; *Clauſula generalis non refertur ad ſpecificata.*

9 Quando relinquitur legatum, aut hæreditas, ſuffragiis

6.
*Leg. 1. ff. de legatis 1. Leg. Illud. ff. ad legē Aquiliā.*

7.
Ant. Gomez. Syluester. Perez. Nauarra. Henriquez apud Me *de Bull. Cruciat. d. 34. num. 55.*

8.
Couarruuias *vbi ſuper.*

9.
*Leg. vnica, C. de caducis tollend.*

10.
*Leg. Dies incertus, ff. de conditionib. & demonſtration.*

11.
Henriquez *l. 7. cap. 23. in fin.* Rodriguez. Th. Sanchez, & alij.

12.
Ancharanus *conſil. 84. n. 3.* Mantica, & alij.

13.
Bartolus *in leg. doli cauſa, ff. de verb. oblig.* Iaſon *ibid.*

suffragiis animæ testatoris, nomine suffragiorum veniunt Missæ, orationes, eleemosynæ, & alia pietatis officia, (14) quibus iuuatur anima in Purgatorio existens.

14. Trid. *sess.25. decret. de Purgatorio.*

10 Valet Pontifex legata in vsus pios destinata, in alios conuertere, (15) accedente consensu hæredis, necnon (si extet) alterius loci pij, cui erant relicta. Quòd si relinquantur ad aliquem vsum pium, qui adimpleri nequit, valet (16) Episcopus, dum non restringatur à Pontifice eius potestas, ad vsum alium pium illud destinare. (17)

15. Florentinum *sess. vlt. in Decreto vnionis.*

16. Sylvest. *verb. legatū 4. n. 11.* Eman. Sâ. *Clement. Quia contingit, de religios. domib.*

11 Si conditio impossibilis, aut contra bonos mores apponatur, quin expleatur, valet legatum; nam habetur pro non apposita. Et quamvis testamentum declaretur nullum, si iam res erat tradita legatario, hic iustè possidet; sicut etiam si res plus valeat, quam existimabat testator.

17. Conarruuias *de testam. c. 3. num. 9.* Sylvester. Eman. Sâ.

12 Qui potest testari, potest legare; & dum viuit, valet reuocare legata, adhuc per nutum, sicut mutus id validè præstat. Quod si ipse donet legatario ante mortem id, quod ei legabat, iudicatur donatio inter viuos.

13 Quando legatur res, quam scit testator esse alienam, hæres tenetur valorem illius præstare legatario. (18) Quin etsi ignoraret testator, esse alienam, si eam leget operi pio, aut personæ coniunctæ, hæres debet valorem largiri.

18. Conarruuias *in cap. Si filius, de testam. num. 4.* Eman. Sâ. Victorellus. Nauarrus. Angelus, & alij.

14 Legatum relictum alicui, cum accedet ad ætatem talem, si his antè moriatur, hæredi debetur. Si relinquatur legatum creditori, sane non videtur compensatio debiti, hæc enim non esset legatum; inspiciendum tamen ex verbis est, an sit potius declaratio debiti, quàm legatum, & donatio gratuita. Legatum annuum relictum vxori, donec vixerit casta, amittitur per fornicationem publicam, non per occultam, nec per osculum. At cum publica est fornicatio, adhuc ea potest percipere fructus illius anni, quia à primo die anni ius ei fuit adquisitum.

15 Legatarium, qui intulit iniuriam leganti iam mortuo, vel cum infamans, vel cum eius vidua

vxore

vxore impudicè tractans, potest hæres coram Iudice conuenire, vt amittat legatum ipsi relictum,(19) teneturque Iudex eum legato priuare.

19. Molina *de iust. d.112. in fin.* Ant. Gomez. Victorellus.

16 Legatam pium est, quod ad opera pietatis relinquitur. Si relinquatur pro dote fœminæ diuitis, non est censendum pium, (20) estò asserat testator, relinquere illud pro salute animæ suæ.

20. Glossa *in leg. illud, Cod. de sacrosc. Eccles.*

17 Si legetur summa alicui, vt redimat à seruitute Petrum, & hic moriatur, vel eius dominus nolit eum vendere, legatarius (21) potest sibi retinere summam.

21. *Leg. Si Titio. ff. de legat. 1.*

18 Si legetur Ecclesiæ calix, intelligitur argenteus; si planeta, ad minus serica. (22) Si legetur bos, aut seruus, & plures sunt in domo testatoris, electio pertinet ad legatarium, dum non eligat optimum; si non sint, & sit emendus, electio pertinet ad hæredem. Si legentur viginti modij tritici, qui ex tali agro eo anno colligentur, si pauciores colligantur, hi solùm debentur.

22. Fumus *in Armilla, verb. Legatum, n.24.* Couarruuias. Nauarrus. Emanuel Sà.

19 Ex defectu, aut nullitate testamenti non vitiantur legata relicta ad pias causas. (23) Debentur etiam, quamvis hæres renuntiet hæreditati, vel nolit eam adire.

23. Panormitan. *in c. Iudicante, de testam.* Fumus, & alij.

20 Legatum pro virgine maritanda nequit in aliud pium opus commutari. Quod si pro vna nominatim relinquatur, & velit Religionem ingredi, adhuc (24) ei debetur. Relictum orphanis maritandis, potest dari expositis. Cum autem relinquitur pro virgine, & aliqua iudicatur virgo, etsi non sit, potest illud retinere. Potest etiam conferri legatum relictum pro paupere dotanda, pauperi nuptæ absque dote, cum motiuum legantis in ea reperiatur.

24. Basil. Poncius. Diana, & alij.

21 Legatum soluendum quotannis perpetuò Ecclesiæ in praxi semper est soluendum, quia iam stylus, & consuetudo id induxit, estò inspecto iure, post centum annos non debeatur. (25)

25. Communior.

22 Quando legantur alicui alimenta, sub his veniunt cibus, potus, vestes, lectum, habitatio, & ea, (26) sine quibus viuere non potest; non verò ea, quæ pertinent ad disciplinam non necessariam. Plurima

26. *Leg. Victus, ff. de verb. signif.*

*Leg Legatus, ff. de aliment. & cib. legat.* rima alia de legatis potiùs ad Iuriſperitos, quàm ad Theologiam moralem ſpectant.

## *Lex, & ſtatutum: ac ſtylus Curiæ.*

1 POpulus peccat, ſi abſque vlla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam. Contraria propoſitio damnata eſt ab Alexandro VII. anno 1665.

2 Pueri ſtatim poſt vſum rationis obligantur legibus diuinis, & naturalibus; & conſequenter legibus Eccleſiaſticis abſtinendi à carnibus, ouis, & lacticiniis diebus prohibitis, confitendi ſemel in anno peccata, & cæteris; (1) cum enim poſſint agnoſcere eas leges, & ſubditi ſint Eccleſiæ, tenentur ei obedire; & cum poſſint peccare, tenentur ad Confeſſionem: & ſic de aliis, vt *alibi* attigi.

1. Henriquez. Azor. Layman. Vaſquez. Suarez. Sa. Caſtro Palao. Salas. Ego cum pluribus *in Statera, diſſ. 8. q. 4.*

3 Lex lata circa Religioſos, aut Eccleſiaſticos indefinitè, comprehendit Moniales in materiis, quæ ipſis congruunt; nam in legibus ſub maſculino genere comprehenditur fœmineum.

4 Ex verbis legis, aut ſtatuti diſcernendum eſt, an obliget ſolùm ad culpam, an ſolùm ad pœnam, an ad vtrumque; & ex materia, an ad culpam grauem, vel ad leuem; ac in plurimum id conſtat ex modo, & exiſtimatione, quo lex, aut ſtatutum communiter accipiuntur. Et iurans ſeruare leges, & ſtatuta, ad nihil aliud obligatur, niſi ad id, ad quod ipſa obligant. Si ſolùm in eis præfigatur: *Qui id fecerit, tali pœna mulctetur*; ſolùm ad pœnam obligant: ſi iniungatur: *Præcipimus, mandamus, oneramus conſcientiam*; obligant ad culpam, niſi poſtea pœna addita, noſcatur, mentem legislatoris ad ſolam pœnam voluiſſe obligare tranſgreſſores; cum poſſit, ſi lex ſit mixta, ad culpam, & pœnam obligare. (2)

2. Suarez. Layman. Caſtr. Palao. Arriaga, & alij innumeri apud Me de

5 Legem Eccleſiaſticam Communionis in Paſcha te poſſunt adimplere, & debent peregrini, & vagi, in quocumque loco tunc temporis adſint; & eam adimplent in quavis Eccleſia, etiam Mendicantium

tium. (3) Si acceſſurus ſit viator ad locum, in quo domicilium habet, ibi tenetur eam legem adimplere. Si exeat à loco, in quo quaſi domicilium habet, tempore incepto Paſchatis, & acceſſurus ſit poſt id tempus ad locum domicilij, tenetur in loco, à quo exit, adimplere præceptum; nam illud inſtat, & ipſe poteſt adimplere. Si acceſſurus ſit ad locum domicilij ante finitum ipſum tempus, poteſt adimplere præceptum vel in loco, à quo exit, in eo enim habet quaſi domicilium, quod ſufficit; vel in loco domicilij. Si exit ante tempus Paſchæ ab vno loco, & non ſit acceſſurus ad locum domicilij, niſi poſt finitum tempus, non tenetur (4) anticipare ſumptionem Euchariſtiæ. Nam opus non debet anticipari, niſi per illud ſatisfiat præcepto; non autem in præſenti ſatisfit, cum ſit deſignatum tempus Paſchæ ad ſatisfaciendum, & id non aduenerit. Tenetur tamen poſteà accipere Euchariſtiam, quia præceptum reſpicit duo: aliud, vt quotannis ea accipiatur, idque eſt principalius: aliud, quod tali tempore. (5) Et quidem eodem anno tenetur ad Euchariſtiæ ſumptionem.

*Iure Academ. lib. 2. q. 19.*

3. Rodriguez, Card. Lugo. Leand. de Sacram. Th. Sanchez. Diana, & innumeri *vbi ſup. lib. 3. q. 21.*

4. Molfeſius. Corjolanus. Bonacina. Filliucius. Suarez. Reginaldus. Azor, & plurimi apud Me *de Iure Academ. lib. 3. q. 21.*

6 Qui extra patriam degit, non tenetur ſeruare leges ſpeciales illius, nec præcepta peculiaria; (6) non enim qui eas leges ibi condunt, habent iurisdictionem ad obligandum extra territorium: vnde cauſus reſeruati in vna diœceſi, non propterea reſeruantur reſpectu eius, qui in alia diœceſi degit; in hoc enim diuersè ſe habent caſus reſeruati in Religione, ac in diœceſi, quòd ſubditi Regulares, etiamſi degant extra Monaſteria, ratione perſonæ ſubduntur; at reſpectu Epiſcopi (præterquam in ſuſceptione Ordinum) ratione territorij ſubiacent ei ſubditi. Quando in loco, vbi exterus quis degit, non ſeruatur lex vbique alibi obligans, non tenetur ibi eam ſeruare; v. g. non tenetur ſæcularis Mediolani ieiunare quatuor primis diebus Quadrageſimæ, in quibus alibi ieiunatur, quia ibi contraria eſt conſuetudo circa ritum Ambroſianum.

5. Nuñus. Ochagauia. Trullench. Gaſp. Hurtad. Suarez, & plurimi *vbi ſuper.*

6. Couarruuias. Sylueſter. Baſil. Legion. Philiarcus. Villalobos, & communis apud Me *ſup. q. 22.*

7 Quando quis degit aliquo tempore in vno loco, tenetur

7. D. Antonin. Medina. Villalobos. Suarez. Layman. Leand. à Sacr. & plures apud Me *ſup. q. 23.*

tenetur ſeruare leges ſpeciales illius; (7) debet enim ſe conformare moribus cæterorum, vt vitentur ſcandala, & difformitas; & ſic in Iure (8) ſtatutum eſt. Eodemque modo loquendum eſt de peregrinis, & de vagis. Et ſanè vagi, cum nullibi domicilium habeant, tenentur legibus loci, in quo ſunt, aliàs nullis localibus legibus tenerentur. Et aiebat D. Ambroſius apud D. Auguſtinum: (9) *Cum Romam venio, Sabbatum ieiuno; cum Mediolani ſum, non ieiuno: ſic & tu ad quamcumque Eccleſiam veneris, eius morem ſerua, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi.* Qui tranſit per locum, vbi lex obſeruatur, quæ eſt communis, eſtò in ſua patria ob ſpecialem conſuetudinem contrariam non ſeruetur, tenetur ibi eam ſeruare; (10) v. g. Mediolanenſis tranſiens per loca, in quibus ieiunatur quatuor primis diebus Quadrageſimæ, tenetur ieiunare; nam lex ſpecialis patriæ, vt à iure exorbitans, eſt reſtringenda. Quòd ſi ſtatim ad patriam eſſet rediturus, & nec vmbræ ſcandali locus daretur, certò probabile eſt, non teneri, quia per iuris fictionem tunc pro præſenti in ſua patria habetur. (11) Quod ſi lex ſit ſpecialis loci, per quem quis tranſit, & abſit ſcandalum, non tenetur ſeruare illam, (12) quia non ſubiectus eſt ei legi, cum non adquirat forum ratione breuis hoſpitij. At lege charitatis tenetur ad ſeruandum illam; quod intellige de legibus. Quæ non ſunt latæ ſpecialiter ad commodum locorum, v. g. ne quis noctu arma deferat, ne ibi detineatur vltra vnum diem, & ſimiles, quæ obligant itinerantes; ſicut & leges circa contractus, ſi ibi celebrentur: nam hi celebrandi ſunt iuxta conſuetudinem, & leges loci, in quo fiunt. (13) Ratione delicti itinerans ſubiicitur iuriſdictioni loci, in quo id commiſit, niſi ratione priuilegij ſpecialis ad alium iudicem ſit trahendus.

8. *Cap. Illa, diſt. 20.* & Gloſſ. *ibi.*

*Cap. Quæ contra, diſt. 8.*

*Cap. Quiſquis, diſt. 41.*

9. *Epiſt. 118. ad Ianuarium.*

10 Communis.

11. Th. Sanchez. Ego *de Iure Academ. lib. 3. q. 24.*

12. Angles. Sayrus. Coninch. D. Antonin. Paludanus. Medina vterque. Azor. Th. Sanchez. Auila, & plurimi *ſup. q. 24.*

13. *Leg. 6. ff. de quæſtionib.*

8 Si quis exeat à loco, in quo ieiunatur, & accedat ad locum, in quo non ieiunatur, aut è contra, non tenetur ieiunare, quia præceptum ieiunij reſpicit integrum diem vt obiectum. Imò data opera poteſt

teſt, quis pergere ad locum, vbi non ieiunatur, aut non obſeruatur dies Feſtus, qui in ſuo loco obſeruatur, vt non ieiunet, aut laborem ſeruilem exerceat; (14) quia ea via vtitur iure ſuo fugiendo obligationem legis, non in fraudem illius. Qui exit à loco vbi Feſtum ſeruatur, & pergit ad locum, vbi non ſeruatur, non tenetur ibi audire Miſſam, ſi exiuit ea hora, poſt quam aliæ Miſſæ celebrabeantur; cum in ea hora non teneretur audire Miſſam, ſi ibi manſiſſet, cum præceptum ad id non obliget; & poſt exitum à loco, iam non extat præceptum (15)

14. Ochagauia. D. Io. Eſcobar. Th. Sanchez. Rocaffu. Trullench. Suarez. Caſtr. Palao. & plures apud Me *de Iure Academ. lib. 3. q. 24.*

9 Leges, & præcepta pœnalia non obligant tranſgreſſorem ante ſententiam iudicis, niſi ipſis exprimatur, vt in excommunicatione latæ ſententiæ. (16) Omnis ignorantia, quæ excuſat factum, ne peccatum ſit, excuſat etiam in foro interno debitum pœnæ; pœna namque ſemper ſupponit culpam, ſaltem ciuilem, & legalem, vt videre eſt in legibus purè pœnalibus, (17) quas tranſgredi non eſt culpa; vel pœna in illis præfixa non eſt dicenda rigoroſè pœna. Ignorantia autem excuſans tam eſt facti, quàm iuris; ſed non excuſat ignorantia iuris, & legum ad vnumquemque pertinentium, cum eas (18) ſcire teneatur. Quòd ſi pœna contrahenda ſit ante iudicis ſententiam, non excuſat niſi ignorantia inuincibilis, & inculpabilis.

15. Bonac. & plures *ſup.*

16. Malderus. Laym. & alij *ſup. q. 43.*

17. Suarez *vbi nuper.*

18. D. Thomas 1. 2. *q. 76. art. 4. Cap. 1. de conſtitutionib.*

10 In lege propria poteſt legiſlator, & eius ſucceſſor, qui eandem perſonam cum illo conſtituit, diſpenſare validè; & ſi cauſa adſit, licitè. (19) Leges ſiue ciuiles, ſiue Eccleſiaſticas, ſeu etiam priuilegia poteſt iuridicè interpretari ſolus legiſlator, ita vt eandem vim habeat interpretatio, ac textus; idem poterit præſtare is, cui ille commiſerit. (20) Interpretatio verò doctrinalis poteſt præſtari à viris doctis. Quòd ſi à legiſlatore prohibeatur interpretatio, intelligi debet de interpretatione friuola, aut contra legis mentem, ſeu ex profeſſo, ac in ſcriptis. At vbi aliquid obſcurum (21) offenditur, non tollitur, vt ſeruata proprietate verborum interpretatione, ſeu declaratione donetur.

19. Communis.

20. Communis.

11 Leges latæ ſuper reſtitutione bonorum incertorum

21. Trullench. Henriquez. Caſtr. Palao. Sà. Salas.

Ego *de Bulla Cruc. d. 1. c. 6.* 22. Card. Lugo. Apud Me *vbi sup. d. 32. n. 38.*

rum an obligent in conscientia, dignoscendum est attendendo ad verba ipsarum, (22) & ad consuetudinem, quæ est optima legum interpres.

12 Leges pœnales circa contractus, nisi hoc vel illo tempore, loco, aut similibus circunstantiis minimè faciendos, non invalidant contractus, nec impediunt translationem dominij, nec resultat obligatio restituendi. (23)

23. Plures apud Me *vbi supra, ex n. 78.* 24. Canonistæ communiter. Azor *tom. 1. lib. 5. c. 4.* Sa. Tannerus. Valentia, & alij.

13 Vis, & substantia legis à populi (24) acceptatione pendet; is autem non acceptans sine causa peccat, & nisi acceptetur ex causa, non obligat. Hinc cum dubitetur, an Bulla Clementis VIII. circa largitionē munerum, sit in pluribus Prouinciis acceptata, (25) non incidere in pœnas in ea stabilitas violantem illam, certò probabile est. Et quidem Princeps sæcularis potestatem à populo accipit condendi leges; vnde si non acceptentur, nullam vim habent, censenturque leges superfluæ, dum populus ab illis abhorret. Quin Pontifex, qui à Deo potestatem condendi leges habet, iudicatur nolle obligare subditos inuitos, ne detur occasio peccandi. At si adhuc præcipiat, legem promulgari, tenentur obedire hi, quibus id demandatur, nisi causam proponant, & ea admittatur.

25. Diana *tr. de legib. resol. 3.*

14 Quando lex pœnalis violatur cum ignorantia pœnæ, si hæc sit grauissima, non incurritur, id enim iuxta legislatoris mentem censetur; secùs si sit pœna ordinaria. (26)

26. Th. Sanchez *d. 32. n. 20.* & alij.

15 Lex est regula, & mensura, secundum quam inducitur, & obligatur quis ad agendum, aut ab agendo retrahitur; in quo differt à consilio, quod sanè etiam est regula, sed absque vi obligandi; vnde materia legis sunt actiones humanæ. Lex diuiditur in naturalem, & positiuam; idem est, ac ius naturale, & positiuum. Illud est, cuius obligatio oritur ex natura rei: id, cuius obligatio oritur ex voluntate, & præcepto legislatoris. Hoc autem, aut est diuinum, aut humanum: & diuinum, alterum veteris Testamenti, alterum noui. Ius præterea diuiditur in ius naturale, gentium, & ciuile. Primum est, quod ipsa natura docuit: secundum, quod est omnibus hominibus

bus commune, ab ipsis inductum: tertium, quod est proprium alicuius Regni, Prouinciæ, aut Ciuitatis. (27)

16 Lex vbi promulgatur, & acceptatur, obligat; qui autem eam ignorat, excusatur ignorantia inuincibili, (28) vt *suprà* libaui.

17 Prælati iurisdictione gaudentes habent potestatem condendi leges obligantes in conscientia pro suis subditis; etenim habent potestatem regendi, coërcendi, ac puniendi subditos; hique tenentur eis obedire. (29) Eamque potestatem condendi leges habet Pontifex à Christo D. Legati, & Prælati Regulares à Pontifice: Episcopi, vel à Christo immediatè, vel à Pontifice, iuxta varios sentiendi modos.

18 Principes sæculares, & Respublicæ liberæ habent potestatem condendi leges ciuiles, (30) & quæ obligent in conscientia: (31) nam quamvis leges sint humani iuris, tamen iuris diuini est, vt subditi eis obediant; & iuxta Apostolum, qui eis resistit, ordinationi Dei resistit. At nequeunt condere leges in materia supra eorum sphæram, v.g. circa ieiunia, obseruationes festorum, & similia; & si in his materiis condant leges, adhuc acceptatæ non obligant.

19 An obligent leges sub mortali, aut solùm sub veniali, colligendum est ex intentione legislatoris (32) explicata in verbis legis, vt in lege Ecclesiastica si apponatur vox *Præcipimus*, aut *Prohibemus*; (33) & simul ex vtilitate, ac grauitate materiæ; (34) necnon tanquam à signo, ex grauitate pœnæ inflictæ transgressoribus, quæ non imponeretur, nisi in graui materia.

20 Leges humanæ aliquando obligant cum periculo vitæ; (35) nam bonum commune exposcit aliquando, vt priuatus se exponat periculo vitæ, vt cum iubetur militi, ne deserat suam stationem, etiam cum eo periculo; & in Republica est potestas ad conseruandum bonum commune. Et tunc dignoscetur, eo modo leges obligare, quando obseruatio earum plus confert bono publico Reipublicæ, Communitatis, aut Religionis, quàm conseruatio

27. Communis.

28. Communis.

29. Communis.

30. D. Paulus *ad Romanos* 13.

31. Angel. verb. *Lex, num.* 3. Sylvest. *verb. Præceptū, q.* 3.

32. Caietan. *verb. Præcepti transgressio.* Corduba, & alij.

33. DD. *in Clem. Exiui.*

34. Vasquez 1. 2. *d.* 58. *c.* 4.

35. Suar. *de legib. cap.* 30. Vasq. *in* 1. 2. *d.* 16. *c.* 2.

vitæ propriæ; & plus nocet violatio legis, quàm amissio propriæ vitæ. Quando autem id non datur, legislator nequit obligare cum periculo vitæ.

21 Leges humanæ non possunt præcipere, nec prohibere actus internos, qui per nulla signa manifestentur, (36) quia nequeunt de illis sententiam ferre; sententia autem est declaratio legis: quare qui nequit ferre hanc declarationem, nec legem potest ferre; maximè cum non cadat sub lege id, ad quod lex non potest cogere, nec legislator.

36. Communior cum D.Thom. 1. 2. q. 91. art. 4. & q. 100. art. 9.

22 Possunt tamen aliquando cadere sub legem actus interni, qui per externa signa manifestantur, sed indirectè, & secundariò, ratione operis externi. Etenim si prohibetur aliquid externum, aut præcipitur, secundariò, & indirectè præcipitur voluntas deliberata illud faciendi; & malitia, seu bonitas actus externi ex præcepto, aut prohibitione deriuatur in actum internum, quando leges sunt obligatoriæ in conscientia. Sic præcipitur dolor cum præcipitur confessio.

23 Si lex non prohibeat actum, sed solùm irritet, non est peccatum executio eius actus, cum diuersi effectus sint irritatio, & obligatio. Sic excusantur à peccato Professio, & Matrimonium graui metu facta, & tamen irritantur. (37) Præterea filia renuntians hæreditati paternæ non peccat, estò id inualidum per legem declaretur: & vxor alienare potest fundum dotalem cum licentia mariti, quia leges inualidantes hos contractus, conditæ sunt in earum fauorem, cui ipsæ renuntiare possunt. (38)

37. Suar. *de legib. lib.* 5. *c.* 20. *n.* 8. & 11. & alij.

38. Suarez *vbi super.* Salas *de legib. d.* 16. *sect.* 8. *num.* 8.

24 Leges, quæ æquè decent Principem, seu legislatorem, ac subditos, tenetur ille obseruare; (39) nam licet eum non obligent vi coërcitiua, nec ad pœnam, quæ in eis infligitur; sic verò vi directiua. Et ad id obligatur ex vi iuris naturalis dictantis, caput debere conformari cum membris, & promouere suo exemplo subditos ad obseruantiam. Et quidem si transgrediatur legem, peccabit grauiter, aut leuiter, iuxta qualitatem materiæ præceptæ, & aduersus eam virtutem, cui opponitur peccatum omissionis materiæ grauis, aut leuis ipsius virtutis, nisi secum

39. D.Thom. 1. 2. q. 96. art. 5. ad 3. Couarruuias *in c. Alma mater*, 1. *p.* §. 1. *n.* 5. Suar. *de legib. lib.* 2. *c.* 35. Leſſius.

ex

ex cauſa diſpenſet, aut diſpenſationem faciendam alteri deleget, ſicut poteſt cum ſubditis. Vaſquez, & plurimi.

25 Infideles non tenentur legibus Eccleſiaſticis, quia in illos nullam habet Eccleſia iuriſdictionem; ſic verò naturalibus, & diuinis. Perpetuò amentes, & tempore amentiæ alij, necnon infantes ante vſum rationis, nullis tenentur legibus, vtpotè carentes libertate: idem dic de dormientibus, & ebriis; hi verò in cauſa poſſunt eſſe rei omiſſionis præcepti: infantes ante ſeptennium, ſi vſu rationis polleant, adhuc non teneri legibus poſitiuis certò probabile eſt, eſtò oppoſitum ſentiam, vt iam libaui; (40) quia leges poſitiuæ nolunt eos obligare, vtpotè quæ attendunt ad ea, quæ communiter contingunt; vſus autem rationis non ante ſeptennium communiter contingit. Poſt ſeptennium autem, cum præceptum Confeſſionis obligat, licèt non damnem eos, qui ad præceptum Communionis requirunt maiorem ætatem, vt reuerenter, & ſcienter recipiatur Euchariſtia, tamen ſentio, ſtatim obligari; nam meo iudicio non minus requiritur, vt Confeſſionem faciant, quàm vt Euchariſtiam ſumant; (41) & ab Eccleſia æquè imponitur (42) præceptum Confeſſionis, & Communionis; & ſatis adfauet Tridentinum, (43) & Catechiſmus Pij V. (44) Et quidem his in articulo mortis poſſe miniſtrari Euchariſtiam, non pauci docent, (45) imò & debere, plures ex illis affirmant; vnde ſi tunc ligantur præcepto, etiam ligabuntur extra eum articulum. 40. Plures AA. 41. Valent. 4. *tom. d. 6. q. 8. punct. 2.* 42. *Cap. Omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* 43. *Seſſ. 13. can. 12.* 44. De Euchariſtia, *n. 63.* 45. Henriq. *lib. 8. c. 42. num. 4.* Suarez *tom. 3. in 3. p. d. 70.* Reginaldus 2. *tom. l. 19. n. 82.* Salas, & alij.

26 Ante pubertatem pueri etiam poſt ſeptennium, & doli capaces non incurrunt pœnas, nec cenſuras ab homine impoſitas; (46) etenim non poſſunt ad iudicium ferri, nec pro ſe agere: qui autem eas pœnas, ac cenſuras contrahunt, poſſunt vocari ad iudicium. At hi pueri contrahunt cenſuras latas à iure; (47) eſtò certò probabile ſit, (48) puerum, qui ante pubertatem occidit, aut mutilat quempiam, non contrahere irregularitatem. At comprehenduntur in interdicto poſito in aliquo loco, quia non rationæ pœnæ ipſis inflictæ, ſed ratione loci interdi- 46. *Cap. 1. de delict. pueror.* 47. Communis.

cti, nequeunt in eo præstare quidquam, quod cæteri nequeunt.

48. Auila *de cẽsur. p.7. d.6. sect.1. dub.11.* Henriquez *de regularib. c.4. n.13.*

27 His, qui absolutè excusantur à legibus, licet ministrare prohibita per leges positiuas, cùm eis non prohibeantur; sic licet ægrotis, & infantibus ministrare carnes die ieiunij; secùs his qui obligantur præcepto, & ratione circunstantiæ non imputatur illis ad culpam transgressio materialis illius ab ipsis facta, quia carent libertate; v.g. ebrij, & dormientes, si edant carnes die prohibito: non tamen licet ministrare eas ipsis. Multò minùs licet impellere illos ad actiones intrinsecè malas, quia etsi ipsi in eis non peccent, suadere, aut impellere ad malum, est peccatum.

28 Clerici tenentur seruare leges ciuiles (idem dic de Religiosis) quæ non sunt contra immunitatem Ecclesiasticam, (49) non ratione obedientiæ, cùm sint exempti à iurisdictione sæculari, sed vt se Communitati Reipublicæ conforment. Quòd si incurrant pœnas legum, à propriis iudicibus compellendi sunt, vt soluant. Religiosi etiam ratione conformitatis, cum sint exempti à Prælatis sæcularibus, tenentur seruare leges synodales.

49. Communis.

29 Leges Imperiales, vt obligent, promulgari debent (50) in singulis Prouinciis Imperij. Leges aliorum Principum, sat est in Curia promulgari, dum ad notitiam Prouinciarum deueniant; quæ notitia non facilè habetur, nisi per promulgationem. Et quidem leges Imperatoriæ ob specialem Imperij legem non obligant nisi in singulis Prouinciis promulgatæ, quæ lex non est in aliis Regnis. Hinc vt leges Pontificiæ obligent, sat est Romæ promulgari, (51) & earum sufficientem notitiam haberi; quia nec ex natura legis, nec ex voluntate legislatoris alia promulgatio requiritur; imò expressè vult, vt promulgatio facta in Curia sit sufficiens ad obligandum; & Pontifices id in suis Constitutionibus solent exprimere. Secus est de lege reuocatoria alicuius priuilegij, aut indulgentiarum; (52) nam consuetudo obtinuit, vt huiusmodi leges in singulis Prouinciis promul

50. *Authentica Vt nouæ constitutiones, 66.* inter Nouellas Iustiniani.

51. Suar. *de legib. lib.4. cap.15.* Vasquez *in 1. 2. tom. 2. d.156. cap.2.* Azor *p.1. l.5. c.5. q.3.* & plures alij.

52. Sotus *de iustit. q.1. art.4.* Nauarrus *tr. de*

promulgentur, vt vi polleant, eaque videtur intentio legiſlatorum; & æquum eſt, vt priuilegiatis ſingulis eæ leges per promulgationem innoteſcant, ne priuilegiis vtantur. *indulg. tetat.* 31. *n.* 28. Corduba *q.* 36. *de indulg.* & alij.

30 Leges Imperatoriæ, iuxta Imperialia decreta (53) non obligant niſi poſt duos menſes; cæteræ leges ſtatim ac promulgantur, & innoteſcunt, obligare incipiunt, niſi tempus in illis deſignetur, vt fieri aſſolet; maximè, vt pœna, ſi quæ in illis infligitur, ſubeatur. Id ex legiſlatorum mente colligitur, qui niſi aliud enuntient, volunt ſtatim obligare. 53. Authent. relata *ſuprà*.

31 Lex purè pœnalis, quæ non eſt mixta ex præcepto, & pœna, & ſolet explicari per verba: *Qui hoc fecerit, tali pœna puniatur*; non obligat, vt *ſuprà* attigi, ad culpam; (54) quia dum non conſtat de mente legislatoris, benignè eſt interpretanda. Quin legislator nequit obligare in conſcientia ſubditos, niſi præcipiendo, aut prohibendo aliquid. Hinc lex pœnalis propriè non eſt lex, niſi quatenus obligat ad ſubeundam pœnam. Et ſermo eſt de lege pœnali, quæ non eſt de materia aliàs prohibita; nam ſi ita eſt, ratione alterius præcepti erit peccatum ei materiæ contraïre. Mixta autem lex obligat ad culpam, & pœnam, (55) cum inuoluat præceptum, cuius vim non tollit pœna. 54. Nauarrus *in ſum. c.* 23. *n.* 55. Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 15. *c.* 6. *ſect.* 5. *n.* 5. & alij. 55. Couarruuias *regula peccatū*, 2. *p.* §. 5. *n.* 4. Alphonſus à Caſtro, Vaſq. & alij plurimi.

32 Lex pœnalis obligat ad pœnam ſtatim ſubeundam, quando pœna non conſiſtit in actione, ſeu executione, ſed in paſſione, & inhabilitate: (56) ſic irregularitas contrahitur ipſo facto ex delicto, & pœna non petendi debitum reſpectu eius qui cognouit conſanguineam vxoris in primo, & ſecundo gradu, & aliæ ſimiles. Si pœna actionem requirat, vt ſolutionem pecuniæ, exilium, aut alia eiuſmodi, ante ſententiam iudicis non tenetur quis pœnam ſubire; (57) niſi aliud in ipſo iure decernatur, vt ſtatuitur, obtinentem Beneficium parochiale, ſi intra annum non ordinetur ſua culpa, teneri dimittere illud; (58) & his ſimilia. Aliquando tamen benignè exponuntur leges pœnales, vt intelligatur, ipſo facto incurri pœnam, id eſt, ſtatim ac à iudice declaratum fuerit delictum, aliàs delinquens teneretur ſuum 56. Communis. 57. Communis. 58. *Cap. Licet, de elect. in 6.*

delictum declarare, vt pœnam ſubiret; nempe ſimoniacus ſuam ſimoniam, ſi poſt eam commiſſam renuntiaret Beneficia; & hæreticus ſua delicta, ſi bona ipſe traderet Fiſco, & his ſimilia. Nec fruſtra apponitur in lege pœnali clauſula: *Ipſo facto incurrenda.* Etenim ſonat, poſt Iudicis declarationem de commiſſo delicto, non requiri aliam ſententiam circa pœnam ſubeundam, ſed tunc ipſo facto eam, quæ in lege deſignata eſt, ſubiri debere.

33 In iure, ac lege naturali nullus, nec ipſe Deus, diſpenſare poteſt propriè, & directè; (59) nam ea quæ ſunt iuris naturalis, habent intrinſecam honeſtatem, quam nec Deus poteſt mutare. Indirectè verò poteſt Deus diſpenſare, & alij legiſlatores mutando materiam, ſi eam ſub ea poteſtate habent. Sic Princeps nequit tollere cuiquam, quod ſuum eſt; at quia id poteſt mutari in bonum commune, & ad id ſunt bona ſubditorum ſub poteſtate Principis, poteſt ea bona tollere. At quia non ſic ſunt corpora ſub poteſtate illius, nequit vxores ab eis tollere.

59. Gloſſa *in cap. Sum quidem*, 25. q. 2.

34 In iure diuino poſitiuo valet Deus diſpenſare, cum ſit legiſlator; ſed niſi per Eccleſiæ authoritatem conſtet, diſpenſare non eſt credendum. (60) Pontifex nequit in eo iure diſpenſare, nam non eſt fundamentum, vt dicatur, Deum illi hanc conceſſiſſe facultatem. (61) Poteſt mutare aliquod fundamentum, v. g. in Sacramento matrimonij ſupponitur contractus, & hunc mutare poteſt, vt ſic, vel ſic fiat. Poteſt etiam declarare, ius illud non extendi ad hunc vel illum caſum, quod non eſt diſpenſare in illo caſu.

60. *Cap. Cùm ex iniuncto de hæretic.*

61. Theologi cum D. Thom. 1. 2. q. 97. art. 4. ad 3.

35 In lege humana poteſt legiſlator, & eius ſucceſſor diſpenſare; quia ab eorum voluntate pendet obligatio. (62)

62. Communis.

36 In legibus ſuperioris non poteſt Prælatus inferior diſpenſare, (63) quia nequit eius voluntatem impedire, niſi ille tacitè, aut expreſsè conſentiat. Si addatur imperſonaliter in lege, poſſe diſpenſari, poteſt Prælatus inferior; nam de ſuperiore id non erat dubium, nec addi (64) erat neceſſum. Si lex non obliget niſi ad peccatum veniale, poteſt Prælatus

63. Gloſſa *in cap. In quibuſdam, de pœnis.*

64. Felinus *in cap. At ſi Clerici, 5. de adulteriis,*

inferior

inferior dispensare, sic enim præsumitur de voluntate superioris, (65) ne onus incumbat adeundi illum in rebus exiguis; & vt vitetur id onus, etiam possunt Prælati inferiores in casibus frequentibus dispensare: sic possunt Episcopi in obseruatione festorum, & ieiuniorum. (66)

*de iudiciis.* 65. Sà *verb. Dispensatio, n.8.* 66. Caietan. 2. 2. *q.*143. *art.*4.

37 Si lex superioris non comprehendat nisi vnam Prouinciam, & non cæteras, quæ ei subiacent, censetur Gubernatori eius Prouinciæ concessa facultas dispensandi in illa; nam induit naturam legum ab ipsa Prouincia conditarum, & est minùs nota Principi. (67)

67. Valent. *in* 1. 2. *d.*7. *q.*5 *punct.*9.

38 Potest inferior dispensare in lege superioris, quando vrget necessitas, & est periculum in mora, & superior non potest facilè adiri; nam id ei tunc negare esset contra charitatem, & bonum commune. (68)

68. Vasq. *d.* 178. *c.*2. *n.*16.

39 Consuetudo potest præscribere potestatem inferioris ad dispensandum in lege superioris. (69) Vide *Dispensatio.*

69. *Cap. Cùm contingat, de foro competent.*

40 Cum vagis potest dispensare superior loci, in quo reperiuntur, cum non habeant alium superiorem: (70) item potest in legibus communibus, & municipalibus cum habentibus quasi domicilium in eo loco. (71) Cum forensibus exiguo tempore in loco existentibus non potest dispensare in votis, iuramentis, & impedimentis. Sic declarauit Gregorius XIII. (72)

70. Communis. 71. Suar. *lib.*2. *de dieb. festis, c.*14. & alij. 72. Apud Castr. Palao *d.*6. *punct.*7. §.2.

41 Interpretatio legis, est declaratio, quòd ad talem casum extendatur, aut non. Alia est authentica, quæ inducit obligationem, vnde à solo legislatore, vel eius successore (73) fieri potest. Hinc declarationes factæ à Sacra Congregatione Concilij Tridentitini, si sint promulgatæ, vim habent legis, quia Sixtus V. in Bulla, quæ incipit, *Immensa,* (74) dedit ei Congregationi potestatem declarandi Concilium circa iudicia, & similia. Alia est interpretatio doctrinalis, quæ fieri valet à viro docto, cum datur ambiguitas, (75) cum facilè nequit legislator consuli, vt *suprà* libaui.

73. *Leg. fin. Cod. de legib.* 74. Apud Salas *de legib. d.* 21. *sect.* 12. 75. *Leg. Vnic. de profess. qui in vrbe Constant. lib.*12.

42 Quando esset iniquum obedire legi, aut nimium durum

Suar. *de legib. lib.6. c.7. n.9.*

77. Barbosa.

78. Bartol. *in leg. Omnes populi, ff. de iust. n.58.*

79. *Leg. penult. ff. de pœnis.*

80. *Cap.1. de iureiurand.*

81. Menoch. *lib.4. præsumpt.89. n.36.*

82. *Leg. Non est nouum, ff. de legib.*

83. Suar. *de matr. lib.2.d.24 n.6.*

84. Molina *tr.2.de iust.d.176.§.4.*

85. Barbosa *in leg.Si constante, ff. solut. matr. n.92.*

86. *Leg. Præcipimus,C.de appel.*

87. Salas *de legib. d.21. sect.5. num.12.*

89. *Leg. Iubemus, Cod. de testam.*

90. Farinacius *in leg. Omnes populi, ff. de iust. & iur. n.39.*

91. Azor *lib. 5. c.16. q.13.*

durum, propter ingens damnum, licitum est vti epikeia, faciendo contra verba legis; nam (76) esset iniqua lex, si obligaret.

43 In Bulla Pij IV. confirmatoria Concilij Tridentini prohibetur eius interpretatio. (77)

44 Leges in benigniori sensu sunt interpretandæ; (78) in pœnis mitior interpretatio (79) est facienda; in fauorabilibus lata; in odiosis stricta, & in obligationibus. (80)

45 In interpretatione seruanda est proprietas verborum, nisi inde absurdum sequatur. Si lex sit præceptiua, aut pœnalis, seruanda est proprieras naturalis ex vsu communi. Si sit fauorabilis, extendi solet ad proprietatem ciuilem; sic nomine filij adoptiuus comprehenditur. (81)

46 Lex noua secundum antiquam est interpretanda: (82) pro possessore, & pro reo interpretatio potiùs est facienda, quàm pro contrariis.

47 Si lex data fuerit in particulari pro aliquo casu, & posteà lex generalis contraria promulgetur, dum non sufficienter illam deroget, non manet derogata, quamvis in posteriori apponantur ea verba generalia, (83) quæ assolent apponi, *Non obstante, &c.*

48 Leges odiosæ non extenduntur ad casus similes. (84) Nec leges exorbitantes à iure communi, (85) vt dispensationes, & priuilegia. Nec leges emendatoriæ alicuius legis extendendæ sunt ad aliam, nisi sint æquiparatæ omninò. (86) Extenditur autem lex ad casus similes, quando aliter esset absurda, aut iniqua; præterea in æquiparatis; deinde in connexis; & demùm in his, quæ sunt in alio contenta. (87)

49 Lex constituens formam, aut solennitatem contractui aut testamento, non extenditur ad facta antecedenter: (89) lex imponens pœnam extenditur ad delicta commissa non punita, nam in pœnis ad sententiam attenditur; (90) non tamen extenditur ad actiones, quæ non erant priùs delicta, sed posteà prohibentur. Statutum concedens pœnæ remissionem non extenditur ad delicta futura, (91) aliàs daretur occasio delinquendi: nec lex quæ loquitur de præteritis,

teritis, extenditur ad ea, quæ in iudicio pendent, ne lædatur ius à litigantibus adquisitum. (92)

Lex non scripta, vide *Consuetudo*.

50 Ad interpretandam legem, attendi debet ad præfationem, seu procœmium, ex quo deducitur, (93) quid præcipi, aut prohiberi intendatur. Præterea attendendum est ad mentem legislatoris, & motiuum, (94) quo ductus fuit, vt legem conderet. Nec potest fieri, vt legislator omnes casus speciales præfigat; quare ab vno ad alium est deducenda interpretatio. Quando lex est subobscura, per aliam legem est interpretanda. In connexis valet argumentum ab vno ad aliud. (95)

51 Lex, quæ prohibet actum, facit eum illicitum; non tamen reddit irritum, si fiat, vt iam prænonui, dum non superaddatur in lege irritatio; (96) cum contra eum qui legem dicere potuit apertiùs, interpretatio sit facienda. (97)

52 Cum quis ingrediens Collegium, aut Communitatem iurat seruare leges, aut statuta illius, non tenetur ad seruanda ea, quæ (98) in desuetudinem abierunt; nec tenetur sub mortali ad seruanda omnia, sed iuxta naturam ipsarum rerum, ita vt si ipsæ ex se non obligent ad mortale, ex iuramento non obligetur (99) sub mortali, vt *suprà* notaui. Sic Religiosi Minores vouentes obseruare regulam S. Francisci, non tenentur sub mortali obseruare omnes regulas, sed eas, quæ obligant ad mortale; & sub veniali eas, quæ obligant solùm ad veniale. (100)

53 Exponere se periculo violandi aliquâ legem, est contra ius diuinum insitum in omni lege, non peccandi; sic peccat, qui exponit se periculo violandi ieiunium, & si ieiunet, non violat legem ieiunij.

54 Lex, si vsu communi non recipiatur, vim non retinet; (101) quando autem constat de initio receptionis, præsumitur lex vsu recepta; cum autem de illo non constat, ad allegantem incumbit probare, eam esse vsu receptam. (102)

55 Pontificiæ constitutiones, adhuc circa Regulares, eorum priuilegia reuocantes, in Hispania solent per Cortiada.

92. Baldus *in leg. Sancimus, C. de sacrosanct. Eccles.*

93. *Leg. fin. ff. de hæred. instit.* *Leg. Titiæ, ff. de verb. oblig.*

94. D. Thom. 1. 2. *q. 96. art. 6.*

95. Lezana *tom. 4. consult. 58. n. 48.* Barbosa *in communib. loco* 11. & *ibi* plures.

96. Suar. *lib. 5. de legib. ex c. 25.* & alij.

97. *Cap. 57. de reg. iur. in 6.*

98. Communis.

99. Fagund. *lib. 2. in Decal. c. 13. num. 7.* Medina. Ioan. Andreas. Hostiensis. Gomez. Padilla. Salas. Th. Sanchez. Bonacina. Castr. Palao.

100. *Clement. Exiui, de verb. signif.*

101. Crespi de Valdaura *in Obseru. obs. 63. num. 8.*

Franc. Maria Prato. Tondutus. Suarez. Azor, & alij.

per Regium Caſtellæ Senatum regiſtrati; id enim ſtylus induxit, non refragantibus ſummis Pontificibus. (103)

102. Fermoſinus *ad rubr. de conſt. q. 5. n. 3.* Menochius, & alij.

56 Si à Conſtitutione, aut Bulla Pontificia ſupplicationem interponat Princeps, ob iuſtam cauſam (quæ ſupplicatio eſt permiſſa) ſuſpendit executionem illius. (104) Et de facto ob huiuſmodi ſupplicationem interpoſitam aliquæ Conſtitutiones Pontificiæ in variis Prouinciis ſuſpenduntur. Id tamen intelligo, ſi ea Conſtitutio non tollat, ſeu non concedat aliquam iuriſdictionem, quæ ab ipſo Pontifice dimanat, & quæ nequit exerceri ipſo renuente. Exemplum ſit, ſi dicat Pontifex, Concedo iuriſdictionem his aut illis ad abſoluendum à caſibus mihi reſeruatis, quam non concedo aliis; etiamſi ſupplicetur, quòd his concedat, non ſuſpenditur negatio conceſſionis, nec intelligitur ea iuriſdictio his conceſſa, dum ſupplicatur.

103. Epiſc. Araujo *in deciſ. mor. n. 1. q. 8. n. 17.* D. Ioan. de Solorzan. & alij.

104. Cortiada *tom. 2. deciſ. 119. num. 34.* Malder. Araujo. Suarez. Salas. Villalobos. Diana. Fermoſinus.

57 Stylus Curiæ, ſi confirmatus ſit aliqua conſtitutione Papæ, vbique obligat. Si confirmatus non ſit, eſtò magnam authoritatem habeat, certò probabile eſt, (105) non obligare extra Curiam Romanam, indeque non eſſe nullos actus non conformiter ad illum peractos. Et quidem cum ſtylus Curiæ aliquando ſit varius circa hoc, aut illud, pro varietate Pontificum, non tollit probabilitatem, quæ detur in opinione ei oppoſita.

105. Marcus Vidal *in arca Theol. tit. de duello, inquiſit. 3. & 4.* Leand. de Sacram. Fagundez. Rocafful. Martin. Perez.

## *Liber prohibitus, & libri alij.*

1 LIbri, qui prohibentur, donec expurgentur, non poſſunt retineri vſquedum adhibita diligentia corrigantur. Contraria propoſitio damnata eſt ab Alexandro VII. anno 1666. Quare vel debent tradi ei, qui deſignatus eſt à prohibente illos; vel peti licentia, vt retenti expurgentur abſque mora. Qui legit, aut retinet libros prohibitos, aut folia volantia prohibita à Sacris Fidei Quæſitoribus, peccat mortaliter, & contrahit ipſo facto excommunicationem eis reſeruatam, niſi libri ſint prohibiti, donec

donec expurgentur, & iam expurgati fuerint authoritate illorum, quibus debent tradi qui prohibiti sunt omnino; vel si ita non sint, vt expurgentur, aut licentia expurgandi ab illis debet posci. Qui legunt, retinent, aut defendunt libros hæreticorum non permissos, incidunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ Pontifici reseruatam. Quòd si legantur hæreses insertæ ad verbum in libris non prohibitis Catholicorum, qui eas referunt, aut impugnant, non contrahitur excommunicatio, quamvis id fieret affectu prauo, qui esset peccaminosus contra virtutem Fidei; quippe his legibus(1) positiuis non prohibetur, nec punitur affectus, sed factum legentis librum hæreticum, aut prohibitum.

1. Sayrus. Nauarrus. Azor.

2 Sub prohibitione cadit lectio libri, aut codicis hæretici manuscripti, nam materialiter (2) se habet, quod sit typis excusus, vel non. Qui legunt libros hæreticos in locis vbi Bulla Cœnæ non est recepta, (3) non incidunt in excommunicationem, quia leges pœnales, vtpotè odiosæ, sunt restringendæ, & non extendendæ ad personas in locis, in quibus ipsæ leges non obseruantur defectu acceptationis. Quòd si liber non extet in Expurgatoriis, & habeat scholia, & commentaria hæretici, quæ sint breuia, non incurritur excommunicatio legendo illa; (4) si verò sint copiosa, ita vt potiùs constet liber ex illis, quàm ex textu, incurritur: nam ille liber meliori iure dicendus est liber hæretici. Si autem reputetur author Catholicus, & eius liber in Expurgatoriis, aut aliis prohibitionibus, quæ solent separatim prodire, non contineatur, (5) potest legi recto fine, quamvis hæreses contineat, quin in excommunicationem Bullæ Cœnæ incurratur. Præterea cum lectio formalis prohibeatur, non materialis, excommunicationem non contrahit idiota (6) libros hæreticos legens, quin intelligat, nec ab intelligente audiatur.

Th. Sanch. & alij apud Me *de Iure Acad. lib.2.q.16.*

2. Layman. Ego *vbi super.*

3 Si quis legat libros hæreticorum, qui de Religione non tractant, nec hæresim continent, non incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ, dum absolutè

3. Diana. Becanus. Azor. Th. Sanchez. Apud Me *sup.*

omnes

4. Nauarrus. Graffis. Suarez. Layman. Th. Sanchez. & alij *sup.*

5. Graffis. Vgolinus. Th. Sanchez. Apud Me *de Iure Academ. lib.2. q. 16.*

6. Suarez. Filliucius. Th. Sanchez. & alij *vbi super.*

7. Alterius. Bonacina. Portel. Th. Sanchez. Suarez *vbi ſup.*

omnes eorum libri non ſint prohibiti; (7) quòd ſi contineant hæreſes, quamvis ex profeſſo de Religione non tractent, legens contrahit eam excommunicationem; cum prohibeatur in Bulla legi libros hæreticorum de Religione tractantes, aut hæreſim continentes. Cum autem excommunicatio Bullæ Cœnæ ſit reſtringenda, vt odioſa, & feratur contra legentes, aut retinentes libros hæreticorum, non eſt amplianda ad legentes chartam, aut folia volantia hæreticorum, quamvis de Religione tractent,

8. Duardus. Souſa. Portel. Th. Sanchez. Ego *ſup.* & *de Bulla Cruciat. d.25. n.52.*

(8) quia illa non ſunt libri. Audire libros hæreticorum, ſeu legere per alium, eſt eodem modo prohibitum, quia eſt lectio formalis, eſtò non materialis, ſicut cum cæcus facit, ſibi ab alio librum legi; aliter fruſtraretur prohibitio, & finis illius.

4 Qui ſuaderet alij, vt legeret librum hæreticorum, abſque animo vt diſceret hæreſes, quin tamen ſuadens audiret, non incideret in excommunicationem Bullæ, quæ fertur contra legentem. (9) Si verò

9. Sayrus. Graffis. Azor. Apud Me *de Iure Academ. lib. 2. q.16.*

animum habeat ſuadendi, vt diſceret hæreſes, quæ eum ſectatorem retinerent, incideret in aliam excommunicationem Bullæ contra fautores hæreticorum. Cæterùm cum excommunicatio feratur contra legentem ſcienter eos libros, excuſat ab ea contrahenda ignorantia adhuc craſſa; (10) nam vbi lex pœnalis ſcientiam poſcit, ea ignorantia excuſat. Retinere autem eos libros intelligitur de eo, qui nomine

10. Layman. Th. Sanch. & alij *vbi ſuper.*

ſuo in aliena domo, aut in propria eos retinet: requiritur autem ſpatium notabile retentionis, (11) vt

11. Vgolinus. Graffis. Sayrus. Th. Sanchez. Layman, & alij *ſup.*

contrahatur excommunicatio Bullæ Cœnæ, maximè ſi expectetur opportunitas ad illos tradendos. Lectio libri prohibiti in folio debet excedere dimidium paginæ, vt excommunicatio contrahatur; quin certò

22. Vinaldus. Rodriguez. Duardus. Th. Sanchez. Portel. Filliucius. Apud Me *ſup.*

probabile eſt, (12) eſſe paruitatem materiæ lectionem vnius integræ paginæ. In Germania legere libros hæreticorum, animo diſputandi cum illis, & eos conuincendi, & reducendi eos ad Catholicam Fidem, non eſt peccatum, ſed opus laudabile, dum ſupponatur facultas Sedis Apoſtolicæ.

13. In Bulla Sixti V. & in Indi-

5 Prohibiti ſunt libri, (13) & tractatus Aſtrologiæ iudiciariæ

iudiciariæ vetitæ, Geomantiæ, Chiromantiæ, Magiæ, Sortilegiorum, Auguriorum, ac ſimilium, qui Inquiſitoribus Sacræ Fidei ſunt tradendi. Opera Caroli Molinæi ita ſunt prohibita, (14) vt licentiæ ea legendi ſint reuocatæ, & cautum, ne deinceps concedantur. Plurimi libri prohibiti ex Indice Expurgatorio conſtabunt.

ce Librorum prohibitorum.

14. In Bulla Clementis VIII. quæ incipit *Apoſtolicæ*, data 26. Auguſti anno 1602.

6 Etiam ſunt prohibiti libri, qui excuduntur abſque nomine Authoris, loco, & anno. Nec typographi eos excudere valent. Nec bibliopolæ vendere. Non tamen ſub hac prohibitione comprehenduntur folia volantia, libelli ſupplices, & alia huiuſmodi. In Regnis Caſtellæ opus eſt licentia Ordinarij, & Senatus Regij, vt liber typis mandetur, non verò licentia Sacræ Fidei Inquiſitionis; quæ tamen requiritur in aliis Prouinciis, & Regnis, quorum ſtatutis, ac ſtylo ſtandum eſt.

7 Legere libros de amoribus tractantes licitum erit his, qui longè à periculo eos verſant, vt ſtylum addiſcant; nempe Martialem, Ouidium, Propertium, Tibullum, Iuuenalem, Catullum, Terentium, Plautum. Si detur periculum proximum delectationis venereæ, erit peccatum mortale eos, aut ſimiles in quouis idiomate legere. Si ſola recreatio intendatur cum curioſitate nimia, & multum temporis in his, & aliis, quæ Hiſpanè dicuntur *Libros de Caualleria*, ſeu amorum fabuloſæ hiſtoriæ, inſumatur, erit peccatum veniale. Quod ſi quis ratione muneris debeat vacare vtilibus ſtudiis, & tempus multum in illis libris legendis impendat, mortaliter peccabit, (15) non præcisè ob lectionem vtcumque, ſed vt impedientem ſui muneris adimpletionem. Cæterùm legere, vt diſcant illos libros Poëtarum iuuenibus ſtudioſis in ſcholis minoribus, ſi non ſint ab obſcœnitatibus purgati, erit lethale peccatum, ob perniciem, qua poteſt affici iuuentus.

15. Nauarr. *in relect. c. 1. de iudic. nu. 2. n. 14.*

Lis.

## Lis.

1 LItis conteſtatio eſt negotij principalis apud iudicem hinc inde facta narratio, & ſubſecuta reſponſio. Lite pendente eſt, litem fuiſſe conteſtatam vſque ad ſententiam definitiuam. Vide *Accuſator. Reus.*

2 In litigando quis peccat, ſi id præſtet ex irrationabili cauſa: (1) præterea habens ſe cum collitigante veluti cum inimico; deinde fraudibus vtendo, quas leges, & ſtylus Tribunalium non permittunt. Quomodo autem aduocatus teneatur monere clientem, ſi cauſa ſit iniuſta, vide *Aduocatus.*

1. D. Thom. *ad* 1. *Corinth. c.* 6.

3 Litigioſa res, aut actio dicitur ea, quæ in alium quoquo modo (1) transfertur lite pendente. Et quidem ea nequit pignorari, vel aliter obligari. (3) Vnde qui rem huiuſmodi per contractum transfert in alium, dicitur litigioſus iuridicè, & tenetur ex litigioſo (4) contractu. Non verò contrahitur vitium litigioſi, ſi quis domum, aut fundum litigioſum locet, dum id non præſtet per longum tempus; (5) nec alicui, à quo rehaberi non poſſit. Quòd ſi res iam litigioſa alicui legetur, tenetur hæres litem ſequi; ac ſi victus maneat, ad nihil tenetur legatario, cui ſolus legatus eſt litis euentus; hic autem poteſt in lite aſſiſtere, ne contra eum colluſio fiat. Contractus de re litigioſa eſt inualidus. (6)

2. *Leg. vlt. Cod. de litig.*

3. *Leg.* 1. *ff. quæ res pign. oblig.*

4. Gloſſa *in cap. Eccleſia, vt lite pendente.*

5. *Clement. vnica de reb. Eccleſ. alienand. vel non,* cũ Gloſſa.

6. Bart. *in leg.* 1. *ff. de litig.* & communis.

4 Poteſt quis cedere actionem, ſeu rem litigioſam in alium, dum bona fide præſtet; nam ſi cedat in potentiorem, vt premat aduerſarium imbecillem, & peccat grauiter, & non (7) valet ceſſio. Quamvis hæres cedat rem litigioſam, quæ alicui eſt legata, poteſt legatarius agere contra hæredem. Quòd ſi poſt mortem teſtatoris res facta eſt litigioſa, legatarius debet litem ſequi.

7. Sylueſt. *verb. Lis, q.* 8. cum aliis.

*Litera, ſeu Epiſtola.* Vide *Secretum.*

## *Literæ dimiſſoriæ.*

1 LIteras dimiſſorias ad ſuſcipiendos Ordines poſſunt conferre (præter Epiſcopos) ſuis ſubditis adhuc ſæcularibus, Abbates, & ſimiles Prælati (1) habentes Epiſcopalem, ſeu quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem pleno iure, cum poteſtate viſitandi Eccleſias, & congregandi Synodum. Nam in his reſidet iuriſdictio ordinaria; & ante Tridentinum poterant has dimiſſorias concedere; nec per Tridentinum ablata eſt eis hæc poteſtas: ſiquidem Tridentinum eam auferens loquitur de Prælatis exemptis, qui ex priuilegio, vel conſuetudine ea vtebantur, quin haberent eam iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem ſic expoſitam. Extant Deciſiones Rotæ id comprobantes. (2) Et quidem eiuſmodi Prælati de cauſis matrimonialibus cognoſcunt, quod aliàs priuatiuè pertinet ad Epiſcopos; & illi veniunt nomine Epiſcoporum, (3) & nomine diœceſanorum.

1. Aragon. Th. Sanchez. Ledeſma. Tamburinus. Riccius. Mandoſius. Diana. Bauny, & innumeri apud Ioannē Paulū Boxaſſa *in informat. iuris Barcinone, anno 1657.*

2 Capitulum, Sede vacante, nequit concedere intra annum literas dimiſſorias, niſi his, qui habent Beneficium coarctatum.

2. Ibidem.

3. Congregatio Concilij apud Flores de Mena *q. 24. n. 21.*

3 Quilibet, vt ordinetur ab Epiſcopo, qui non eſt proprius ratione originis, aut domicilij, aut Beneficij, indiget literis dimiſſoriis proprij Epiſcopi, qui poterit eas concedere priùs examinato, ſeu etiam examinando; in eiſque ex cauſa poterit diſpenſare in interſtitiis. Cæterùm Regulares à ſuo ſuperiore, ad quem id pertineat, debent ferre literas dimiſſorias, quin indigeant, eas ab Epiſcopo concedi, ſaltem Mendicantes, & eorum priuilegio gaudentes, aut ſimile habentes priuilegium, quod poſſint à quolibet Epiſcopo ordinari. Nam Tridentinum (4) dum præcipit, quemlibet ordinati debere à ſuo Epiſcopo, non loqui de Regularibus Mendicantibus, declarauit Pius V. (5)

4. *Seſſ. 23. c. 8. de reform.*

5. In Bulla, quæ incipit, *Eſi Mendicantium*, & eſt 6.

4 Nuntius Pontificis poteſt dare literas dimiſſorias his,

Aug. de Virg. Maria *in privil. Relig. verb. Ordinatio.* Cobat.

his, qui arctati sunt ad Beneficium, vt queant ordinari à quolibet Episcopo extra Curiam Romanam, etiam extra tempora, tribus Dominicis, seu festiuis diebus. (6) Necnon subditis Diœcesis Sede vacante, in praxi est, quod Nuntius concedat literas dimissorias, dum ad ipsum afferant ab ipso Capitulo, seu Vicario generali testimonium probitatis, & idoneitatis. (7) Arctari Beneficio, est accepisse Beneficium, seu Capellaniam collatiuam, vel vocari ad accipiendum, quæ requirant talem Ordinem; dum Beneficium, seu Capellania sufficiant sustentationi Clerici saltem infimæ sortis.

6. Garc. *de benef. p. 5. c. 7. n. 105.* 7. Molina *tr. 5. de iust. d. 11. n. 4.* Escobar. Cobat.

5 Non tenetur Episcopus concedere literas dimissorias nisi petentibus ex causa valde rationabili. (8)

8. Trid. *sess. 7. c. 11.*

6 Quando Pontifex concedit literas dimissorias, adhuc requiruntur literæ proprij Episcopi testimoniales de vita, & moribus eius, qui illas obtinuit, vt fraudes vitentur. (9)

9. Cobat. *in exper. Theol. tr. 8. n. 571.* Henriquez. Barbosa.

7 Quamvis iuxta Tridentinum (9) debeat remitti examinatus ille, cui conceduntur literæ dimissoriæ; tamen quia sæpè congruit, aut necessum est, eas concedi absentibus, & longè dissitis, praxis non ita rigidè eam clausulam intellexit, vt nequeat Episcopus, quando iudicat necessarium, remittere literas ad examinandum. Et ita est Romæ (10) decisum. Cæterùm estò Episcopus remittat aliquem examinatum, potest Episcopus ordinans iterùm eum examinare; imò ad id teneri, certò probabile est: (11) & sic præstatur in diœcesi Mediolanensi, & Neapolitana, quamvis oppositum in aliis præstetur.

9. *Sess. 13. c. 3. de refor. & sess. 7. c. 11.* 10. Barbosa *alleg. 7. n. 20.* Cobat. 11. Barbosa. Campanili. Iordanus. 12. Rodriguez *tom. 1. qq. Reg. q. 9. art. 1.* Henriquez. Barbosa. Cobat.

8 Literæ dimissoriæ valent, etiam mortuo (12) concedente; necnon literæ concessæ à Capitulo Sede vacante, etiamsi iam ingressus fuerit Episcopus. At tam is, qui concessit eas literas, quàm eius successor, potest eas reuocare. Qui autem ordinaretur cum literis dimissoriis iam reuocatis, & qui sine vllis dimissoriis, vel fictis ab alieno Episcopo, peccaret mortaliter, & subiaceret suspensioni.

9 Si Episcopus literas dimissorias concessit, vt quis ordinaretur à tali Episcopo in eis expresso, non po-

test

teſt ordinari ab alio, ſi id præſtitit ſuus Epiſcopus ob ſpeciale motiuum, non conceſſurus eas reſpectu alterius. (13) Si verò ad inſtantiam ipſius ordinandi, qui iudicabat ſibi opportunius ordinari ab eo determinato Epiſcopo, is in dimiſſoriis eſt expreſſus, poterit ab alio ordinari: quod enim in eius gratiam conceſſum eſt, non eſt in eius diſpendium retorquendum, cum conſtet de ſubſtantia ipſius conceſſionis.

13. Quintanad. *ſing. tract. 6. ſing. 19.*

## *Locatio, & conductio.*

1 NEquit ſuam eandem operam quis locare duobus eodem tempore, cum ex eo alter non ſit reportaturus idem commodum, ac ſi ſibi ſolùm fuiſſet locata; ſecus verò ſi eodem modo ſit reportaturus vterque commodum. Sic qui locat ſuam peregrinationem alicui ad locum pium, nequit eandem locare alteri, cùm ſic minùs fructus ille percipiat. Econtrà ſi ſint à quodam Commiſſario præſentandæ literæ pro vno, & alius opus habeat, quòd pro ſe præſententur aliæ literæ in eodem loco, poteſt commiſſarius ab vnoquoque percipere ſalarium taxatum pro itinere cuiuſque diei, cum in ſolidum vnicuique inſeruiat ille, ac ſi pro ſolo illo pergeret ad illum locum; dum taxatio ſalarij pro diurna profectione ſit facta, ſiue pro vno, ſiue pro pluribus iter illud fiat. (1)

1. Leſſius *lib. 2. de iuſt. cap. 24. dub. 5.* Diana *part. 3. tr. 5. reſol. 76.* Molina *tom. 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 405. verſ. Simili modo.*

2 Similiter ſi quis iturus ſit Romam aliundè, & alius poſcat ab eo, vt illuc vadat, locans eius operam, dum non deficiat mandatis, poteſt ab eo ſalarium accipere. Vel ſi à veniente ab aliquo loco quæratur aliquis, qui equum ad eum locum reducat, poteſt quis, aliunde iturus ad eum locum, ſuam operam ad reducendum equum locare.

3 Quando in contractu locationis, & conductionis ſubiungitur, quod etiamſi dentur caſus fortuiti, conductor ſoluat tantùm pretij, ſoluere tenetur. Si verò non ſubiungatur, & vinea v. g. caſu fortuito

tempestatis, aut hostium, vel simili non fecerit fructus, qui superstint, si demantur expensæ factæ à conductore in colendo vineam, tenetur locator pro rata imminuere pretium exigendum, ita vt saltem conductor suas expensas habeat (2) ex maiori parte; si enim ex fructibus valor medietatis pretij soluendi, deductis expensis, colligatur, totum pretium poterit locator exigere, quia conductor non censebitur enormiter læsus.

2. *Leg. Si merces, §. Vis maior, ff. locati. Cap. Propter sterilitatem, de locato, & conducto.* Molina *tom. 2. de iust. tract. 2. d. 495. vers. Tertia est.* Lessius *de iust. l. 2. c. 24. dub. 3.* & plures.

4 Qui locauit domum, potest ab ea expellere conductorem, si non soluat pensionem, etiamsi ei promiserit non expellere, quia in promissione sub-intelligitur conditio, si soluat pensionem. Potest etiam eum expellere, si in ea inhonestè agat, (3) aut si necessum sit eam reparare.

3. Eman. Sà in *sum. verb. Conductio, n. 2.* Nauarrus. Sylvester. Fumus. Molina.

5 Conductor equi ad iter non tenetur ad expensas extraordinarias, veluti ad medicamina.

6 Vt res Ecclesiasticæ ad decennium locentur, requisitæ sunt conditiones, quæ ad eas alienandas statuuntur. Quòd si Beneficiarius locet fructus Beneficij per nouem annos, valebit locatio, sed eo mortuo exspirat. (4) Aliud est, si rem Ecclesiæ nomine illius locet; nam tunc per eius mortem non exspirat locatio.

4. Card. Toletus *in summ. lib. 5. c. 91. n. 6.* Sylvester. Fumus. Eman. Sà.

7 Vsufructuarius potest locare res, quarum vsumfructum habet, non verò vltra tempus suæ vitæ. Conductor domus nequit eam alteri locare sine consensu primi locantis, nam is forsan ei alteri non locaret, si sit persona inhonesta, aut alteri fiat præiudicium.

8 Nequit locari domus, sciendo in ea esse meretricia exercenda, vel ad alios vsus prauos, quia est cooperatio ad peccata. (5) Nec potest locari res vitium habens, quin id patefiat, aliter locans tenetur ad damnum.

5. Nauarrus *in Man. cap. 17. n. 15. & n. 195.*

6. *Clement. 1. de rebus Eccles. non alien.*

9 Prohibitio in Iure (6) facta, ne res Ecclesiæ vltra triennium locentur, ea interpretatione donatur, (7) vt vim habeat in tertis, vbi prædia iustum fructum ferunt, nec obnoxia sunt sterilitati, aut tempestatibus, secus in aliis, in quibus vnum annum per

7. Nauarr. *comm. de reb. Eccl. non alien. n. 21.* &

alium

alium frequenter est necessum compensari à conductore. *in sum. c. 25. n. 130.*

10 Quando conductor domus eam deserit ob pestem, aut aliam iustam similem causam, non tenetur pensionem soluere, nisi pro rata temporis, quo eam incoluit. (8) 8. *Cap. Propter sterilitatem, de locat.*

11 Omnia, quæ vendi possunt, locari valent, exceptis seruitutibus prædialibus, vt iter, actus, via. (9) Præterea seruitutes personales, quæ sunt vsusfructus, locari queunt, præter seruitutem vsus. (10) 9. *Leg. Locare, ff. Locati, & ibi Glossa.*

12 Si in vna domo habitet lector, seu magister in ipsa publicè docens, nequit vicina domus alteri magistro locari, nec fabro ferrario, aut simili, ne voces confundantur, seu strepitus impediat. (11) 10. *§. Minus, Instit. de vsu, & habit.*

11. *Leg. Vnica, C. de studiis literarum vrbis Romæ.*

## *Ludus.*

*Cap. Pridem 15. q. 2.*

1 SI prohibeatur à superiore, seu Iudice sæculari, ne ludatur vltra hanc, aut illam quantitatem, qui lucratur amplius, non tenetur restituere; verùm qui amisit, potest coram illo repetere pecuniam, (1) & lucrans potest ab eo cogi, vt restituat. 1. Th. Sanchez. Alcozer. Sotus, & alij apud Me *de Iure Academ. lib. 3. q. 18.*

2 In genere loquendo, filiifamilias, & minores ætate, qui non habent liberam bonorum administrationem, nequeunt aliquid amittere in ludo, & lucrantes tenentur restituere. Oppositum est probabile, (2) eo quòd leges rescindentes contractus minorum, non videantur velle, quòd minores sentiant commodum potentes lucrari in ludo, & non incommodum. Cæterùm minor, aut filiusfamilias poterit ludere quantitatem, quæ attentis circumstantiis sui status iudicetur non esse contra rationabilem parentis voluntatem; nam ludi recreatio peropportuna est ad transigendam vitam; hincque inuiti irrationabiliter essent parentes, si quantitatem illam moderatam negarent. (3) Vnde qui extra domum paternam degit in alio loco studiorum, aut negotiorum causa, poterit exponere ludo ex his, quæ ad alimenta 2. Dicastillo. Diana. Apud Me *de Bull. Cruciat. d. 34. num. 160.*

3. Nauarrus. Alcozer. Diana. Aragon. Th. Sanchez.

Bañez. Medina, & alij apud Me *sup. q. 19.*

ei mittuntur, quinque ex centum. Potest etiam exponere bona aduentitia, quæ ipsi independenter à parentibus donantur; & bona, quæ ab aliis potentibus amittere, lucratus fuerit. Quin si mittantur ei alimenta plura quàm necessaria, dum non poscat augmentum, (4) potest exponere ludo, quæ ei supersunt. Qui est sub potestate tutoris, aut curatoris, potest exponere ludo ea ipsa, quæ filius sub potestate patris; & siue lucretur, siue amittat, validus est contractus; nam etsi leges rescindant contractus minorum, earum intentio non est, vt minor sentiat commodum, si lucretur, & non onus, si amittat, (5) vt iam libaui.

4. Molina. Dicastillo *vbi super.*

5. Diana. Dicastil. *sup.*

3 Qui habet vigintiquinque annos, & bona aduentitia percepit, quorum vsusfructus apud patrem manet, relicto vsufructu pro tempore, in quo ad patrem pertinet, potest exponere ludo proprietatem, quia nulli irrogat iniuriam, & potest iam celebrare contractus. Si filius, habita licentia à parentibus exeundi è sua patria, & ab eis habita significatione licentiæ disponendi de his, quæ ad eum peruenerint, quin ipsi quidquam illi mittant, poterit exponere ludo quæcumque bona postmodùm habeat. Quòd si inuitis parentibus recedat, non poterit alienare bona, (6) quæ ipsi superfuerint, postquam se aluerit, & honestam recreationem susceperit, ac eleemosynas congruentes erogauerit; nam vsusfructus pertinet ad patrem, & locorum distantia non tollet ius patriæ potestatis. (7)

6. Nauarra. Mattienzo. Pinellus *vbi supra.*

7. *Leg. Pompon. ff. de procurat.*

4 In casibus, in quibus non potest minor, aut filiusfamilias amittere quantitatem, quam ludo exponit, tenetur lucrans illam ei restituere, quoad excessum, quem nequit exponere; (8) & quamvis ille nolit accipere eam, dum restituitur, tenetur lucrans restituere parentibus, nisi consentiretur, eos id ægrè laturos. Quod si lucrans ignoret, an potuerit filiusfamilias eam quantitatem ludo exponere, debet id inuestigare, & si nequeat explorare certum, potest sibi eam retinere paratus ad restituendum, si sibi (9) constet, à se debere restitui. At si bona fide

8. Th. Sanchez. Ego *de Iure Academ. lib. 3. q. 19.*

9. Th. Sanch. & alij apud Me *vbi super*, &

lucra

lucratus est, cum non aliter se exponeret iacturæ, difficile erit, reperiri in eo obligationem restituendi. *de Bulla Cruc. d.34. n.205.*

5 Potest filiusfamilias exponere ludo bona habita ex Beneficiis Ecclesiasticis, quæ sunt quasi castrensia; nam vetus est dominus (10) eorum, etsi peccet malè insumendo. Similiter potest bona habita ex Commendis Militaribus, quamvis votum paupertatis emiserit, quia id votum non obligat Equites Militiarum ad non alienandum bona. Clerici Militares possunt ludo exponere, quæ in alios vsus possunt expendere. Qui sub fide credita amittit in ludo, etiamsi pignus, aut chirographum deponat, non tenetur soluere (11) iuxta Hispaniæ leges: quod si iuret soluere, tenebitur ratione iuramenti; id tamen potest relaxari ab habente potestatem. (12) Qui lucratur in ludis prohibitis, non propterea tenetur restituere, sed potest amittens repetere ab eo lucrum (13) coram iudice. Quòd si amittens non adhuc soluit pecuniam, potest non soluere; nam cui datur actio ad repetendum, conceditur exceptio ad non soluendum. (14) Cæterùm hi, quibus soluuntur quantitates fide credita amissæ, possunt eas sibi retinere absque onere restitutionis.

10. Couarruuias. Alcozer. Diana, & alij apud Me *vbi sup. de Iure Academ.*

11. *Leg.8. & 9. tit. 7. lib.8. Recopilat.*

12. Henriquez apud Me *sup.*

13. *Leg. Aleatum, C. de Religios. & sumptib. funer.*

14. Lessius, & alij *supra.* Bañez. Medina. Alcozer. Couarruuias. Castro. Guttierrez

6 Si quis per fraudem in ludo aliquid lucretur vno iactu, tenetur id restituere, quamvis postmodùm illud amittat, quia quilibet iactus est quasi diuersus contractus, & in quolibet habet ludens actionem ad lucrandum. Fraudes in ludis notæ sunt, & illicitæ; secùs simulationes, quæ speciem fraudum habent.

7 Si quis habeat nimium excessum peritiæ in ludendo, ita vt detur moralis certitudo lucrandi, tenetur colludenti lucrum restituere. Henriquez, & alij apud Me *de Bull. Cruc. d.34. n.155.*

8 Quin etsi is agnoscat illum excessum, & velit nihilominus ludere, adhuc est restituendum ei lucrum, (15) quia non iudicatur cedere iuri suo, nec absolutè volens, sed trahi cupiditate, & affectu.

15. Alcozer. Villalobos. Basseus. Diana. Rebellus. Azor. Th. Sanchez.

9 Fœmina coniugata potest exponere ludo ea bona, quæ maritus ei tradit ad libitum expendenda, necnon & paraphernalia, ac ea quæ industria sua

Apud Me- de Bulla Cruciat. d.34. n.157.

adquisiuit, & demùm ea, quæ iuxta sui status conditionem debet maritus ei rationabiliter permittere. (16)

16. Caspensis, & alij vbi nuper, n. 161.

10 A seruo nullus potest lucrari quidquam quod sit domini, sic verò id, quod ipse adquirit per opera domino non debita, aut quod ei donatum fuerit ea conditione, vt dominium non transferatur in ipsius dominum. (17)

17. Diana vbi nuper, n. 162.

11 A Religiosis nullus potest lucrari quantitatem, quæ prudenter censeatur, non fuisse à Superiore permissa exponi ludo; & in ludo inhonesto nihil potest ab eis quisquam lucrari, quia nequit præsumi Superioris licentia. Vnde lucrans in vtroque casu tenetur restituere lucrum Religioni, aut ipsi Religioso, cùm id sat sit; siquidem ille non tenetur constituere rem in meliori statu, quàm anteà fuisset. (18) Certò probabile est, quod si Superior præbeat licentiam generalem subdito expendendi pecuniam, & is amittat in ludo notabilem quantitatem, non tenetur lucrans ad restitutionem; nam estò peccet Religiosus, Superior non censetur inuitus (19) quoad substantiam alienationis, sed quoad modum. Quin cum Superior possit celebrare contractus, & ludus sit contractus æquè expositus iacturæ, & lucro, potest concedere licentiam subdito ad exponendam in ludo notabilem quantitatem. Attamen oppositum est tutius, & verius in vtroque euentu; nam in generali concessione non censentur concessa, quæ in speciali non concederentur; & Superior ædificator est, non dissipator; est administrator, non dominus: vnde nequit licentiam concedere, vt periculo dissipationis exponantur bona in ludo, qui excedat honestam recreationem. (20) Quare ipsi Religiosi, quæ non possunt amittere, nequeunt lucrari, & tenentur restituere, vt seruetur æqualitas.

18. Villalobos vbi sup. n.163.

19. Barth. a S. Fausto. Leffius. Amicus vbi supra.

20. Peyrinus. Angelus. Lopez. Machado.

12 Si Clerici sæculares ludo amittant bona, quæ ex beneficiis obtinent, lucrans nihil tenetur restituere, quia illi sunt verè domini (21) fructuum, vt libaui.

Th. Sanchez vbi sup. n.164.

21. Maior. Couarruuias. Alcozer.

13 Ludens prohibito ludo per leges, stando iuri communi

communi, potest non soluere, etiamsi ludat numerata pecunia, (12) quia ei in iure datur actio repetendi; qui autem potest repetere, potest non soluere. In Prouinciis autem, vbi quoad hoc ius commune non est acceptatum, tenetur soluere, dum ludit numerata, seu præsenti pecunia. Contractui autem formam, & valorem quisque Princeps in suis dominiis præbet, aut aufert. In Hispania per legem pragmaticam solus minor habet actionem repetendi quæ amittit numerata pecunia, non verò cæteri. Vnde ille potest non soluere, secus alij.

Fagundez, & plurimi apud Me *de Bulla Cruciat. d.* 34. *n.* 166.

22. Diana 2. *p. tr.* 3. *Miscellan. qui est tr.* 17. *resp.* 8. *& p.* 7. *tr.* 9 *resp.* 21. & plures apud illum.

14 Qui dum ludit, habet intentionem non soluendi, aut repetendi via iuridica, nequit lucrari, & tenetur restituere lucrum; non enim seruata est æqualitas essentialis in eo ludi contractu, cum is non exposuerit se periculo amittendi, sed solùm spei lucrandi; & par debet esse in colludentibus periculum, nec alter luderet, si id resciret.

15 Qui cogit alium ad ludendum minis, aut nimis importunis precibus, (ita vt ei in hoc aliquam irroget iniuriam, isque cum voluntario misceat inuoluntarium, ludit enim quia cogitur) tenetur ei restituere quod lucratur; & alter non tenetur, æqualitasque in eo contractu fit per compensationem quasi iniuriæ irrogatæ, quæ æquiualet periculo amittendi, & non lucrandi in cogente.

16 Religiosi, & Clerici contrahunt excommunicationem ex Bulla Pij V. si spectent ludentes ludis alearum, & prohibitis; (23) atque adeò peccant mortaliter, non verò cæteri spectatores.

23. Diana *p.* 7. *tr.* 9. *resp.* 40. à Sancto Fausto, & alij.

17 Qui vouit non ludere, non frangit votum, si tradat pecuniam alteri, qui pro eo ludat; nec si ludat pro alio; nisi intentio voti fuerit has etiam actiones excludere. (24)

24. Th. Sanchez, Diana, & alij.

## *Luxuria.*

1 NOn ſunt peccata eiuſdem ſpeciei infimæ, ſed diuerſæ, mollities, ſodomia, & beſtialitas; nec ſufficit dicere quem in confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem voluntariam, aut habuiſſe illam, ſi commiſerit crimen ſodomiæ, aut beſtialitatis. Contraria propoſitio damnata eſt ab Alexandro VII. anno 1665.

2 Qui habuit copulam cum ſoluta, non ſatisfacit Confeſſionis præcepto, ſi in ea dicat, ſe commiſiſſe cum ſoluta peccatum graue contra caſtitatem, non explicando copulam, ſed tenetur hanc exprimere. Contraria propoſitio damnata eſt ab eodem Pontifice eodem anno.

3 Non eſt probabilis opinio, quæ aſſerit eſſe tantùm venale peccatum oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, quamvis non detur periculum conſenſus vlterioris, & pollutionis. Contraria propoſitio eſt damnata ab eodem Pontifice anno 1666. Inde certiſſimum eſt, eſſe peccatum mortale.

Adhuc amplexus libidinoſi, quamvis ſiſtant in ſola delectatione venerea, ſunt peccata mortalia, eſtò non detur intentio copulæ, aut delectatio de illa. Hanc propoſitionem approbarunt Clemens VIII. & Paulus V. præcipientes, denuntiari Quæſitoribus Fidei eos, qui contrarium aſſererent. (1)

1. Rebellus. Th. Sanchez. Baldellus. Arriaga. Texeda. Verricelli. Vaſquez. Dicaſtillo. Granado, & plurimi apud Me *in Statera, diſſ. 5. q. 1.*

4 In venerea delectatione non datur paruitas, ſed quælibet parua delectatio deliberatè quæſita, aut admiſſa eſt peccatum graue, (1) nam ex ſe ordinatur ad copulam, à qua totam malitiam deſumit; & in ea datur periculum proximum maioris delectationis, & fit ex motu ſeminis, & commotione ſpirituum vitalium, & partium generationi inſeruientium. Quin (2) affirmant aliqui contrariam opinionem fuiſſe damnatam à Clemente VIII. Alij id negant, quin probabilitatem ei tribuant. Sed ne res confundatur,

2. Texeda. Diana.

fundatur, aduerte, aliquas delectationes non esse venereas, nempe si non ea delectatio, quæ sentitur in carne cum commotione spirituum circa partes libidinosas, sed alia delectatio capiatur, quæ ibi non sentitur, sed habetur ex visu, vel tactu, ob proportionem, & connaturalitatem cum organo tactus, vel visus; & hæc delectatio non est peccatum graue. Si enim eo modo, quo delectatur quis in visu rei pulchræ, horti, aut ædificij, & in tactu floris, aut rei blandæ, secluſa alia delectatione prorsùs, delectetur in visu faciei pulchræ, aut simili (dum non sit in visu partium obscœnarum alterius sexus humani, nec in tactu earum vtriusque sexus, nam inde delectatio venerea consurgit) non est res venerea, (3) atque adeò potest absque peccato aliqua haberi, aut solùm cum veniali: quod non est asserere, dari paruitatem materiæ in delectatione venerea, sed eam non esse rem venereā.

Baldellus. Verricelli *vbi supra.*

3. Caramuel. Esparza, & alij. Ego *in Statera, d. 5. q. 1.*

5 Atque vt omnino æquiuocatio tollatur, si asseratur, (vt aliqui philosophantur) non esse venereas res stringere pedem fœminæ, manum eius tangere, cernere congressum animalium, eorum pudenda tangere, ac similia, eo quòd ex se nec leuiter influant in delectationem, nec sint periculum leue illius; sic nec in re venerea dabitur paruitas materiæ, quæ solùm sit peccatum veniale, in ea suppositione quòd prædictæ res non sint venereæ. Si autem asseratur, eas res esse venereas ex obiecto, in hac suppositione dico, aliud omnino esse dari paruitatem in delectatione venerea, aliud dari paruitatem in re venerea. Sanè dari paruitatem materiæ in delectatione venerea, non est tolerandum, & in nostra Societate sub grauibus pœnis prohibitum est defendi; & rectè quidem, ob rationem iam libatam periculi proximi; sicut enim quis positus supra præcipitem viam, si velit quatuor gradibus descendere, exponatur manifesto, & proximo periculo labendi vlterius, ob summam difficultatem sistendi in præcipiti via post quatuor gradus; sic qui acceptat, aut quærit paruam delectationem venereā, ob summam difficultatem sistendi in ea, & non progrediendi ad

maiorem

maiorem delectationem amat periculum ex ſe manifeſtum, & proximum maioris delectationis. Cæterùm dari paruitatem materiæ in re venerea, quæ ſupponitur leuiter influere, aut eſſe leue periculum delectationis, eſt mihi certum, nec id à Pontifice, nec à Societate Ieſu prohibetur defendi. (4) Eæ enim actiones, quas propoſuimus, ſi dicatur, eſſe venereas ex obiecto, nequeunt eſſe graue peccatum, cum leuiter influant, ſeu ſint leue periculum peccati grauis. Quod ex terminis conſtat, atque ex natura omnium periculorum leuium. Nullus enim damnat peccati mortalis eum, qui amat periculum leue peccati mortalis, aut actionem leuiter in illud influentem, vt poteſt recenſeri diſcurrendo per ſingula. Quare eæ actiones ex leuitate animi, aut ex curioſitate exercitæ, etiamſi ſint leue periculum delectationis, quæ eſt peccatum graue, non ſunt ipſæ graue peccatum, ſed leue, & conſequenter datur paruitas materiæ in re venerea. Ob aliquam ſanè circunſtantiam poſſet eſſe peccatum graue aliqua ex illis actionibus, at eæ ſecundum ſe, & ſecundum intrinſeca ſolùm ſunt peccatum leue; quin & aliquæ poſſunt nudari malitia leui, ſi exerceantur ex decenti fine; quod oſtendit, ex ſe non influere grauiter in delectationem, aut conſenſum turpem.

4. Cardenas *in Crisi Theolog. tr. 5. d. 45. c. 4. n. 46. & c. 16.* Th. Sanchez. Caramuel, & alij. Granado.

6 Poſitis iam propoſitionibus damnatis, luxuriæ ſpecies ſunt ſimplex fornicatio, adulterium, inceſtus, ſtuprum, raptus, ſacrilegium, & vitium contra naturam, quod eſt ſpecies ſubalterna; nam ſub ea continentur ſpecies infimæ diuerſæ, nempè pollutio voluntaria, ſodomia, beſtialitas, & concubitus cum dæmone formam corpoream aſſumente.

5. Innumeri Authores.

6. Bañez. Corradus. Nauarra. Velaſco. Leander. Trullench. Molfeſius. Megala, & alij apud Me de *Statera*, d. 5. q. 8.

7 Defloratio virginis, ipſa conſentiente, non eſt ſtuprum. (5) Si verò exiſtat ſub patria poteſtate, alij negant, (6) eſſe diuerſum peccatum à ſimplici fornicatione, alij tutius affirmant; nam ob cauſam præuiſam grauiſſimæ mœſtitiæ, & ignominiæ præſtitam parentibus, delinquitur (7) contra pietatem. Prima tamen ſententia in praxi eſt tuta.

7. Reginaldus. Salas.

8 Si vir fœminam deflorare per vim contendat (quod eſt propriè ſtuprum) tenetur illa non ſolùm non

non consentire, & reluctari, sed etiam contempto quocumque metu clamare, si clamor sit profuturus; nam cum ea actio turpis sit prohibita iure diuino, debet illa, quantum est ex se, apponere omnia media ad eam vitandam. Quin valet occidere inuasorem, si alia via nequeat se ab illo defendere. (8) Etiam est stuprum, per minas, metum, aut fraudem, sine qua illa non consentiret, eam deflorare.

Henriquez. Comitolus, & alij apud Me *vbi super.*

8. Tannerus. Escobar. Busembaum. Ego *vbi sup.*

9 Qui habuit copulam cum fœmina soluta, non sufficit, si in Confessione dicat, se commisisse peccatum graue cum illa, vt *suprà* libaui, cum sic non explicetur indiuiduum actus, siquidem etiam oscula, & tactus impudici cum illa sunt peccatum graue; & licet sint omnia eiusdem speciei, tamen necessum est explicare indiuiduum peccati; & actiones externæ prauæ necessariò sunt confitendæ, estò malitiam habeant ab actu imperante, quem solum confiteri non sufficit. (9) Hinc non sufficit dicere in Confessione eum, qui tactibus est pollutus, se procurasse, seu incepisse pollutionem, sed opus est exprimere, eam fuisse secutam.

9. Ego cum communi *in Statera, d. 5. q. 9.*

10 Delectatio morosa sumit speciem ab obiecto proposito, si ametur circunstantia, secus si non ametur. V. g. delectatio de copula cum coniugata, aut consanguinea, solùm quia delectabilis, non induit malitiam ab obiecto; (10) sic verò si sit de copula, quia habita fuit cum coniugata, aut consanguinea. Si verò delectatio sit de copula contra naturam, vt sodomitica, extrahit delectationem ad aliud genus, seu naturam, & sumit malitiam ab obiecto, & necessum est id confiteri.

10 Leand. à Murcia *lib. 2. d. 3. resp. 4.* Caramuel. Cardenas, & plures.

11 Delectatio de commotione spirituum refertur ad speciem (11) fornicationis, nisi ea eligatur vt medium ad pollutionem; quo casu erit in specie pollutionis.

11. Cardenas *in Crisi, tr. 5. d. 44. c. 2.*

12 Delectatio de copula cum Sancta cœlesti, etiamsi non ametur ea circunstantia *quia Sancta*, addit speciem irreligiositatis; quia virtus Religionis specialiter postulat etiam reuerentiam mentalem, quæ tunc violatur.

Vasquez. Diana. Tamburinus. Castr. Palao.

13 Qui furatur bis ob mœchandum, & de facto bis

bis mœchatus eſt, non ſufficit confiteri : *Furatus ſum bis, & mœchatus ſum bis* : ſed debet confiteri furtum ob mœchiam, & deinde mœchiam. Sicut ſi ter furatus eſſet ob mœchandum, & bis mœchatus eſſet, non ſufficit, ſi confiteatur : *Ter furatus ſum, & bis mœchatus* : cum circunſtantia mutans ſpeciem in furto tunc omitteretur.

12. Communis.

14 Delectatio moroſa, etiam abſque commotione ſpirituum, eſt peccatum lethale. (12) Quin & poteſt peccari grauiter contra caſtitatem abſque delectatione; ſic publicæ meretrices in copula nullam ſolent habere delectationem. Etenim ſatis eſt propriis membris, quæcumque hæc ſint, vti ad impudicitiam grauem, vt ſit graue peccatum contra caſtitatem. Sic etiam contra illam peccat virgo non coniugata, quæ ſponte patitur deflorari, quamvis præ dolore ruptionis clauſtri virginalis non ſentiat delectationem.

13. Cardenas *ſup. d.* 42. *c.*4.

15 In pollutione, aut fornicatione cum quis aſſumit cogitationem fœminæ ad ſe excitandum, contrahit ab eo obiecto ſpecialem malitiam; (13) quia ea cognitio eſt practica, ad quam ſequitur delectatio; & ex ſe eſt prouocatiua ad libidinem, qualis non eſt cogitatio arboris pulchræ.

14. Leſſius *lib.* 4. *de virtutib. c.*3. *n.*108. Syluester. Th. Sanchez. Fagundez. Cardenas.

16 Si abſque periculo delectationis habetur cogitatio purè ſpeculatiua rei venereæ, non eſt peccatum lethale; (14) vt ſi quis cogitet rem turpem, & non in hac, ſed in cogitatione ipſa delectetur, quaſi verſante circa rem miram, aut raram.

17 Si in ſtudio, aut auditione Confeſſionum excitetur cogitatio practica prouocans adhuc grauiter ad commotionem ſpirituum, non peccat quis proſequens ea munia, dum ſe remoueat à periculo conſentiendi in delectationem; nam dat operam rei licitæ, à qua non tenetur abſtinere, & quæ ex ſe non influit in delectationem.

15. P. Gobat. *in exper. Theolog. tr.*7. *n.*541.

18 Si duo homines inuicem ſe polluant, non in vaſe præpoſtero, ſed incumbens vnus ſupra alium, ſufficiet in Confeſſione dicere ; *Sum pollutus tangendo alium impudicè, & illum pollui faciens* : (15) nam circunſtantia incumbendi non mutat ſpeciem.

19 Non

19 Non ſufficit in Confeſſione exprimere, quem tota nocte peccaſſe cum fœmina quantum potuit, ſed opus eſt exprimere numerum copularum, cum quævis ſit actus completus independens ab alia; (16) non autem neceſſe eſt exprimere oſcula, amplexus, & tactus diſpoſitiuos ad copulam, nec eos, qui immediatè, tanquam complementum ſubſequuntur. Quòd ſi quis habeat eos actus impudicos abſque intentione copulæ, & poſtmodùm eam habeat, neceſſe eſt confiteri ſeparatim illos actus præcedentes. Diana. Reginaldus. 16. Diana *p.* 2. *tr.* 4. *reſ.* 67. Card. Lugo. Caſtr. Palao. Dicaſtillo. Gobat.

20 Certò probabile eſt, meretricem ſufficienter confiteri, (17) ſi dicat, ſe per tot menſes, aut annos fuiſſe expoſitam ad peccandum cum quovis homine, cuiuſcumque ſtatus foret, vxoratus, cœlebs, religioſus, aut quivis alius: quin exprimat numerum, nec perſonas. Sicut ſatisfacit confeſſioni habens conſuetudinem appetendi paſſim obuias mulieres, ſi exprimat ſuam conſuetudinem, & ſpecies principales fœminarum. (18) Idem eſt de eo, qui domi concubinam habet, qui ſatisfacit, ſi aſſerat, ſe per tot menſes concubina, velut vxore, vſum fuiſſe. Idem aſſerito de eo, qui conſuetudine inficitur agendi ſemper de rebus turpiſſimis, ſine delectu quoad materiam, aut ſocios. Præterea qui continuatè abſque interruptione duabus, aut tribus horis delectationes moroſas, aut deſideria mœchandi habet, vnum numericè peccatum patrat, ſicut qui continuatè contumeliis alium impetit. (19) 17. Nauarrus *in Man. c. 6.* Card. Caietan. Valentia. 18. P. Matthæus Stoz *in praxi Confeſſ. n.* 244. Gobat. 19. Card. Lugo *de pœnit. d.* 16. *n.* 569. Gobat. & alij.

21 Nouitius, qui in Religione frequenter mollitiei vacat, ac reincidit, non tenetur propterea deſerere Religionem, cum in ea adſint promptiora remedia, quàm in ſæculo, vt abſtineat, & facilius reſipiſcat, & plus ſcandali poſſit afferre in ſæculo, vbi nec tot bonis fruetur exemplis, ac in Religione. Et id ita ſe habet, etiamſi ante ingreſſum in illam eo vitio laborauerit, cum potuerit reſipiſcere, & ingredi, vt eo liberaretur; quare Religionem non decepit. (20) 20. Lugo *in reſpõſ. moral. lib.* 1. *dub.* 28. Gobat.

22 Qui dedit operam veneri licitæ, aut etiam il licitæ, dum hic verè de ſuis peccatis pœniteat, & confitea

confiteatur, non peccat, si eo die ad Communionem sacram accedat, (21) quia nulla lege prohibetur; estò si specialis ratio non adsit accedendi ad illam, seu inde tepor superuenerit, consultius sit illam differre. Quin refertur à fide digno Authore, (22) hominem quotidie se polluentem, nec tentatis à Confessario variis remediis à vitio desistentem, eodem die, quo se polluerat, dolore vero fuisse confessum, & ei à Confessario iniunctum, quod statim sumeret Eucharistiam, vt à Deo impetraret castitatem; ac ea sumpta, ab illo die nunquam deinceps labe eius vitij fuisse inquinatum. Quo exemplo vtendum est prudenter, & iuxta circunstantias occurrentes.

21. D. Bonauent. Gerson. Sotus. Adrianus. Castr. Palao. Dicastillo. Marcilla. Layman.

22. Gobat. *in exper. Theol. tr. 4. casu 20. n. 340.*

23 Aspicere congressum viri cum fœmina est peccatum (23) lethale, quia datur periculum proximum delectationis venereæ; quod si in aliquo casu excogitabili non daretur, saltem id valde pugnat cum honestate naturali, & grauis in eo datur indecentia.

23. Th. Sanchez. Lessius. Candidus. Zanardus. Filliucius. Layman, & alij apud Me *in Statera, d. 5. q. 10.*

24 Delectatio venerea in sponsis de futuro, seu in habentibus spem matrimonij, est culpa mortalis; nam licet actus habendus suo tempore nt licitus, at delectatio est præsens, & capitur eo tempore, quo illicita est ex se. (24)

24. Communis apud Me *vbi super.*

25 Oscula inter sponsos de futuro non sunt licita, nam illi sponsi (25) recensendi sunt sicut cæteri soluti, cum inter neutros detur matrimonium; contractus autem de eo perficiendo, seu inchoatio quædam matrimonij non præbet eis licentiam ad oscula. Cæterùm amplexus soli inter illos in signum beneuolentiæ, & ad conciliandum amorem non sunt damnandi, (26) quippe hi soli ex sua natura non conducunt ita ad delectationem vt oscula, nec excitant grauem corporis commotionem.

25. Pedraza. Henriquez, & alij apud Me *vbi sup. q. 12.*

26 Coniux, qui confitetur prauas delectationes morosas, tenetur aperire circunstantiam sui status; (27) nam fides in matrimonio præstita alteri coniugi obligat ad non colloc andum non dumtaxat corpus, sed nec mentem in alio obiecto; cum traditio mutua coniugum sit omnimoda corporum, & animorum.

26. Card. Caietan. Medina. Bart. Ledesm. Sotus. Lopez. Io. Henriq. & alij apud Me *vbi super.*

27. Vasquez. Bulembaum.

rum. Et ſicut adſtrictus Deo per votum caſtitatis tenetur ſuum ſtatum declarare in delectatione venerea, quia ſe per votum Deo obſtrinxit; ſic & coniux, ob ſimilem obligationem, qua alteri coniugi ſe obſtrinxit. Ego *vbi ſup. d. 5. q. 13.*

27 Nunquam licet ob ſanitatem corporis habere, ſuadere, aut conſulere expulſionem ſeminis voluntariam, aut per copulam carnalem illicitam; neque enim ad corpus redimendum anima eſt perdenda, & ſanitas ſolùm modis licitis quæri poteſt; eius autem procuratio non reddit licitum, quod ex ſe illicitum eſt.

28 In beſtialitate non eſt opus exponere ſpeciem beſtiæ. In ſodomia neceſſum eſt declarare, an cum maſculo, an cum fœmina fuerit perpetrata. In adulterio, an vterque ſit coniugatus. In pollutione cum alio, ſtatum illius.

## M

## *Martyrium.*

1 ESSE propriè martyrium, non Eccleſiaſticum, & cruentum, nec eiuſdem rationis cum eo, dum quis ex affectu charitatis, & miſericordiæ inſeruit infectis peſte, eiſve Sacramenta miniſtrat, & exindè peſte inficitur, ac moritur, ſuo ſuffragio approbarunt duodecim Academiæ, inter quas aliquæ grauiſſimæ Hiſpanæ: tredecim Eminentiſſimi Cardinales: duodecim ſapientiſſimi Antiſtites: ducenti ſexaginta quatuor Doctores, ac Magiſtri ex omnibus Nationibus, & quinquagintatres Scriptores. (1) De meo nihil profero. Id permiſſum eſt à Sacra Congregatione probabiliter diſputari. 1. Theophylus. Raynaudus. Ego *in Statera, d. 1. q. 13.*

2 Ad martyrium requiritur perpeſſio mortis pro Chriſto, aut cruciatus ex ſe lethalis. (2) Vnde Eccleſia veneratur vt Martyrem S. Ioannem Euangeliſtam, 2. Communis cum S. Thom.

*in supplem. q. 96. art. 6.*

liſtam, qui exiuit illæſus ex dolio feruentis olei, moriſque illi eſt illata in actu primo, licèt actus ſecundus miraculosè fuerit impeditus.

3 Poteſt inſectatio occidentis Martyrem eſſe immediata in odium fidei, veluti ſi infidelis diceret Catholico, *Nega fidem Chriſti, vel occidam te*; & nolentem negare trucidaret; aut mediata, & indirecta, quando alicui eripitur vita ob exercitium operis boni, quo fidem tuetur, propugnat, ſeu illuſtrat, & iniquè vult tyrannus, ne illud exerceat, (3) in quo relucet fides; & tunc pro veritate fidei tuenda quis patitur. Sic Eccleſia colit vt Martyres S. Ioannem Baptiſtam, S. Thomam Cantuarienſem, S. Staniſlaum Epiſcopum, & alios.

3. P. Gobat. *in exper. Theolog. tr. 2. n. 603.* Raynaudus. Valentia. Henriquez. Bonacina. Leſſius. Coninch. Tanner.

4 Quamvis ſit conditio ad martyrium acceptatio voluntaria illius, (4) hæc in adultis requiritur; nam ſi infantes in odium fidei perimantur, inter Martyres computabuntur, ſicut Sancti Innocentes in odium Chriſti ab Herode trucidari iuſſi. Quod ſi fœmina grauida occidatur (animato fœtu) in odium fidei, fœtus in vtero exiſtens martyrij laurea donabitur, (5) quia reputatur vnum quid cum illa.

4. D. Thom. 2. 2. *q. 142. art. 1. & 2.*

5 Hi, qui occiduntur in bello ab hæreticis, adhuc ſi hi pugnent in odium fidei Catholicæ, non ſunt Martyres, quia armis ſe defendere tentant, & occidere hoſtes, quod eſt contra acceptationem voluntariam mortis requiſitam. Aliud eſt, ſi hæreticus in odium fidei occidat Catholicum, qui ſe non tuetur; nec enim opus eſt ad martyrium, vt tyrannus per ſuos miniſtros occidat aliquem, cum etiam ab homine priuato occidente poſſit prouenire martyrium.

5. Vaſq. *tom. 2. in 3. p. d. 153. c. 7.* Bonacina. Gobat.

6 Iuſtum dormientem, ſi in odium fidei occidatur, eſſe Martyrem, etiamſi priùs non cogitauerit de martyrio, docent plures, (6) ex eo quòd per habitum charitatis in eo reſidentem intelligatur voluntas habitualis illius patiendi martyrium, ſi caſus ſeſe offerret. At ſi exiſtens in peccato mortali dormiens occideretur in odiũ fidei, damnaretur, & nullatenùs eſſet Martyr; quia ad conſequendam laureolam martyrij requiritur ſtatus gratiæ, & quod peccator

6. Apud Gobat. *vbi ſup. n. 616.*

cator saltem attritionem eliciat, dum occiditur; ille autem nec habitualem voluntatem in habitu gratiæ retinebat, qua mortem habitualiter voluntariè acceptaret; nec dormiens poterat elicere dolorem de peccatis, vt iustificaretur.

7. Martyrium expiat omnes pœnas luendas in purgatorio, & *iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* (7) Augetur in martyrio gratia, vel datur prima, si peccator actum doloris eliciat; deletur peccatum originale, si non baptizatus subeat martyrium, suoque sanguine baptizetur. Obtinetur aureola, seu laureola, quæ à quibusdam (8) dicitur esse gaudium peculiare proueniens ex operibus excellentis victoriæ, redundans etiam in corpus. Ab aliis (9) constituitur partim in aliqua qualitate impressa animæ, partim in aliquo decore, seu insigni corporali collustrante mirabiliter illas coporis partes, in quibus fuit cruciatus Martyr.

7. *Cap. Cum Martha, de celebr. Missar. §. fin.*

8. D. Thom. *in 3. pplem. q. 96.* Tanner. & plures.

9. D. Augustinus *serm. 103. & 115. de diuers.* Raynaudus. Gobat.

8. Per se non est licitum prouocare tyrannum ad inferendam, necé (10) quia nullus est dominus suæ vitæ, & non licet dare alij per se grauissimam occasionem peccati; ac demùm se ingerere absque necessitate, est tentare Deum. Instinctu Spiritus sancti aliqui Martyres prouocauere tyrannum; & adhuc per accidens sæpè licet illum prouocare. De quo plura extant exempla.

10. Henriquez *l. 1. c. 39. n. 4.* Card. Caietan. Syluester. Nauarrus. Lopez. Th. Sanchez. Bonacina. Layman. Raynaudus. Gobat.

## *Matrimonium.*

1. VXoratis non licent aliquæ actiones valdè impudicæ, vt perfricare verenda in vase, aut circa vas præposterum ante copulam, seu incipere copulam in vase præpostero, animo consummandi ordinatè. (1) Quippe id etiam inter coniuges repugnat valdè honestati, & decentiæ naturali, & ex se est alterius ordinis luxuriæ, nec est medium, quod ex se referatur ad copulam; quare imbibit circunstantiam diuersam specie, & non solùm notabiliter aggrauantem, nempe contra virtutem honestatis naturalis; seu reuocatur ad peccatum contra naturam, qua-

1. Th. Sanchez. Fagundez. Castro Palao, & plurimi apud Me *in Statera, diff. 5. q. 14. & 17.*

si inceptio illius. Non tamen sunt peccata lethalia oscula valdè indecentia inter coniuges, veluti in verendis. (2) Non enim inter illos tactus impudici sunt peccata lethalia (dum absit pollutionis extra vas periculum;) quod autem fiant manibus, aut ore, non est circunstantia mutans speciem. Sed increpandi sunt hæc præstantes, vt nimium molles, & libidinosi. At immittere in os vxoris membrum virile, peccatum mortale est; quia licet os non sit vas ordinatum ad copulam, tamen ea actio ex se est inchoatiua copulæ in vase indebito; matrimonium autem non tollit malitiam lethalem ab actionibus turpibus, quæ ex se non ordinantur ad copulam. (3) Constituitur autem hæc actio in specie delectationis morosæ illicitæ.

2. Zanardus. Syluius. Diana. Filliucius. Apud Me *vbi sup. q. 15.*

3. Comitolus. Th. Sanchez. Busembaum. Ego *sup. q. 16.*

2 Si vxor non consummauit copulam, quando vir consummauit, nequit tactibus se prouocare, vt consummet. (4) Nam tunc effunderet semen ob solam voluptatem, quod illicitum est, cum finis generationis sit iam perfectus, recepto semine viri: aliàs etiamsi fœmina soluta illam actionem exequeretur, non committeret peccatum distinctum à copula, & generatione illicita, dum assereretur, eam prouocationem, & effusionem post consummationem copulæ pertinere ad generationem.

4. Texeda. Diana. Castro Palao. Ego cum aliis *in Statera, diff. 5. q. 18.*

3 Coniux in absentia alterius coniugis libidinosè se tangens, etiam absque periculo pollutionis, peccat mortaliter. (5) Etenim hic actus non est coniugalis, cum non fiat cum coniuge; nec ad finem coniugij ordinatur: quæ ratio excusat à lethali tactus impudicos inter coniuges. Opposita sententia est certò probabilis ab authoritate extrinseca. (6)

5. Vasquez. Comitolus, & alij apud Me *sup. q. 19.*

6. Paludanus. Lud. Lopez. Zanardus. Ochagauia. Th. Sanchez. Præpositus, & plurimi apud Me *sup.*

4 Matrimonium per procuratorem contractum est verum matrimonium, cum ille vices contrahentis gerat, & consensus per eum concurrat. Peccant lethaliter contrahentes, si in gratia non existant; nam matrimonium est Sacramentum conferens gratiam, cui obicem ponunt, si ipsi in gratia non existant. Contrahentes ipsi sunt minister Sacramenti Matrimonij, non Parochus: (7) vnde absque Parocho, vbi non viget Tridentinum, matrimonia, quæ absque

7. Concilij Flo-

que illo, & testibus simul, vocamus clandestina, sunt vera Sacramenta. Solis nutibus potest contrahi matrimonium tum à mutis, tum à cæteris, cum sufficienter significetur per eos consensus, sicut per voces. (8)

rentinum *in instructione Armenorum.*

8.

Th. Sanchez. Basilius. Ego *in Statera, diff.12. q.1.*

5 Matrimonium infidelium, si vnus ad Fidem conuertatur, & alter nolit cum eo cohabitare, seu non permittat ei liberam Fidei professionem, dissoluitur; (9) quod *infrà* amplius exponemus.

9.

*Cap. Quanto, cap. Gaudemus de diuortiis.*

6 Votum castitatis, quod simul impedit, & dirimit matrimonium, est votum solenne emissum in Professione Religiosa, & in susceptione Ordinis sacri, & vota simplicia emissa in Societate Iesu post biennium, quæ verè, & propriè constituunt Religiosum, vt definiuit Gregorius XIII. (10)

10.

In Bulla *Ascendente Domino.*

7 Certò probabile est, matrimonium ratum non consummatum posse à Pontifice dissolui ob iustam, & vrgentem causam. (11) Ab Episcopo non potest dissolui. An autem, si non adesset prohibitio, posset dissolui, non spectat nunc ad praxim.

11.

Caietanus. Syluester. Th. Sanchez. Armilla. Diana. Canonistæ & alij apud Mo *in Statera, diff. 12. q.2.*

8 Si excogitetur casus (speculatiuus est) in quo Religiosus professus haberet probabilitatem reuelationis diuinæ, quòd Deus dispensaret cum ipso ad contrahendum matrimoninm, non posset illud contrahere; quia impedimentum dirimens certum est, cui non itur obuiam per probabilitatem, nec fides deberet adhiberi ei Religioso. (12)

12.

Ego *in Statera, diff.12. q.3.*

9 Denunciationes ante Matrimonium tres sunt faciendæ à Parocho vtriusque coniugis, nisi ob iustam causam dispensetur ab Episcopo; & ad mortale illarum effectio obligat, cum causæ graues ad eas vrgeant, & mouerint Tridentinum ad id præcipiendum. (13)

13.

*Sess.24. c.1. de reform.*

10 Potest Pontifex dispensare cum Religioso Professo, vt contrahat matrimonium; (14) & de facto dispensatum est aliquoties: & cum aliquid eiusmodi fit, nequit de potestate supremi Pontificis Ecclesiæ dubitari.

14.

Caietanus. D. Antonin. Paludanus. Durandus. Petr de Soto. Petr. Ledesma. Th. Sanchez. & alij apud

11 Si post matrimonium ratum, & consummatum alter coniux ex consensu alterius ingrediatur Religionem, & professionem emittat, non dirimetur ma-

Me *in Statera, diſſ.* 12. *q.* 3.

15. *Cap. Si quis coniugatus* 27. *q.* 2.

16. *Seſſ.* 24. *c.* 4.

17. Th. Sanchez. Baſil. Legion. Guttierrez. Coninch, & alij apud Me *de Ordin. Milit. d.* 5. *q.* 3.

18. Communis.

8. Trid. *ſeſſ.* 24. *de refor. matr. cap.* 1.

9. D. Thomas. Th. Sanchez, & innumeri apud Me *de Iure Academ. lib.* 3. *q.* 33.

10. Rodriguez. Th. Sanchez. Salcedo. Segura. Gaſp. Hurtad. & plures *vbi ſuper.*

11. Baſil. Legion. Th. Sanch. & alij *ſup.*

12. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 6.

trimonium, (15) nec poteſt alter ad alias nuptias tranſire, nec poſſunt copulari, quia iuri ſuo ceſſerunt. Ante conſummationem matrimonij poſt illud ratum, poteſt intra bimeſtre quicumque ex coniugibus, etiam altero inuito, ingredi Religionem, & ſi in ea profeſſionem emittat, diſſoluitur matrimonium, iuxta Tridentinum. (16) Quin etſi elabatur bimeſtre, ſi quis neget debitum, peccabit; at ingrediens Religionem validè emittet Profeſſionem, & dirimetur matrimonium; nam profeſſioni, ex priuilegio diuino accepto ab Apoſtolis, & in Eccleſia retento, ſpecialiter congruit dirimere matrimonium. Quod non congruit Ordini ſacro accepto poſt matrimonium ratum non conſummatum; (17) quare id non diſſoluitur.

12 Si quis ex coniugatis profiteatur in Religione, poteſt alter de conſenſu Epiſcopi, dum ſit prouectæ ætatis, & emittat votum continentiæ, manere in ſæculo. (18)

13 Vt contrahatur validum matrimonium, non requiritur (8) conſenſus parentum. Sed peccat grauiter filius, qui parentes non monet, & conſulit, quia in re graui non præſtat eis debitum honorem; niſi moraliter conſtet, eos ratum habituros; ſi verò moniti reſiſtant, non peccabit filius contrahendo, (9) niſi inde grauia damna forent ſequenda. Si vir, & fœmina ſint diuerſæ Parochiæ, ſufficit aſſiſtentia Parochi cuiuſvis ex illis, niſi alia ſit conſuetudo diœceſis; & Parochus proprius poteſt aſſiſtere nuptiis etiam extra propriam Parochiam, (10) quia nulla ibi exercetur iuriſdictio contentiola. Imò ſi quis hyeme habitet in vno loco, & vere in alio, habeatque duos Parochos proprios, quilibet ſufficit etiam in loco alterius Parochi; cum ille habeat duas Parochias, (11) & vterque ſit proprius Parochus ipſius. Debent autem eſſe moraliter æqualia ea domicilia.

14 Matrimoniis vagorum cum incolis alicuius loci ſufficit aſſiſtere Parochum proprium incolæ loci; ſed licentia Ordinarij requiritur, (12) & fieri debet informatio, an vagus ſit vxoratus. Qui autem habet quaſi domicilium in aliquo loco, poteſt contrahere, factis

factis ibi denuntiationibus, nisi de eo nulla notitia habeatur; tunc enim inquisitio, seu informatio debet præcedere. In Italia ad matrimonia externorum requiritur licentia Sacræ Congregationis.

15 Matrimonium clandestinum, id est, sine Parocho, & testibus, vbi non est receptum Tridentinum (quod circa contractum, non circa Sacramentum, essentialia requisita statuit) validum est, sed illicitum, vtpotè prohibitum antè ab Ecclesia. (13) At veniens à loco, vbi non viget Tridentinum, ad locum vbi viget, inualidè contrahet clandestinum matrimonium; nam in hoc datur contractus, & is celebrandus est, vt valeat, iuxta leges loci, & cum solennitatibus ibi requisitis. (14) E contrà iuxta plures Authores validè contrahet matrimonium clandestinum in loco, in quo non viget Tridentinum, nec contractus matrimonij per leges municipales requirit Parochum, & testes, qui illuc accedit è loco, vbi viget; nam ibi ad valorem non requiritur Parochus, & cuilibet fas est, quoad valorem aptare se consuetudini loci, in quo adest. (15) Quin ad id data opera potest quis eum locum adire, vt contrahat clandestinè validè, etsi non licitè; nam in profectione ad eum locum vtitur iure suo, & non operatur in fraudem legis, sed fugiens obligationem legis. (16) Id Authores plures docent: sed extat breue Vrbani VIII. anno 1627. datum ad Archiepiscopum Colonienſem, declarans esse nulla ea matrimonia.

16 Matrimonium metu mortis cum consanguinea in gradu prohibito licitum est ei, cui metus incutitur, externo ritu contrahere, sed non consummare, vtpotè inualidum; quia lex Ecclesiastica id matrimonium ritu externo prohibens non obligat cum dispendio vitæ. (17)

17 Non est impedimentum criminis, si quis solutus dicat vxoratæ, si mihi copuleris, & moriatur maritus tuus, ego, si nuptias sim contracturus, tecum contraham; habita copula, & mortuo naturaliter marito. Nam ea verba, & similia v. g. Non ducam aliam nisi te, non sunt ex se sufficientia ad confi-

13. In pluribus Iuribus, & Conciliis apud Me *suprà.*

14. Ochagauia. Pet. Ledesma. Th. Sanchez. Cornejo. Reginaldus. Leand. de Sacram. & plures *sup.*

15. Guttierrez. Basil. Legion. Th. Sanchez. Coninch, & plurimi *sup.*

16. Th. Sanchez. Basil. Legion. Gasp. Hurtad. & alij *sup.*

17. Vasquez *in* 1. 2. *d.* 161. *c.* 3. & alij.

cienda ſponſalia, cum ex vi eorum poſſit proferens
18. nullas nuptias contrahere; (18) ea enim verba fa-
Th. Sanchez ciunt ſenſum conditionalem.
*e matr. lib. 1. d. 19. n. 5. d*
18 Teſtis denuntians impedimentum matrimonij
non creditur, niſi ſuum dictum iuramento confir-
19. met. (19) Imò vt probet impedimentum conſangui-
Th. Sanchez nitatis, debet præterea iurare, ſe non moueri odio,
*lib. 1. de ſponſalibus, d. 71. n. 10.* & plures. inimicitia, aut alio affectu prauo. (20)
19 Si alter ex contracturis nuptias, impedimento
20. denuntiato ad Parochum, fateatur ita eſſe, eſtò po-
*Cap. Quoniam, de teſtibus.* ſteà neget, nihil negatio ei prodeſt. Similiter ſi Pa-
rochus ex ſe inquirat ab illis rem, quam ignorant
eſſe impedimentum, & eam fateantur, nihil prodeſt,
21. quod poſtmodùm (21) negent; nam ſtandum eſt ſin-
Baſil. Poncius ceritati primi dicti, & negatio præſumitur oriri ex
*de matr. lib. 5. c. 36.* deſiderio contrahendi.
Th. Sanchez 20 Vt vir initietur ſacris, non ſufficit vxorem vo-
*lib. 3. de matr. d. 15. n. 6.* uere caſtitatem manendo in ſæculo, ſed opus eſt in-
22. gredi, & profeſſionem emittere in Religione, niſi
Communis. ſit ſenex, nec ſuſpecta de incontinentia. (22) At illa
ingrediente, & profeſſionem emittente in Religione,
non eſt opus virum in aliam ingredi. Sufficit initiari
ſacris; nam ad hunc effectum ordo ſacer æquipa-
ratur Religioni, quin & præeminere iudicatur. (23)
23. 21 In literis diſpenſationis impedimenti conſan-
Concilium Lateranenſe ſub Alexand. III. guinitatis ſi dicatur, Ordinarium diſpenſare, dum
*par. 5. c. 6.* copula non interuenerit; aut ſi fiat narratio copulæ
habitæ, & dicatur, Dum copula habita non fuerit ſpe
obtinendæ facilius diſpenſationis; hæc ſanè requi-
runt, vt plenè probetur vel in primo caſu copula,
24. (24) vel in ſecundo ſpes, aliter valida eſt diſpenſa-
Martin. Perez tio, ſi commiſſa eſt pro foro externo, non verò
*d. 46. ſect. 6.* pro interno, quamvis copula, ſeu ſpes interuenerit.
Baſil. Pontius. Et quidem copula habita inter conſanguineos, dum
Gaſp. Hurtad. ſpes illa non interuenerit, non eſt neceſſariò exprimenda à petentibus diſpenſationem in gradu conſanguinitatis. Quòd ſi ſpes illa obtinendæ facilius diſpenſationis ab vno ſolo ex contrahentibus habita fuerit, non eſt opus eam exprimere in petitione diſpenſationis. (25)
Vega.
Diana.
Eman. Rodrig.
25.
Th. Sanchez
*lib. 8. de matr. d. 25. n. 31.*

22 Adulterium cum promiſſione matrimonij ſub conditione de futuro, ſi coniux moriatur, eſt impedimentum criminis dirimens, quod in eo fundatur, quia inde oriri poteſt machinatio mortis eius coniugis. Quòd ſi cum adulterio, & promiſſione ſit conditio, ſi tuus coniux iam obierit, eo quod abſens eſſet, nec de eo notitia haberetur, non eſt (26) impedimentum criminis, nam ſi obiit, promiſſio facta eſt poſt obitum, quæ non eſt crimen: ſi non obiit, deficit conditio, & promiſſio, nec datur anſa captandæ mortis, cum vi careat promiſſio. (27)

26. Th. Sanchez *lib. 7. de matr. d. 79. n. 14.*

23 Si vxor ſit cauſa, vt occidatur maritus, quia timet ab illo ſibi mortem inferri, & eo metu eum accuſet coram iudice criminis, v.g. læſæ Maieſtatis, quamvis eo tempore adulterium cùm alio ſoluto committat, non incurrit impedimentum criminis reſpectu huius; quia non machinatur mortem, vt nubat illi, ſed ob aliam cauſam; & illa accuſatio ſaltem extrinſecè eſt iuſta. Idem dic de ſimilibus: v.g. ſi machinentur eius mortem adulteri, vt liberiùs libidini vacent, aut ne ab eo deprehendantur; quin ſit promiſſio de futuro matrimonio inter ipſos, nec de eo cogitent.

27. Th. Sanchez *lib. 7. de matr. d. 78. n. 15.* cum D. Thom. & plurimis.

24 Quando non inte uenit adulterium, ad impedimentum criminis requiritur machinatio mortis ex parte vtriuſque, qui poſteà contrahere nuptias tentant, nec ſufficit, quòd ſolus vnus ex illis machinetur mortem. At ſi adulterium interuenit, (28) ſufficit vnius machinatio. Cæterùm ſi vir vxorem occidat animo contrahendi nuptias cum alia, cum qua non habuit copulam, eſt impedimentum criminis impediens, non verò dirimens. Et nec impediens eſt, ſi adhuc extante eo animo, maritus tradat vxorem iudici ob delictum, ob quod ab illo capite damnetur. (29)

28. Communis.

29. Th. Sanchez *lib. 7. de matr. d. 16. n. 4.* cum communi.

25 Peccat mortaliter, qui contrahit matrimonium cum impedimento dirimente, & etiam cum impediente. Et quidem qui cum impediente ſolùm, committit ſacrilegium, quia efficit Sacramentum validum cum peccato mortali. Qui cum dirimente, parat peccatum iuxta naturam impedimenti; nam

Sacramentum ibi non datur. V. g. si quis obstrictus voto solenni castitatis ineat matrimonium, sacrilegium committet contra votum. Et sic de aliis. (30) Et vbi de impedimentis lis oriatur, ad Tribunal Ecclesiasticum pertinet, sicut omnes causæ matrimoniales.

30. Martin. Perez *de matr. d. 21. sect. 2.* Th. Sanchez. Gasp. Hurtad. Dicastillo.

26 Ignorantia impedimenti in contrahendo matrimonio excusat à culpa, sed non reddit illud validum; (31) & antecedenter ad matrimonium vni testi de visu deponenti de impedimento matrimonij (32) plena fides habetur.

31. Communis.

32. Gobat. *in exper. Theol. tr. 9. n. 66.*

27 Etsi quovis tempore possit iniri matrimonium, tamen solenne cum strepitu externo, & benedictionibus nuptialibus vetitum est ab Ecclesia à Dominica prima Aduentus vsque ad Epiphaniam inclusiuè; & à Feria quarta Cinerum vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè: (33) estque peccatum mortale eo tempore vetito nuptias solenniter celebrare.

33. Trid. *sess. 24. c. 10.*

28 Si Prælatus Ecclesiasticus præcipiat alicui, ne ineat matrimonium, vel quia vult exactiorem informationem habere, an sit impedimentum, vel ob aliam causam grauem ad ipsum pertinentem, (34) peccabit ille contrahens, quia id sibi legitimè est vetitum; sed validum erit matrimonium, dum non adsit impedimentum dirimens.

34. Tanner. *tom. 1. q. 4. num. 23.*

29 Dum quis iniit sponsalia valida cum vna, si non dissoluantur, nequit contrahere cum alia licitè; si contrahat, valet matrimonium.

30 Si quis vouit castitatem extra Religionem, & Ordinem sacrum, impeditus est ad contrahendum licitè matrimonium, nisi dispensetur; contrahet tamen validè. Idem est de vouente virginitatem, ingressum in Religionem, seu cœlibatum: nam cum matrimonio non stat adimpletio cuiusque ex his votis. Votum autem quale debeat esse, vt obliget; & quis in eo dispensare queat, vide *Votum.*

31 Olim duodecim fuere impedimenta impedientia, non dirimentia matrimonium, quæ cùm non sint in praxi, non est opus recensere; nunc in praxi sunt ea, quæ attigimus, & continentur hoc versiculo: *Særatum tempus: vetitum: sponsalia: votum.*

Cæterùm

Cæterùm impedimenta impedientia, & dirimentia his tritis versibus comprehenduntur: *Error, conditio, votum, cognatio, crimen: cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas: si sis affinis, si fortè coire nequibis: si Parochi, aut duplicis desit præsentia testis: raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ. Hæc fœcianda vetant connubia, facta retractant.*

32 Cum matrimonium solo consensu contrahatur, non est validum, quando non datur consensus; is autem non datur cum errore circa substantiam personæ, vt si iudicabas, esse Mariam, & contrahas cum Ioanna, diuersa numero; vel si mulier nubebat Petro, quia dicebatur primogenitus Principis, aut Ducis, (eratque id motiuum nubendi,) & falsum reperitur. (35) Vel si error sit in qualitate, quæ refunditur in substantiam, veluti si tibi videnti duas fœminas dicatur, vnam esse nobilem, & virginem; aliam ignobilem, & impudicam; & per errorem tu eligas hanc secundam, dicens, Volo hanc nobilem, & virginem. (36) Tunc autem qualitas refunditur in substantiam, quando qualitas est motiuum matrimonij, v. g. audis talem fœminam prænobilem pauperem velle nubere homini diuiti, & tu diues, & non nobilis, vt tuam familiam illustres, contrahis cum illa; postea deprehendis, nulla eam nobilitate fulgere, irritum est matrimonium. (37) Præterea si quis expressè dicat, se contrahere cum Maria, si hæc, aut illa qualitas detur, & non aliter, ea deficiente, deficit matrimonium. Sic illa, quæ repetiit priùs velle mori, quàm nubere homini sanguinis infecti, & nupsit Titio iuranti, se non esse infectum, si deprehendatur verè esse ex infecto sanguine, non valet matrimonium. (38) Si solùm sit error in qualitate pulchritudinis, aut similium, non inualidat matrimonium, v. g. si tibi dictum est, etiam per fraudem, Mariam esse pulchram, cum non sit; aut nobilem, aut diuitem, dum motiuum principale matrimonij non fuerit nobilitas.

33 Si quis contrahat cum fœmina, iudicans per errorem eius maritum viuere, cum esset mortuus, verè

35. Nauarrus *in Man. c. 22. n. 132.* Gobat.

36. Th. Tamburin. *de matr. lib. 8. c. 2. §. 1. n. 20.* Th. Sanchez. Gobat. Martin. Perez. Dicastillo.

37. Caramuel *in Theol. fundam. fundamento 7. §. 2.* Gobat.

38. Basil. Pontius *de matr. lib. 4. c. 23. n. 23.* & plures.

verè non contrahit, quia consensus fuit ad quid impossibile, nisi ita dicerent, *Contrahimus quocumque modo possumus.* (39) Si ita contrahat, *Si es legitima; tecum contrabo*, etiamsi prolem ex ea suscipiat, si posteà deprehendatur, non esse legitimam, potest resilire à matrimonio.

39. Gobat. *in exper. Theol. tr. 9. n. 126.* Basil. Poncius.

34 Impedimentum conditionis datur, cum liber homo contrahit cum ancilla, quam putabat liberam, vel è conuerso. (40)

40. Prosp. Fagnanus *in c. Si cõditiones, de condit. appoſit.*

35 De voto dirimente matrimonium, *suprà* egi. Cognatio naturalis, seu consanguinitas, est communicatio in sanguine, & intra quartum gradum est impedimentum dirimens, scilicet in linea transversali; nam in directa nequit stare matrimonium. Quot personæ sunt à communi stipite descendentes, tot sunt gradus; quòd si vnus sit in quinto, alius in tertio, aut quarto, non est opus dispensatione. Cum poscitur dispensatio inæqualium graduum, sufficit mentionem facere remotioris, (41) dum propinquior non sit primus. Ita declarauit Clemens VIII.

41. Th. Sanchez *de matr. lib. 8. d. 24. n. 26.*

36 Patrinus Baptismi, aut Confirmationis contrahens cognationem spiritualem, habet impedimentum dirimens respectu eorum, cum quibus illam contraxit, nisi ante vsum rationis fuisset patrinus. (42)

42. Nauarrus *de cognat. spirit. consil. 1.* Gobat.

37 Cognatio legalis, quæ est propinquitas ex adoptione alicuius, est impedimentum dirimens (43) inter vxorem adoptantis, & adoptatum; ac inter adoptantem, & vxorem adoptati; necnon inter adoptatum, & filios legitimos adoptantis. At inter filios adoptiuos, & filias adoptiuas (44) non datur impedimentum.

43. *Cap. vnic. de cognat. legal.*

44. Diana *p. 4. tr. 4. res. 21.* Gobat.

38 De impedimento criminis, *suprà* libatum est. Disparitas cultus est impedimentum dirimens inter baptizatum, & non baptizatum. Si ex duobus non baptizatis coniugatis vnus baptizetur, potest dirimere matrimonium; at non tenetur, si alter coniux velit cohabitare. Matrimonium hæretici cum Catholica est illicitum, sed validum. (45)

45. Card. Bellarm. *lib. 1. de Concil. cap. 4.* & communis.

39 Vis, & metus grauis iniustus dirimit matrimonium, quia tollit liberum, ac voluntarium consensum.

sum (46) Ille autem metus exponitur cadens in constantem virum. Metus reuerentialis adiungitur metui graui in sententia certò probabili. (47) Si metus sit iustus, non inualidat matrimonium; v. g. si stupratori deprehenso cum filia dicat pater, *Te coram iudice accusabo puniendum, nisi meam filiam ducas.* Post contractum matrimonium ex metu, si ex eodem fœmina consentiat in actus coniugales, aut etiam ex mera libidine, non validatur matrimonium; secus si ex affectu coniugali, quia consensu reualidatur.

46. *Cap. Cùm locũ, cap. Veniens 2. de sponsal.*

47. Layman *lib. 5. tr. 10. part. 4. c. 5. n. 3.* Nauarrus. Leſſius. Rodriguez, & alij.

40 Ordo sacer est impedimentum dirimens matrimonium. Ligamen, quo quis actu est ligatus cum vxore, dirimit matrimonium tentatum cum alia. Nec interest, maritum multis iam annis esse captiuum, aut absentem, nec posse de eo notitiam haberi; quia dum non constet de eius morte, nequeunt aliæ nuptiæ contrahi. Constare autem debet per testimonia, aut testes fide dignos, vt detur certitudo moralis, qua homo prudens reddatur certus.

41 Hinc resolues casum. Fœmina iuuenis nupsit octogenario, & post decem annos factus est captiuus; in aliis decem non potuit de eo haberi notitia, & iam esset centenarius; ea fœmina potest nubere alteri, quia cessat omnis de eius vita præsumptio, cum sit casus rarissimus, quo quis vltra centum annos viuat, præcipuè in ea circunstantia captiuitatis, vbi plura sunt incommoda; & iura non præsumunt casus rarissimos. (48) Vnus testis de visu mortis, aut exequiarum, vel sepulchri, cum aliis adminiculis qualitatis, personæ, & similium, sufficiet ad credendam mortem coniugis. Item & fama constans, illum in bello obiisse, aut alibi.

48. *Cap. Inspicimus, de reg. iur. in 6.* Menochius. Th. Sanchez. Gobat.

42 Impedimentum iustitiæ publicæ honestatis dirimit matrimonium in primo gradu; nempe si sponsalia valida contraxisti cum Maria, vel matrimonium ratum non consummatum, non potes contrahere cum eius sorore, matre, aut filia; & è conuerso Maria nequit nubere tuo patri, fratri, aut filio. Quod tenet, etiamsi sponsalia ab initio valida fuerint

rint diſſoluta morte, aut conſenſu mutuo. Ita declarauit Congregatio Concilij die 6. Iulij, anno 1658. & relatum id ad Pontificem, ab ipſo fuit approbatum die 10. eiuſdem menſis. (49) Etiamſi matrimonium ratum ſit inualidum ob aliquod impedimentum dirimens, dum non ſit inualidum ex defectu conſenſus, oritur ex eo impedimentum publicæ honeſtatis. Sic declarauit Pius V. in Bulla *Ad Romanum.* (50)

49. Proſp. Fagnanus affert declarationem in cap. *Ad audientiam, de ſponſal. n.* 29. & Gobat.

50. Apud Barboſ. *ad Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 3. *de reform.*

43 Ex affinitate, quæ eſt propinquitas perſonarum proueniens ex copula carnali conſummata, oritur impedimentum dirimens vſque ad quartum gradum, cum prouenit ex copula licita; & vſque ad ſecundum ex illicita. (51) Et ſolùm illi, qui habent copulam, contrahunt affinitatem cum conſanguineis alterius; & hi cum illis, non verò conſanguinei vnius cum conſanguineis alterius. Quare filia ſolius vxoris poteſt nubere filio ſolius mariti, & ſic de aliis.

51. Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform.*

44 Impotentia antecedens ad matrimonium, illud dirimit; ſiue impotentia ſit ex parte viri, qui ex quocumque capite proueniat, nequit penetrare vas fœminæ, & ſeminare; ſiue ex parte fœminæ ratione arctitudinis. Ea autem impotentia debet eſſe perpetua, non temporalis; & abſoluta reſpectu omnium, aut ſaltem reſpectiua ad eam fœminam, ſi virgo ſit; nam contingit, hominem eſſe impotentem reſpectu virginis, & non reſpectu corruptæ. Si dubitetur, an impotentia extiterit ante contractum matrimonium, an poſt, ſi ex cauſis naturalibus proueniat, cenſendum eſt ante; ſi ex maleficio, poteſt prouenisſe poſteà, ſed non facilè probari poteſt. Si defectus ex parte mulieri poteſt emendari per inciſionem ſine periculo mortis, aut grauis morbi, tenetur illa pati inciſionem. (52) Triennalis experientia conceditur pro frigiditate viri probanda. Fœmina duodennis, & vir quatuordecim annorum iudicantur potentes ad contrahendum matrimonium, non autem antea, niſi malitia ſuppleat ætatem. Addo ego, ſi debilitas viri dignoſcatur impotens in ea ætate, cum contrariorum eadem ſit ratio, non erit aptus coniugio.

52. Th. Sanch. *de matr. d.* 93. *n.* 2. Bonacina. Diana. Gobat.

45 Si non adſint Parochus, & teſtes, ſeu de licentia Parochi

Parochi alius Sacerdos, inualidum eſt matrimonium, (53) vbi eſt acceptatum Tridentinum; & quidem quoad hoc in Gallia (eſtò olim ſecùs fuerit) iam eſt promulgatum, & receptum iuſſu Regis Chriſtianiſſimi. (54) Id ego ab Epiſcopo doctiſſimo Monſpellienſi audiui, cum illac tranſirem.

45 Parochus, quamvis adhuc non fuerit ordine ſacro initiatus, poteſt aſſiſtere. Sic declarauit Congregatio Concilij. (55) Nomine Parochi, qui aſſiſtere debet, intelligitur etiam Epiſcopus, & eius Vicarius generalis. Si contrahentes loquantur linguam, quam non intelligit Parochus, ſufficit ſi per interpretem ei ſuam voluntatem declarent. (56) Sufficit etiam præſentia Parochi, quamvis per fraudem, & vim adducatur, (57) & inuitus interſit; & quamvis claudat aures, & oculos: nam licet communiter non ſufficiat præſentia Parochi, qui non intelligit, quæ fiunt; id tamen eſt, cum ille non affectat non intelligere. Sic declarauit Congregatio Concilij. (58)

47 Teſtes poſſunt eſſe, exceptis infantibus, amentibus, & ebriis, quilibet alij, cognati, affines, viri, fœminæ, Chriſtiani, pagani, non rogati, coacti, ſpontanei. Nullus enim excluditur ex his, quos ius naturale non arcet, vt poſſint ſuum præbere teſtimonium.

48 Si rapiatur mulier inuita è domo parentum, dum ipſa in poteſtate raptoris maneat, datur impedimentum dirimens, donec illa conſtituatur in loco tuto, vbi ſuum poſſit dare, aut negare (59) conſenſum. Idem eſt, ſi precibus importunis, quæ violentiæ poſſint comparari (60) è domo parentum educatur. Non tamen idem eſt, ſi per dolum, aut ignorantiam feratur fœmina. Quòd ſi fœmina ſpontanea vult cum educente ipſam exire, etiamſi patres reſiſtant, non datur raptus, neque impedimentum; cum non tollatur libertas matrimonij, ad quam attenditur.

49 Epiſcopus poteſt ex cauſa ſufficienti diſpenſare in votis impedientibus matrimonium, præterquam in voto perfecto, & abſoluto caſtitatis: in quo etiam

53. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.*1. *de reform.*

54. Leſſius *in Auctario in* 1. 2. *verb. Sponſalia, caſ.* 5. D. de Val. Gobat.

55. Affertur à Diana *part.* 11. *tr.* 3. *reſ.* 32.

56. Gaſp. Hurtad. Diana. Martin. Perez, & alij.

57. Barboſa *de Paroch. p.* 2. *c.* 21. *n.* 47. Gobat. Diana.

58. Apud Gobat. *in exper. Theol. tr.* 9. *n.* 491.

59. Trid. *ſeſſ.* 24. *de refor. matr.*

60. Dicaſtillo *de matr. d.* 17. *dub.* 58. *n.* 667. Guttierrez. Th. Sanchez. Bonacina. Gobat.

etiam poſt contractum matrimonium poteſt diſpenſare præcisè quoad hoc, vt vouens poſſit petere debitum, & cæteros actus coniugales exercere. In impedimentis dirimentibus ſolo iure humano poſt contractum matrimonium poteſt in foro conſcientiæ diſpenſare, dummodò impedimentum ſit occultum, & adſit grauiſſima neceſſitas adeò vrgens, vt nequeat recurri ad Papam, vel ob paupertatem, vel ob tempus; ac demùm ſi bona fide ſit contractum matrimonium. (61) In grauiſſima neceſſitate, v. g. ſi quis ſit morti vicinus, ad legitimandam prolem, & reſarciendum honorem puellæ nobilis, ſedandaſque inimicitias, poteſt Epiſcopus diſpenſare in impedimento dirimente ante contractum matrimonium. (62) Nuntij Apoſtolici poſſunt, quoad diſpenſandum, idem quod Epiſcopi; & præterea ſolent tribui ei poteſtates diſpenſandi in aliquibus impedimentis, quod in ipſorum reſcriptis conſtabit.

61. Caſtr. Palao *de ſponſal. d. 4. punct. vlt. §. 1.* Th. Tamburin. Gobat. Dicaſtillo, & plures.

62. Diana *p. 11. tr. 3. reſ. 80.* Gobat.

50 Pontifex nequit diſpenſare in impedimentis dirimentibus iure naturali, cum nequeat in lege naturali, & diuina; poteſt verò in his, quæ iure humano ſunt inducta. In aliquibus diſpenſat ſolùm cum viris Principibus; in aliis ſemper ex cauſa rationabili, quæ ex praxi Curiæ Romanæ ſunt dignoſcenda, & plura de his vide verbo *Diſpenſatio.*

51 Cum de fide ſit, matrimonium eſſe vnum ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis, datur in eo quidquid ad Sacramentum requiritur; nempe materia remota, quæ ſunt corpora contrahentium; proxima, quæ eſt traditio corporum mutua in ordine ad generationem prolis; forma, quæ eſt acceptatio illius traditionis manifeſtata aliquo ſigno externo verbali, aut reali ſenſibili: miniſtri ſunt ipſi contrahentes, vt *ſuprà* libauimus: & gratia ſanctificans eſt effectus illius.

52 Alia Sacramenta, ſi in forma committatur error, non fiunt validè, v. g. ſi dicas: *Hoc eſt corpus tuum*: *Baptizo te in nomine matris.* At ſi linguæ aberratio contingat in matrimonio, dum de conſenſu per ſigna externa conſtet, non fit inualidum matrimonium. V. g. ſi Parochus per errorem dicat ſponſo;

so; *Petre accipis Mariam in maritum tuum*; vel, *Maria accipis Petrum in vxorem tuam*; & illi respondeant, *Accipio*; sanè valet matrimonium, quod cum sit contractus, simul & Sacramentum, naturam contractuum sortitur, in quibns voluntas, non verba dominantur, (63) & facto magis, quàm verbis declarantur, præcipuè cum factum illud est determinatum ad quid certum præsumendum, nempe consensum.

63. *Leg. in conditionibus, Cod. de condit. & dem. leg. reprehendenda, C. de inst. & substit.* & *ibi* Glossa. Barbosa *axiom.* 230. *n.* 4.

## *Medicina. Medicus. Chirurgus.*

1 NEquit medicus adhibere remedium, de quo dubitat an sit ægro noxium, nisi hic sit desperatus, & nihil spei nisi in eo remedio supersit; melius enim est, eum in dubio periculo, quàm in certo relinquere. (1) Si medicina certò noxia non sit, sed ad sanitatem tantùm probabilis, præferenda est minùs probabilis; nam medicus tenetur procurare quantum ex se est, ægri sanitatem. Vide Discursum opinionis probabilis initio præmissum.

1. Communis.

2 Constitutus in sacris nequit exercere artem chirurgiæ (2) cum incisione, vel adustione à se immediatè facienda. Potest tempore pestis, vel similis necessitatis, (3) si alius non inueniatur idoneus. Nec ei in Iure prohibitum est, dare consilium, vt fiat incisio, vel adustio; nec iuuare chirurgum in disponendis necessariis, dum ipse immediatè eam non faciat; neque applicare causticum, aut simile medicamentum, quo tumor aperiatur; cum id non sit incisio, nec odia sint amplianda. (4) Et certò probabile est, non esse ei prohibitum, incidere venam ad extrahendum sanguinem; quia id non ita proprium est chirurgicæ artis (quæ cum incisione est prohibita constituto in sacris) vt alius non chirurgus nequeat exercere. (5) Si non sit in sacris constitutus, etiamsi obtineat Beneficium, non est ei prohibitum (6) exercere artem chirurgicam cum incisione, & adustione.

2. *Cap. Sententiæ ne Cler. vel Monachi.* 3. Auila *de cæsar. part. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 10.* Molina. Machado. Diana, & alij. 4. Diana *part. 4. tr. 2. resol. 23.* Molina. 5. Eman. Rodrig. *tom. 1. sum. c. 177.* Molin. & alij. 6. Molina *tom. 2. tr. 3. d. 75. n. 4.*

3 Potest constitutus in sacris, adhuc Sacerdos, citra

Machado. Diana. Eman. Rodrig. 7. Communis. 8. Molina *sup.* & alij. 9. Th. Sanchez. Sylueſter. Nauarrus. Caſtr. Palao, & plures. 10. *Cap. Multa. Ne Clerici, vel Monachi.* 11. *Cap. fin. eod. tit.* 12. Bonacina. Sâ. Zabarella. Felinus. Butrius, & alij. 13. Conſtitut. 75. 14. Panormitan. *in cap. fin. Ne Clerici, vel Monachi.* Innocentius. Card. Toletus. & alij. 15. Fumus *in Armilla, verb. Medicus.* Nauarrus. Eman. Sâ.

tra aduſtionem, & inciſionem, exercere artem medicam erga pauperes, (7) conſanguineos, & affines; quin circa amicos. (8) At verò circa omnes exercicitium artis medicæ non eſt ei licitum, adhuc gratis, (9) quia prohibitum eſt conſtitutis in ſacris in generali (10) exercere officia ſæcularia, quale reputatur exercitium artis medicæ. Deinde eſt prohibitum ſacerdotibus (11) audire publicè medicinam; quod propter exercitium videtur illis prohiberi. Verùm certò probabile eſt, (12) quòd ſi abſolutè exerceant artem medicam gratis, poſſe id præſtare; nam neque ſpecialiter in Iure prohibetur, & prætereà ſic eſt opus pietatis, quod exercent aliquæ Religiones ex inſtituto; & ſaltem qui ex eis exercent, ſunt Eccleſiaſtici, quibus non eſt id indecens; & eorum inſtitutum extenditur etiam ad diuites, vt Generalis quidam Religionis Inſeruientium Infirmis declarauit. Imò exercent plura opera pietatis corporalia circa ægrotos Sacerdotes (31) earum Religionum, vt Clemens VIII. expoſuit.

4 Poteſt Doctor medicus, factus Sacerdos, examinare promouendos ad Gradus Medicinæ, & eis gradus conferre; nam id non eſt ei prohibitum; & Cancellarij Academiarum, adhuc Sacerdotes, gradus in legibus, & Medicina conferunt. Quin poteſt docere medicinam; (14) quia prohibitio non audiendi non eſt extendenda ad caſum docendi non expreſſum; & auditio eſt prohibita, vt audientes poſſint vacare auditioni Theologiæ: quæ ratio non militat in eo, qui primùm audiuit medicinam, & poſtmodùm factus eſt Sacerdos.

5 Medicus tenetur gratis curare pauperes ægrotantes, quin & ſoluere medicinas, (15) cum poſſit, ſi alij non erogent, nec pharmacopola velit eas donare gratuitò. Nec poteſt pretium immodicum ab aliis ægrotis quaſi per vim extorquere, eis non aſſiſtens, niſi ſoluatur; at valet quidquid ei voluntariè conferatur, retinere.

6 Si medici velint anatomiam facere, iudex tenetur eis concedere hominem propter delicta ſuſpenſum,

sum, (16) cum id pertineat ad vtilitatem publicam. 16. Sylueſt. *verb. Medicus.* & aliqui.

7 Nequit medicus, nec quivis alius vti medicamentis sympathicis, quia superstitiosi sunt; v.g. applicando illa ad ensem, seu pannum sanguine tinctum vulneris, vt vulnus curetur; & alia huiusmodi in distantia ægroti peracta. (17) Cæterum in Belgio dicitur non iudicaturi superstitiosum, sed experientiis non paucis comprobatum, natos ibi die Parasceues sanare ægrotos suo contactu à febribus. (18) Et præterea filium masculum septimum, qui ante se habuit sex fratres vterinos masculos, quin fœmina interponeretur, sanare suo contactu strumosos. Quæ si ita eueniant, alicui qualitati prouenienti ab ipsa natura tribuendum est. At non video, quæ qualitas naturalis possit imprimi in vtroque casu, cum ex se non detur causa proportionata. Alij iudicent. 17. Diana *part* 11. *tr.* 4. *resol.* 42. Bonacina, & alij. 18. Delrio. Diana, & aliqui.

8 Præcepit Pius V. quod medici tertia die febris ægrotos admonerent, vt sua peccata confiterentur. Id sanè ita intelligendum, si ex febre timeatur vitæ periculum, vel si Confessarius assistens ægroto eam admonendi curam sibi supereſſe non proferat; vel demùm si Medico non constet, infirmum esse obstinatum, nec velle confiteri, nec admonitionem fore profuturam. (19) 19. Th. Sanchez. Diana, & plures.

9 Nequit medicus consulere medicinam, quæ sit contra salutem animæ, v. g. accessum ad mulierem non suam, seminis effusionem, aut quid simile, etiamsi infirmus esset sanandus, & aliàs morituras. (20) 20. Communis. *Cap. Cùm infirmitas, de pœnit. & remiſſ.*

10 Medicus præter dicta, peccat grauiter in casibus sequentibus. Si ægrotum deserat, cum periculum vitæ ei imminet, nec alius est, qui medeatur. (21) Si parum peritus remedia maiora exerceat, vt abscissionem membri, ac similia, quæ periculo sunt obnoxia. Si non admoneat ægrotum de periculo imminente, dum alius non præstat. Si procuret directe abortum fœminæ, vt ei consulat: de quo verbo *Abortus*. Si absque causa sufficienti concedat facultatem vescendi cibis prohibitis contra Ecclesiæ præcepta. Si diuitem ægrotum, quia non vult ei soluere, 21. Astensis *lib.* 6. *tit.* 14. *art.* 8. *q.* 14. Nauarrus.

deserat, si alius medicus non detur: at post illius mortem potest stipendium petere. Si recuset cum alio medico absque legitima causa conferre medicamenta in ægritudine graui. Quòd si in collatione sint opiniones contrariæ, valet suggerere ægroto, quòd sequatur quam malit, etiamsi ipse non assentiat. Peccat etiam, si libros non recolat super morbis, quibus medetur, qui nouo studio indigent, & super aliis contingentibus.

11 Medicus, & chirurgus, qui dum medentur fœminis in partibus occultioribus, sæpè in delectationem, aut consensum illicitum inciderunt, possunt quidem absolui, (22) dum firmiter emendationem proponant, cum ea medicatio sit propria artis, quam exercent; nec par sit, eiusmodi vlceratas fœminas medicina priuari.

22. Nauarrus *in Man. c. 3. n. 26.*

12 Nequit à Christianis vocari medicus Iudæus, vt eis medeatur; (23) potest autem quilibet emere medicinalia ab eis, & à Christianis facere (24) præparati. Quòd si in aliquo casu non esset alius medicus, aut esset alius parum expertus, possent à medico Iudæo medicamenta præparari, vitando familiaritatem (25) cum ipso, quantum fieri posset. Quòd si quis versaretur in loco, in quo non esset medicus, nisi Iudæus, aut hæreticus, vel Gentilis, posset sanè ægrotans ipsum vocare ratione necessitatis, & periculi vitæ.

23. *Cap. Nullus, 28. q. 1.*

24. Glossa *ibi.*

25. Fumus *in Armilla, verb. Iudæus, n. 9.* & alij.

13 Non tenetur infirmus, nec eius famuli obedire medico, ex vi obedientiæ, cum ille non sit Superior potens imponere præcepta; (26) sed ex alio capite possunt illi peccare non exequendo ea, quæ medicus iniungit, aut alia præstando, eo renuente, seu inconsulto, nempe si inde graue nocumentum ægroto possit euenire.

26. Communis.

14 Non tenetur quis ad vitam seruandam permittere sibi membrum (27) putridum abscindi; nec præterea vti propter vitæ conseruationem extraordinariis medicinis, (28) aut valdè pretiosis, & laboriosis, nisi esset vir Princeps, aut valdè diues, seu Reipublicæ perutilis, qui nulli pretio deberet parcere, nec permittere, vllum laborem, aut diligentiam omitti;

27. Sotus *de iust. l. 5. q. 2. art. 1.* Card. Toletus. Eman. Sà.

28. Lud. Lopez. Sotus. Eman. Sà.

omitti; nam dum quis absque incommodo sibi grauissimo potest vitæ periculum in ægritudine vitare, tenetur. Secus est in macerationibus, & pœnitentiis corporis propter Deum, ac vitam æternam, à quibus non tenetur quis abstinere, eo quod vitam temporalem imminuant. (29) Attamen vti asperitatibus notabiliter vitam decurtantibus, vitari debet; nam id esse peccatum mortale aliqui (30) asseruerunt; alij verò, esse veniale. (31) Attamen legimus, plures Sanctos his pœnitentiis, ac asperitatibus fuisse vsos, quod Ecclesia laudat, & Sedes Apostolica probat; Quare non solùm excusat à culpa, sed meritum auget ratio pietatis, & affectus deuoti; & ex diuina inspiratione id eos præstitisse non est dubitandum, aliqua ratione speciali eis fauente; quæ si non adsit, immodicæ asperitates, ac extraordinariæ vitio imprudentiæ laborant, & facilè culpam venialem imbibent, nisi bona fides, ac aduertentiæ defectus culpam tollat, ac eas meritorias vndique, ac licitas reddat.

29. Lud. Lopez *p.1. c. 84.* Eman. Sà.

30. Nauar. & alij.

31. Card. Caietan. *in 2.2. q.147. art. 1.* Couarruuias. Sotus, & alij.

15 Non tenetur fœmina permittere occultas, ac pudendas partes videri, seu contrectari à chirurgo, vel medico, etiamsi inde passura sit notabile sanitatis detrimentum, quin & vitæ periculum, dum (32) amore pudicitiæ id præstet. Quod non video, cur etiam ad viros extendendum non sit, estò aliqua minor indecentia appareat; sed in vtrisque amor pudicitiæ locum habet.

32. Eman. Sà *in sum. verb. Infirmus, n. 2.* cum aliis.

16 Vbi non est vitæ periculum, potest quis medicinam recusare ob maiorem animæ profectum, & vtilitatem, (33) si exindè hæc sit emanatura.

33. Eman. Sà *vbi super.* Lud. Lopez. Victorellus.

## *Metus.*

1 METus, qui est animi trepidatio causâ periculi instantis, aut futuri, est duplex; nempe leuis, & grauis. Metus leuis desumitur ex qualitate affectus, vel ex obiecto, vel ex causa; scilicet si leuiter timeatur malum graue, si timeatur malum leue; si malum, quodcumque sit, timeatur ex leui

causa. Metus grauis, seu iustus, & cadens in constantem virum est, quo timetur graue malum grauiter ex probabili causa: ac in ea grauitate concurrunt qualitas, obiectum, & causa; (1) ita vt timens nequeat facilè malo occurrere; siue id malum sibi immineat, siue vxori, parentibus, aut filiis. Mala autem grauia sunt mors, verbera, stuprum, seruitus, vincula per longum tempus, tortura, magna pars bonorum amittenda, & dehonestatio notabilis, hisque similia.

1. Vide D. Th. *in 4. dist. 29. q. 1. art. 2.*

2 Sola reuerentia mariti, non præcedentibus minis, non est causa metus (2) grauis in vxore. Nec solum imperium Principis, aut domini causat metum grauem, dum non sint illi assueti tyrannicè tractare eos, qui non gerunt (3) morem ipsis. Cæterùm fœminam minor metus excusat, quàm virum, & senem marcidum, quàm iuuenem fortem.

2. Bartol. *in leg. adiuuicem, Cod. Quod metus causa*, & cum eo recètiores.

3 In lege humana metus grauis excusat à peccato mortali, quando ob eum illa violatur. Excusat etiam ab obligatione, quando est metus ab extrinseco incussus ab aliquo; quia tollit voluntarium animum se obligandi, vt in voto, ac in matrimonio. (4) Secus est in iuramento. Vide *Iuramentum.* Attamen qui iustè incutit metum, v. g. iudex, non censetur vim facere; atque adeò etiam per huiusmodi metum (5) non rescinditur contractus, sicut per metum grauem iniustè incussum fit, vt rescindatur in temporalibus; nam in spiritualibus ante rescissionem est nullus.

3. Panormitan. *in cap. vlt. Qui Clerici, vel vouentes.*

4 Metus ab intrinseco non tollit obligationem voti; est enim is, qui ex se, & directè non cogit ad emittendum votum, sed aliundè quis, vt euadat aliquod periculum, vel malum, confugit medio voto ad implorandum Dei patrocinium. V. g. in mari timet quis naufragium; in bello mortem, aut seruitutem; in carcere sententiam grauis dedecoris: ac inde emittit votum, vel absolutum, vel conditionatum, si liberetur, vt Deum propitium habeat. Sanè nec naufragium, nec periculum mortis, aut seruitutis, siue de decoris cogunt ad emittendum votum, quin nec emissio illius certum reddunt vouentem de

4. Azor *lib. 1. ex c. 10* Th. Sanchez. Syluester. Layman. Bonacina, & communis.

incolu

5. Sylueft. *in sum. verb. Metus, q. 6.* Azor. Eman. Sà, & alij.

incolumitate, nec ceſſat certò metus poſt illud emiſſum. Secus contingit in metu ab extrinſeco; nam ſi quis tibi iniuſtè grauem metum incutiat, vt quid præſtes, directè cogit te ad illud præſtandum, & eo præſtito, ceſſat vis, & metus.

5 Aduertendum etiam éſt ad eum, qui metum incutit; nam ſi aſſuetus eſt minari, & non exequi, (6) aut ſi fœmina ſit, vel puer, non datur rationabilis cauſa ad metum grauem.

6. Graſſis *in decis. lib. 2. c. 25. n. 4.* cum aliis.

6 Metus reuerentialis, præcisè ob præſentiam patris, non annullat (7) matrimonium; ſi autem ſit cauſa actus, annullat; & ſic etiam annullat Profeſſionem; excuſat enim in foro exterioti, non ſecus ac metus grauis. Non tamen eodem modo ſe habent metus, & blanditiæ, quæ ſunt cauſa actus; nam metus conſenſum minuit, blanditiæ amoris augent.

7. *Cap. 1. §. Puto, de ſponſ. impuber. lib. 6.* Nauarr. *eo tit. n. 6.*

7 Nullus metus excuſat à violatione legis naturalis, & diuinæ, cuius obſeruantia præferenda eſt vitæ, honori, & diuitiis.

8 Quæ per metum grauem fiunt, ac inde ſunt inualida, ſi ſequatur ratificatio expreſſa, aut tacita, (8) conualeſcunt; v. g. matrimoninm, voti obligatio, Profeſſio, & ſimilia. Metui autem graui, ſeu reuerentiali æquiparantur preces importunæ patris. (9)

8. *Cap. Ad id, de ſponſalib.* & Gloſſa *ibi.*

9 Quamvis contractus ſimiles ex metu graui celebrati, iure naturæ ſint validi, (excepto matrimonio) ſed reſcindibiles, cum detur aduerſus eos actio metus cauſa; tamen contractus ludi, & alienationis rerum Eccleſiaſticarum ſunt ipſo facto nulli. (10)

9. Diana *p. 3. tr. 5. reſ. 20.* Baſil. Ponius.

10 Seruanda eſt hæc regula, ex qua in omnibus materiis plures caſus decidantur. Efficere per metum grauem extrinſecum ea, quæ non ſunt intrinſecè mala, (11) à peccato excuſat. Quare videndum eſt in actione, an ſit intrinſecè mala, necne. Et præterea ſi ex actione, quæ non eſt intrinſecè mala ſequatur contemptus fidei, aut Religionis, etſi metus incutiatur ob aſſequendum hunc contemptum, nequibit

10. Baſil. Pontius. Diana, & alij.

11. Nuñus. Bonacina. Henriquez. Suarez. Vaſquez. Diana, & plures alij.

absque peccato graui exerceri, & potius mors est obeunda.

11 Metus excommunicationis iniustè inferendæ est grauis, & iustus, (12) quia est malum pertinens immediatè ad personam, quæ priuatur commercio, & veluti in seruitutem lingua redigitur; & quoad spiritualia est pœna grauis.

12. Sylvest. *verb. Metus, q. 5.* Ioan. Andreas, & plures.

12 Si quis possit incutere metum grauem alicui, v. g. si mihi nummos non largiris, denuntiabo iudici crimen hoc grauissimum, quod patrasti, vnde tibi mors imminet; poterit retinere nummos, quos per eum metum (13) extorserit. At vt decernatur, an licitè, vel turpiter eos accipiat, inspiciendum est, vtrum ille teneretur iudici denuntiare id crimen, necne. Si tenebatur, & ob pecuniam acceptam non denuntiat, turpiter accipit, sed non turpiter retinet, iuxta dicenda verbo *Restituere*, de accepto ob turpem causam: & præterea ille grauiter peccat in eo metu incutiendo, ac non incutit iustè. Si autem licitum ei erat denuntiare crimen, non tamen tenebatur, tunc licitè accipit nummos, & incutit metum; nam vtitur iure, quod habet, & æstimabilis pretio est illa taciturnitas, quam poterat non retinere, alterique in eo metu beneficium impendit, cùm silere crimen sit fauor.

13. Diana *p. 4. tr. 4. res. 34.* Th. Sanchez. Sylvester, & alij.

13 Metus leuis non annullat contractus, nec sufficit, vt rescindantur, cum ex eo non resultet actio metus causa; etenim non tollit simpliciter voluntarium consensum.

## *Miles.*

1 IN bello nauali milites, si certò sciant, se ab hostibus capiendos, & occidendos, possunt cremare, aut perforare nauem, vt submergatur. (1) Tunc enim non intendunt suam mortem, sed potiùs eripere se morti, si qua via possint. Deinde ne naues onustæ diuitiis Indicis ad Regem pertinentibus ad hostium deueniant potestatem, cum certò deuentu-

1. Lessius. Serra. Malderus. Vuigers. Diana, & plures apud Me *in Statera, diff. 5. q. 6.*

ras

ras esse prænoscitur, Rex præcipit Ducibus, vt perforent eas, vt submergantur; tunc enim bonum publicum præponderat vitæ priuatorum. Cum autem non intereſt bono publico, nec interficiendi sunt milites ab hostibus, nequeunt nauem incendere, ne perueniat in potestatem hostium; (2) nam committere se certæ morti est contra legem naturalem, & diuinam præcipientem non occidere seipsum, nec alium: nec homo est dominus suæ vitæ; nam re ipsa, & quoad substantiam perindè se habet, hominem seipsum occidere, ac efficere aliquid, ex quo mors certissima sequatur; & in his attendendum est potiùs ad rem ipsam, quàm ad præcisiones obiectorum, quæ primariò, aut secundariò intenduntur; eaque est belli fortuna, vt nunc hostes, nunc alij detentur ex nauibus captis. Aliud est, si mors sequuturа sit anceps; sic in bello milites exponuntur periculo mortis ancipitis, dum pugnant, effodiunt turres, & alia similia pro bono publico peragunt. Vide *Bellum.*

2. D. Thomas. Communis Authorum Societatis. Ego *vbi sup.*

2 Milites existentes in aliquo præsidio fiunt subditi Ordinarij eius loci, ita vt ipse, (3) vel etiam Parochus, possit assistere eorum matrimoniis, habita priùs debita informatione; & eis Sacramenta ministrare, nisi habeat exercitus Vicarium generalem, qui est Ordinarius militum, dum sit huius iurisdictio priuatiua. Vide *Capellani castrenses.*

3. Th. Sanchez *lib. 3. de matr. d. 23. n. 12.* & communis.

3 Milites in Hispaniis degentes in exercitibus possunt ex Bulla speciali Innocentij X. edere carnes, oua, & lacticinia tempore Quadrageſimæ, exceptis Feriis sextis, ac Sabathis, & hebdomada maiori. Pro militibus Satus Mediolanensis, & Finarij, quotannis expedit Pontifex Breue, vt prædicto tempore queant edere oua, & lacticinia; quæ edere nequibunt, nisi id Breue expediatur.

4 Si constet, bellum esse iniustum, nequit quis in eo militare, & ad damna, quorum est causa, tenetur resarcienda. (4) Vide *Bellum.*

4. Nauarrus *in Man. c. 3. n. 18.* & communis.

5 Miles per leges ciuiles pluribus gaudet priuilegiis: Verùm in vnoquoque Regno, aut ditione

inſpiciendum eſt, quibus nunc gaudeat, & eis eſt ſtandum.

## *Missa.*

1 VT præceptum audiendi Miſſam adimpleatur, probabile eſt, (1) audiendam eſſe ab initio Epiſtolæ: vlterior enim pars videtur notabilis, nec paruitas materiæ cenſenda. At certò probabile eſt, (2) ſatisfieri præcepto, ſi ab initio Euangelij audiatur. Et certum eſt, ei non ſatisfieri, ſi omittatur aliqua ex tribus partibus Sacrificij, nempe Oblationis, Conſecrationis, & Conſumptionis. Requiritur ſaltem ea reuerentia, & attentio exterior, quæ ſufficiat, vt ea auditio humano modo fiat, iudicentque alij, aſſiſtentem ibi audire Miſſam. Quare non ſatisfacit præcepto dormiens, confabulans, aut hinc indè oculos diſtrahens per notabilem Miſſæ partem. Dum tamen ſit præſens humano modo, quamvis non audiat Sacerdotem, aut oculos clauſos habeat, ſeu imaginem altaris deuotè inſpiciat, ſatisfacit. Similiter qui audiens Miſſam recitat Officium Canonicum, aut alias Orationes, etiamſi ad eas ſit aliundè adſtrictus. (3) Imò qui ſe vellens audiret Miſſam, ad eam attendens, præcepto ſatisfaceret, ſed vix à peccato veniali excuſaretur. Adimplet etiam præceptum, qui eam audit celebratam idiomate, & ritu Græco, ac Miſſam, quæ dicitur *Mozorabe*; quin eam audiens ex fine prauo, v. g. quia ibi fœmina aſſiſtit, dum ipſe debito morali modo attendat; nam (4) id præceptum reſpicit immediatè opus, non finem.

2 Qui abſque graui detrimento nequit audire Miſſam, non tenetur, ſiue detrimentum ſit proprium, ſiue publicum, ſiue alterius, cui ex officio, aut pietate aſſiſtere debet; v. g. ſi ægrotans indigeat eius aſſiſtentia, vel ad mortem alicuius vitandam, ſeu ad impediendum duellum, & ſimilia; (5) quia præcepta Eccleſiæ cum graui incommodo non obligant; nec tunc tenetur loco Miſſæ alias orationes fundere.

1. Card. Toletus. Henriquez. Suarez. Mercerus. Baſſeus. Leand. à Sacr. Apud Me *in Statera, d. 7. q. 1.* & *de Iure Acad. l. 2. q. 8.*

2. Sylueſter. Margar. Confeſſor. Bart. ab Angelo. Nauarr. Apud Me *in Statera vbi ſuprà.*

3. Card. Caietan. Card. Toletus. Geſualdus. Scortia. Bauny. Dicaſtillo. Apud Me *de Ordin. Milit. d. 9. q. 8.*

4. Nauarrus. Medina. Suarez. Baſſeus, & plures apud Me *de Iure Acad. l. 2. q. 8.*

5. Iodocus. Nauarrus. Toletus.

In

In die Parascenes, si in illam incidat festum, nullus tenetur assistere Officiis Ecclesiasticis, quia ea die non est Missa ea, quæ celebratur.

Basæus: Suarez. Azor. Fagundez. Bonacina, & alij apud Me *vbi supra*, & *l.3.q.* 26.

3 Qui nequit die præcepti audire Missam saltem ab Euangelio, non tenetur ad audiendam partem, (6) quia ex intentione legislatoris præceptum datur de audienda integra Missa, non parte; & vbi primum nequit adimpleri, cessat obligatio.

6. Card. Lugo. Ioan. Escobar. Molfesius. Leand. à Sacr. & alij apud Me *de Ordin. Milit. d.9.q.8.*

4 Sacerdos existens in mortali, & non habens copiam Confessionis, potest celebrare, præhabita contritione, quando viget necessitas consecrandi pro infirmo communicando; & cùm tenetur celebrare, vt populus audiat Missam; necnon si sequeretur scandalum, (& non ob solam admirationem sequendam ex omissione celebrationis) aut si immineat periculum infamiæ, aut mortis; vel si esset opus perficere sacrificium ab alio inceptum, & per accidens superueniens, non perfectum. Is verò postmodùm tenetur, (7) quamprimùm Confessoris sit copia, confiteri.

7. Azor. Gauantus. Arnaud. *in epitome, pag.*141. & alij.

5 Si in casibus prædictis, aut similibus vnicus adsit Confessarius, à quo periculum timetur, si quis ei confiteatur hoc aut illud peccatum, potest id omittere, & alia confiteri, à quibus directè absoluatur, ac indirectè ab omisso, quod postea tenetur confiteri. Idem est, si in illis euentibus (8) habeat peccatum reseruatum, & Confessarius nequeat ab illo absoluere. Si incepta Missa, recordetur Sacerdos peccati grauis, elicita contritione, debet illam prosequi: nisi secluso scandalo posset confiteri in altari cum Ministro, qui esset Confessarius.

8. Communis.

6 In Ecclesia Latina graue peccatum esset conficere Sacramentum in pane fermentato. Grauiter etiam delinquitur, si conficiatur in vino, quod cœperit acescere, vel in musto, vel in vino solo absque infusione aquæ, aut cum aqua non naturali. Si panis fiat cum aqua non naturali, certè non est panis vsualis. At vinum congelatum est vinum, & validè consecratur. Itidem est graue peccatum addere, aut minuere aliquam vocem in consecratione, estò non mutet sensum.

sensum. At si quis dicat : *Hic est sanguis meus*, verè consecrat.

7 Vnica Missa in die celebrari potest, nisi in die Natalis Domini, in qua tres celebrantur. In aliquibus Diœcesibus Hispaniæ in die Commemorationis Defunctorum celebrantur tres Missæ à Sacerdotibus Religiosis, & duæ à Sacerdotibus sæcularibus, & his conformantur Religiosi Societatis Iesu eo die. In locis infidelium, & hæreticorum, vbi plures sunt Catholici, & pauci Sacerdotes, potest quis iuxta necessitatem bis, & ter in die celebrare. Et similiter vbi Parochus diuersis locis inseruit, nec habet coadiutorem, seu Vicarium, bis celebrare valet; quod est in praxi. In his autem casibus omittenda est ablutio Calicis vsque ad vltimam Missam, ne ieiunium naturale frangatur. In nullo alio casu (9) potest bis in die celebrari, quidquid olim licitum fuerit.

9. Gauantus apud Claudiũ Arnaud. *in epitome.*

8 In Canone Missæ, & in Collecta, & *Famulos*, in illis verbis *Antistite nostro*, ob Declarationem Eminent. Cardinalium, quæ circumfertur, non est nominandus Abbas, seu Prior exemptus, iurisdictione quasi Episcopali, ac territorio gaudens; qua non extante (10) foret nominandus, cum valdè communiter hi dicantur Antistites.

10. P. Quintanadueñas. Ego *de Ordin. Milit. d. 7 q. 11.*

9 Nequit celebrari Missa pro futura intentione; de quo extat Decretum Pauli V. expeditum die 5. Nouembris anno 1605. Sacerdos, qui nunquam celebraret, peccaret grauiter, vtpotè in re graui suum munus non adimplens. At si non sit Parochus, & ter aut quater (11) in anno celebret, à peccato graui excusabitur. Episcopi, & Parochi tenentur quauis hebdomada applicare saltem vnam Missam pro suis ouibus ratione muneris, & quia ab eis sustentationem percipiunt.

11. Gauantus *vbi sup.* & alij.

12. Apud Gauant.

Nequit Synodus Diœcesana (12) reductionem Missarum præstare, nisi in ipsa erectione Beneficij, aut Capellaniæ cautum fuerit, quod possit; sic declarauit Sacra Congregatio Tridentini.

Sic institutor Capellaniæ iniunxit, quod in tali loco, seu Ecclesia, siue altari, aut per seipsum celebret

lebret Capellanus, non satisfit obligationi Missarum, nisi totum id adimpleatur, de quo (13) extant plures Declarationes Cardinalium. Non tamen ideò grauiter deficit, qui bis, aut ter in anno alibi celebraret, cum sit paruitas materiæ. Quin etiamsi pluries alibi celebraret, non teneretur restituere, dum pro intentione institutoris Capellaniæ ibi Missas offerret.

13. Apud Me *de Ordin. Milit. d. 9. q. 4.*

Quod intellige, dummodò aliundè suffragium non decresceret, vt contingeret si Missæ institutæ essent celebrandæ in Altari priuilegiato, & celebrarentur in non priuilegiato. Nec tunc ad æquiualentiam sufficeret, Sacerdotem habere secum granum benedictum, cui affixa esset indulgentia animæ liberandæ; nam certius est priuilegium Altaris, quod ex Breui Pontificio constat, quàm quod illud granum sit benedictum. Si absens, aut legitimè impeditus sit Capellanus, tenetur per alium satisfacere debito celebrandi, nec in casu ægritudinis, quæ vnum mensem non excedat, intra quem non tenetur per alium satisfacere, si Missæ sint affixæ diebus omnibus anni; at si quotidiana non debet esse Missa, tenetur postmodùm per se adimplere debitum contractum celebrandi illam. Ex concessione Iulij III. in Diœcesi Hispalensi in Hispania Beneficiati, & Capellani (14) non tenentur ad supplendum Missas per alios, dum ægrotant, aut legitimè sunt impediti. (15)

14. Apud Me *de Ordin. Milit. d. 9. q. 4.*

15. In Bulla, quæ incipit, *Iustis petentium.*

Capellanus, qui non tenetur per se Missas persoluere, potest aliis committere. Aduerte tamen, primò ab Vrbano VIII. fuisse præceptum, ne committens alij Missam, eroget ei minus stipendium, quàm pro ea accepit; & deinde Alexander VII. damnauit (16) hanc propositionem: *Post decretum Vrbani potest Sacerdos, cui Missa celebranda traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendij sibi reseruata.* Sed hæc manifestè intelliguntur, quando solo titulo Missæ celebrandæ (17) confertur stipendium maius; nam si Capellanus habeat v. g. centum scuta pro redditibus annuis, atque ad solas centum Missas teneatur, & committat aliquas ab alio celebrandas, non tenetur ei præstare pro

16. In Decreto expedito die 24. Septembris 1665.

17. Philiarcus. Posseuinus. Machado. Diana, & alij apud Me *sup. q. 4.*

pro singulis vnum scutum, sed commune stipendium, cum ei non conferantur redditus solo titulo Missæ.

18. Apud Me *ibid.* Idem est, (18) si conferens eleemosynam attendat ad personam, seu Monasterium, nempe quia consanguineus, aut amicus est, indeque maiorem conferat; nam tunc non præstat illam solo intuitu Missæ.

10 Si quis, quando consumpturus est Hostiam, duas reperiat, vtramque debet sumere; nam intentio virtualis consecrandi (19) fertur ad id, quod est

19. Suarez. Gauantus apud Arnaud. *in epitome.* moraliter præsens. Si per obliuionem non discooperiat pyxidem, in qua sunt formæ consecrandæ, adhuc consecratæ manent ex ea intentione virtuali,

20. Nauarrus. Suarez. Gauantus. Arnaud. *in epitome, pag.* 139. quæ sufficit: sicut (20) si quando consecrat Hostiam, non recordetur formarum, dum intra aram sint, consecratæ manent. Non conficitur Sacramentum in pane non triticeo ex maiori parte, nec in vino corrupto. Et præterea quamvis peccatum graue

21. D. Thom. 3. *p. q.* 82. *art.* 4. *ad* 2. sit conficere illud in vino, quod incipit acescere, (21) sit Sacramentum. Si Sacerdos post consecrationem comperiat, vinum, aut panem non esse sufficientem, & requisitam materiam, aliam apponere debet, & iterum consecrare; idem est, si post sumptionem id comperiat: sed debet repetere consecra-

22. Gauantus Arnaud. & alij *supra.* tionem vtriusque speciei iam sumptæ, (22) etsi vnica species fuerit insufficiens: nisi ob vitandum scandalum, iam Hostia, & vino sumptis, hoc reperiretur insufficiens, potest vinum, & aquam apponere, consecrare, & sumere, quin aliam Hostiam consecret.

11 Si violetur Ecclesia, Missa ante Canonem, non post illum, est dimittenda. Si alluuio, aut incursus hostium aduenial, Missa ante Consecrationem est dimittenda, post illam breuianda est sumptio specierum.

23. Arnaud. *sup. pag.* 146. (23) Si ante Consecrationem Sacerdos moriatur, aut incidat in syncopen, Missa non perficitur: si verò post Consecrationem, perficienda est à Sacerdote, etiam non ieiuno, & cessante scandalo, etiam ab excommunicato, & irregulari, dum in his casibus non adsit alius Sacerdos. Si hostia tangatur à fulmine, venenata censetur, & est seruanda, ac consecranda alia. Idem est si comperiatur hostiam, aut

vinum

vinum conſecratum eſſe venenatum. Si hoſtia ſumatur, quam poſtea conſtet eſſe venenatam, poteſt remediis adhibitis euomi, & comburi. Detrahere, aut addere cæremoniis, præſumendo id eſſe melius, eſt peccatum graue. (24) Adueniente Epiſcopo, aut alio, qui ſit eo maior, Miſſa inchoata ante conſecrationem poteſt iterùm incipi, ſi non ſit alia. In caſu neceſſitatis, ſi non ſit vlla forma, poteſt laico præberi particula hoſtiæ conſecratæ. (25) Nequeunt dici Miſſæ approbatæ pro his, vel illis Regularibus, à cæteris etiam in illorum Eccleſiis: quin (26) & Capellani ſæculares Monialium debent celebrare Miſſas, vt ſunt in Miſſali Romano, quamvis pro Monialibus ſint aliæ approbatæ.

24. Molina *de inſtruct. Sacerd. tr. 3. c. 11.*

25. Suarez *3. p. d. 65. ſect. 2.*

26. Sacra Rit. Congreg. 20. Nouemb. anno 1628.

12 In conſecratione calicis relinquere voluntariè vocem *enim*, eſt peccatum graue. Similiter culpa grauis eſt acceptare plurimas Miſſas, quibus nequit ſatisfieri niſi longo tempore, cum id cedat in præiudicium alterius: niſi erogans eleemoſynam, ſciat Sacerdotem plures Miſſas acceptaſſe antecedenter. Qui tenetur quotidie celebrare ratione Beneficij, aut Capellaniæ, ſatisfacit, quamvis ſemel in hebdomada (27) ob maiorem reuerentiam non celebret. Qui promiſit Miſſam de vno Sancto, aut de *Requiem*, tenetur eam celebrare; quod ſi maiorem deuotionem in alia celebranda ſentiat, poteſt id præſtare, quia ſuppletur fructus accidentalis Miſſæ promiſſæ per fructum ex opere operantis.

27. Gauantus. Arnaud. *pag.* 167. & alij.

13 Miſſa nequit abſque priuilegio dici ante auroram; ſaltem opus eſt, vt finiatur ſub initium auroræ, quæ diuerſis temporibus anni eſt proximior, aut diſtantior ab ortu ſolis; quare communiter hora & dimidia ante ortum ſolis poteſt Miſſa celebrari. (28) Poſt meridiem nequit inchoari Miſſa abſque priuilegio. Poteſt ex iuſta cauſa diſpenſare Epiſcopus vt inchoetur poſt meridiem. Et præterea in feſtis ſolennibus, cum aliqui adhuc Miſſam non audiuerint, vel cum Sacerdos itinerans non potuit celebrare vſque ad id tempus, poterit Miſſa inchoari vna hora, & non ampliùs, poſt meridiem. In aliquibus Eccleſiis plurium locorum Miſſa celebratur vna hora poſt meridiem

28. Suar. apud Me *de Bulla Cruc. d. 37. n. 98.*

meridiem, quin & feriùs in Curia Madritensi. Quod ob consuetudinem legitimam licet, & forsan priuilegio aliquo Pontificio gaudent.

14 Metu mortis licitum est celebrare Missam sine veste sacra, & aliis requisitis iure Ecclesiastico, (29) quia lex humana non obligat cum dispendio vitæ, quando bonum publicum id non exposcit. Excipe casum, quo quis à tyranno cogeretur ad celebrandum sic, quia deberet mori prius, quàm in contemptum Religionis operari. Non tamen licet celebrare, sine veste sacra, vt viaticum concedatur ægrotanti; nam licet detur præceptum diuinum accipiendi tunc Eucharistiam, id tamen non obligat, nisi detur copia Sacramenti ritè, & legitimè consecrati: tunc autem non datur, cum deficiat id, quod requirit Ecclesia ad ritè celebrandum. Eodem modo, etiamsi detur præceptum Ecclesiasticum audiendi Missam, non obligat, si non dentur vestes sacræ; quia id præceptum est de audienda Missa ritè celebrata.

29. Vasq. *in* 1. 2. *d.* 164. *c.* 3. & alij.

15 Si pereat capitale, nec fructus percipiantur assignati pro Missis celebrandis in Ecclesia aliqua, non tenentur Canonici, Beneficiarij, aut Religiosi, qui in illa sunt, Missas celebrare. Quia eatenus Communitas se obligat ad celebrandas Missas, quatenus percipit stipendiũ, (20) nec ad vlterius eam obligat Fundator, cederetque in detrimentum Communitatis obligatio facta etiam deficiente stipendio; & qui altari seruit, de altari viuere debet. Sicut etiam licet Beneficium sit propter officium, & in fundatione exriterint pingues redditus, si imminuantur, & sint valde tenues, & ex se non obligantes ad Officium, non obligatur quis ob id Beneficium ad Officium. Ad omittendas autem eas Missas, non est opus recurrere ad Pontificem, cum non agatur de reductione Missarum ad minorem numerum, ad quod est necessarius ille recursus. (21)

20. Lezana *part.* 4. *verb. Missa*, *n.* 37. Fraxinelius. Perez de Lara. Oncala. Bordonus, & alij.

21. Decretum Sacræ Congreg. Cardinalium iussu Vrbani VIII. anno 1625.

16 Sacerdos, qui in eam debilitatem visus peruenit, vt non videat ad legendum, videat autem calicem, patenam, hostiam, & fragmenta, potest celebrare Missam, quam memoriter sciat, (22) assistente alio Sacerdote, aut Diacono, aut viro perito.

22. Præpositus *in*

Sic

Sic extat praxis aliquorum Sacerdotum sapientum, qui ita præstiterunt. Etenim non datur ex eo irreuerentia, nec scandalum populi; nec philosophandum est de eo, qui post Sacerdotium contraxit aliquem defectum, eo modo, quo si ante illud contraxisset; (23) tunc enim non posset promoueri ad Sacerdotium. *3.p.q.83.art.3. dub.8.n.168. Vasquez. Diana, & alij.* 23. *D.Thom.3.p. q.82.art.vlt. ad 3. Sylvester. Suarez. Bonacina. Nauarrus. Filliucius, & plures alij.*

17 Ex Decreto Sacræ Congregationis Cardinalium iussu Vrbani VIII. edito, nequeunt Episcopi, nec Generales, seu Capitula generalia Religionum reducere ad minorem numerum Missas ob tenuitatem stipendij; sed recurrendum est ad Sedem Apostolicam. At si redditus relicti à testatore ita pertiissent, vt v.g. non restarent in singulos annos, nisi qui communiter dantur pro tribus, aut quatuor Missis, aut qui ab ipso testatore expressi sunt vt correspondentes tribus, aut quatuor Missis, designando pro singulis stipendium, dicendo has, fieret satis: nam hoc non est reducere Missas ratione tenuitatis stipendij, sed non dari stipendium relictum à Fundatore, nec correspondens tot Missis, quas gratis pro illo nemo dicere tenetur. Cæterùm illud Decretum loquitur de Missis fundatis post Concilium Tridentinum, quod obligare cœpit die 1. Maij anno 1564. Quare reductio Missarum antecedentium, quæ fieri poterat (24) authoritate Episcopi, seu Ordinarij in actu visitationis, potest nunc fieri; (25) & à Generalibus in Capitulis Generalibus. 24. *Communis.* 25. *Rota in vna Florentina, die 18. Maij anno 1627. Philibertus Marchinus, & alij.*

18 Cæterùm post præfatum Decretum, ipse Vrbanus VIII. anno 1626. die 13. Iulij, concessit Fratribus Ordinis Minimorum (26) Cœnobij Ianuensis, quòd legata perpetua exigua ad dotationem Missarum reducerentur ad quinquaginta scuta Romana pro capitali pro qualibet Missa, ita vt vnicuique Missæ perpetuæ correspondeat ea summa, ex qua redditus iusti percipiantur: decreuitque, per has Missas reductas suffragari animabus eorum, qui eas dotarunt, ac si realiter omnes ab illis præfixæ celebrarentur. Quod potuit præstare applicans ex thesauro Ecclesiæ satisfactiones correspondentes Missis omissis. 26. *Apud Peregr. de priuileg. Minim. tom. 1. pag. 494.*

18 Præterea

Præterea cum Decretum superius Vrbani loquatur de Missis iam impositis non reducendis, si de nouo testator Missas doraret valde exiguo stipendio, posset Episcopus ante acceptationem factam ab Ecclesia, & ante onus impositum (27) eas imminuere.

27. Philibertus. Marchinus *tr. 3. de Sacrif. Miss. c. 19. n. 32.*

19 Nequit Sacerdos pro eadem Missa duplicatum stipendium accipere, adhuc applicando petenti specialissimam partem correspondentem celebranti. Extat de hoc Decretum Vrbani VIII. & post hoc asserere oppositum, damnatum (28) est ab Alexandro VII. Et peccat contra iustitiam Sacerdos, qui accipit stipendium pro pluribus Missis, & vnam offert. Quòd si promittat nudè, vel cum iuramento danti stipendium, quod pro nullo alio Missas offeret, operatur contra fidelitatem secus faciens. Contrariæ propositiones circa iustitiam, & fidelitatem damnatæ sunt (29) ab eodem Pontifice.

28. Die 2. Octob. anno 1665.

29. Eodem die, & anno, quo *sup.*

20 Si Sacerdos sic se habeat: *Applico hanc Missam pro eo, cui Petrus applicuerit*; nisi tempore ipso Missæ, seu antecedenti Petrus eam applicet, postea redditur inefficax applicatio, cum nequeat pro intentione futura Missa celebrari, nec sub conditione, quæ adhuc non extet; nec in suspenso maneat Missæ fructus.

21 Si tibi numerum Missarum quis commendauit, vt eas celebrares, nec stipendium ab eo potes habere, quin expensas facias, potes numerum Missarum correspondentem expensis imminuere, (30) cum ille sit causa damni, quod sibi imputare debet. At monendus de hoc est, ne animæ defunctorum, aut viuorum suffragio fraudentur, si ille tenebatur ex testamento, aut ex mandato, vel aliunde ad eas Missas persoluendas.

30. Lezana *tom. 4. verb. Missa, n. 34.* Peyrin. *tom. 3. de priuileg. Regular. tr. 6. c. 3. n. 10.* & alij.

22 Si quis repentè incidat in articulum mortis, nec adsit alius Sacerdos, nisi vnus, qui actu celebrat, potest intermittere Missam adhuc post consecrationem, vt ei Confessionis, Eucharistiæ, & Extremæ-Vnctionis, (relictis in hac Orationibus, ac Precibus dici solitis,) Sacramenta ministret.

At

At si vltra dimidiam horam (31) confessio protrahatur, tenetur eum absoluere, quin conficiat Confessionem, & eum monere, quod iterùm vocet ipsum Sacerdotem, finita Missa, vt integram Confessionem perficiat, si vita, & sensus durent. 31. Diana 5. p. tr. 5. res. 70. Zambrana.

23 Si quis decursu Missæ dubitet probabiliter, defuisse aliquod verbum ad consecrationem necessarium, potest repetere consecrationem (32) sub conditione mentali, quòd non ritè, ac validè priùs consecrauerit. 32. Eman. Sà in summ. verb. Missa, n. 6.

24 Ex causa infirmæ valetudinis cum licentia Episcopi poterat Sacerdos celebrare vsque ad consecrationem, (33) operto capite, vel ipso amictu, vel pileolo. Id autem ex stylo Curiæ summo Pontifici est reseruatum. 33. Turrecrem. in cap. Nullus, de consecr. d. 1. Nauarrus. Eman. Sà. Azor.

25 Absque ministro nunquam licet celebrare, nec in oratorio, absque Breui Pontificio, seu priuilegio annexo Dignitati; nec extra Ecclesiam, nisi ea non capiat populum in aliqua solennitate speciali; & tunc (34) vrgente necessitate poterit adhuc sine Episcopi licentia. 34. Nauarrus consil. 4. de celebr. Miss. Emanuel Sà. Suarez.

26 Post ablutionem Calicis si reperiat celebrans aliquas (35) particulas, debet eas sumere, ne disperdantur: potest autem, si in eo altari pyxis est cum Eucharistia, eas inibi reponere. 35. Azor. Nauarrus. Eman. Sà. Victorellus.

27 Non est peccatum mortale absque contemptu celebrare Missam sine calceamentis.

28 Peccatum lethale esset relinquere, etiam extra Canonem, aliquam partem notabilem Missæ, (36) vt Euangelium, vel Epistolam; & præterea omittere absque causa sufficienti Missam inceptam. Quòd si quis ea incepta recordetur, se non esse ieiunum, dum absque scandalo possit eam omittere ante Consecrationem, tenetur omittere, secùs aliter. 36. Fumus in Armilla, verb. Missa, n. 8. cum cõmuni.

29 Si in fractione Hostiæ tota intra Calicem caderet, & madefieret, non est alia consecranda; sed excerpenda pars, quæ posset extrahi, & cum illa conficere cæteras cæremonias. Quòd si nulla pars extrahi valeret, adhuc absque noua Hostia peragenda est Missa, nullis relictis verbis; cum id, quod

37. D.Thom. 3. *p. q.83. art.vlt. ad 6.*

cum Hoſtia erat præſtandum, (37) non ſit de neceſſitate Sacramenti.

38. Videantur Diana *p.10. tr.12.reſ.21.* Suarez. Dicaſtillo, & plures.

30 Nequit ſtipendium accipi ab infideli, vt pro eo Miſſa celebretur, quia (38) etſi plures cenſeant, poſſe illam pro Infidelibus offerri, certius tamen eſt, non poſſe, & nequit ſtipendium certum pro incerto effectu accipi. Et quamvis infidelis conſcius eius incertitudinis conferret ſtipendium, non conſulerem, illud accipi, nec Miſſam pro eo offerri.

39. Refert Diana, & tenet *p.4. tr.4. reſ.233.*

31 Sacra Congregatio, vt refertur, (39) declarauit, quod Miſſæ, quibus liberatur anima à Purgatorio in altari priuilegiato, debent eſſe Miſſæ, quæ incipiunt *Requiem*, & aliter quod non ſuffragantur defunctis. Sed id reddit priuilegia illa altarium magna ex parte incaſſum conceſſa; nam ſunt altaria, quibus in vnaquaque die id priuilegium eſt conceſſum; alia, quibus duobus, aut tribus diebus in anno. Contingit autem innumeris diebus celebrari in Eccleſia de Sanctis duplicibus, & his diebus prohibitum eſt, dici Miſſas defunctorum; ecce ergo cunctis in diebus priuilegia eorum Altarium euanent; difficile autem apparet, quòd hæc priuilegia Pontificia relinquantur vtplurimùm ſine effectu, & plerumque vana. Quare vel iterùm ſuper hac difficultate eſſet conſulenda Sacra Rituum Congregatio: vel dici poteſt, eam noluiſſe reddere vtplurimùm inania priuilegia Pontificia, nec contrariari Decreto non celebrandi Miſſas defunctorum in feſtis duplicibus; ſed ſolùm declaraſſe, in illis diebus, in quibus poteſt Sacerdos celebrare Miſſam defunctorum, non aliter niſi eam celebrando, liberaturum fore animam à Purgatorio.

40. Hurtado. Diana. Marchinus, Dicaſtillo, & alij.

32 Certò probabile eſt, (40) eum qui ex liberali promiſſione pluribus Miſſas obtulit, ſtipendio non accepto, vnica Miſſa pro omnibus ſatisfacere. Præterea ſi Religioſus ex gratitudine, & beneuolentia (& non ex iuſtitia, vt ſæpè contingit) debeat Miſſam celebrare pro benefactoribus, fundatoribus, aut amicis, poſſe ſimul applicare eam alteri, à quo ſtipendium accipiat; dum ſemper ſaluetur, non accipi

duplex

duplex ſtipendium pro eadem Miſſa: quod prohibetur Decreto Vrbani VIII.

33 Quando initiantur Ordine Presbyteratus aliqui, & ſimul cum Epiſcopo conſecrationis verba proferunt, debent habere intentionem non conſecrandi, ſi antequam ille, verba finiant; & eum conſecratur calix, præter eam intentionem debent aliam habere, nempe non conſecrandi vinum, ſi non conſecrauerint Hoſtiam finientes verba eodem tempore, quo Epiſcopus. Etenim ſi ipſi priùs conſecrauiſſent Hoſtiam, non perficeretur ab Epiſcopo celebrante Sacramentum; & præterea ſi non conſecrauerint Hoſtiam, non poſſunt ipſi dimidiatum ſacrificium conficere conſecrando vinum.

## *Monaſterium.*

1 FOeminæ ingredientes in Cœnobia Religioſorum in clauſuram, incidunt in excommunicationem reſeruatam Pontifici. Ita ſtatuerunt Gregorius XIII. & Pius V. qui in Motu proprio, qui incipit *Romanum Pontificem*, edito anno 1570. declarat, eam excommunicationem ferri non ſolùm contra fœminas præſumentes ingredi prætextu alicuius priuilegij, ſed contra quaſcumque. Excipiuntur Reginæ, ſeu Imperatrices, & earum filiæ (1) quæ, & ſimiliter Imperatores, Reges, & filij, poſſunt etiam ingredi in Monaſteria Monialium. (2) Fundatrices etiam poſſunt ingredi: (3) & vbi mos eſt, cauſa alicuius Feſti, aut Proceſſionis ad Clauſtra ingrediuntur quævis fœminæ. Et præterea cauſa neceſſitatis, vt tempore peſtis ſolet accidere, aut cum iudicio medicorum omnino expedit, vt fœmina lactet Religioſum ærotantem; (4) quod ſumma cum attentione eſt præſtandum. Fœminis autem, quibus conceditur ingreſſus, etiam permittitur decens comitatus aliarum fœminarum, id enim eſt conſectarium.

1. Suarez. Th. Sanchez. Ego *in Statera, diſſ. 13. q. 13.*

2. Gibalinus. Eman. Rodrig. Caſtro Palao, & alij apud Me *de Ordin. Milit. d. 14. n. 177.*

3. Gibalinus. Bonacina. Caſtr. Palao apud Me *in Statera, diſſ. 13. q. 13.*

4. Sorbus. Rodriguez.

2 Religioſi præſumentes intromittere, aut admittere fœminas intra Monaſterium, ſi ad ſeptennium acceſſerint, quamvis ſint amentes, ſeu fatuæ, incur-

Bonacina *vbi ſuper.*

runt ſuſpenſinnem à diuinis, priuationem officiorum, & inhabilitatem ad ea, aut alia obtinenda. Sic Pius V. in Motu, qui incipit *Regularium perſonarum.* Et præterea incidunt in excommunicationem latam à Gregorio XIII. ſi admittant fœminas præſumentes ingredi prætextu alicuius priuilegij.

3 Monaſterij clauſura ſunt ſepta exteriora, intra quæ ſunt loca, ad quæ non eſt acceſſus communis vtrique ſexui.

5. Trid. *ſeſſ. 25. c. 18. de regul.*

4 Non ſolùm contrahit excommunicationem in Tridentino (5) latam is, qui cogit fœminam, vt habitum in Monaſterio accipiat: ſed etiam qui eam iam puberem cogit, (6) vt Monaſterium ingrediatur educationis cauſa. Quæ educationis eiuſmodi cauſa de licentia Superiorum in Monaſteria Monialium recipiuntur, nequeunt ſecum ancillam ferre, niſi ex diſpenſatione; nec poſt vigeſimumquintum ætatis annum ibi commorari. Sed quia variæ ſunt inductæ conſuetudines in Monaſteriis circa fœminas ſæculares, quæ in eis verſari, aut admitti poſſunt, eis eſt ſtandum, dum ſint iam per longum tempus præſcriptæ, & ſimul circa licentias, quas poſſunt Prælati conferre erga eas, quæ inibi ſunt verſaturæ, ſeu virgines, ſeu nuptæ, ſeu viduæ ſint.

6. Nauarr. *cõſil. 6. & 7. de regul. lib. 3.* Victorellus.

5 Vt excommunicatio contrahatur ab eo, qui ingreditur abſque cauſa rationabili, & licentia Superiorum, Monaſterium Monialium, opus eſt, vt per duos pedes tranſgrediatur clauſuram; (7) nam ſpatium duplicis pedis eſt parua materia excuſans à peccato graui, & excommunicatione. Nec eam contrahunt ignorantes illam ignorantia iuſta, vel quaſi iuſta.

7. Graffis *in decision. lib. 4. c. 23. n. 15.* Nauarrus.

6 Licèt regulariter nequeant monaſteria (8) tranſferri, attamen Epiſcopus cauſa euidentis vtilitatis poteſt Monialium monaſteria transferre; (9) nempe ſi non ſint in loco tuto, ſi perſecutores Monaſterium (10) vexent; ſi detur difficilis acceſſus ad illud propter ſitum, & diſtantiam, vt ei res neceſſariæ ſuppeditentur; demùm (11) ſi aëris ſit ea intemperies, vt plurimæ ægritudines, & frequens mors eueniant. Et quidem ſi redditus Monaſterio omninò deficiant, vel

8. *Cap. Quæ ſemel, 19. q. 3.* & Gloſſa *ibi.*

9. *Cap. Si quis vult, 16. q. vlt.*

10. *Cap. Tres, de conſecr. diſt. 1.*

11. *Cap. Quorundam, 73. diſt.*

vel ita vt paucæ Moniales victitare queant, nec ſpes detur inſtaurandi illos, Monaſterium eſt extinguendum; & illæ Moniales, quæ ſuperuiuunt, ad alia Monaſteria ſunt ducendæ. Cæterùm ſi Monaſterium transferendum ſubiectum ſit Regularibus, nequit tranſlatio fieri abſque licentia Epiſcopi; ſicut etiam hæc requiritur, (12) vt de nouo fundentur Monaſteria eiuſmodi Regularibus ſubiecta.

12. Sic decreuerũt Clemes VIII. Gregor. XV. Vrban. VIII.

7 Qui poteſt licentiam conferre ad ingrediendum monaſteria Monialium, poteſt ipſe ingredi ex rationabili cauſa.

8 Nequit Prælatus concedere licentiam ingrediendi Monaſterium matri, aut ſorori cauſa viſitandi filiam, aut ſororem monialem (13) etiam ægrotantes vſque ad mortem; nec cum Habitum ſuſcipiunt, aut Profeſſionem emittunt.

13. Extat Declaratio Sacræ Congregationis, quam afferunt Rodrig. *tom. 1. qq. reg. q. 46. art. 11.* Quarant. *verb. Monaſteria Monialium, pag. 327.*

9 Non ſiunt monaſterij ea, quæ religioſus ante Profeſſionem moriens habebat, etiamſi priùs in fauorem illius bona renuntiauerit, quia ſemper intelliguntur renuntiata, ſi profeſſionem emittat; (14) niſi ipſe poſſet pro tunc de eis bonis diſponere, & teſtamentum, aut donationem inter viuos feciſſet. Vide alia plura verbo *Moniales*, & verbo *Regularis*.

14. Nauarr. *cõſil. 1. de ſtatu Mon.*

## *Moniales.*

1 MOniales non teneri ſub peccato mortali ad recitandum Horas Canonicas, certò probabile eſt; (1) nam nec ius diuinum, nec lex Eccleſiaſtica datur eas obligans; & de conſuetudine dubitant plurimi, an introducta fuerit animo ſe obligandi; & in eo dubio præſumendum eſt, inductam fuiſſe ex ſola deuotione. Probabilius eſt, teneri, quia communior Authorum cenſet, eam conſuetudinem dari obligantem ſub mortali, & ſic fuiſſe inductam. (2) Sermoque eſt de Monialibus addictis choro, nam Conuerſæ non tenentur.

1. Bordonus. Mart. de S. Ioſeph. Ioan. Medina. Marchantius. Caramuel, & plures apud Me *in S. Aterã, diſſ. 7. q. 2.*

2 Exploratio voluntatis puellæ facienda eſt ante Profeſſionem, & ſic communis praxis intelligit decretum

2. Card. Toletus. Suarez. Leſſius. Sa.

Fillíucius. Bonacina. Buſembaum. Ego cum aliis *vbi ſuper.*

cretum Tridentini. Vbi eſt numerus præfixus Monialium, nequit dari expectatiua loci primò vacaturi, nec de eo in Capitulo agi, vt decreuit Sacra (3) Congregatio Concilij. Si redditus creſcant, poteſt ſupra numerum admitti alia, aut aliæ, iuxta eorum incrementum; nam numerus præfigitur, ne Monaſterium grauetur. Numerus Conuerſarum non poteſt excedere tertiam partem cæterarum. (4) Non poteſt Prælatus, renuente maiori parte Capituli, cogere ad admittendam fœminam, nec ad impertiendam ei profeſſionem. (5) Sed renuente adhuc Prælata poteſt admitti de conſenſu maioris partis Capituli. Muta poteſt admitti. Nouitiatus debet eſſe vnius anni de momento ad momentum, nec interrumpitur ex eo, quòd nouitia per aliquod tempus cum licentia egrediatur è Monaſterio, vel ſi ad aliud Monaſterium eiuſdem Ordinis transferatur. (6) Aliud erit, ſi egrediatur animo deferendi Religionem, & illicò pœnitens redeat: nam is animus interrumpit nouitiatum, & reddit fœminam extra obedientiam.

3. Apud Me *de Ordin. Milit. d.14. q.1.*

4. Moſconius apud Me *vbi ſuper.*

5. Card. Lugo *vbi ſuper.*

6. Bordonus. Lezana. Sanctarellus. Diana *vbi ſuper.*

3 Intra bimeſtre ante profeſſionem (& ſufficit die vltimo bimeſtris) debet à nouitia fieri renuntiatio bonorum iuxta Tridentinum, (7) ſcilicet irreuocabilis: nam aliæ donationes, ſeu obligationes reuocabiles poſſunt fieri quouis tempore. (8) Prærequiritur licentia Prælati ad renuntiationem, & hæc facta intra bimeſtre nequit reuocari, niſi per teſtamentum, ſi fortè moriatur nouitia ante Profeſſionem. (9) Fructus autem etiam facta renuntiatione, pertinent ad renuntiantem vſque ad Profeſſionem. Si Nouitia egrediatur è Religione, aut ad aliam tranſeat, aut inualidam Profeſſionem emittat, corruit renuntiatio. (10)

7. *Seſſ. 25. de Regular.*

8. Caſtr. Palao apud Me *ſup.*

9. Barboſa. Th. Sanchez apud Me *de Ordin. Milit. d.14. q.1.*

10. Th. Sanchez apud Me *ſup.*

4 Non eſt ſimonia recipere dotem pro admiſſione Monialis, cum accipiatur pro onere temporali ſuſtentandi illam, quod eſt pretio æſtimabile. In Tridentino (11) prohibetur recipi dotem ante profeſſionem; ſed ſi præſtetur cautio reſtituendi dotem, ſi Nouitia non profiteatur, (12) ſatisfit menti Concilij. Dotem non poſſe ſolui in bonis ſtabilibus,

11. *Seſſ. 25. de Regular. c. 16.*

12. Suarez.

declarauit

declarauit Sacra Congregatio Concilij; ſed quia id præſtitit ad vitandas fraudes, ne bona æſtimentur plus iuſto, ſi fraus ceſſet, non contrariabitur ei declarationi acceptio bonorum immobilium pro dote. Si ſponte ſua Monialis ad aliud Monaſterium tranſeat, non debet dos reſtitui, quæ non fuit tradita ſub conditione, quòd perſeueraret. (13) Si ob delictum Monialis extrahatur à Monaſterio, & dos Fiſco applicetur, non tenetur Monaſterium eam alere. Circa alienationem dotium ſtandum eſt legitimæ conſuetudini. Sanè Sacra Congregatio die 16. Iunij, anno 1615. declarauit, dotes Monialium intra numerum præfixum poſſe alienari; ſi verò aliquæ admittantur extra numerum, non poſſe alienari, ſed impendi in bonis ſtabilibus. (14) Velum communiter imponitur Moniali in profeſſione, vt ſignificetur tradi in ſponſam Chriſti, cum olim velato capite ſponſæ viris traderentur.

Apud Me *tom. de Ordin. Milit. d. 14. q. 2.*

13. Bonacina. Apud Me *vbi ſuper.*

14. Gauantus. Tamburinus. Apud Me *vbi ſupra.*

5 Conſuetudo induxit, Moniales retinere aliquos redditus annuos inſumendos de licentia Prælatæ; nam Monaſteria non miniſtrant neceſſaria. Tridentinum autem prohibens Religioſis vſumfructum, exponitur de vſufructu habito vt proprio, (15) & irreuocabili per Prælatos. Poteſt Monialis acceptare legatum relictum ſub conditione, quòd Superior permittat, (16) cum hæc conditio non ſit turpis; & ſi Ordo ſit capax hæreditatis, valet ſuccedere in hæreditatem ab inteſtato, & capere legata in teſtamentis relicta, ſed ea omnia bona fiunt Monaſterij. Minimè poteſt Monialis diſponere in morte de bonis, quorum vſum habet, nam vſus morte finitur: nec reuocare teſtamentum conditum ante profeſſionem, nam qui nequit condere illud, nec reuocare poteſt: nec Prælatus poteſt concedere licentiam ad teſtandum de vllis bonis, (17) cum id ſapiat naturam dominij. Monialis, quæ cogitur exercere Officium Conuentus requirens plures expenſas, quas nequit ex ſuo peculio ſupplere, ſi ei negentur ex bonis Communitatis, poteſt eas ex illa ſibi accipere, cum non teneatur ad impoſſibile, & locum habeat tunc rationabilis compenſatio. Poteſt etiam eas expenſas

15. Th. Sanchez. Apud Me *ibid.*

16. Molina. Apud Me *de Ordin. Milit. d. 14. q. 2.*

17. Th. Sanchez. Apud Me *vbi ſuper.*

ab amicis, ſeu conſanguineis poſcere, & accipere; nam Superioriſſa commendans ei id officium, licentiam tacitè ad id conceſſit.

6 Nequit Abbatiſſa imponere præcepta ſanctæ Obedientiæ, (18) habet enim ſolùm poteſtatem domeſticam, & ciuilem, ſicut mater in filios; & impoſitio eiuſmodi præceptorum eſt actus iuriſdictionis ſpecialis. Poteſt autem materia eſſe adeò grauis, vt violatio illius, dum iubetur, ſit peccatum graue, ſicut Principes ſæculares poſſunt ſuis legibus obligare ad mortale ob materiæ grauitatem; quod dijudicandum erit ex materia, (19) & circunſtantiis iuxta regulas prudentiæ. Cæterùm eſt certò probabile, (quamvis probabilius id, quod diximus) poſſe Abbatiſſas (20) imponere præcepta in virtute ſanctæ Obedientiæ. Non tenentur Moniales obedire Vicariis, ſeu Confeſſariis; (21) nam hi ſolùm deſignantur ad Sacramentorum adminiſtrationem. Monialis vouens obedire Abbatiſſæ, in prima ſententia non peccat grauiter tranſgrediendo præceptum, quod nequit imponere, quia per votum non contulit ei iuriſdictionem ad imponenda præcepta. (22) Poterit autem Prælatus concedere Abbatiſſæ, vt ſuo nomine imponat præcepta, quæ ſanè obligabunt vt præcepta Prælati.

7 Niſi detur priuilegium, aut conſuetudo legitima, nequeunt Moniales intra Chorum, nec intra Domum retinere Euchariſtiam. Sic decreuit Tridentinum. (23) Et Clemens VIII. etiam decreuit, Sacerdotes non poſſe celebrare in Eccleſiis Monialium abſque licentia Prælati ipſarum. Nequeunt Sæculares ſepeliri intra ſepta Monaſterij, ſed ſolùm in Eccleſia. Ita declarauit (24) Gregorius XIII. Abſque culpa poſſunt Moniales ſacriſtæ tangere Corporalia (idem dic de ſimilibus) vt ea componant; & Agnos Dei illæ, qui eos artificioſè ornant. (25) Ex Decreto Gregorij XIII. nequeunt (26) Moniales habere oſtium, per quod ad Eccleſiam egrediantur. Conſuetudine non eſt admiſſum Decretum Pij V. prohibentis (27) admitti Conuerſas, & item fœminas ſæculares, vt probentur ad ſuſcipiendum Habitum;

18. Sylueſter. Valentia. Th. Sanchez. Baldellus. Portel. & alij apud Me *ſup. q. 3.*

19. Th. Sanchez *vbi nuper.*

20. Lezana. Rodriguez. Cornejo. Azor. Salas. Naldus, & alij *ſuprà.*

21. Miranda *vbi ſup.*

22. Baldell. *ſup.*

23. Quintanad. Apud Me *de Ordin. Milit. d. 14. q. 4.*

24. Apud Portel. *vbi nuper.*

25. Th. Sanchez, & alij *ſuprà.*

26. *Ibidem.*

27. Apud Th. Sanchez *ibid.*

tum; & ſanè hæ ob alias etiam cauſas de licentia Prælatorum admittuntur in pluribus Monaſteriis.

8 Poſſunt Moniales eſſe teſtes in cauſis criminalibus aliarum Monialium, (28) & duæ ſufficiunt ad condemnationem, eſtò non ſufficerent duæ fœminæ jæculares. Non autem poſſunt cogi ad teſtificandum in cauſis criminalibus ſæcularibus, nec in ciuilibus, (29) niſi quando aliundè nequit conſtare veritas. Non comprehenduntur Moniales in prohibitione, (30) quòd Religioſi nequeant ſuſcipere baptizandos. Non peccat ſaltem grauiter Monialis aſſumens ad aliquam actionem ludicram alium Habitum per breue tempus, etiamſi ſit habitus viri, vbi non ſit acceptata Declaratio (31) Cardinalium id prohibens. Per aliam Congregationem (32) prohibitum eſt erigi Confraternitates in Eccleſiis Monialium. Certò probabile eſt, (ſed probabilius oppoſitum) poſſe eſſe abſque diſpenſatione (33) Superioriſſam eam, quæ illegitima eſt, quia nullum ius obſtat. Et licèt conuenientius ſit, virginem præeſſe virginibus, poteſt eſſe Abbatiſſa non virgo. Vltra triennium, niſi vbi ex priuilegio ſunt perpetuæ (quales in Catalaunia aliquæ ſunt) non poſſunt eligi Abbatiſſæ, ſed dum durat electio, munus Præſidentium habere queunt.

28. Rodriguez, & alij *ibid.*

29. Lezana, & alij *ibid.*

30. Quintanad. & plures *ibid.*

31. Apud Barboſ. *ibid.*

32. Apud Ricciul-lum *ibid.*

33. Rodriguez. Lezana. Portel. Apud Me *de Ordin. Milit. d.14. q.4.*

9 Gaudent Moniales priuilegiis, quorum ſunt capaces, ſui Ordinis; nam in eis non attenditur (34) ſexus, ſed ſtatus; quin ſi Religio earum gaudeat participatione priuilegiorum, communicant priuilegia immediatè, aut mediatè, aliorum Ordinum, & Monialium. (35) Puellæ ſæculares, quæ in Monaſteriis educantur, non ſunt exemptæ à poteſtate fori ſæcularis. Si autem ibi delictum committant, certò probabile eſt, (ſicut & oppoſitum) gaudere (36) immunitate Eccleſiaſtica. Laicus addictus obſequio Monialium ornatus habitu Religioſo, vtpotè pertinens ad perſonas Religioſas, exemptus eſt (37) à foro ſæculari, & gaudet (38) priuilegio Canonis, quo etiam gaudent Conuerſæ, & Nouitiæ, ſicut Conuerſi, & Nouitij Religionum.

34. Suarez, & alij *vbi ſuper.*

35. Peyrinus. Peregrinus, & alij *ſuper.*

36. Bonacina, & alij *ſuper.*

37. Bonac. *ibi.*

38. Diana *ibi*, & alij.

10 Moniales de conſenſu Prælati Religioſi poſſunt ſe

39. Th. Sanch. & alij *suprà.*

40. *Sess. 25. de Regular. c. 14.*

41. Barbosa, & alij apud Me *suprà.*

42. Miranda, & alij *suprà.*

43. Suarez, & alij apud Me *de Ordin. Milit. d. 14. q. 4.*

44. Tamburinus. Apud Me *nuper.*

45. Th. Sanchez. Leſſius *vbi nuper.*

46. Lezana, & alij *nuper.*

ſe ſubiicere Ordinario, ſi id cedat in ipſarum (39) bonum. Si Monialis cum ſcandalo delinquat, & non puniatur à Prælato Regulari, poterit ab Epiſcopo puniri (40) iuxta Tridentinum. Prælatus Monialium poteſt ingredi clauſuram in caſibus magnæ neceſſitatis, & ad miniſtranda Sacramenta, & ſecum ducere ſocium, ſicut (41) poteſt ducere Confeſſarius; item tempore viſitationis, & tunc ducere (42) tres ſocios: non verò in electione, quam facere debet ante cancellos. Eligenda autem in Superioriſſam debet habere quadraginta annos expletos ætatis, & octo poſt Profeſſionem. Quòd ſi nulla eſſet eius ætatis, poteſt diſpenſare Prælatus, vt eligatur quæ excedat triginta annos ætatis. Quin certò probabile eſt, eas conditiones non eſſe de eſſentia (43) valoris electionis. Monialis ægrotantis ſuffragium poſcendum eſt. Si conſuetudo permittat, quòd eligentes poſſint variare, & adhærere ei, in quam plures conſenſerint, & tunc ſtet dimidia pars ſuffragiorum pro vna, (quæ iam ſuum dederat pro alia) tunc ea variare poterit, (44) & conſentire in ſuimet electionem. In aliis caſibus nulla poteſt pro ſe ſuffragium ferre, ſicut nec vllus alius in electionibus. Superioriſſa poteſt irritare vota Monialium, (45) quia habet poteſtatem dominatiuam, præter votum transeundi ad Religionem arctiorem; nam hoc etiam ea inuita poteſt adimpleri. Poteſt Abbatiſſa (ſicut & Prælatus Monaſterij virorum) conferre extraneis communicationem bonorum operum, quia (46) habet authoritatem diſpenſatiuam bonorum communium Conuentus. Ex bonis Monialis defunctæ, quæ Communitati cedunt, poteſt ex rationabili præſumpta voluntate Conuentus inſumere centum ſcuta v. g. in Miſſis pro ea celebrandis. Valet ſuis ſubditis licentiam concedere ad accipiendum, & diſponendum de bonis ad ſuos vſus conceſſis; & de bonis monaſterij eleemoſynas erogare, & donationes remuneratorias, habito reſpectu ad redditus Domus.

11 Poteſt Confeſſarius ingredi ad miniſtranda Sacramenta moniali ægrotanti non ſolùm in periculo mortis,

mortis, ſed quoties ipſa pro ſua deuotione velit, ſeu quoties ſana ſolebat Sacramenta recipere, (47) etiamſi id faceret quotidie; nam eo ſolatio ſpirituali non eſt priuanda, quo plus indiget ægra, quàm ſana: eaque eſt cauſa iuſta ingrediendi; eique ſufficit licentia, quam habeat, dum iuſta adſit cauſa. Similiter poteſt ingredi ad aſſiſtendum moribundæ, quouſque è vita decedat. In ingreſſu autem ad ſepeliendas defunctas, ſeruanda eſt conſuetudo cuiuſque Monaſterij. Quando à Prælato deputatus eſt Cõfeſſarius Monialibus, debet ille bis aut ter in anno alium extraordinarium deſignare, cui liberè confiteantur, (48) iuxta Tridentinum; ſecùs ſi Moniales, præter Confeſſarium deputatum, poſſint confiteri cuilibet approbato ab Ordinario; nam tunc ceſſat finis Tridentini.

47. Villalobos. Rodriguez. Portel. Th. Sanchez. Diana. Quintanad. Tamburinus. Apud Me *ſup. q. 5.*

48. *Seſſ. 25. de Regular. c. 10.*

12 Clauſura Monialium eſt illud ſeptum, extra quod non licet Monialibus egredi, nec externis intrà ingredi. Per conſuetudinem legitimè inductam poſt Tridentinum (in quo clauſura ſeuerius fuit præcepta omnibus Monialibus) poteſt derogari clauſuræ, (49) cum hæc non ſit de iure diuino. Si Monialis intra rotam volueretur ad locum externis (50) patentem, violaret clauſuram. Certò probabile eſt oppoſitum, eſtò grauiter peccaret. (51) Si aſcendat tegulas, aut murum Monaſterij non violat clauſuram, (52) quia adhuc ea pars eſt pertinens ad clauſuram; vnde eam violaret externus, qui illuc aſcenderet. In Monaſterium, quod actu ædificatur, poſſunt ingredi externi, eſtò ibi aliquæ Religioſæ aſſiſtant, ſed ſeparatæ, & & ſuis valuis incluſæ, quæ non poterunt exire ad locum, vbi ædificatur. (53) Sicut ſi ædificetur Monaſterium virorum, in quo non Communitas, ſed duo aut tres Religioſi aſſiſtant, poſſunt fœminæ ad locum, vbi ædificatur, accedere. Quòd ſi Monialis, adhuc ſine licentia exiret è Monaſterio, poſteà exiens è domo particulari, per hunc exitum ſecundum non violaret clauſuram, (54) ſed per primum.

49. Suarez. Th. Sanchez. Caſtr. Palao. Azor. Layman. Gibalinus, & alij apud Me *de Ordin. Milit. d. 14. q. 6.*

50. Comitolus. Portel. & alij *ſuprà.*

51. Tamburin. & alij *ſup.*

52. Texeda, & plures *ſuprà.*

53. Gibalinus, & alij *ſuprà.*

13 Lex clauſuræ obligat omnes Moniales, etiam Conuerſas, in Communitate ſub Religione approbata

54. Nauarrus, & communis *ſup.*

ta viuentes, non verò Nouitias, (55) nec fœminas, quæ aliquem pium modum viuendi ſectantes in aliqua domo includuntur, nec ſub Religione approbata degunt.

55. Zerola, & alij *ſuprà.*

14 Reges, & Reginæ poſſunt ingredi Monaſteria Virorum, ac Monialium, ſicut & Fundatrices, (56) & pueri ante vſum rationis; non tamen amentes adulti, ſicut nec fœminæ amentes adultæ in Monaſteria Virorum, cum poſſint eſſe materia peccandi. Si ob cauſam ſit extra Monaſterium Monialis, poteſt ingredi Monaſterium aliud eiuſdem Ordinis, non (57) alterius. Standum eſt conſuetudini, & acceptationi Bullæ Pij V. quæ incipit *Decori, & honeſtati*, præcipientis, licentiam ad egreſſum Monialis è Monaſterio conceſſam à Prælato Regulari approbandam fore ab Epiſcopo. In Hiſpania (58) non eſt acceptata. Moniales Sanctæ Claræ votum clauſuræ emittunt, (cæteræ præcepto obligantur) & ſolùm in caſibus in Regula expreſſis poteſt Prælatus earum concedere licentiam ad ingrediendum ipſarum monaſteria, (59) vt Iulius II. decreuit. Si neceſſitas vrgeat, & nequeat adiri Prælatus, poteſt de præſumpta eius licentia Superioriſſa concedere licentiam Moniali ad egrediendum, (60) & externo ad ingrediendum clauſuram, non verò in aliis caſibus. Non eſt in vſu in Hiſpania, vt licentia ingreſſus detur in ſcriptis; & certò probabile eſt (61) non pertinere ad ſubſtantiam, ſed eſſe formam ſolùm quoad forum externum. Quando Prælatus præbet licentiam ingrediendi, ſupponitur dari conſenſum Conuentus, vt perturbationes (62) vitentur; & in Breuibus ita exprimitur.

56. Th. Sanchez. Rodriguez. Caſtr. Palao. Gibalinus, & alij *ſuprà.*

57. Peyrinis. Bonacina. Th. Sanchez. Llamas, & plures apud Me *de Ordin. Milit. d.* 14. *q.* 7. §. 2.

58. Portel, *vbi nuper.*

59. Ego *ſuprà.*

60. Th. Sanchez, & alij *ſuprà.*

61. Valerius. Souſa. Homobonus, & alij *ſuprà.*

62. Caſtr. Palao, & alij *ſup.*

15 Ingrediens Monaſterium ad aliquod munus, etiamſi luſtret totam domum, (63) grauiter non peccat; nec Monialis egrediens ad aliquid peragendum, ſi eo peracto, immoretur extra Monaſterium, dum mora non ſit notabilis. Cauſæ ad egrediendum è Monaſterio ſunt epidimia, lepra, peſtis, incendium, bellum, inundatio, aut ruina domus, & ſimiles. Ad ingrediendum autem neceſſitas Medici, Chirurgi, Confeſſarij, architecti, operarij, &

63. Rodriguez. Miranda. Bonacina. Th. Sanchez. Molfeſius, & alij *ſup.*

& ſimilium. Poteſt quis, vt liberet ſe ab inimicis perſequentibus, aut à ſatellitibus, ingredi Monaſterium Monialium, quamprimùm poſſit, egreſſurus; quòd ſi ob delicti qualitatem non gaudeat immunitate Eccleſiæ, poterit (64) iudex ingredi, vt eum extrahat.

64. Bonacina, & alij *ſup.*

16 Monialis egrediens è Monaſterio abſque licentia, & comitantes, recipientes, cooperantes, & qui iniuſtè concedunt licentiam egrediendi, (65) contrahunt excommunicationem Pontifici reſeruatam, & hi vltimi alias pœnas contentas in Bulla Pij V. quæ incipit, *Decori, & honeſtati.* Ingrediens clauſuram contrahit excommunicationem à Tridentino latam, & præſumens ingredi prætextu facultatum ab antiquis Pontificibus conceſſarum, quæ reuocatæ ſunt per Paulum V. & Gregorium XIII. incurrit excommunicationem Pontifici reſeruatam.

65. Th. Sanchez, Gibalinus, Caſtro Palao, Llamas, & alij apud Me *de Ordin. Milit. d.* 14. *q.* 7. §. 2.

17 Epiſcopus præcipiens ſubditis ſub excommunicationis pœna, ne accedant ad collocutionem cum Monialibus, pariter comprehendit eos, qui accedunt ad Moniales exemptas ab Epiſcopo; nam acceſſus fit per locum ſibi ſubiectum. In prohibitione autem ea non continetur allocutio ex domo propria per feneſtras, (66) nec ſcriptio literarum.

66. Ego *vbi ſuper*, cum pluribus.

18 Moniales Ordinum Militarium ex conſuetudine præſcripta laxiorem clauſuram habent, ſtandumque eſt ei conſuetudini. Quòd ſi Monaſterium earum de nouo fundetur, clauſuram à Tridentino iniunctam debet obſeruare, etiamſi fundetur ad inſtar alterius Monaſterij non ſeruantis clauſuram; nam laxitas clauſuræ fit conſuetudine, conſuetudo autem non fit per voluntatem Fundatoris, nec per clauſulam Fundationis, ſed per actus proprios legitimè, & bona fide continuatos, (67) qui in Monaſterio nouo non dantur.

67. Ego *vbi ſup.* latè.

19 Moniales Iacobeæ dictæ *de las Iunqueras*, Barcinone in Principatu Catalauniæ vouent caſtitatem ſolùm coniugalem; indéque omnes, quæ volunt, nubunt; ſed adhuc nuptæ Inſigne Habitus exteriùs portant, & ſuis votis ligatæ manent; & circa clauſuram eſt ibi laxitas, cum de licentia Commendatariæ facilè

cilè exeant, oblata qualibet cauſa, & diu ſoleant eſſe extra Monaſterium.

20 In Breuibus, quæ conceduntur fœminis nobilibus, vt ingrediantur plura Monaſteria Monialium, ſolet apponi, quòd poſſint ſecum ferre quatuor, aut ſex matronas, quas ſemel electas non poſſint mutare, ſeu variare, niſi aliqua ex illis obeunte. Quod ita intelligendum eſt, vt ſemel electas ſecum ferant in omnia Monaſteria; (68) non verò quod reſpectu ſingulorum Monaſteriorum eas nequeant variare, & poſſint reſpectu alterius Monaſterij; ita vt pro quolibet ſint aliquæ fixæ; id enim eſt contra mentem Pontificis ſatis expreſſam in Breuibus. Et exinde ſumma ſequerentur incommoda, quæ Pontifex non patitur.

68. P. Eſparza, & alij à Me conſulti. Et ſtylus Romæ.

21 Monialis poteſt tranſire ad aliam Religionem, dum hæc ſit ſtrictior: fiat tranſitus non temerè, & abſque iactura in opinione prorsùs Monaſterij, & petita, eſtò non obtenta, & abſque cauſa negata, humiliter licentia à ſuo Prælato, (69) dum in Religione, in qua eſt, non ſit ſpecialis prohibitio tranſitus; in quo eodem modo ſe habent viri, & fœminæ regulares. Peccat grauiter Prælatus qui iniuſtè negaret licentiam tranſeundi ad ſtrictiorem Ordinem.

69. Th. Sanchez *tom. 2. in Decal. lib 6. c. 7.* Eman. Rodrig. Caſtr. Palao, & alij. *Cap. Licet, de Regular.*

22 Pius V. in Bulla *Decori, & honeſtati*, prohibuit ſub pœna excommunicationis reſeruatæ Sedi Apoſtolicæ Prælatis, ne concederent licentiam Monialibus exeundi è Monaſterio, niſi ob lepram, magnum incendium, & epidimiam. At cum eius finis in excipiendis his caſibus fuerit obſtare periculo imminenti, propter rationis ſimilitudinem extenditur ad caſum incurſus hoſtium, inundationis, & ſimilium. Quin ſi Monialis paralyſi, aut ſimili morbo periculoſo laboret, cuius vnicum remedium exire ad balnea ſit, id non prohiberi à Pontifice, certò probabilis eſt ſententia: quin & ſic reſpondiſſe Sedem Apoſtolicam à ſe conſultam, Nauarrus affirmat; (70) quare tutò poſſunt (71) Prælati, re examinata à medicis, eam licentiam concedere.

70. Affirmat Llamas *in Method. in Append.* §. 10.

23 In priuatione Officiorum, & inhabilitate ad illa contractâ à Moniali egrediente è Monaſterio abſque

71. Peyrinus *de priuil. Mendi-*

que legitima cauſa, poſſe Epiſcopum vigore Tridentini diſpenſare, ſi delictum id ſit occultum, eſt certò probabile.(72) Oppoſitũ verius eſt,& conformius Tridentino, quod non concedit niſi poteſtatem ad diſpenſandum in irregularitatibus ex delicto occulto, præterquam ex homicidio voluntario.

*cant. conſt. 6. Pij V. §. 10. q. 4. n. 24.* Nauarrus. Suarez. Graffis. Sorbus.

24 Abbatiſſa poteſt concedere Monialibus ſubditis eaſdem licentias ad expendendum ea, quæ in ſuos vſus habent, quam poſſunt concedere Prælati Religionum ſuis ſubditis. (73)

Ioan. de la Cruz. Diana. Bobadilla. Lezana, & alij.

25 Licentiæ conceſſæ ante annum 1575. nobilibus fœminis hoc aut illo titulo, quicumque hic ſit, & ſub quibuſcumque clauſulis conceſſæ, adhuc exigentibus ſpecialem mentionem, derogatæ, & reuocatæ ſunt clariſſimè, & abſque tergiuerſatione, eo anno à Gregorio XIII. (74)

72. Th. Sanchez *lib. 6. in Decal. c. 13. n. 78.* Eman. Rodrig. Sorbus.

26 Vbi viget excommunicatio (vt in Italia) contra Religioſos colloquentes cum Monialibus, ſi vni detur ab Epiſcopo, aut Pontifice licentia colloquendi cum Moniali, & ille ob decentiam, ſeu ſui Ordinis regulas ſecum introducat ſocium, certò probabile eſt, ſocium non contrahere excommunicationem, etiamſi ipſe tunc cum Moniali colloquatur. Præterea ſi licentia concedatur pro tali die, & in eo quis non potuerit adire Monialem, poteſt altero die, dum is non ſit ex prohibitis, quibus nunquam datur licentia colloquendi. Cæterùm ea excommunicatio non comprehendit colloquentes cum Superioriſſis, nec cum nouitiis. At comprehendit eos, qui nutibus, & ſignis loquerentur cum Moinali; ſecus ſi per interpretem, aut ſi taciti eam loquentem audirent. Aduenæ autem, & peregrini non ſubiecti Epiſcopo ſi loquantur cum moniali illi ſubiecta, non incurrunt (75) excommunicationem ab eo latam. Nomine autem Monialis in præfata excommunicatione intelliguntur etiam conuerſæ. Vidi autem, & legi declarationem authenticam Sacræ Congregationis, in qua exponit, non dari paruitatem materiæ in colloquiis cum Monialibus, ita vt etiam ad breuiſſimum tempus religioſus colloquens cum aliqua in excommunicationem incidat.

73. Diana *part. 1. tr. 6. reſ. 22.* Th. Sanchez. Caſtr. Palao, & communis.

74. In Bulla, quæ incipit, *Vbi gratiæ.*

75. Diana *p. 3. tr. 2. reſ. 48. & p. 10. tr. 14. ex reſ. 49.*

27 Decretum

27 Decretum iniungens, quod colloquens cum Moniali limitato tempore loquatur, ac ſint intus auſculatrices, & foris Confeſſarius Monaſterij, aut non eſt vſu receptum,(76) aut non obligat ſub mortali.

76. Santorus. Diana, & alij.

28 Quando adeſt cauſa, vt Monialis ab vno Monaſterio in aliud transferatur, poteſt Prælatus vtriuſque Monaſterij eam (77) transferre, ita vt ſi commodè poſſit ad Monaſterium ſub eadem Regula militans transferri, ad illud fiat tranſlatio; ſin verò poteſt Epiſcopus ad aliud diuerſæ Regulæ pariter ſibi ſubiectum eam mutare. Prælatus autem Regularis, cum ſub ſe non habeat communiter niſi Monaſteria Monialium ſui Ordinis, ſolùm ad vnum ex illis valet monialem transferre.

77. Nauarr. *conſil.* 48. *de regular.* & communis.

29 In electione Superioriſſæ per ſuffragia videndum eſt iuxta cuiuſvis Ordinis, aut Monaſterij ſtatuta, an omnes Moniales profeſſæ, (quo numero non comprehenduntur conuerſæ) habeant ſuffragium; & illæ ſunt ſuffragaturæ per ſecretum ſcrutinium, & ſtatim hoc videndum, & publicandum; & publicato ſcrutinio (78) nulla poteſt variare. Quod idem contingit in electionibus Prælatorum Regularium. Vide verbo *Abbas*, & *Abbatiſſa*.

78. Sylueſt. *verb. Electio* 3. *q.* 7. Gofredus. Panormitan. & communis.

30 Poteſt Epiſcopus concedere facultatem, vt mulier nupta, quæ ſibi mortem rationabiliter timet à marito inferendam, ſecuritatis cauſa (79) ſe in Monaſterium monialium recipiat; attamen ſi alibi ſecura eſſe valet, nequit hanc ille facultatem concedere; & ſemper curare debet, vt quamprimùm fieri poſſit, è monaſterio exeat.

79. Azor, & aliqui.

31 Circa fundationem nouam Monaſterij Monialium hæc ſunt obſeruanda. Quòd licentia, quæ ab Epiſcopo eſt priùs obtinenda, non poteſt (80) concedi à Capitulo Sede vacante. Deinde quod locus, ſeu ſitus, in quo erigitur, diſtet ab alio quolibet Monaſterio ex his, quæ priuilegio de diſtantia cannarum gaudent, centum, & quadraginta cannis. Demùm quòd ante licentiæ conceſſionem audiantur illi, qui aliquod poſſunt habere intereſſe in eo, quod

80. Ita declarauit Sacra Congregatio.

quòd non fundetur nouum (81) monasterium. V.g. Fundandum est monasterium monialium Capuccinarum, quæ ex eleemosynis erogatis victitent; si in oppido sint alia, vel aliud monasterium pariter ex eleemosynis sustentatum, potest id reclamare, contra fundationem, opponendo eleemosynas sibi fore imminuendas, nec vtrique suffecturas eas, quæ colligentur, pro qualitate, & exiguitate oppidi. 81. Extat Decretū Clemēt. VIII. quod affert Diana *p.* 8. *tr.* 4. *res.* 68.

## *Monopolium.*

1 MOnopolium est conuentio mercatorum, vt nemo ipsorum vendat aliquam mercem infra tale pretium. Est etiam conuentio emptorum, vt aliquam mercem non emant, nisi tali pretio infra iustum. Quæ conuentiones sunt iniquæ, estò mercatores conuenirent in non vendendo nisi pretio iusto, sed supremo; & exinde oritur obligatio restituendi. Non tamen est monopolium conuentio emptorum, vt non soluant supra iustum pretium, cum nulli damnum in iustum inferant.

2 Quòd si omnes mercatores vnius oppidi, præter vnum, eam conuentionem iniissent, adhuc ille non posset accipere illud pretium à cæteris auctum; (1) nam cum attentis circunstantiis sit iniustum respectu aliorum, non potest esse iustum respectu ipsius; nec illud est pretium commune ex se, & ex communi æstimatione, sed ex iniqua conuentione, quod soluunt emptores, quia indigent merce, sed inuiti. Secus est, si ille inscius monopolij merces venderet pretio tunc communi. 1. Rebellus, & alij apud Me de *Bulla Cruc. d.* 35. *n.* 5.

3 Reductiuè ad monopolium spectat, cum res venduntur sub hasta, si quis vi, metu, aut minis cogeret alios, ne emerent, sed solus ipse emeret pretio infimo, quamvis iusto; & teneretur restituere damnum illatum, cum maiori pretio res forent à cæteris emendæ. Secus esset (2) si non cogeret, vel rogaret alios ne emerent, cum absolutè illi voluntariè ab emptione desisterent. 2. Reginaldus, & alij *vbi super*, *n.* 7.

4 Ad monopolium etiam spectat, si quis impediat

ne merces ad locum confluant, vt ſuas cariùs vendat, quod eſt iniuſtum; (3) vel ſi mercator abſcondat merces, quas iam ſemel expoſuit, vt earum detur inopia, & ſic eas cariùs vendat. Vel ſi emat omnes merces, v. g. omne frumentum, vt illud vendat quanti velit. Et id damnauit Pius V. (4)

3. Nauarra *de reſtit. lib. 3. c. 2. n. 78.* cũ aliis.

4. In Decreto *de cambiis.*

5 Reſtitutio facienda causâ monopolij, arbitrio prudentis, & ſapientis eſt menſuranda, iuxta exceſſum pretij prouenientem ex ea cauſa, qui aliter non daretur. (5)

5. Mercado *de cambiis, c. 14.* Nauar. & alij.

6 Si venditores inter ſe conueniant de non vendendis mercibus niſi tali pretio ſupremo, aut exceſſiuo, poſſunt licitè tunc emptores conuenire inter ſe de non emendis illis, niſi certo pretio, ſanè iuſto; (6) nam id eſt vim vi repellere, quod vnicuique licet: nec hi tunc monopolio vtuntur, ſed prudenti induſtria.

6. Sotus *de iuſt. l. 6. q. 2. art. 3. in fin.* Graffis.

7 Licitum eſt Principibus deſignare aliquos, qui ſoli nonnullas merces pretio competenti vendant; (7) id enim vtilitas communis exigit, & præterea inde ipſi Principes redditus ſibi neceſſarios comparant. Quare poſſunt vendere priuilegium eas merces vendendi, vtputà ſalem, tabachum, chartas pictas, papyrum ſignatam, & alia huiuſmodi.

7. Graffis *in deciſ. lib. 2. c. 114. n. 4.* Nauarrus. Roſella. Sylueſter, & alij.

## *Mora.*

1 MOra, & culpa æquiparantur, niſi in eo, quòd mora poteſt (1) purgari. Cum quis eſt in mora culpabili, ac notabili ſoluendi, aut reſtituendi, quod debet, tenetur ſoluere damna emergentia, & lucra certò ceſſantia creditori, ſi id fuit pactum in contractu. Et quidem cum in contractu, aut obligatione præfigitur dies, non eſt opus admonere debitorem, vt ſoluat; nam dies (2) pro homine interpellat. Si dies non ſit appoſita, prærequiritur monitio antequam quis ſit in mora ſoluendi; (3) quod tamen non ita ſe habet in eo, qui tenetur reſtituere, qui monitione non indiget, & obligatus eſt ex delicto,

1. *Leg. Seruum, ff. de verb. oblig.*

2. *Cap. vlt. de locat.*

3. Panormitan. *in cap. Licet, de ſimon.* Fumus.

cto, atque adeò tenetur ad damna, & lucra ceſſantia, dum eſt in mora.

2 Excuſant à mora impoſſibilitas, & ignorantia; ac præterea non eſt in mora is, qui poteſt ſe tueri (4) legitima exceptione.

4. *Cap. Non eſt in mora, de reg. iur. lib. 6.*

3 Mora nocumentum affert debitori, non creditori; nempe ſi dum quis eſt in mora ſoluendi frumentum, id aliquis ab eo furetur, ipſi damnum prouenit; nam adhuc ſoluere tenetur. Aliud erit, ſi res ſoluenda, aut reſtituenda, v. g. equus, certò eſſet eodem modo periturus apud creditorem: tunc debitor (5) liberatur. In dubio autem, an eſſet eodem modo periturus, non liberatur (6) debitor. Cæterùm ſi creditor fuit in mora accipiendi debitum, ei mora nocet, non debitori, ſi fortè res pereat.

5. *Leg. fin. §. 1. ff. ad legem Rhod. de iact.*

6. *Leg. Cùm res, ff. de legat. 1.*

4 Exceptio admittitur ad purgandam moram, ſed etiam elidi poteſt, & tunc non eſt exceptio legitima; (7) v. g. Per metum iuſtum ſibi incuſſum obtulit Petrus non petere debitum à Paulo, niſi poſt annum; petit ante annum: Paulus exceptione oblationis, ſeu promiſſionis ſibi factæ ſe defendit; hæc non eſt exceptio legitima, quia eliditur oſtendendo, promiſſionem fuiſſe factam per metum iuſtum.

7. *Sylueſt. verb. Mora, q. 2. Ioan. Andreas.*

## *Mutuum.*

1 NOn eſt licitum mutuanti aliquid vltra ſortem exigere, ex eo quòd ſe obliget ad non repetendam ſortem vſque ad certum tempus. Contraria propoſitio damnata eſt ab Alexandro VII. anno 1666. die 23. Maij.

2 Mutuum autem eſt datio reuocabilis rei vſu conſumptibilis, tranſlato dominio; in qua tranſlatione differt à locatione, vt cum domus locatur; & à commodato, vt cum commodantur res mobiles, veluti equus. Inde ſi res mutuata perit etiam abſque culpa mutuatarij, ei perit, & non mutuanti.

3 Quando aliquid mutuatur, regulariter debet reddi in eadem ſpecie. At aliqua ſunt introſpicien-

da. Mutuasti v.g. centum drachmas in quingentis monetis æreis; posteà ex voluntate Principis decreuit dimidium valoris eiusmodi monetarum; non satisfaciet mutuatarius, si tibi reddat eas quingentas monetas æreas, quæ iam non valent nisi quinquaginta drachmas. Etenim in rebus & est ipsa res materialis, & valor illius, qui non est semper idem. Contingit idipsum in mercibus. Frumentum, oleum, &c. hoc mense stant hoc pretio, & post aliquod tempus alio pretio. In auro, & argento idem videre est. Inclusisti in arca centum aureos, quorum tunc valor monetæ currentis erat in singulos quinquaginta drachmarum: extrahis illos post annum, cum valor accedit ad septuaginta, sanè eosdem aureos extrahis, ac inclusisti, non verò eundem valorem.

4 Hinc si mutues quatuor mensuras olei, & præuideas, plus posteà valituras tempore, ad quod poteras illas reseruare, poteris cum mutuatario pacisci, vt reddat tibi tantum valoris, quantum tempore solutionis valeant eæ mensuræ. (1) Nec propterea is fit contractus venditionis, cum possit mutuatarius in ipsa substantia olei tibi reddere totum valorem; nempe si pretium creuit, potest quinque olei mensuras reddere. Aliud est, si nec eras reseruaturus oleum, nec cum mutuasti, quidquam pepigisti. Cæterùm pactum præfixum non est vsurarium, nec enim ob beneficium mutuandi debet mutuans reddi peioris conditionis.

1. Couarruuias *lib. 2. variar. c. 3. n. 6.* Angelus. Medina. Paludanus. Scotus. Sylueſter. Conradus, & alij apud Nauarram *de reſtitut. lib. 3. c. 2. n. 262.*

5 Ex his cernitur, quòd si mutuatarius à te poscit centum drachmas argenteas, totidem tibi argenteas reddere tenetur, etiamsi in valore creuerint, cum potueris eas reseruare. Si verò poscit centum drachmas æreas, & illi præstas quinquaginta argenteas, quæ tunc illas centum valent, posteà non tenetur reddere nisi eas æreas, quas petiit, estò creuerit argentea moneta, quia non intendisti dare ei nisi valorem centum ærearum, easque in argenteis substituisti, quin ad harum valorem futurum inspiceres. Præterea si mutuasti centum drachmas argenteas (idem est, si pro capitali census annui absque apposita conditione eas vendidisti) eo tempore, quo drach-

ma

ma argentea, & ærea eundem valorem habent, etiamsi postea argentea crescat, non tenetur mutuatarius reddere tibi nisi centum drachmas æreas, cum tempore mutui perinde se haberent; & cum tunc nullius esset excessus valoris, non cogitabatur de incremento argenti, sicut cogitatur de maiori incremento contingenti, si iam crescere cœpit valor.

6 Quia vsura est lucrum habitum ratione mutui, videndi sunt casus appositi verbo *Vsura*, quò pertinent.

7 Mutuum præbere cum pacto, vt vbicumque petatur, sit reddendum, etiamsi quis ad alias Prouincias tendat, continet vsuram, quia ex vi mutui extorquetur lucrosa obligatio, siquidem cambiis est opus, vt pecunia transportetur. (2)

8 Mutuare cum pacto remutuandi continet (3) vsuram, nam illud pactum est pretio æstimabile.

9 Si res deponatur, aut pecunia apud aliquem cum facultate vtendi illa, transit in mutuum. Sicut etiam si quis det oleum, recepturus pro eo frumentum, est implicitum mutuum. (4)

2. Nauarra *de restit. lib. 4. c. 3. num. 15.* Nauar. & alij.

3. D. Thom. 2. 2. *q. 78. art. 2. ad 2.*

4. Eman. Sâ *verb. Mutuum, n. 6. & 7.*

N

## *Negotiatio.*

NEGOTIATIO strictissima est, quando res emitur, vt immutata reuendatur ad lucrum faciendum. Hæc non licet Clericis, nec Religiosis: (1) & Clerici, ac Religiosi negotiantes anathemate feriuntur. (2) Quam pœnam non contrahunt, si semel, aut iterum negotientur Nec iudicantur negotiari hi, qui non per se, sed per tertium negotiantur, ministrando dumtaxat pecunia; (3) nam sic solicitudinibus non vexantur. Alia est etiam negotiatio lucratiua, quando res emitur, immutatur, & venditur; veluti ex ferro fit securis:

1. Communis apud Me *de Ordin. Milit. d. 4. q. 9.*

2. *Cap. Secundum instituta. de Cleric. & Monach.*

3. Aragon. Salon.

Molina. Salas. Leſſius. Rebellus. Medina, & alij apud Me *ſuprà.*

ſecuris: ex agno aries. Hæ negationes partim prohibitæ ſunt Clericis, & Religioſis; partim licent; nempe eæ licent, quæ indecentiam non inuoluunt. Sic poſſunt agnos emere, & in propriis paſcuis alere, ac poſtea vendere: ſimiliter ex labore manuum valent victitare. Quin ſi Monaſterium, aut Clericus emit rem ad proprium vſum, abſque animo reuendendi, & poſteà ratione alicuius circunſtantiæ expediat ei illam reuendere, poteſt id præſtare: adhuc ſi non eſſet alia circunſtantia, niſi occaſio vendendi eam cariùs; (4) nam dum in emptione deficit animus reuendendi, non datur eſſentia negotiationis.

4. Guttierrez. Sylueſter *vbi ſuprà.*

2 Præterea Clericus ex fructibus Beneficij habens centum menſuras v. g. frumenti, indigens quinquaginta ad ſuſtentationem ſuæ familiæ, poteſt has emere eo tempore, quo vilius valet frumentum, & poſteà cum carius valet, vendere centum, quas habebat ex Beneficio, vel ex ſuis prædiis; quia non emit vilius eas quinquaginta, vt venderet carius, ſed vt ſe ſuſtentaret; & ei non prohibetur, nolle ſuſtentari ex illis centum propriis. (5)

5. Molina *tom.2. d.342 concl.2.* Card. Lugo. Fagundez.

3 Si Clericus indigens triginta amphoris vini ad ſui ſuſtentationem, habeat dolia domi ſuæ capientia centum, & emat centum ex motiuo vendendi ſeptuaginta cariùs, eſt negotiator, eique id non licet. Secus ſi motiuum principale eſſet, ne illa dolia vacuitate deteriorarentur. Sic etiam Clerici, & Religioſi œconomi ementes vinum, & pecora ad ſuſtentationem totius anni, poſſunt (6) plus emere, quàm indigent, non animo reuendendi, ſed ſupplendi, ſi vinum aceſcat, aut pecora in hyeme moriantur. Quòd ſi nihil horum acciderit, poterunt reuendere velut non neceſſarium.

6. Card. Lugo *tom.2.de iuſtit. d.26. ſect.3. n.32.* & alij plures.

4 Negotiatio, & mercatura laicis licet; non tamen ad vendendum carius vti fraudibus. Quo autem pretio queant emere, & vendere, vide *Emptio, & venditio.* Libris mercatorum creditur, ſaltem in his, quæ ſunt contra ipſos. (7) Si pluribus damnificauerint, ita vt nequeant reddi certiores de illis, reſtituere tenentur pauperibus; & vbi Bulla Cruciata

7. Nauar. *conſil.3. de procurat.* Bartolus. Iaſon, & alij.

viger,

viget, possunt vi illius componi. Vide *Bulla Compositionis*. Et de variis negotiationum generibus, vide *Contractus. Vsura.*

5 Licitum est aliquid accipere pro assecurandis mercibus, aut pecunia, quòd tradentur, & portabuntur ad aliud Regnum, vel Prouinciam, ita vt assecurator teneatur integrè eas soluere, si in via pereant. (8)

8. Fumus *in Armilla, verb. Negotiatio, n. 2.* Sylueſter. Archidiacon. & alij.

## *Nouitius.*

1 NOuitij in fauorabilibus gaudent priuilegiis suæ Religionis; quare fruuntur priuilegio Canonis, & lucrari possunt indulgentias ei concess (1) eodem modo, quo professi, & cætera alia fauorabilia exercere.

1. Plures apud Me *de Bulla Cruciat. d. 39. c. 37.*

2 Nouitius morti proximus ante peractum tempus nouitiatus potest professionem emittere, vt constat ex Motu (2) proprio Pij V. Quòd si tunc decedat, quin de suis bonis disponat, non succedit in illis Monasterium; (3) nam ea concessio Pontificis nihil operatur quoad hunc effectum, sed quoad alios ad animam spectantes. Oppositum est certò probabile.

2. Expedito die 23. Aug. 1570.

3 Potest nouitius (nisi obstent statuta suæ Religionis) suscipere Ordines à quouis Episcopo cum dimissoriis sui Superiotis, (4) sicut possunt Professi. Non tamen potest ordinari ad titulum paupertatis, veluti Professi, & qui emiserunt vota post biennium in Societate Iesu.

3. Rodriguez. Barbosa. Henriquez. Beja, & alij apud Me *de Ordin. Milit. d. 3. q. 15.*

4 Nouitius, qui ingreditur Religionem absque animo perseuerandi in illa, est reus grauis peccati; nam eam decipit, & cogit ad faciendum sumptus cum eo, atque adeò egrediens tenetur restituere illos. (5)

4. Th. Sanch. & alij apud Me *vbi nuper.*

5 Abbates exemptos, qui Regulares subditos possunt initiare prima tonsura, & quatuor minoribus Ordininibus, posse id præstare cum Regularibus nouitiis sibi subditis, (6) certò probabile est. At nec posse eos ordinare, nec eis præbere dimissorias, sed

5. Gobat. *in exper. Theol. tr. 8. n. 29.*

6. Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 8.*

*lib. 2. cap. 29. n. 13.* Gobat. & plures.

pertinere id ad Episcopum diœcesanum, eo quòd illi non sint rigorosè subditi Abbatis, est certius. (7)

7. Tamburin. *de iur. Abbat. tom. 2. d. 2. q. 10.* Miranda. Henriquez. Th. Sanchez, & alij.

6 Si sint Regulæ, aut Statuta in Religione obligantia sub peccato mortali, Nouitij, per se loquendo, non obligantur sub mortali ad ea seruanda; per accidens autem obligari queunt, aut ratione scandali, aut iuris naturalis. Nec tenentur confiteri Confessario in Religione designato, sed possunt cuilibet etiam extra Religionem, & absolui per eum à peccatis in ipsa Religione reseruatis, quorum reseruatio eos non ligat. (8)

8. Dicastil. *d. 11. dub. 7. n. 121.* Diana. Gobat.

7 Vt nouitium Iudex Ecclesiasticus constituat in loco libero ad eius explorandam voluntatem, debet prius probare is, qui id fieri cum eo intendit, quod leuitate animi habitum susceperit, aut fuerit deceptus. (9)

9. Diana *p. 11. tr. 3. res. 20.* Fagundez.

8 Estò duo examina earum, quæ Monialium habitum suscipiunt, requirat Tridentinum ab Ordinario facienda, vnum ante ingressum, aliud ante professionem; praxis autem induxit, vnum solùm fieri ante professionem, quo eius spontanea voluntas exploretur.

9 Hoc ipso, quod Nouitius exeat è Monasterio animo deserendi Religionem, interrumpitur nouitiatus; secus si ex licentia Superioris, adhuc illicitè concessa, quin & absque illa, retento habitu, absque animo exeundi à Religione, non interrumpitur nouitiatus. (10)

10. Th. Sanchez. Diana. Galuanus.

10 Si nouitius fuit absolutus à censuris, quas in sæculo contraxerat, vel fuit dispensatum in eius aliqua irregularitate, egrediens è Religione non reincidit in illas. (11)

11. Diana *part. 3. tr. 2. resol. 44.* Suarez, & alij.

11 Dum quis est Nouitius, prohibitus est per Tridentinum donationes Religioni facere. (12) At ibi non prohibetur, eas ante ingressum in Religionem facere; atque adeò factæ tenent.

12. *esf. 25. c. 16.*

12 Si quis admittatur in Religionem, vt sit conuersus, & tempore nouitiatus concedatur ei, vt sit Religiosus clericus, non indiget incipere de nouo tempus

tempus nouitiatus, cum tunc is in eadem Religione continuetur. (13)

13 Nouitius non amittit Beneficium Ecclesiasticum, (14) nec dominium bonorum suorum, de quibus testari potest, seruatis conditionibus testamentorum.

14 Si ante ingressum dedit quis omnia bona Religioni, & tempore nouitiatus redeat ad sæculum, ei sunt bona reddenda; (15) quia ea donatio censetur causa mortis ciuilis, nempe professionis, quâ non secuta, non confirmatur.

15 Etsi tempus vnius anni pro nouitiatu sit statutum, at in Societate Iesu biennium est determinatum. Quo tempore adhuc nouitij solent ob deuotionem tria vota simplicia emittere, quæ tunc emissa non constituunt eos veros religiosos, donec elapso biennio illa emittant. At ea vota eos obligant eo modo, quo si in sæculo emitterentur, obligarent; votum nempe castitatis ad seruandam mentis, & corporis puritatem; obedientiæ, ad obediendum Superioribus, ac si in sæculo vouissent obedire Confessario, aut Parocho; sed grauiter non peccatur contra id votum, nisi in casibus specialibus, veluti si præcipienti Superiori responderent, *Nolo*; vel si præcipienti in virtute Sanctæ Obedientiæ materiam capacem culpæ grauis, non obedirent. Votum paupertatis obligat ad non habendum quidquam absque facultate Superioris. Sic etiam si fœmina in sæculo, vxorata, vel cœlebs, ea vota emitteret promittens obedientiam Superiori Religionis alicuius, ad eadem teneretur, nisi quod in emissione voti castitatis, cernendum esset, an in vxorata esset castitatis coniugalis, aut absolutæ de licentia mariti.

13. Lezana. Diana, & plures.

14. *Cap. Beneficia, de reg. iur. l. 6.*

15. Fumus *in Armilla, verb. Nouitius, n. 16.* Panormitan. Bartol. & alij.

O

## *Obedientia.* Vide *Regulares.*

## *Occasio.*



Non est licitum constituere alium in periculo peccandi, seu in occasione v. g. adulterandi, furandi, &c. eo titulo, vt deprehensus in culpa meliùs corrigatur, adhuc si detur de eo suspicio. (1)

1. Th. Sanchez. Sà. Castr. Palao. Ego *in Stateradiff.* 1. *q.* 20.

Nam id non solùm est permittere malum, sed cooperari ad illud, quod ex nullo fine licet.

2. D. Antonin. Caietanus. Nauarrus. Armilla. Th. Sanchez. Sà. Lessius. Azor. Apud Me *de Iure Academ. lib.* 3. *q.* 36.

2 Non est præbere occasionem proximam peccandi, nec culpa grauis, virum, aut fœminam pretiosè, & molliter indui; si enim inde sequeretur, alium prouocari ad peccandum, esset scandalum non datum, (2) quia ornatus corporis per se, ac directè non prouocat ad luxuriam. Aliquando rarò ex nimio ornatu fœminæ si timeatur prudenter periculum ruinæ alicuius viri in speciali, ex lege charitatis tenetur fœmina abstinere ab illo, si absque difficultate possit. Sed non excusantur à peccato mortali fœminæ, quæ primæ introducunt vestes, ita vt pectore nudentur, vel quid simile; nam probabile est, inde multos scandalum esse passuros. Cæterùm aliunde potest esse peccatum graue indui vestibus pretiosis, scilicet si in eis insumatur amplius, quam quis potest expendere; v. g. filiusfamilias extra patriam degens, si in his insumat partem alimentorum, quam nequit disperdere; & patresfamilias, si inde reddantur imporentes ad familiam sustentandam, aut ad soluenda debita. (3)

3. Ego *vbi sup.*

3 Occasio proxima peccandi est graue peccatum, cum quis in illam se immittit, ratione causalitatis,

&

& connexionis cum peccato. Nec solùm est proxima, quæ ex sua natura habet esse peccati causam, sed ea, quæ ratione circunstantiarum, & fragilitatis alicuius, ita est causa peccandi, vt rarò in illa non peccet, (4) & saltem frequentiùs peccet. Tenetur quis vitare occasionem hanc, nisi ex necessitate iusta, & vrgenti nequeat eam vitare; tunc tamen tenetur non consentire. Quòd si absit necessitas, non sufficit propositum non consentiendi, cum vt id propositum sit efficax, est necessum vitare occasionem, quæ supponitur proxima. Non autem est causa iusta ad retinendam famulam, cum occasione proxima peccandi cum illa, quòd ea multùm inseruiat ad commodum, & delicias ciborum, aliaque similia, vt *alibi* diximus. 4. Reginaldus *lib. 2. Praxis, num. 100. & lib. 5. n. 62.* Nauarrus. Suarez. Bonacina. Henriquez.

4 Nec solùm est occasio proxima ea, quæ per experientiam comperta est, nempe in qua decies quis positus peccauit septies, vel octies; (id enim requiritur valdè communiter,) (5) sed etiam quando ex se occasio, adhuc non experta, est proxima; veluti si iuuenis cum aliis adolescentibus inhonestis, qui ingrediuntur, vt peccent, domum mulierc[u]larum, cum eis ingrediatur, societatem cum eis habens. Quin etiam aliquæ sunt occasiones proximę per se, quas tenetur quis vitare, etiamsi in illis aliquoties constitutus non peccauerit. 5. Caramuel *in Theol. Regul. d. 40.* Card. Lugo. Nauarrus. Gobat. Tannerus. Oniedo. Dicastillo. Castr. Palao.

5 Non datur lex fugiendi occasiones remotas. Nec iudicatur proxima illa, in qua decies existens homo, bis, aut ter peccauit, & septies, aut octies abstinuit. Et præterea si detur vtrinque probabilitas prudens, te fore peccaturum, & te non fore peccaturum, in tali occasione potes formare iudicium practicum, te non fore peccaturum, atque adeò non peccabis si ei te occasioni immittas; (6) nam sicut in aliis opinionibus certò probabilibus vales illud efformare in praxi iudicium, & conscientiam certam, etiam in præsenti idem potes præstare. 6. Gobat. *in exper. Theol. tr. 7. n. 526.* Caramuel.

6 Casu quo quis mutuos dedit ducentos aureos concubinæ, & si eam dimittat, non recuperabit, estò laboret inopia, tenetur eam dimittere, quia lex diuina prohibet immittere se periculo proximo peccandi,

7. Castro Palao *tr. 2. d. 2. p. 9. n. 15.*

candi; nec ea iudicatur causa vrgens, (7) (qualis est iustitiæ, & charitatis) nisi esset ille in necessitate extrema, cui non esset alia via succurrendi; tunc enim firmiter proponens non consentire, posset domum concubinæ ingredi, vt eam alliceret ad soluendum. Quòd si certò sciret, fore peccaturum, si illuc intraret, potiùs deberet eligere mortem, quàm peccatum.

7 Occasio proxima potest esse ad culpam mortalem, & ad venialem; & respectiuè illam amplecti erit peccatum mortale, aut veniale. Et quidem in omnibus materiis potest dari occasio proxima, nempe ebrietatis, luxuriæ, detractionis, furti, & similium, attentis qualitatibus operantis, loci, temporis, sociorum, & aliis circunstantiis.

## *Opinio.*

Vide Discursum opinionis probabilis initio operis præfixum.

## *Oratorium.*

1 PEr Bullam Cruciatæ, vbi viget, non conceditur haberi Oratoria, sed in his, quæ aliàs de licentia Sedis Apostolicæ habentur, celebrare, aut celebrari facere, & recipere Sacramenta omni anni tempore, etiamsi detur interdictum (1) & limitationes in facultate Oratorij appositæ cessant, nempe si limitetur, vt vnica Missa celebretur, vt aliquibus diebus non celebretur; virtute enim Bullæ possunt in eo plures Missæ celebrari quotidie, & cunctis anni diebus. Quin etsi asseratur in Bulla, non posse in die Paschæ recipi in Oratorio Sacramentum Eucharistiæ, id intelligitur, ne ibi Ecclesiæ præcepto satisfiat, sed ad propriam Ecclesiam omnes eant, vt populi ædificatio firmetur, & pastor vultum sui pecoris agnoscat; (2) quare ex deuotione, & non ad satisfaciendum præcepto, poterit ibi Eucharistia recipi

1. Ego *de Bulla Cruciat. d. 16. cap. 2.*

2. Rodriguez. Cruz.

cipi. Hæ facultates, durante tempore Bullæ, nequeunt à Pontifice reuocari, absque satisfactione præstita, si hæc sit possibilis. (3) Vide verbum *Bulla Cruciatæ communis.* Declaratio autem Sacræ Congregationis Concilij afferri solita circa tollendas has ampliationes erga Oratoria, non rectè affertur, cum solùm intendat, oratoria non posse erigi virtute Bullæ Cruciatæ. (4)

2 Oratorium possunt habere Religiosi intra suas Domos, & in suis villis, in quibus etiam alij Sacerdotes celebrare valent; nec opus est approbatione Ordinarij, sed Prælati proprij Regularis. Extant circa id (5) plura Pontificum priuilegia.

3 Qui audit Missam in Oratorio, aut celebrat gaudens Bulla Cruciatæ, diebus communiter exceptis in Brenibus, satisfacit præcepto audiendi Missam, cum illæ limitationes cessent (6) respectu habentium Bullam, & domesticorum, ac consanguineorum: quod ex verbis Bullæ Latinæ satis superque colligitur.

4 Oratorium conceditur communiter cum clausula, vt approbetur ab Ordinario, qui debet esse Ordinarius loci, in quo situm est; eiusdemque Ordinarij approbatio requiritur (7) respectu Oratorij, in quo gaudens Bulla Cruciatæ potest vti priuilegiis in illa concessis, in qua asseritur, id Oratorium debere esse approbatum ab Ordinario; nam quoties absolutè committitur aliquid præstandum ab Ordinario, intelligitur de Ordinario loci ipsius, in quo res est peragenda.

5 Conditiones communes appositæ à Pontifice in concessione Oratorij sunt: Quòd erigatur in loco decenter ornato, ab omnibus domesticis actibus libero, ab Ordinario loci visitando, & approbando. Quod vnica Missa quotidie celebrari queat sine præiudicio iurium Parochialium; nec queat celebrari in festis Natiuitatis, Resurrectionis, Pentecostes, aliisque ex solennioribus. Quòd solùm ea persona, quibus conceditur, & famulus, aut famula eis assistentes satisfaciant præcepto Missæ diebus festis audientes eam in illo. Solet addi, quod non detur aliud

Oratorium

Bonacina. Trullench. Suarez. Fagundez. Filliucius.
Apud Me *vbi supra.*

3.
Ego *vbi sup. in Appendic. d.2. c.3.*

4.
Henao.
Ego *vbi supra.*

5.
Apud Me *de Ordin. Milit. d. 12. q.11.*

6.
Rodriguez. Lud. à Cruce. Gallego. Trullench. Diana. Bardi. Quintanad. Henao.
Apud Me *de Bull. Cruciat. d.16. n. 9. & in Appendic. d. 5. n. 21. & n. 116.*

7.
Prado. Bardi.
Ego *de Bulla Cruc. d. 16. n. 17. & in Appendic. d. 5. n. 126.*

Oratorium in eadem domo; & quando conceditur ob titulum infirmitatis, quod hac ceſſante, ibi non celebretur.

6 Qui habet id Oratorium, non tenetur vti priuilegio audiendi ibi Miſſam, ſi nequeat exire è domo; niſi abſque eo quòd ipſe ſoluat eleemoſynam, & quærat celebraturum, in eo aliquis celebret. (8)

8. Gobat. *in exper. Theol. tr. 3. num. 255.* Diana. Suarez. Villalobos, & alij.

7 Peccat lethaliter Sacerdos, qui poſt celebratam vnam Miſſam in Oratorio priuato, ſcienter celebrat; (9) & qui eum ad celebrandum inducit, vtpotè ad peccandum. At quando Dominus abſque fraude non adfuit primæ Miſſæ, poterit celebrari ſecunda, (10) vt ille eam audiat. Et iuxta praxim ſi in ea domo moriatur quis nobilis, poterit Epiſcopus dare licentiam, vt de corpore præſenti celebrentur in eo plures Miſſæ, quin vt tunc plura altaria ibi erigantur, ad plures celebrandas Miſſas.

9. Th. Tamburin. *de Sacrif. lib. 1. c. 4. §. 4. n. 19.* Gobat. Diana.

10. Quintanad. *tr. 7. ſing. 32. n. 6.* Gobat.

8 Sicut non ſatisfaciunt præcepto Miſſæ eam audientes in Oratorio omnes illi, qui clariſſimis verbis excipiuntur, ita nec hi, quibus conceſſum eſt Oratorium, ſi eam in illo audiant diebus feſtiuis exceptis in Breui. (11) Hæ ſanè reſtrictiones non dantur in Oratoriis, quæ Epiſcopi in ſuis Domibus, & Religioſi in Monaſteriis, & villis habere queunt.

11. Diana *p. 9. tr. 1. reſ. 3.*

9 Oratorium conceſſum Petro diœceſis Toletanæ, ſi mutet diœceſim, adhuc poteſt ille habere, dum ab Ordinario loci viſitetur, & approbetur. (12)

12. Quintanad. Gobat.

10 Debet eſſe Oratorium tribus muris cinctum; nam qua parte datur ingreſſus in illud, ſufficit, ſi tapete cooperiatur. Liberum autem à domeſticis vſibus debet eſſe extra vrgentem neceſſitatem; nam ſi hæc detur, etiam in ipſa Eccleſia conceditur, quòd manducetur, & dormiatur. Supra Oratorium (13) in recta linea ad ipſum non eſt ſternendus lectus pro ſomno.

13. Tamburinus. Gobat.

11 Ordinarius loci, nempe Epiſcopus, Vicarius Generalis, & Capitulum Sede vacante, poteſt cuilibet delegare, vt viſitet, & approbet Oratorij decentiam; (14) in quo non poteſt eſſe campana, nec dari ad illud ingreſſus publicus.

14. Gobat. Quintanad. Tamburinus.

12 In Oratorio nequeunt denuntiari feſta, aut ieiunia,

iunia, nec recipi primitiæ fructuum, quia id est contra iura parochialia.

13 Quando excipiuntur dies Natiuitatis, Paschæ, & Pentecostes, solùm primi dies, non sequentes, censendi sunt excepti: (15) dum excipiuntur festa solenniora, ex Declaratione Congregationis Rituum (16) intelliguntur dumtaxat Epiphania, Annuntiatio, Assumptio, Festum Sanctorum Petri, & Pauli, & Festum omnium Sanctorum. 15. Tamburinus. Gobat. 16. Die 17. Nouembris anno 1607. Affertur à Gauanto, Bardi, Tamburino.

14 Cum in Breui asseritur, *Missam posse celebrari in tua, & familiæ tuæ præsentia*, si dominus absit, potest celebrari coram familia; nam particula, *&*, accipitur hic, vt sæpè alibi, in sensu disiunctiuo, non copulato. (17) 17. Diana *p. 9. tr. 1. res. 2.* Castro Palao. Gobat.

15 Si in Breui ita limitetur, quòd solùm satisfaciat præcepto is, cui conceditur, & famulus vnus ibi pro necessariis assistens, filij nequibunt satisfacere, si ibi Missam audiant. Quòd si in Breui amplietur, vt possit Missa celebrari in præsentia familiæ, & hospitum, poterunt omnes è familia implere in Oratorio præceptum Missæ, & præterea aduenæ hospites etiam vnius diei, vel qui cum sint aduenæ, inuitauerint seipsos ad prandium, vt habeant ius audiendi ibi sacrum. (18) Tamburinus. 18. Th. Tamburin. *de Sacrif. lib. 2. c. 4. n. 33.* Diana. Gobat.

16 Clausula, quòd in eadem domo non sit alia licentia celebrandi, non tollit, quod si domus ita sit ampla, & partes illius sic distinctæ, vt possint moraliter iudicari duæ domus, duoque diuersi domini in eis habitent, vnus & alius possint habere Oratorium. Præterea si intra eandem domum habitet Cardinalis, aut Episcopus, & alius vir nobilis, & hic obtineat licentiam Oratorij, potest illud habere, etiamsi in Breui præfigatur clausula *suprà* dicta; nam ea intelligitur de duabus licentiis à Pontifice obtentis: at Cardinalis, & Episcopus iure communi possunt habere Oratorium, quin Pontificis licentia indigeant.

17 Iura parochialia non tollunt, quòd in Oratorio recipiatur Eucharistia à potente ministrare illam, excepto tempore Paschatis; tunc enim nequit satisfieri

fieri præcepto Ecclesiæ in illo, vt *superiùs* libauimus. (19)

19. Vasquez. Diana. Gobat.

18 Non est opus, quod Oratorium priuatum benedicatur ab Episcopo ante primam celebrationem Missæ; quod praxis ostendit. Si quis habens licentiam Oratorij migret ad domum, in qua præcedens habitator etiam habebat Oratorium, cuius locus erat iam visitatus, ac approbatus ab Ordinario, nec quidquam nouum superuenerat contrarium decentiæ, non est necessum, vt de nouo visitetur, & approbetur. (20)

20. Quintanad. Diana.

19 In carceribus non est prohibitum, sicut nec in Xenodochiis, dari capellam, in qua Missam audiant incarcerati, & ægrotantes; eæ enim non veniunt nomine Oratorij priuati, ac de licentia Episcopi eriguntur.

20 Ad decentiam Oratorij, præter muros, & exclusionem actuum domesticorum, requiruntur ea, quæ in rubricis Missalis præfiguntur necessaria ad sacrum celebrandum, circa Crucem, candelas, ornamenta, vasa. Et quamvis non sit opus, mutari ornamenta quoad colores; (id enim adhuc in pluribus Ecclesiis pauperibus non præstatur) tamen congruens est, quòd si possit, fiat; id enim est conformius cæremoniis Ecclesiasticis.

## *Ordo.*

1. D. Thom. *in supplem. 3. p. q. 34. art. 2.*

1 ORdo, vnum ex septem Sacramentis, est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato. (1) Refertur quippe per se ad Eucharistiæ tractationem in Missa. Prima tonsura iuxta Theologos non est ordo, sed Corona, quæ segregat à statu sæculari, aptitudinemque præstat ad Beneficium Ecclesiasticum, & disponit ad superiores ordines: nulla tamen per illam traditur spiritualis potestas. Soli tres maiores ordines, non quatuor minores, vocantur sacri, (2) quia per illos sacratur ordinatus Deo per votum castitatis. Effectus Ordi-

2. *Cap. à Multis, de aet. & qual.*

nis

nis est quadruplex. Spiritualis potestas. Character indelebilis. Gratia habitualis, vel secunda, vel prima, vt in aliis Sacramentis. Collocatio in statu clericali.

2 Non baptizato inualidè confertur Ordo. Confirmatio prærequiritur ad Ordinem, sed certò probabile est, non requiri sub culpa graui in Tridentino. (3) Peccat grauiter, qui non suscipit à prima tonsura, suo gradu, Ordines. (4) Sacrilegium committit qui in peccato existens recipit Ordines; non verò qui primam tonsuram. Irregularis nequit ordinari absque dispensatione.

3. *Sess. 23. c. 4. de refor.*

4. *Cap. vnic. de Cleric. per saltum promoto.*

3 Certò probabile est, non peccare eum, qui initiatur prima tonsura, solùm vt declinet potestatem sæcularem, aut gaudeat aliquo priuilegio, v. g. vt sit Rector Academiæ, aut togatus in aliquo Collegio, si hæc requirant statum clericalem. (5)

5. Gobat. *in exper. Theol. tr. 8. n. 27.* Bonacina. Th. Sanchez. Coninch. Castro Palao. Layman.

4 Ordines minores sunt Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolytus. Ordines sacri, Subdiaconus, Diaconus seu Leuita, Presbyter, & Episcopus. Materia remota ordinis Ostiarij sunt claues, quas porrigit Episcopus: proxima est traditio; forma in hoc, & cæteris ordinibus verba præfixa, quæ ipse Episcopus profert. Lectoratus materia remota est liber; & proxima, traditio. Exorcistatus liber exorcismorum est remota; & similiter proxima, traditio. Acolytatus remota sunt candelabrum cum cereo, & vrceolus, traditioque est proxima. Subdiaconatus remota est calix vacuus cum superposita patena vacua; proxima est traditio, & manus contactus ordinati ad illam. Diaconatus remota est liber Euangeliorum, proxima est traditio, & contactus ad illam ordinati. Presbyteratus remota est calix cum vino, & patena superposita cum Hostia; proxima verò traditio, & contactus.

5 Tactus physicus (6) ordinati essentialiter requiritur ad materiam; estò sit certò probabile, (7) non esse de essentia Ordinis tactum physicum; maximè si manu cooperta superpelliceo, aut quo simili tangeret quis materiam; & sanè vnguibus tangere sufficiet. Et in quavis opinione peccat mortaliter, qui

6. Communior.

7. Reginaldus *l. 30. n. 8.* Card. Caietan. Fumus. Albertus.

Victoria. Vasquez. Zambranus. Henriquez. Filliucius. Diana. Layman. Gobat. Dicastillo.

physicè non tangit, cum exponat suam ordinationem discrimini nullitatis. Hostiam tangere in Ordine Presbyteratus, non est necessum.

6 Potestas, quæ traditur in singulis Ordinibus, ex eorum forma liquet; munera autem, quæ Ordinatis competunt, peruia sunt, & ex materia ipsa Ordinum, satis cernuntur. Episcopatus Ordinem, materiam, formam, & ministros reperies verbo *Episcopus*.

8. Card. Lugo *de Sacr. tr.* 1. *d.* 1. *dub.* 20. Serarius. Franc. Lugo. Dicastillo. Amicus. Gobat.

7 Cum ad praxim inter nos non interfit agere de ordinatione Græcorum diuersa à nostra, (8) eam omitto. Et quidem Sacerdotes Græci diuersis cæremoniis vtuntur; in pane fermentato consecrant: & licet post acceptum Ordinem sacrum nequeant nuptias contrahere, at coniugati, dum non sint bigami, possunt Ordines sacros recipere, & post receptos cohabitare cum vxoribus, à quibus debent abstinere triduo ante celebrationem Missæ; & alia huiusmodi, quæ nostri non sunt instituti. (9) Etenim Christus D. instituit Sacramentum Ordinis ita, vt collatum tali vsu alicuius rei significaretur per formam potestas annexa; quænam autem esse deberet illa res, commisit iudicio Ecclesiæ; quare in materia Ordinis est vniformitas moralis, quatenus idem prorsus significatur per illam.

9. Quaranta *in Bullar. verb. Græcorũ ritus.*

8 Sufficit in collatione Ordinis materiam, & formam coniungi moraliter. Hi, qui Presbyteratu initiantur, & cum Episcopo verba consecrationis proferunt, caueant, ne ante illum ea edisserant; nam consecrabunt. (10)

10. Communior.

9 Ad quemlibet Ordinem suscipiendum ætas necessaria est statuta, & scientia, ac tempus. Tonsura, & minores Ordines possunt conferri puero capaci rationis, quod in septennio contingit, dum sciat legere, & scribere, & doctrinam Christianam. (11) Ad Subdiaconatum vigesimus secundus annus; (intelliguntur hi anni incepti) ad Diaconatum vigesimus tertius; ad Presbyteratum (12) vigesimusquintus; ad Episcopatum trigesimus-primus, & in Gallia vigesimus septimus requiritur. Et requiritur physicè attigisse eos annos; aliter ordinatus manet suspensus.

11. *Cap. Nullus, de temp. ordin.* vbi Glossa, *verb. Infanti.*

12. Trid. *sess.* 23. *c.* 12. *de refor.*

sus. (13) Anno bissextili si quis impleat annos requisitos die 24. potest ordinari die 25. Februarij, quin exspectet, illum diem transire.

13. Ferro Manrique *in qq. Vicarial. p. 2. q. 23.* Nauarrus. Th. Sanchez, & plures.

10 Graue peccatum est ordinari absque dispensatione extra tempora; (14) & quidem sacri Ordines conferuntur in Sabbatis quatuor Temporum. Prima tonsura quocumque die, hora, & loco conferri potest. Quatuor minores Ordines vbicumque, Domicis diebus, & festiuis duplicibus, matutino tempore. Et quidem festiui intelliguntur, qui in choro, & foro celebrantur festiuè. Sed certò probabile est, sufficere celebrari in Choro. (15) Vigilia Pentecostes, etiamsi quoad Missam sit duplex, non tamen quoad Breuiarium, cui ut his attenditur.

14. *Cap. Cum quadam, de temp. ordin.* & Glossa *ibi.*

15. Castro Palao *tr. 27 punct. 13. num. 13.* Cobat. Rodriguez. Escobar. Diana, & alij.

11 A susceptione postremi gradus Ordinum minorum vsque ad Subdiaconatum vnus annus intercedere debet, nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas aliud exposcat. (16) Alter annus inter vnum, & alium Ordinem sacrum. In his interstitiis dispensat Episcopus; & leuiori de causa in anno à minoribus vsque ad Subdiaconatum.

16. Trid. *sess. 23. c. 11. 13. & 14*

12 Requiritur ad sacros Ordines scientia, nam illiteratus est irregularis; quare tenetur quis rectè intelligere libros Latinos, scireque munera Ordini annexa, eiusque materiam, ac potestatem, quæ confertur. Cum musicis soli Choro addictis aliquid suppleri valet.

13 Ad Ordinem sacrum recipiendum opus est titulo; nempe in Religiosis titulo paupertatis; in cæteris titulo Beneficij, aut patrimonij, vt decenter victitent. Beneficium non sufficit ad nutum amouibile, cum possit deesse, sed requiritur perpetuum ex se, ac cum redditibus sufficientibus, iuxta qualitatem Prouinciæ, vt clericus infimæ sortis sustentetur. Vicaria perpetua sufficit ad titulum, non verò coadiutoria. Sixtus V. concessit priuilegium, vt Venetiis promouerentur (17) ad Sacerdotium, qui adhuc carentes Beneficio, ita perpetuò essent adscripti ali cui Ecclesiæ, vt ex Missarum eleemosynis quotidianis possent honestè viuere. Alumnatus Pontificius

17. Apud Iordanū *volum. 2. elucubrat. lib. 3. tit. 6. n. 313.*

Gobat. *vbi sup. tit. 6. n. 713. & n. 635.*

non sufficit pro titulo Beneficij, (18) vt declarauit Gregorius XIII. nec assignatio super fructibus measæ Episcopalis.

18. Apud Nic. Garcia *de benef. p. 2. c. 5. n. 93. & 104.*

14 Minister Sacramenti Ordinis est Episcopus; ac primæ tonsuræ, & quatuor Minorum Ordinum, etiam Abbates exempti iurisdictione quasi Episcopali gaudentes. Quis autem Episcopus debeat esse ordinans, aut præbens literas dimissorias ad alium, & circa has non pauca occurrentia, vide verbo *Litera dimissoria.*

15 Quomodo, & à quibus in mala Ordinum susceptione, & vsu contrahatur suspensio, vel irregularitas, vide verba *Suspensio. Irregularitas.*

16 Clericus in sacris constitutus, quoties existens in lethali exercet ministerium Ecclesiæ, ad quod ratione ordinis sacri specialiter est deputatus, peccat lethaliter: veluti Sacerdos celebrans, Diaconus solenniter cantans Euangelium, Subdiaconus solenniter Epistolam. At constituti in Ordinibus minoribus non peccant grauiter exercentes sua munia in lethali. (19) Et de Diacono, ac Subdiacono contraria opinio (20) certò probabilis est.

19. Communis. Apud Me *in Statera, diff. 12. in Append. §. 3.*

17 Regulares constitutos in sacris ob delictum potest verberare Prælatus Regularis, necnon alius quivis religiosus subditus ex eius commissione; at id non licet Episcopo respectu subditi. (21) Cæterùm constituti in sacris, nisi sint degradati, nequeunt à Iudice sæculari flagellari, nec subiici torturæ, nec vlli alij pœnæ corporali, aut temporali. Princeps autem supremus, eiusque Locumtenens eius nomine, potest eos temporalitatibus (vt communiter dicitur) afficere, nolens eos habitare in eius territorio, hoc vel illo, aut etiam in omnibus, præcipiens eis, etiamsi Regulares sint, vt inde egrediantur.

20. Card. Lugo. Vasquez. Sotus. Coninch, & alij.

21. *Cap. Non liceat, dist. 86.*

*Oud.* Vide *Lacticinia.*

P

# *Papa.*

NEQVEVNT esse falsæ declarationes Papæ in his rebus, quæ ad mores pertinent. Etenim non potest proponere, dum è Cathedra docet, toti Ecclesiæ inhonestum, vt honestum. (1) Nec potest Papa errare in approbatione Religionis. (2) Nec in Canonizatione Sanctorum. (3) Quippe quoties aliquid, vt caput Ecclesiæ, proponit, approbat, præcipit, aut definit, Spiritus sanctus ei assistit; aliàs non plenè, & rectè fuisset prouisum Ecclesiæ, & esset error in capite; quod nefas est affirmare. Hinc etiam Papa errare nequit in concessione indulgentiarum, in cultu diuino, in institutione Festorum, & aliis similibus. Circa spiritualia habet Pontifex plenam, & totam potestatem, idque est de fide.

1. Cardenas *in crisi Theol. tr. 1. d. 9. c. 6.* Bellarminus. Turrianus, & communis.

2. Fr. Ioan. à S. Thom. & communis.

3. Zanardus. Diana. Arriaga, & communis.

2 Valet Papa ex causa dispensare, & commutare vota, ac iuramenta emissa in fauorem tertij, adhuc acceptata; quia habet plenam iurisdictionem erga materiam, & promissarium, cùm relaxatio promissionis iuramento, aut voto confirmatæ pertineat ad iurisdictionem Ecclesiasticam, eaque potestas necessaria sit ad Ecclesiæ (4) regimen, fidelium exonerationem, & pericula præcauenda. Quin si iuramentum præstitum sit infidelibus, etiamsi fuerit ab eis acceptatum, dum scandalum absit, & contemptus Religionis non sequatur, potest à Papa relaxari; quia promissor est eius subditus, cuius animæ tenetur prouidere, soluendo eum à vinculo obligationis, si id oporteat.

4. Ego *de Bulla Cruciat. d. 26. n. 79.*

3 Potest etiam Papa dispensare in legibus à Concilio generali (5) latis, quia est illo Superior: ac in legibus aliorum Pontificum, & in præceptis humanis

5. Bonacina *de legib. d. 1. q. 2. punct. 5. n. 8.* & alij.

manis Apostolicis ; nam est eis in iurisdictione æqualis.

6. Card. Bellarm. *tom. 1. con. r. 3. l. 4. c. 15.* Tanner. Præpositus. Cardenas. Arriaga.

4 Papa potest cogere populum (6) adhuc inuitum, suis legibus ; & potest obligare illum ad eas acceptandas ; aliàs posset populus non acceptare leges Principis sine causa ; quæ est propositio damnata ab Alexandro VII. Idem dic de aliis Prælatis proportionatè, dummodò leges non sint allaturæ perturbationem, cum potestas non sit eis concessa in destructionem.

7. Cardenas *in crisi Theol. tr. 3. d. 2 9. c. 4. art. 2. n. 65.*

Cæterùm ex benigna interpretatione (7) voluntatis Pontificum nolentium cogere inuitos, eorum leges ante acceptationem non obligant ; & sat est, si maior pars acceptet, vt omnes obligentur. Quòd si sciens Papa, legem non acceptari, velit ad acceptationem cogere, potest.

8. Die 24. Ianuarij ann. 1647.

5 Ab Innocentio X. fuit damnata tanquam hæretica hæc ( 8 ) propositio : *Paulus fuit simul Pontifex cum Petro.* Quia ex institutione Christi D. Ecclesiæ gubernatio est monarchica super D. Petrum fundata.

6 De fide est, hunc numero Pontificem legitimè electum, & à tota Ecclesia receptum, esse verum Pontificem. (9)

9. Diana *p. 11. tr. 10. ex resp. 6.* Suarez, & plurimi.

7 Pius IV. in Decreto Consistoriali falsam vocauit opinionem asserentem, Pontificem ex causa vrgenti posse eligere sibi successorem. Quod attinet ad electionem Pontificis, & ad Conclaue, iam statutum est, & obseruandum. Adoratur genuflexione, inclinatione capitis ( quæ etiam exhibenda est, cum in Missa extra Canonem nominatur ) osculo pedum, & manus : non verò tunsione pectoris. Quin in calceamentis crucem gestat, vt in eam referant adorationem fideles, dum osculantur.

10. Vasquez. Diana, & innumeri.

8 Potest Pontifex ex causa iusta dispensare in votis solennibus Religiosi : (10) & de facto, quando assumit Religiosum ad Episcopatum, dispensat in votis obedientiæ, & paupertatis. (11) Quin potest dispensare in voto solenni castitatis, vt nuptias contrahat ; & quia dispensat in radice, pertinerent eo casu ad illum maioratus, & feuda, quibus, si non fuis-

11. Sotus. Vvadingus. Diana.

set

fet Religiosus, iam gauderet, quamvis alius sit in eorum pacifica possessione. (12)

12. Diana *p. 8. tr. 1. res. 73. & 75.*

9 A Pontifice ad neminem appellari valet, ad ipsum verò ab omnibus. A nemine iudicatur, nisi (quod nunquam continget) in causa hæresis, & tunc quidem à Concilio generali. Et pro nullo alio crimine potest deponi.

10 Tenetur Pontifex ad seruandas leges Ecclesiasticas, veluti annuam confessionem, recitationem Officij Canonici, nisi ex iusta causa secum dispenset. (13)

13. Eman. Sà *in summ. verb. Papa, n. 4.* Navarrus. Diana, & alij.

11 Ex Decreto Concilij Lateranensis sub Iulio II. electio simoniaca Papæ (14) ipso facto nulla decernitur, sed ea constitutio non videtur fuisse recepta. Consule Canonistas.

14. *Sess. 5.* Suarez.

## *Paraphernalia bona.*

1 PAraphernalia bona sunt ea, quæ mulier præter dotem secum affert, siue immobilia sint, siue mobilia. (1) Hæc bona, si non transeant in virum nec ab eo specialis hypotheca exigatur, non gaudent priuilegio dotis. Si autem ea petatur, bona viri hypothecata manent: & post viri mortem tam ea, quàm eorum fructus, (2) si aliqui extent, integrè pertinent ad vxorem; dum autem ille viuit, si ipse ea administret, fructus sunt communes viro, & vxori; secus si vxor dominium, & administrationem sibi reseruauerit, tunc enim fructus sunt illius. Quoad hoc tamen introspici debent specialia statuta Regnorum, & Prouinciarum.

1. *Leg. Si ergo, §. dotis, ff. de iure dotium, Leg. fin. Cod. de pact. conuent.*

2. *Leg. Vbi adhuc, Cod. de iure dotium.*

2 Communiter vbi decernitur aliquid circa dotem, extenditur ad bona (3) paraphernalia. Eorum autem dominium non præsumitur transiatum in virum, nisi expressè appareat, aut probetur. (4) Et quia vox *Paraphernalia*, non est Latina, eam etymologici deriuari enuntiant à duabus vocibus Græcis, quæ significant *Iuxta dotem.*

3. Albericus *in l. de quibus, ff. de legib.* Fumus.

4. Sylvest. *verb. Paraphernæ, q. 3.* Hostiensis,

*Parentes.*

## Parentes.

1 NOmine, & appellatione parentum comprehenduntur in Iure pater, mater, auus, auia, ac reliqui aſcendentes. (1) Peccant mortaliter parentes, qui abſque neceſſitate (2) exponunt filios; quod ſi eos grauis vrgeat neceſſitas, abſque peccato id poſſunt præſtare, dum eos relinquant in loco ad id deſtinato, vel in hoſpitali, aut domo, vbi ſciant, chriſtianè fore educandos: ac dum recèns nati exponuntur, tutius eſt, eos primùm baptizari; & ſiue baptiſmo accepto, ſiue non, exponantur, ſchedula eſt eis præfigenda, in qua de vno aut alio conſtet; & huius omiſſio eſt peccatum mortale, ob periculum quòd non baptizentur, aut rebaptizentur.

1. *Leg. Appellatione, ff. de verb. ſignif.*

2. Card. Toletus *lib. 5. c. 1.* Victorellus.

2 Pater tenetur alimenta filiis præſtare, dum ipſi peculium proprium non habeant. Hinc nequit Religionem ingredi, ſi illi (3) operâ illius indigeant ad victitandum. Quomodo autè teneantur parentes alere filios ſiue legitimos, ſiue naturales, aut ſpurios, & plura alia vide verbo *Filius*. Spuriis quidem poſſunt alimenta in teſtamento relinquere.

3. Em. Sà *verb. Parentes, n. 2.* & communis.

3 Parentibus iniuriam inferre, aut damnum deſiderare, eſt circunſtantia mutans ſpeciem iniuriæ, aut deſiderij damnificandi, vel alterius cuiuſque affectus praui, (4) cum opponatur ſpeciali virtuti pietatis. Idem eſt è conuerſo de parentibus erga filios, & de coniuge reſpectu alterius coniugis.

4. Communis.

4 Poteſt filius ingredi Religionem abſque conſenſu, quin & contra voluntatem parentum: (5) poteſt etiam validè abſque illius conſenſu nuptias contrahere; tamen contingere valet peccatum graue, ſi ingentem ei moleſtiam ideò inferri videat, maximè ſi cum inæquali fœmina matrimonium contrahat, vnde familia obſcuretur.

5. Communis cum D. Hieronymo.

5 Si filius matrimonio iunctus habeat filios, & ſimul eius pater viuat, ac hic, & illi in extrema neceſſitate

ceſſitate verſentur, (6) prius debet ſuccurrere patri, quàm filiis; nam plus debet quis ſuo patri, quàm ſuis filiis. 6. Valentia *tom. 3. d. 3. q. 4. punct. 5.* Card. Toletus. Lud. Lopez. Fumus. Eman. Sà. Sylueſter.

6 Inter Chriſtianos nequit pater, nec in extrema neceſſitate vendere filium, quia id nunquam eſt præſtitum; vnde ſi fieret, graue ſcandalum reſultaret; eſtò ſecundum ſe poſſit in ea neceſſitate (7) illum vendere, non tamen mater, nec vir vxorem.

7 Filium conſtitutum in ſacris nequit pater, nec ob correctionem, percutere, (8) ſicut poteſt alios filios caſtigare; ita tamen vt ad ætatem non accedat: non enim valet eos gladio percutere, nec deformare, nec corporis graue damnum infligere. 7. Angel. *in ſum. verb. Seruitus.* Lud. Lopez. Eman. Sà. Nauarrus. Valentia. Molina. Couarruuias.

8 Negare quem ſe eſſe filium ſui patris, ſi præſtet ex contemptu, aut dedignans ſe eſſe illius filium, peccatum mortale eſt. Si tamen quis humilibus ortus parentibus longè à patria, ac inter eos, qui ipſius genus ignorarent, ſe à nobilibus fuiſſe ortum enuntiaret; quin & cognomen mutaret, dum id cedere non poſſet in deſpectum parentum, non damnarem eum peccati mortalis. 8. Card. Toletus *lib. 1. c. 23.* Panormitan. & alij.

9 Peccant mortaliter parentes, qui negligentes ſunt in eo, quod filij paruuli non addiſcant orationes Eccleſiæ, & myſteria fidei; atque etiam ſi de prauis moribus filiorum corrigendis non curent, aut eis prauum exemplum imitandum præbeant.

## *Parochus.*

1 PArochus nequit eligere in ſuum Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario. Contraria propoſitio damnata eſt ab Alexandro VII. anno 1665. Tenetur Parochus, dum poteſt, exercere per ſeipſum munia pertinentia ad curam animarum, & adminiſtrare Sacramenta. (1) Debet reſidere in proprio Beneficio: nec facit fructus ſuos, (2) ſi non reſideat, & non exerceat munia ad ipſum pertinentia. Nec expectanda eſt ſententia Iudicis, (3) nam id non eſt pœna, ſed ſeruitium Beneficij eſt conditio ad faciendum fructus ſuos, 1. Congregatio Cardinalium apud Farinac. *deciſ. 9.* Tridentinum ſæpè. 2. Aragon. Sylueſter, & plures apud Me *de Ordin. Milit. d. 11. q. 5.* 3. Card. Toletus

Rodrig. & alij *vbi nuper.*

ſuos, qua deficiente, non fiunt ſui. Hinc quovis anni tempore debet eſſe paratus ad audiendas Confeſſiones ſuarum ouium, etiamſi quotidianæ ſint. Per Vicarium poteſt adminiſtrare Sacramenta; & duobus menſibus in anno, appoſito idoneo Vicario, abeſſe, ſeu non adminiſtrare Sacramenta, etiam abſque (4) licentia Epiſcopi, iuxta certò probabilem opinionem. Non peccat, ſi vna vel alia vice renuat audire pœnitentem; ſic verò, ſi ita moleſtè adminiſtret Sacramenta, vt inde retardentur parochiani ad ea recipienda. Peccat etiam, ſi impediat Confeſſarios pios, & doctos audire Confeſſiones in ſua Eccleſia. Pro funeribus pauperum non poteſt exigere pretium. Tenetur ſcire leges diœceſanas, de munditie ornamentorum curare; & quidem immunda habere corporalia, (5) eſt culpa lethalis.

4. Plures *vbi nuper*, & Bonac.

5. Baltanas. Apud Me *ſup.*

2 Tenetur Parochus non permittere in Eccleſia garrientes, & loquentes inhoneſta; docere populum, & pueros in doctrina Chriſtiana inſtruere, niſi id præſtet per Concionatores, & Miſſionarios. Qui iuſta de cauſa non reſidet, facit fructus ſuos: cauſæ autem iuſtæ ſunt, Chriſtiana charitas, vrgens neceſſitas, debita obedientia, & euidens (6) Eccleſiæ, aut Reipublicæ vtilitas. Ad hæc capita pertinent caſus ſequentes. Excuſatur qui ob morbum nequit reſidere, qui diſpenſationem non reſidendi impetrat à Pontifice, qui valet eam iuſta de acuſa concedere. Rursùsqui periculum vitæ ab inimico timet. Item qui abeſt ad graues lites, & controuerſias dirimendas. Qui Pontifici inſeruit in vtilitatem Eccleſiæ. Qui occupatur in munere cedente in magnum Reipublicæ commodum, dum non eſt alius æquè idoneus. Qui abeſt ad ſequendam litem ſuper iuribus ſui Beneficij. Item cauſa ſtudiorum, ex vi Bullæ Eugenianæ reſpectu Academiæ Salmantinæ. Dicta de reſidentia proportionatè aptanda ſunt Epiſcopis, & gaudentibus iuriſdictione quaſi Epiſcopali. Vide *Epiſcopus.*

6. Farinacius. Bonacina. Apud Me *ſup.*

3 Parochus tempore peſtis tenetur obedire Prælato præcipienti, vt maneat in ſua parochia cum periculo vitæ. Quin etiamſi non præcipiat, ad id tenetur

ratione

ratione officij; & bonum commune expoſcit, vt potiùs conſulat ſaluti ſpirituali ouium, quàm ſuæ vitæ; (7) cum limitatione *infrà* dicenda. 7. Communis.

4 Parochiale Beneficium obtinens, ſi non ſit ſacris initiatus, tenetur intra annum Sacerdotio initiari; quòd ſi culpa ſua id non præſtet, dimittere Beneficium obligatur ipſo facto. (8) 8.

5 Si Parochus habeat idoneum Vicarium, non tenetur in conſcientia tempore peſtis, aut in periculo hoſtium aſſiſtere Parochiæ; (9) nam ſufficienter ſuccurrit neceſſitati ouium, præcedente licentia Epiſcopi: & ſaluatur obligatio reſidendi, & conſulendi ſuis ouibus, dum id præſtat per alium æquè idoneum. Hinc electus in Parochum non tenetur de nouo ingredi in Parochiam peſte infectam ſi adſit ibi alius Sacerdos ab Epiſcopo tempore vacantiæ deſignatus, qui ſponte ſua velit tunc aſſiſtere. *Cap. Licet, de elect. in 6.* 9. Suar. *tom. 4. in 3. p. diſp. 44. ſect. 3. n. 12.* Ronac. *tom. 2. d. 3. q. 4. punct. 4. n. 5.* & alij.

6 Tempore peſtis etiam cum periculo vitæ Parochus tenetur conferre Sacramenta Pœnitentiæ, & Baptiſmi, vtpote neceſſaria ad ſalutem. Et quamvis quis habens moralem certitudinem ſuæ contritionis perfectæ non teneatur confiteri cum periculo vitæ cum eo, qui eſt peſte infectus; at è conuerſo, cum Parochus communiter nequeat habere certitudinem moralem contritionis perfectæ ſui parochiani peſte infecti, tenetur eius excipere Confeſſionem, ex vi ſui muneris; cum parochi non ſolùm in extrema, ſed in graui neceſſitate teneantur ex iuſtitia, & non ſolùm ex charitate, vt alij Sacerdotes, miniſtrare parochianis neceſſaria Sacramenta.

7 Eo tempore tenetur Viaticum Euchariſtiæ conferre, (10) quia aliter populus ſcandalum patietur, & eo tempore indigent peſte infecti vberioribus auxiliis: quin & iuxta ſententiam probabilem poteſt in aliquo caſu Euchariſtia conferre primam gratiam. Hinc Epiſcopi cogunt Parochos, vt eam miniſtrent illo tempore. Poſſunt autem eſſe caſus, in quibus excuſetur ab ea conferenda; nempe ſi non adſint alij Sacerdotes, qui, ſi Parochus peſte inficiatur, miniſtrent Sacramentum neceſſarium pœnitentiæ: aut ſi non detur tempus ad miniſtrandam Euchariſtiam, quia 10. Plurimi apud Dian. *part. 3. tr. 4. reſ. 174. & part. 5. tr. 3. reſ. 53.*

quia instat tempus audiendi Confessiones ; & similes.

8 Tunc non teneri Parochum ad ministrandam Extremam Vnctionem , certò probabile est , cùm hoc Sacramentum nec sit adhuc necessitate præcepti necessarium. (11) At si possit vitare vitæ periculum, ( & quidem dantur media ad vitandum illud) tenetur id Sacramentum ministrare, cum sit magnæ vtilitatis , & aliàs Parochiani scandalum paterentur. Et præcipuè ministrare tenetur illud mutis , & qui non confessi loquelam amiserunt.

11. Suar. *tom.4. in 3.p.d.44.s.2.* Diana *sup. & 5. p. tr. 3. res.* 85. *& 91.* & plures alij.

9 Vt eo tempore vitet Parohus periculum vitæ,potest audito vno peccato absoluere peste infectum,adhuc à longe eum audiens , & monens , quòd habeat dolorem vniuersalem,& si superuiuat, confiteatur cætera peccata. Quòd si in eodem loco sint plures peste infecti , auditis singulis , si timor sit , quòd desit tempus ad absoluendos singulos , vel ex diuturna perseuerantia instet periculum vitæ , potest omnes simul absoluere , dicens : *Ego vos absoluo , &c.*

10 Potest tunc abluere baptizandum , vtendo instrumento oblongo , per quod aqua in illum effluat.

11 Nequit Eucharistiam ministrare medio vllo instrumento , nec applicando patenam , vt infectus sumat ex ea particulam , datur enim irreuerentia. ( 12 ) Certò probabile est , posse eam apponere supra papyrum , vt inde sumatur , & postea papyrus comburatur.

12. Concilium V. Mediolanense approbatum à Pontifice. Et cõmunior.

12 Ad vrgendum , dum ministrat Extremam Vnctionem , potest vti virgula oblonga argentea , vel adhuc lignea postea comburenda. ( 13 ) Quòd si instet tempus , vel periculum vitæ Parochi , potest vnum solùm oculum , vnam solùm aurem , &c. vngere : quin poterit absque signo Crucis tangere vnctione. Adhuc poterit ob periculi instantiam tangendo illa , quin in singulis dicat formam , asserere, *Per istas sanctas vnctiones* , &c. (14)

13. Suarez *supra.* Diana. Syluius,& alij.

14. Diana *part. 3. tr.4.res.168.& part.5.tr. 3. res.79.* & plures.

13 Tenetur Parochus celebrare Missam omnibus diebus festis , vt populus eam audiat , nisi (15) alius sit , qui eam celebret. Quo, si non sit alius in oppido

15. Graff. *in decis.*

pido Sacerdos, peccaret grauiter Parochus, si nullo alio die, nisi festo celebraret, eo quod priuaret continuò suas oues bono spirituali audiendi Missam, eæque essent inuitæ in ministrandis illi subsidiis temporalibus, dum ipsarum deuotioni adeò iustæ non cooperaretur. *l. 2. c. 39. n. 7. & communis.*

14 Parochus excommunicatus non toleratus validè assistit matrimonio; (16) & licentiam potest concedere alteri, (17) vt assistat. Adhuc si prohibeatur Parochus ab Episcopo, ne matrimonio assistat, cum particula irritante, validè assistet, cum nequeat ille impedimenta (18) irritantia matrimonium præfigere. 16. Basil. Pontius. cum pluribus. 17. Th. Sanchez. Diana, & alij. 18. Diana *p.* 10. *tr.* 13. *res.* 23.

15 Si instet maximè periculum mortis ægroto, aut vulnerato, non est indecens, quòd Parochus currat, dum fert (19) ei viaticum, ne priuetur eo bono; & tenetur ad id, si æger non potuit aliud Sacramentum suscipere, (20) ne damnetur, cum possit primam gratiam ab Eucharistia recipere. Nec indecens est, quòd si æger distet multùm à Parochia, nec facilè possit illuc ire pedes Parochus, (vt contingit in Hispania in montanis Asturicis, & aliis) equo mansueto vehatur. Præterea si sciat, vocandum esse aliqua nocte ad ministrandam Extremam Vnctionem, dum omnino absit scandalum, potest ad suam domum (21) secretò deferre oleum sacrum, ac in loco decenti reponere, vt inde ferat ad infirmum ea nocte. 19. Quintanad. Diana. 20. Diana *sup. tr.* 16. *res.* 80. 21. Barbosa. Diana.

16 Potest Parochus Sacerdoti idoneo concedere facultatem administrandi Eucharistiam, (22) Extremam Vnctionem, Matrimonium, (23) & Baptismum: non verò audiendi confessiones, cum ad hoc requiratur approbatio Ordinarij eius loci. 22. *Clementin. 1. de priuileg.* 23. Th. Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 3. d. 20.* Victorellus.

17 Omnia munia ad Parochum spectantia potest exercere Parochus nondum Sacerdos, (24) præter ea quæ Ordinem exigunt.

18 Parochus Ecclesiæ destitutæ censetur habere Beneficium simplex, non parochiale; quod obseruandum est pro his, quæ dicta sunt verbo *Approbatio.* 24. Nauarr. *lib. 4. consil. 9. de clandest. desp. n. 4.*

19 Parochialia Beneficia nequeunt conferri nisi benemeritis,

nemeritis, & medio examine. Quod si per concursum præbentur, dignioribus sunt conferenda, & eis, qui intra annũ possint Presbyteratus Ordine initiari. (25)

25. Extat Bulla Pij V. publicata die 16 Maij, anno 1567. renouãs rigidè omnes Constitutiones.

## *Participatio bonorum operum.*

1 PArticipatio bonorum operum stat primò in eo, quod fideles participent impetrationem, seu meritum congruum, quod ab aliis fidelibus per sua opera bona habetur. Etenim in opere bono iusti datur meritum gratiæ aliis incommunicabile; & satisfactio, cuius quisque est dominus, & potest sibi, vel aliis applicare, quæ (dum non sit superabundans, sed necessaria operanti, aut ab eo alteri applicata non sit) nunquam à Pontifice applicatur alteri, etsi possit applicari, cum omnia bona fidelium supremo capiti subiiciantur: (1) at applicari potest, & solet à Pontifice, si sit superabundans, & non aliter; & harum satisfactionum superabundantium potest dari participatio, sicut & meriti congrui, aut impetrationis. Hinc communio Sanctorum, quæ exprimitur in symbolo Fidei, est participatio in fide, in Sacramentis, & in merito congruo iustorum ad inuicem. Cum verò literæ Fraternitatis conceduntur à Prælato Religionis aliis extra illam, conceditur non ea sola participatio in merito congruo, sed in satisfactionibus superabundantibus: quæ etiam conceditur in Bulla Cruciatæ (2) ieiunantibus, & aliquod pium opus exercentibus toties quoties. Vnde si nullæ superabundent satisfactiones, nihil ex eis participabitur. Nec per hanc concessionem applicantur satisfactiones superabundantes, quæ iam sunt in thesauro Ecclesiæ, id enim esset concedere indulgentias; sed quæ adhuc non sunt ibi, verùm post literas concessionis resultant: quare Prælati regulares nõ valentes cõcedere indulgẽtias, concedũt participationẽ eiusmodi satisfactionũ, (3) quas subditi, dum eas non applicant alteri, tacitè voluntati Prælatorum eas subiiciunt.

1. Cruz. Trullench. Ego *de Bulla Cruc. d. 19. c. 2.*

2. Rodriguez. Villalobos. Lud. Lopez. Trullench. Apud Me *vbi supra.*

3. D. Thomas. Sotus. Nauarrus. Cruz Rodriguez. Villalobos.

2 Nota tamen, satisfactiones, ex opere operato non prodesse absque intentione operantis: sic celebrans, & nolens applicare Missam pro eo, cui Superior præcipit

præcipit applicari, peccabit contra præceptum, aut etiam contra aliam virtutem, si debita sit illa Missa; satisfactio autem ex Missa resultans non proderit, nisi ei, cui applicauerit celebrans. At in aliis satisfactionibus ex opere operantis non est necessaria ea intentio, sed illa tacita voluntas *suprà* exposita. Et quamvis absolutè possit Prælatus disponere mediatè de satisfactionibus adhuc necessariis operanti, vtpote præstitis ab eo, qui voluntatem propriam non habet, sed per obedientiam in Superiore collocatam; at id nunquam præstatur, vtpotè æquitati minùs conforme: & forsan præceptum iniunctum subdito, quod applicet alij satisfactiones sibi necessarias, iniustum iudicabitur; nec etenim videtur, id iustè posse præcipi. Henriquez. Trullench *vbi suprà.*

3 Cæterùm prædictæ literæ Fraternitatis valdè prosunt tum viuentibus eis, quibus conceduntur, tum cum obeunt. Nam dum viuunt, participant satisfactiones superabundantes, vt dictum est: & præterea in quavis Religione, & Monasterio fiunt speciales Orationes pro illis, qui ex eis sunt. Cum autem obeunt, participant fructum Missarum, & Orationum, quæ pro defunctis ipsius Religionis, vel Monasterij fiunt; quod in omnibus sacris Ordinibus est vsitatum.

4 Nec solùm Prælati Religionum valent has literas Fraternitatis concedere; verùm quælibet Confraternitates Sæculares, seu Communitates virorum, aut mulierum, quæ simul in vna domo viuunt, quin vota, seu professionem emittant, sed specialiter honestæ vitæ normam sequuntur, possunt in vnum conuenientes concedere eiusmodi literas aliis; nam vnusquisque est dominus suorum operum, potestque alios in consortium admittere satisfactionum, & orationum suarum, & quorumcunque suffragiorum, quæ pro defunctis exhibet.

5 Hinc vnusquisque valet animas Purgatorij participes facere eunctorum operum, quæ præstiterit, ita vt satisfactiones omnes illis prosint, & propter hoc suffragium, ipse earum exsors permaneat. Quod Deo valde placere satis ostendunt viri spirituales, qui

qui de animabus Purgatorij opuſcula in lucem ediderunt. Et adhuc qui ſuas ſatisfactiones pro eis offerat, habebit ſibi eas, quas ex indulgentiis lucrabitur; nam indulgentia, dum expreſsè Pontifex non concedit, applicari animabus Purgatorij, ſoli viuenti prodeſt. Ac præterea ſuas ſatisfactiones eis applicans, præter meritum, dum è vita obeat, pro ſe plura fieri ſuffragia ſperet à Deo fore diſponendum. Id præ oculis habeatur, melius eſſe offerre eas ſatisfactiones pro animabus determinatis, eas recenſendo, nempe pro parentibus, benefactoribus, amicis, pro anima plus Deo grata, pro deſtituta amplius, pro viciniori ad liberationem, quàm in communi pro omnibus; nam parum vnicuique obueniet, ſi pro cunctis offerantur: plus ſi pro vna, & deinceps pro alia, & ſic breuiùs ad Deum videndum euolabunt.

## *Paupertatis votum.*

1 RElegioſus habens licentiam ad expendendam aliquam pecuniam, non peccat contra paupertatem (eſtò peccet contra aliam virtutem) ſi in vſus illicitos expendat, (1) nam Superior quantum eſt ex parte ſua, abſtulit impedimentum, vt vſus eius pecuniæ non ſit contra votum paupertatis. Probabile certò eſt, poſſe Religioſum elargiri ſuam portionem cibi abſque licentia; (2) nam in rebus, quæ vno actu conſumuntur, vſus non ſecernitur à dominio; & cui conceditur vſus, conſequenter conceditur omnimoda diſpoſitio.

1. Bañez. Card. Lugo. Sayrus. Rebellus. Salas. Lopez. Diana. Apud Me *de Ordin. Milit. d. 14. q. 2.*

2 Contra votum paupertatis eſt, occultare res, ne à Superiore reperiantur, animo non parato ad tradendas illas, ſi poſcantur; ſecus, ſi is animus non detur, ſed contrarius, & occultentur ob vitandam confuſionem, aut verecundiam. Quod ſi à maiori Prælato habeat quis licentiam, poteſt occultare eas minori Prælato; ſufficit enim ea dependentia, ne proprietarius ſit. (3) Habens licentiam ad inſumendam pecuniam in re determinata, aut ad donandum eam

2. Diana. Apud Me *ſuper.*

3. Card. Lugo. Apud Me *ſup.*

eam vni, nequit donare alteri, nec in alia re insumere. (4) Accipiens aliquid non sibi, sed Communitati, & tradens ei, non indiget licentia; nam præsumitur. Accipiens à Communitate ea, quæ sibi essent præstanda, non violat paupertatem; (5) nam in acceptione absque proprietate, perinde se habet ea tenere, ac vsui communi deputare. Quin si à Superiore iniustè negentur necessaria, ex bonis communibus (6) potest quis ea accipere; nam Superior abutitur sua potestate, & ea bona deuoluuntur ad subditos.

4. Tamburinus, & alij *sup.*

5. *ibid.*

6. Th. Sanchez, *ibid.*

3 Esculenta, & poculenta sibi accipere, non extraneis, dum non sint pretiosa, non est peccatum lethale, quia Religiosi (7) habent se vt filij respectu patris. Non peccatur contra paupertatem, si quis ad suum vsum afferat libros ex bibliotheca Monasterij, aut res similes. (8) Contra paupertatem est accipere aliquid sine licentia ad proprium vsum, relicto dominio penes donantem; nam vsus pretio æstimabilis est. Potest autem quis poscere ab aliquo, vt pecunias apud alium deponat, (9) sub conditione (10) quòd Superior det licentiam; & ea obtenta, potest etiam aliquid alienare. Peccat contra paupertatem grauiter, qui paulatim absque licentia res paruas suscipit, quæ demùm conficiant quantitatem grauem. Sed maior quantitas in esculentis acceptis ab externis requiritur, (11) quia non adeò iustè inuitus censetur in his Superior.

7. Suarez *ibid.*

8. Azor *ibid.*

9. Th. Sanch. *vbi supra.*

10. Card. Lugo *supra.*

11. *Ibid.*

4 Qui licentiam habet alienandi rem, potest adhuc succedente alio Prælato, qui negaturus esset licentiam, eam alienare, (12) quia est gratia facta, quæ non exspirat. Et etiamsi statuerit apud se non alienare, potest suum animum retractare, quia iam fuit sublatum impedimentum alienandi à Superiore, quod sufficit. Non peccatur grauiter contra paupertatem mutuando res propriis vsibus cõcessas (13) inter domesticos: at inter extraneos cum in mutuo dominium transferatur, potest lethalis culpa reperiri, sed maior quantitas ad id requiritur, (14) quàm si dono daretur, cum sit illud minùs æstimabile. Si recuset quis rem sibi donatam, non ha-

12. Apud Me *de Ordin. Milit. d.* 14. *q.* 2.

13. Layman, apud Me *vbi super.*

14. Suarez *vbi super.*

bendo iustam causam recusandi, peccat contra charitatem, non contra paupertatem, sicut qui efficeret, ne legatum Monasterio relinqueretur: (16) nam ex vi voti non tenetur ad acceptandum donum. Acceptans depositum rigorosum sine licentia peccat (non contra paupertatem) ob contractum, & obligationem grauem; (17) nec tenetur tunc Superior, aut Monasterium, si depositum pereat, ad restitutionem. Habens licentiam donandi aliquid potest donare vni ex Monasterio, quin is poscat licentiam accipiendi; (18) ea enim est mens Superioris. Et qui habet licentiam dandi, & accipiendi, potest emere, & vendere; nam sub ea licentia comprehenditur licentia adquirendi, (19) & transferendi dominium: vnde sola licentia dandi, aut sola accipiendi non sufficit, quia in emptione, & venditione datur adquisitio, & translatio dominij. Id tamen non extenditur ad emptionem, & venditionem, quæ sit negotiatio, hæc enim est prohibita Religiosis.

16. Fagund. *ibid.*

17. Castr. Palao *ibid.*

18. Card. Lugo *ibid.*

19. Card. Lugo apud Me *de Ordin. Militar. d.14. q.2.*

5 Dans alicui rem, qui peccet accipiendo, peccat contra charitatem, vtpotè occasionem ruinæ præbens, non contra paupertatem, si habebat licentiam donandi rem. (20) A vitio proprietatis excusat consuetudo recepta in Monasterio. Potest Prælatus, cui à maiore Superiore non fuerit restricta potestas, concedere licentiam ad quamvis quantitatem moderatam insumendam, maximè si Religiosus eam habeat ex stipendio Cathedræ, aut simili. Moderata autem est, dum non accedat ad aliqua millia aureorum. (21) Qui accipit iniustè aliquid à Monasterio, tenetur ex proprio peculio, si id habeat, compensare, quia non est impotens abdicare à se vsum peculij: quod si potest, tenetur. Donans aliquid sine licentia extraneo ex suo peculio, non tenetur restituere Monasterio, nec extraneus ad restitutionem tenetur; præsumitur enim, Religionem consentire, (22) ne honor illorum periclitetur. Accipiens aliquid sine licentia, tenetur reddere illud Monasterio, non danti, qui iam ex se transtulit dominium, nisi constaret, non aliter dantem velle donare rem, nisi cedat in vsum recipientis, & non Monasterij; tunc enim, si non

20. Card. Lugo *vbi super.*

21. Card. Lugo *tom.1. de iustit. d. 3. n. 184.*

22. Castr. Palao. Sylvester *vbi supra.*

non poſcatur licentia, danti erit res reddenda. (23)

6 Licentia Superioris tacita virtualis, aut interpretatiua præſumpta, qua quis prudenter, ac rationabiliter præſumat, Superiorem annuere, ſufficit, vt quis operetur, quin violet votum paupertatis. (24) Tunc autem ea datur præſumptio, cum non adeſt præceptum in virtute Sanctæ obedientiæ, ne ſubditus quidquam accipiat abſque expreſſa licentia Superioris, & datur experientia, eum non ferre ægrè notabiliter, quod non petantur eæ licentiæ; ſeu quando aduertitur, Superiorem videre, & tacere. Cæterùm licentia extorta per metum grauem non eſt valida: ſic verò per metum leuem, aut dolum, quamvis eſſet peccatum eam ſic extorquere.

7 Bulla Clementis VIII. de largitione munerum in Hiſpania (25) non eſt vſu recepta, nec in aliis (26) pluribus Prouinciis. Et ea Bulla poſtmodùm eſt per aliam ingenti moderatione expoſita.

8 In Religionibus, in quibus conſuetudine eſt receptum, vt Religioſi priuati, aut Moniales habeant reditus vitalitios, non eſt id contra paupertatis votum, dum eos diſpenſent de licentia Superioris, (27) & habeant apud depoſitarium, vel annuente Superiore apud ſeipſos, apud quos deponi poſſunt, ſicut apud alios. Superioriſſa autem (ſiue dicatur Abbatiſſa, ſiue Prioriſſa, aut alio quovis nomine) poteſt eaſdem licentias concedere ſuis Monialibus in ordine ad vſum, ac diſpoſitionem rerum, ac poteſt Prælatus regularis ſuis ſubditis; quin & ampliorem materiam circa quam habet, cum ſit communius apud Moniales gaudere annuo peculio.

9 Religioſus, qui interiùs vteretur veſtibus ſericis, aut pretioſis, aut exteriùs habitu nimis delicato, nec in ſua Religione vſitato, peccaret contra votum paupertatis; nec circa id præſumi poteſt licentia Superioris: nam etiamſi is conceſſiſſet licentiam ad expendendam pecuniam, tamen vſus ipſe earum veſtium ex ſe repugnaret paupertati religioſæ; & vſus ipſe continuatus eſt pretio æſtimabilis; præterquàm

23. Suarez *ibid.*

24. D. Thomas. D. Bonauent. Syluester. Nauarrus. Bañez. Toletus. Molina. Azor. Th. Sanch. & plurimi apud Me *de Bulla Cruciat. d.* 24. *n.* 29.

25. Th. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. c.* 19. *n.* 42. & *n.* 105.

26. Megal. *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 27. *q.* 3. *n.* 63. Steph. Gratianus. Diana, & alij.

27. Nauarra *de reſtit. lib.* 3. *c.* 1. *ex n.* 174. Syluester. Innocentius. Ioan. Andreas. Nauar. & alij.

quòd ſcandalum gigneret eis veſtibus vtens, ſi videantur, & Religionis bono nomini detraheret.

10 Religioſi profeſſi ſunt incapaces hæreditatis ab inteſtato; at ſi inſtituantur, hæredes, vt poſſunt, Monaſteria eorum nomine (28) adeunt hæreditatem; idemque eſt de legato eis relicto. At Religioſi Societatis Jeſu poſt emiſſa vota ſimplicia, quæ eos ſtrictè Religioſos conſtituunt, poſſunt ante Profeſſionem teſtamenta condere, & renuntiationem bonorum facere, & capaces ſunt ſuccedendi in bonis.

28. Diana *p. 9. tr. 5. reſ. 16.* Suarez. Vuadingus.

11 Si Religioſus parentes ſummè indigentes habeat, poteſt Superior concedere ei facultatem, vt eis ſuccurrat ex his, quæ ſuo labore, aut induſtria adquiſierit; quin ſi aliter eis ſubuenire non poſſit, vt extra Monaſterium degat per tempus, (29) ad ſubueniendum illis.

29. Portel. Diana.

12 Si Religioſus ſciat pingere, aut alia eiuſmodi, & quin ſui muneris officiis deſit, ea præſtet, poteſt amico ex liberalitate donare, quin paupertatem violet, ſi ante opus factum ex primaria intentione fiant ad petitionem amici, non verò ſi fiant aliter, cum ea cenſeantur res ingenij, quamvis prænoſcat, illum (30) fore eas venditurum. Sicut poteſt concionem elaborare, ac ſcriptam amico donare, quamvis ille eam recitans, aut alij vendens ſit adquiſiturus pretium. Non licet Religioſo Societatis accipere ſibi ſtipendium Miſſarum, & poſcere ab amico externo, vt eas celebret: id enim perinde eſt ac accipere ſtipendium pro Miſſis à ſe dicendis, cum ipſius nomine, & pro ipſius intentione alius eas celebret.

30. Ep. Caramuel. Diana. Card. Lugo *tom. 1. de iuſt. d. 3. n. 149.*

13 Poteſt Religioſus vti licentia expendendi, aut accipiendi, ſibi præſtita à Superiore tempore, quo erat Superior, adhuc poſtquam Prælaturam finiuit. At ipſe Superior nequit, finito officio, ſimiliter vti facultatibus. Nam primus licentiam tempore (31) legitimo accepit, quæ durat facta, dum non reuocatur: at Superior, dum munus exercet, ratione officij poteſt præſtare ea, quæ aliis poteſt concedere; non

31. Card. Lugo. Dicaſtillo. Diana.

non tamen ſibi dare licentiam ad ea præſtanda poſt finitum officium, cum requiratur ad id diſtinctio perſonarum, nec ſibi quiſquam, tanquam diuerſo, poſſit licentiam concedere. Et quidem aliàs poſſent omnes Superiores efficere abſque petitione licentiæ, finito Officio, quidquid poterant, dum illud gererent; quod ex terminis conſtat eſſe diſſonans, & falſum.

14 Quantitas ſufficiens, vt violetur paupertas grauiter, eſt illa, quæ in materia furti ſufficit, vt furtum ex ſe ſit peccatum mortale; & leuiter violabitur paupertatis votum, ſi in materia furti eſſet leuis quantitas. Obſeruandæ tamen ſunt limitationes *ſuprà* appoſitæ; nam v. g. in eſculentis, & poculentis non ſufficiet ad violandum grauiter votum paupertatis id, quod ſufficeret, ſi quis ab extraneo eam quantitatem furaretur. Nec in materia furti datur eadem res, & præſumptio, quæ reſpectu licentiæ Superioris.

## *Peccatum.*

1 VNica malitia peccati datur in actu voluntatis, quo quis vult occidere plures homines, cognoſcere plures fœminas, &c. (1) ſicut enim in actu, quo quis vult erogare eleemoſynam pluribus pauperibus non datur niſi vna bonitas, ſic nec in illo, niſi vna malitia. Nam vt cadunt ea obiecta ſub talem actum, per modum vnius obiecti adæquati illum terminant; & cum ille ſit indiuiſibilis, indiuiſibilem malitiam continet, eſtò pluribus æquiualentem. Numerus autem obiectorum an ſit neceſſariò in confeſſione aperiendus, vide verbo *Confeſſio*. At ſi poſt actum illum voluntatis, ſucceſſiue eliciantur alij actus, quilibet circa vnum ex eis obiectis, in quouis actu datur diuerſa malitia.

1. Ego *in Statera, d. ſſ. 2. cum Pluribus.*

2 Peccatum graue proximi manifeſtari nequit alteri, etiam viro graui, & prudenti, dum ea manifeſtatio ex ſe cedat in detrimentum famæ, ſeu honoris

illius: (1) quippe in ea manifestatione iniustitia grauis infertur proximo, & maius detrimentum patitur proximus in fama, si vir grauis eius delictum agnoscat, quàm si decem homunciones illud sciant. Pariterque posset ille vir grauis alteri illud propalare, & sic deinceps, vnde eius honor summè læderetur: quisque autem ius habet, vt sua fama non dissipetur.

2. Molina. Suarez. Valentia. Azor. Filliucius. Layman, & ego cum aliis *in Statera, diff.* 10. *q.* 5.

3 Peccatum non est, non auscultare inspirationibus internis circa opera consilij, secluso omni fine prauo; (3) nam homo non peccat non exequendo opera consilij, cum ad ea non teneatur, sicut tenetur ad opera præcepti; vnde non peccabit, dum non auscultat eiusmodi inspirationibus.

3. D. Thomas. Tannerus. Diana. Delgadillo. Ego cum aliis *in Statera, diff.* 13. *q.* 3.

4 Non datur obligatio dolendi de peccatis statim ac committuntur, aut proponuntur memoriæ; sed solùm quando quis tenetur de illis confiteri, (v. g. vt Missam celebret, quam nequit omittere) quamvis non detur copia Confessoris, aut potentia confitendi illa ob aliquod accidens superueniens. (4)

4. Nauarrus. Sotus. Suarez. Vasquez. Valentia. Torre. Laym. & alij.

5 Exponere se periculo peccandi est peccatum, nisi causa aliqua sufficiens excuset, veluti proximi salus, aut aliqua necessitas legitima; in quibus euentibus sat est, nolle peccare.

6 Non licet occasionem peccandi alteri præbere, (vt alibi dixi,) vt deprehensus (5) in peccato corrigatur, & emendetur; non enim facienda sunt mala, vt eueniant bona. Sanè aliquando peccata minora permittuntur absque approbatione, vt maiora vitentur. Sic permitti solent in amplis vrbibus aliquæ meretrices, ne virgines, & fœminæ vxoratæ solicitentur, viteturque adulteria, & stupra. (6)

5. Eman. Sà *in sum. verb. Peccatum, n.* 7.

6. Nauarrus. Victorellus. Eman. Sà. & communis.

7 Peccato alterius vti quis potest ad bonum; v. g. ab homine parato ad mutuandum cum vsura, potest quis petere, & accipere mutuum; (7) nam quotiescumque quod petitur, iustè fieri potest, & bona de causa petitur, tuo iure tibi licet vti, quamvis alterum fore peccaturum scias.

7. D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *a.* 1. 4. Card. Caietan. Sotus. Nauarrus. Victorellus.

8 Iactantia de peccato mortali commisso est lethalis culpa; sat autem est confiteri iactantiam de culpa grauí,

grauí, quin explicetur materia, dum quis non fuerit delectatus in illa; nam cum delectatur in peccatis præteritis, opus est confiteri species eorum. Si quis conditionatè optaret fornicationem, si esset licita, vel optaret quòd licita esset, grauiter peccaret, quia actu est in eo delectatio prælens illicita: (8) at si nulla esset actu delectatio præsens, probabile est, illud desiderium conditionatum (9) non esse peccatum mortale. Nec est mortale in rebus non intrinsecè malis, sed iure humano prohibitis id desiderium, & delectatio; v. g. si hodie non esset dies ieiunij, manducarem libenter carnes; seu optarem, quod hodie non foret dies ieiunij. (10)

8. Th. Sanch. & alij.

9. Vasquez, & aliqui.

10. Diana *p. 3. tr. 6. res. 47.* Th. Sanchez, & alij.

9 Si quis iudicans esse diem festum, cum non esset, omitteret auditionem Missæ, grauiter peccaret, (sicut in similibus, in quibus conscientia erronea laboraret) at potest confiteri sic: Omisi Missam die festo, quin explicet conscientiam erroneam, cum hæc non faciat diuersum peccatum ab eo, quod fuisset, si dies festus fuisset reipsa. (11)

11. Leand. de Sacram. Diana.

10 Vt quis committat peccatum mortale, necessum est, in illo dari deliberationem perfectam, nempe cogitationem de malitia actus, iudicium non præuentum à subreptione, seu iudicium indifferens, ac voluntatis consensum plenum, & non solam velleitatem, aut motum præcipitem.

## *Pœnitentiæ Sacramentum.*

1 Pœnitentia alia est virtus, alia Sacramentum. Illa est, præterita mala plangere, & iterùm plangenda non committere; inuoluitque detestationem, ac dolorem de peccatis commissis, & propositum de cætero non peccandi. Isque dolor vel est perfectus ob Deum summè dilectum, eiusque bonitatem antepositam omnibus creaturis; vel imperfectus, ob pœnas inferni, quas quis pro lethali meretur; seu ob carentiam beatitudinis, seu ob fœditatem peccati, qua Deus offenditur; semper quippe debet adesse motiuum supernaturale, & respectus ad

Deum, vt actus conducat ad salutem. Pœnitentiæ virtus est pars essentialis sacramenti pœnitentiæ.

2 Pœnitentia, vnum ex septem Sacramentis, institutum à Christo, (1) ibi: *Quorum remiseritis peccata*, &c. est, in quo Sacerdos confitentem cum iusto dolore sua peccata absoluit ab iisdem. Materia remota sunt peccata vt delenda; proxima signum sensibile doloris per confessionem, aliaque signa; forma verba absolutionis: minister Sacerdos: effectus gratia sanctificans, seu habitualis prima (nam est Sacramentum mortuorum) aut secunda, nam si iustus sit, qui confitetur, eius augetur gratia ex opere operato sacramenti illam causantis. Satisfactio est pars integralis huius Sacramenti.

1. *Ioan. 20. v. 23. Trid. sess. 14. cap. 1.*

3 Non est opus de singulis peccatis in speciali dolere, sat est de omnibus simul sumptis, dum motiuum cuncta amplectatur. Id autem motiuum non sufficit esse pœnam temporalem, cum id sit merè naturale, veluti supplicium infligendum à iudice, infamia secuta, & alia eiusmodi.

4 Confessio peccatorum requiritur, explicando numerum, species, seu circunstantias speciem mutantes. Ad eam autem rectè faciendam examen conscientiæ præmittendum est, quo quis inuestiget peccata, quæ cogitauerit consentiens, quæ dixerit, quæ egerit; eaque diligentia in examine est opus, quale fieret ab administratore bonorum, vt indagaret, quantum, & quando acceperit, quantum, & in quæ expenderit. Confessor autem doctus, & prudens iuuet pœnitentem rusticum, aut ignarum, vel puerum, interrogans, & examinans ipsum. Pro qualitate autem pœnitentis, & iuxta tempus, quo non est confessus, impendendum est in examine tempus, ac diligentia. Non tenetur autem vllus scribere sua peccata, etiamsi timeat, se aliquorum fore obliturum in Confessione. In casu necessitatis, velut in naufragio, in vulnere lethali, in morte aliàs inopinatò superueniente, non requiritur id examen, sicut nec confessio singulorum peccatorũ, sed ea quæ pro occasione fieri potest, cum vero dolore supernaturali; & quia Confessio ea solùm est formaliter integra, non

non materialiter, si quis superuiuat, tenetur omnia peccata tunc omissa confiteri; ex se enim datur obligatio deferendi omnes culpas lethales ad tribunal pœnitentiæ.

5 Quod si quis morti sit proximus, quin habeat copiam Confessoris, non tenetur memorari, & confiteri coram Deo, se furatum, mœchatum, aut transgressum fuisse alia præcepta; (2) sed sat est, actum contritionis perfectæ elicere.

2. Suar. *de pœnit. d.4. sect.6.* & communis.

6 Hic actus: *Doleo ex animo, quod non doleam de meis peccatis, quibus offendi Deum*, sufficit in certo probabili opinione (3) ad obtinendam absolutionem, dum coniungatur cum proposito non peccandi; nam significatur per illum actum, quem non dolere adeò intensè vt optat; intensionis autem defectus non facit, quod absolutè non detur dolor. Aliud esset, si is eam haberet complacentiam in peccatis, vt solùm doleret, quòd non posset eam superare per veram detestationem, & displicentiam efficacem; nam hic actus non est dolor de peccatis, quin potius compossibilis cum illis.

3. Gobat. *in exper. Theol. tr.6. n.111.* Lessius. Gasp. Hurtad.

7 Per contritionem perfectam, necnon per Sacramentum pœnitentiæ remissis peccatis, condonatur pœna æterna, & mutatur in temporalem sustinendam in Purgatorio, nisi quis plenè pro illa satisfaciat. Cæterùm satisfactio Sacramentalis, seu adimpletio operum pœnalium, quæ iniungit Confessarius, habet maiorem vim ad satisfaciendum pro pœnis Purgatorij, quàm eadem opera sponte facta. Tenetur autem pœnitens de lethalibus confessus sub mortali adimplere pœnitentiam sibi iniunctam, nisi lucretur indulgentiam plenariam. De quo vide *Indulgentia*. Si solùm venialia sit confessus, tenetur sub veniali pœnitentiam adimplere.

8 Si quis sciat se commisisse peccatum lethale, & dubitet, an illud fuerit confessus, tenetur id confiteri, quia possessio stat pro præcepto; & pœnitens cùm peccauit, contraxit debitum confitendi. Si sciat se peccasse, & dubitet an mortaliter, vel venialiter, tenetur confiteri, quia certus est de facto, & dum non iudicat probabiliter, peccatum non fuisse mortale, possessio

possessio non stat pro eo, sed pro præcepto. Si dubitet, an commiserit peccatum, vel non, & dubium sit positiuum, ita vt vtrinque dentur rationes probabiles, non tenetur id peccatum confiteri, quia potest sequi sententiam, & rationem certò probabilem.

9 Si verò dubium sit negatiuum, ita vt vtrinque rationes dubitandi occurrant, quin nec probabiliter possit his, aut illis assentiri, ità vt sit suspensiuè dubius, & peccata sint rigorosè dubia, tenetur illa confiteri. (4) Ita suadet praxis fidelium, quæ à Christi D. præcepto creditur emanasse. Deinde aliquod remedium adhibendum est peccatis dubiis, ne exponatur quis periculo amittendi vitam æternam; illud autem est confessio: & cum detur præceptum confitendi peccata provt sunt in conscientia, debet quis confiteri ea, quæ sunt in conscientia dubia; & nec opinatiuè, nec probabiliter censet, non fuisse à se commissa. Equidem in articulo mortis teneretur quis ea confiteri, tunc autem non tenetur, nisi ad ea, quæ semper ex necessitate sunt confitenda. Nec alibi melius aptatur axioma; *In dubiis tutior pars est eligenda.* Possessio cæterùm stat pro præcepto, non pro libertate, dum quis probabiliter non censet, non commisisse peccatum. Non idem est dicendum de peccatis reseruatis, quoad reseruationem, si sint dubia; nam reseruans ea excludit; & si includere velit, ea exprimit.

4. Suarez. Th. Sanchez. Henriquez. Card. Lugo. Episc. Crespi. Filliucius. Azor. Bretserus. Esforc. Pallauisin. Bauny. Sâ. Granado. Valentia. Salas. Fagundez. Tannerus. Quiedo. Layman. Baldellus. Salas.

10 A peccatis mortalibus dubiis nequit simplex Sacerdos absoluere: (5) nam absolutio ab eis id sonat; *Absoluo te ab his peccatis mortalibus, si re ipsa commissa sunt.* Simplex autem Sacerdos potest à venialibus, & à mortalibus ritè confessis absoluere, non autem à mortalibus nondum confessis, quæ sunt materia necessaria Confessionis. Nec potestas absoluendi à mortalibus dubiis simplici Sacerdoti concessa est à Christo D. nec ab Ecclesia, sicut ab illa concessa iudicatur potestas absoluendi à venialibus, & mortalibus ritè antè confessis.

Ego *in Statera, d. ff.* 10. *q.* 1.

5. Ego *in Statera, diff.* 10. *q.* 2.

11 Dolor est pars intrinseca Sacramenti pœnitentiæ, debetque esse contritio, aut attritio supernaturalis,

turalis: (6) nec sufficit displicentia peccatorum, quæ sanè non est efficax, nec ea excludit. Nec fit validum Sacramentum, si scienter quis non habeat propositum vitandi mortalia, cum illud sit essentialiter requisitum. Aliud erit, si quis bona fide iudicet, se habere sufficientem dolorem, & is deficiat; dabitur enim Sacramentum validum, sed informe: & forma gratiæ tunc dabitur, cum ablatus fuerit obex per verum dolorem. Præscindendo autem à Sacramento pœnitentiæ semper extitit præceptum dolendi de peccatis, nam cum per hæc offendatur Deus, consurgit inde obligatio placandi illum, & curandi reconciliationem cum ipso. 6. Trid. *sess.* 14. *c.* 4. *& can.* 4. & 5. Florentin. *in Decreto vnionis.*

12 Certò probabile est, eum, qui confessus est peccatum dubium, si deinde ei constet de eo à se commisso, non teneri iterum vt certum confiteri. (7) Sed oppositum, nempe teneri, est probabilius, & tutius; (8) quia si ab initio constaret pœnitenti vt certum, tenebatur ita confiteri: vnde quandocumque constet, tenetur; cum debeat confiteri peccata, provt sunt in conscientia; & diuersum iudicium, tum in se, tum ad remedia, & satisfactionem iniungendam efformat Confessarius de peccatis certis, ac de dubiis. Præterea si circunstantia necessariò confitenda sit omissa per obliuionem in Confessione, tenetur quis iterum peccatum confiteri, si absque eius propalatione circunstantia nequeat declarari; certitudo autem æquè, vel magis est de substantia peccati, quàm circunstantia: quare si tenetur confiteri circunstantiam denuò cognitam, amplius tenetur certitudinem denuò compertam. 7. Delgadillo. Merolla. Leand. à Sacr. Mart. de S. Ioseph. Vidal. Caramuel. Sacchus, & alij apud Me *in Statera*, *diff.* 10. *q.* 3. 8. Card. Lugo. Th. Sanchez. Gasp. Hurtad. Tamburinus. Escobar. Turrianus. Busembaum. Apud Me *vbi nuper.*

13 Cum quis confitetur ita; *Commisi viginti periuria, plus minusve*, & postea scit se commisisse viginti vnum, non tenetur hoc vnum confiteri. Nam is modus confitendi æquiualet huic; *Commisi nouemdecim, aut viginti, aut viginti vnum periuria.* Quæ disiunctio proponitur vt certa, & verificatur in quolibet ex extremis disiunctiuè prolatis, & quodvis ex illis censetur in ipsa affirmatum; quare illud vnum periurium de nouo cognitum iam est manifestatum

nifestatum sufficienter in Confessione antecedenti, & efformatum de illo iudicium à Confessario. (9)

9. Ego *in Statera, d. ff. 10 q. 3.*

14 Non sufficit, quem habentem plura peccata lethalia, de vno dumtaxat dolere, vt pœnitentiæ Sacramentum accipiat; opus est enim (10) dolere de cunctis. Si autem plura peccata venialia habeat, & solùm aliqua velit vt materiam sufficientem Sacramento adhibere, sufficiet dolor de illis. Quin & potest venialia, de quibus non dolet, in Confessione exprimere, non intendens ea esse materiam Sacramenti, sed vt plus humilietur.

10. Communis.

15 Sufficit dolorem coniungi moraliter cum Confessione, eum eliciendo (11) siue antè, siue post illam ante absolutionem; nec requiritur actualiter coniungi. Attamen Confessio non potest fieri, veluti si psittacus diceret culpas, aut quis recitaret carmina; sed eis signis, quibus ostendat confitens, se ea peccata referre accusando se de illis; atque adeò Confessio debet esse supplex, dolorosa, humilis, & deuota. At si quis historicè retulit sua peccata Confessario, & immediatè velit de illis confiteri, sufficiet asserere, se accusare de omnibus his, quæ retulit, cum vero dolore; nam tunc in ea accusatione datur implicita confessio debito modo facta. (12)

11. Card. Lugo *de pœnit. d. 14. sect. 4.* Bonacina. Vasquez. Suarez. Chr. Rasler. Mat. Stoz. Tamburinus. Gobat. Filliucius, & plurimi.

16 Si quis v. g. concionem audiens eliciat intensum de suis peccatis dolorem, etiam nihil de confessione cogitans, poterit illicò cum morali coniunctione doloris confiteri, & ille dolor sufficiet; nam ea relatio ad confessionem in dolore nullibi requiritur. (13)

12. Dicastillo *de pœnit. d. 6. d. b. 9. n. 135.* Diana. Gobat. Coninch. Layman.

17 Si quis examine facto doleat de peccatis mortalibus sub motiuo ad omnia se extendente, quale esse debet, & posteà alicuius recordetur ante Confessionem, non tenetur nouum elicere dolorem, cum primus sufficiat. At si in examine solùm deprehenderat peccata venialia, & de illis doluerat dolore non extendente se ad mortalia, & mortalis postmodùm recordetur, nouum tenetur elicere dolorem. (14)

13. Rasler. *tr. de pœn. c. 4 §. 11.* Stoz *in praxi confess. n. 28.* Card. Lugo. Gobat, & alij.

18 Si immediatè post confessionem recordaris alicuius

14. Graffis *lib. 1. decis. c. 5. n. 23.* Gobat Reginaldus.

cuius peccati, & illud illicò, aut post aliquas horas (ad diem extendunt aliqui) confitearis, non teneris nouum elicere dolorem; nam primus dolor extenditur virtualiter ad id peccatum, dum eum habueris ex motiuo communi culpis antè in Confessione expositis, & huic. (15) Aliud erit, si post confessionem factam solùm de peccatis venialibus, recorderis vnius mortalis, iuxta dicta *numero præcedenti*. At si dolor habitus antecedenter fuisset contritio perfecta, non indigeres nouo dolore ad hoc peccatum confitendum; neque si habuisses attritionem de omnibus peccatis mortalibus à te commissis, adhuc de oblitis, & de ritè confessis.

15. Henriq. *l.4.de pœn. c.16.n.7.* Card. Lugo. Gobat. Dicastillo.

19 Nec opus est nouo dolore, si confessus es peccata reseruata cum Superiore, vt posteà peccata non reseruata confitearis cum alio Confessario. Nec si heri cum vero dolore incepisti Confessionem, nec finire potuisti, & hodie aut eras eam perficis, non indiges nouo dolore. (16) Prætereà Confessarius in secunda Confessione facta post primam, valet eandem pœnitentiam sacramentalem iniunctam in prima applicare, seu extendere ad nouum peccatum; nisi hoc esset mortale, & culpæ propalatæ in prima Confessione fuissent veniales.

16. Card. Lugo *de pœn.d.14.n.27.* Gobat.

20 Si quis cum dolore restricto ad quædam peccata grauiora, & non extendente se ad omnia mortalia, quæ commisit, & de facto confitetur, bona fide accedat ad hoc Sacramentum, sanè hoc erit validum, sed informe. Dum autem posteà certior fiat, se non habuisse sufficientem dolorem, sat est, si confiteatur ea peccata, ad quæ dolor non se extenderat in ea Confessione informi. (17)

17. Gobat. *vbi sup. n.279.* cum D. Thoma, & plurimis.

21 Circa ministrũ huius Sacramenti vide *Absolutio. Approbatio. Confessarius.* Circa satisfactionem, *Satisfactio Sacramentalis.* Circa circunstantias notabiliter aggrauantes, & mutantes speciem, *Circunstantiæ.* Circa contritionem *Charitas.*

*Pollutio.*

## Pollutio.

1. Ego cum pluribus *in Statera disp. 5. q. 2.*

1 POllutio præuisa, & non intenta in aliqua actione absque periculo consensus in illam, & delectationis, non est peccatum mortale, quando actio alios effectus habet, ob quos exercetur, (1) v.g. equitare, dormire supinum, quia sic melius capitur somnus, & similia, quia pollutio tunc in se est inuoluntaria, in causa autem non habet malitiam grauem. Quin etsi actio sit peccaminosa, sed non ordinata ad delectationem veneream, pollutio in ea præuisa, sed non intenta, & absque periculo dicto, non erit culpabilis, v. g. si quis nimium cibum, aut potum sumat; nam id habet alium effectum, qui intenditur, nempe satiationem appetitus edendi, & bibendi. Quòd si actio ex se tendat ad delectationem veneream, pollutio in ea præuisa erit lethalis, cum sit proprius effectus illius. Hinc verba amatoria communiter sunt eiusmodi; nam non aliter potest præuideri in eis pollutio, nisi quia delectationem excitant. Quòd si proferantur absque animo solicitandi, & sine vlla delectatione, erunt quædam verba vana, & mendacia, nec in eis poterit præuideri pollutio.

2. Suarez. Henriquez. Sà. Granado. Busembaum. Salas. Th. Sanchez. Bossius, & alij apud Me *in Statera, disp. 5. q. 3.*

2 Pollutio non intenta, sed præuisa in tactibus, aut cogitationibus turpibus, si sequatur in somnis, est peccatum mortale per denominationem à causa. Seu clarius, illi tactus, aut cogitationes, in quibus præuidetur pollutio secutura in somnis inficiuntur labe malitiæ pollutionis. (1) Nam illi tactus, & delectationes influunt per se in pollutionem, & hæc est effectus proprius illarum, quin alium habeant; qui autem vult causam in se, vult moraliter effectum in ipsa causa, quamvis non intendatur effectus in seipso; nec in hoc est præscindibilis amor effectus ab amore causæ. Et quamvis ob aliquod accidens non sequatur postea pollutio, tamen illi tactus, in quibus præuidetur, inficiuntur malitia pollutionis; sicut si quis incendat messem alienam animo comburendi illam, quamvis

quamvis alius extinguat ignem, & non comburatur, actus incendendi inficitur labe iniuſtitiæ, & per accidens ceſſat obligatio reſtituendi. At pollutio in ſomnis præuiſa in cauſa, hac non volita, nullam habet malitiam.

3 Non licet ob ſanitatem ad ſemen corruptum expellendum fricare partes impudicas, adhuc non extante periculo delectationis. (3) Quia nunquam licet apponere cauſam valde efficaciter, & per ſe influentem in pollutionem, qualis eſt prædicta; & ad qualitatem illam morbidam expellendam dantur medicamenta; cum illa autem, ſi modo præfato intenderetur expelli, ſimul daretur pollutio. At aliæ ſunt actiones conducentes ad commodum, & ad vitandam moleſtiam, vt mundatio lanuginis, & ſimiles, quæ ex ſe non ſunt cauſa proxima influens in pollutionem; & ſi hæc præuideatur, non tamen intendatur, & abſit omne periculum conſenſus, non erit peccatum graue, (4) (quamvis cautiſſimè ſit procedendum, & alterius miniſterio vti non liceat) etenim cauſa, in qua præuidetur, ſupponitur non fieri ex animo delectationis venereæ, & eſſe neceſſaria ad vitandum incommodum, & moleſtiam; vnde non eſt grauiter peccaminoſa, & habet ſe ſicut æquitatio; ſuumque effectum, & finem reſpicit diuerſum à pollutione. Sic etiam vt matronæ iurare valeat, an fœmina ſit virgo, poſſunt eam inſpicere, & tangere (5) quāvis valdè probabile ſit, dari in ea inſpectione, & tactu periculum pollutionis, tum in illis, tum in virgine, dum non adſit conſenſus, nec delectatio, nec periculum.

3. Rebellus. Th. Sanchez. Trullench. Buſembaum. Ego *in Statera, diſſ. 5. q. 4.*

4. Diana. Reginaldus, & alij apud Me *ſup. q. 5.*

5. *Cap. Ne aliquæ, 27. q. 1. Cap. Propoſuiſti, de probat.*

4 Pollutio voluntaria occulta, & non ſolùm publica, habita intra Eccleſiam eſt ſacrilegium, ratione prohibitionis ſpecialis impoſitæ ab ipſa Eccleſia, quæ poteſt prohibere actus externos occultos: (6) eſtò non violetur Eccleſia, niſi publica ſit pollutio. Quin inde ſacrilegium eſſe oſtenditur; nam ſi habita occultè, fiat publica, violatur Eccleſia: & tamen malitia ſacrilegij poſt tranſactum actum non aduenit illi de nouo, vnde iam ſacrilegium erat.

6. Suarez. Th. Sanchez. Lugo. Buſembaum, & alij apud Me *in Statera, diſſ. 5. q. 6.*

# Possessor.

1. Communis.

1 POssessor malæ fidei est, qui est conscius, aut dubius, rem non esse suam ac nullam facit indaginem veritatis. Possessor bonæ fidei est, (1) qui rem possidet cogitatione domini, sine scientia, vel dubio, quòd sit aliena. Possidere pacificè est, possidere sine lite, nec pati controuersiam iuris vel facti in iudicio, vel extra. (2)

2. Iordan. *tom.* 1. *elucubr. lib.* 3. *tit.* 6. *n.* 303.

2 Possessio pacifica Beneficij requiritur, vt titulo illius possit quis initiari sacris. (3)

3. Ignat. Diaz *in prax. crim. c.* 18. *n.* 6. Barbosa. Garcia.

3 Axioma desumptum ex Iure, *In dubiis melior est conditio possidentis*, intelligitur *in pari causa*; sic enim Ius profert. (4) Vnde quando non est par causa, non est possidentis conditio melior. Exemplo sit resolutio huius casus. Paruula filia infidelis patris poscit baptismum, quem filiis infidelium ante septennium, seu vsum rationis nequit vllus eis præstare, inuitis parentibus: dubitatur, an illa sit compos rationis: retinetur in domo tuta; pater petit, sibi restitui puellam, cum ipse possideat & filiam, & ius nolendi eam baptizari ante vsum rationis, de quo dubitatur. Sanè non est ei restituenda, (5) quia non est par causa, atque adeò non fauet ei possessio: nam pater vult abstrahere filiam à salute æterna, & filia aspirat ad illam obtinendam.

4. *Cap. in pari, de reg. iur. l.* 6.

5. Card. Lugo *in respons. moral. l.* 1. *dub.* 4.

4 Si quis possideat Beneficium bona fide per annum, & postmodum adueniat prouisus à Papa de eodem Beneficio, nequit deturbare illum à possessione, ob moram. (6)

6. Nauar. & alij.

5 Possessio prædecessoris accedit ad possessionem successoris, & ambæ coniunctæ conficiunt legitimum tempus (7) ad præscribendum. Possessio autem malæ fidei, etiam longissimi temporis, non præscribit. (8) Si possessio interrumpatur, non prodest.

7. *Leg. de accessionibus, ff. de diuers. tempor.*

8. *Cap. fin. de præscript. Cap. Possessor. de reg. iur. l.* 6.

6 Possessio præsentandi adquiritur per vnum actum, effectu

effectu secuto. (9) Possessor autem bonæ fidei potest præsentare, etiamsi super iure præsentandi litiget. (10) Cæterùm in dubio possessor præsumitur habere bonam fidem. Triennale autem tempus sufficit; vt possessor bonæ fidei faciat suum Beneficium Ecclesiasticum. (11) Vide *Præscriptio.*

9. *Cap. Consultationibus, de iurepatron.*

10. Eodem cap.

11. Rebuff. *de pacifica possess.* Nauarrus.

## *Præceptum.*

1 PRæcepta Ecclesiastica obligant sub peccato mortali, etiamsi non violentur ex contemptu, aut contumacia, seu absque scandalo. Opposita propositio circa præceptum ieiunij damnata est ab Alexandro VII. anno 1665. Idemque de cæteris est enuntiandum. (1) Quippe ea est intentio Ecclesiæ, in qua residet potestas ad obligandum sub mortali, atque ea est praxis, & persuasio fidelium.

1. Communis apud Me *in Statera, diff. 8. q. 5.*

2 Si concurrant duo præcepta incompossibilia pro eodem tempore, maius ex illis obligat; (2) censendum est autem maius ex grauiori materia, & circunstantiis.

2. Adrianus *quodl. 1. art. 2.* Nauarrus. Victorellus. Valentia.

3 Præceptum de re leui non obligat ad mortale, nisi materia leuis fiat grauis ex circunstantiis; v. g. præcipitur grauiter, ne tabachum quis sumat in Ecclesia, estò materia sit leuis in se, at est grauis ex circunstantiis; nam si omnes ibi illud sumerent, spurcaretur Ecclesia, imminueretur deuotio, & strepitu sternituum, & proiectione violenta saliuarum Missæ, & conciones turbarentur; quod est quid graue, & ad id vitandum tendit præceptum.

4 Nequit præcipi subdito, quod patiatur sibi abscindi membrum, aut suum peccatum occultum manifestet. (3)

3. Eman. Sà *in sum. verb. Præceptum, n. 2.* Sylvester. Fumus.

5 Præceptum aliud est positiuum, quod semper obligat, non pro semper, seu pro omni tempore; v.g. præceptum amandi Deum, confitendi peccata. Aliud est negatiuum, quod semper, & pro semper obligat, vt præceptum non mœchandi, non furandi, non mentiendi. Finis præcepti non cadit sub præcepto. (4)

4. D. Thom. 1. 2. *q. 100. art. 9.*

6 In aliquibus præceptis obligantibus ex ſe ſub mortali datur paruitas materiæ, vt in præcepto non furandi, non detrahendi, & ſimilibus. In aliis non datur, v. g. non datur paruitas materiæ in odio Dei, in blaſphemia, in hæreſi, in periurio, in delectatione venerea, & aliis huiuſmodi.

7 Præceptum Superioris iudicandum eſt iuſtum, dum non conſtiterit de eius iniuſtitia. (5)

5. D. Auguſtin. relatus *in c. quid culpatur, 23. q. 1.*

## *Prælatus Regularis.*

1 PRælatus Regularis nequit abſoluere ſubditum ab hæreſi externa occulta. Ita declarauit Congregatio Cardinalium die 17. Nouembris, anno 1628. Ea enim excommunicatio reſeruata eſt Papæ in Bulla Cœnæ, & in Regnis Hiſpaniarum Quæſitoribus Sacræ Fidei. Quando verò hi iam abſolutionem præſtiterunt à cenſura, poteſt à peccato hæreſis, cui illa annectebatur, Confeſſor approbatus abſoluere; id enim & ipſi Quæſitores indulgent, dum reſeruationem, abſoluendo à cenſura, auferunt.

2 Hinc Prælatus Regularis multò minùs poteſt abſoluere, etiam pro foro conſcientiæ, ſæculares ab hæreſi vlla externa, nec ab excommunicatione propter illam contracta. (1) Opinio contraria damnata eſt ab Alexandro VII. anno 1665.

1. Ego cum pluribus *in Bull. Cruc. diſp. 23. & in Statera, diſſ. 1. q. 5.*

3 Nec poteſt Prælatus Regularis audire confeſſiones ſæcularium abſque approbatione Ordinarij. Hæc enim approbatio in Tridentino pro omnibus Confeſſariis requiritur, quin vllus excipiatur. Nec valet exponere ſubditum à ſe approbatum, vt abſque approbatione Ordinarij excipiat confeſſiones ſæcularium, iuxta ipſum Tridentinum. (2)

2. *Seſſ. 23. cap. 15. de reform.*

4 Prælati Regulares Monialium poſſunt benedicere, & reconciliare earum Eccleſias, & item benedicere ornamenta, & calices, & ſi aliunde vtantur Pontificalibus, eis vti in ipſis (3) Eccleſiis. Præterea queunt per ſe, aut per alios præſidere electioni Abbatiſſæ, debentque de electione facienda moneri;

3. Naldus. Baldellus. Barboſa. Bordonus.

neri; gaudentque erga Monales eadem poteſtate coactiua, iudiciali, ac directiua, (4) qua Prælati Regulares erga ſuos ſubditos. Et quidem Prælatus Superior habet poteſtatem ordinariam delegabilem.

Apud Me *de Ordin. Milit. d.14. q.4.* 4. Rodrig. & alij *vbi nuper.*

5 Prælatus Regularis poteſt in primis diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto, præterquam ex homicidio voluntario, iuxta Bullam Pij V. quæ incipit, *Romani Pontificis.* (5) Occultum autem eſt delictum, dum non innoteſcit publicè, nec deductum eſt ad forum contentioſum coram legitimo iudice, citato reo, (6) & lite conteſtata.

5. Affertur à Rodrig. *tom.1.qq. Regular. q.61. art.9.*

6 Deinde poteſt Prælatus Regularis Ordinum Mendicantium diſpenſare cum ſubditis Religioſis in irregularitatibus prouenientibus ex delicto etiam publico, & deducto ad forum contentioſum, (7) exceptis his, quæ prouenium ex homicidio voluntario, & mutilatione membrorum. Religiones verò non mendicantes, aliquæ habent ſimilia priuilegia ipſis conceſſa, aliquæ gaudent communicatione priuilegiorum: vnde earum Prælati, qui vno, vel alio titulo potiuntur, poterunt diſpenſare in prædictis.

6. Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg.39. n.29.* Riccius. Sayrus. Th. Sanchez. Trullench. Diana. Caſtro Palao.

7 Certò probabile eſt (8) non requiri ſtatum Clericatus ad imponenda ſubditis præcepta obedientiæ; hincque Abbatiſſas, ſeu primas Superioriſſas poſſe ea imponere Monialibus. Et quidem in Religione Beati Ioannis de Dios Prælati non initiati ſacris ea imponunt; & itidem Magnus Magiſter Ordinis Militaris S. Joannis, necnon Senatus Regius Hiſpanus Ordinum, ac Viſitatores eorundem Ordinum Militarium.

7. Diana 4. *part. reſ.72. & p.7. tr.11. reſ.41.* Eman. Rodrig. & alij. Extant plures Bullæ Pontificum.

8 Prælatus nequit præcipere ſubdito, quod admittat Epiſcopatum; nam iuriſdictio illius continetur intra ſtatum Religioſum, nec poteſt cogere ſubditum, vt ſuum ſtatum deſerat, vt deſeritur à Religioſo, cum fit Epiſcopus. (9)

8. Cornejo. Lezana. Eman. Rodrig. Naldus. Salas, & alij apud Me *de Ordin. Milit. d.6. q.1. & d.7.q.15.*

9 Nequit Prælatus præcipere quidquam contra regulam, quin nec ſupra regulam, ea ſcilicet, quæ non ſunt ſecundum illam directè, aut indirectè, v.g.

9. P. Ioan. de Cardenas *in criſi Theol. tr.3. d.28.c.5.art.8.*

peregrinationes, nimias flagellationes, aut ieiunia;
10. Communis cũ D. Bernardo. nam (10) votum obedientiæ ſubditorum non obligat illos ad opera maioris perfectionis, quàm eſt in ipſa regula. Valet præcipere tamen ea quæ ſunt media ad regulæ obſeruationem. Inde poteſt ipſa Eccleſiæ præcepta (11) nouo afficere præcepto. Præterea poteſt punire ſubditum pro quouis delicto (excipe illa, quorum punitio pertinet ad ſacrum Fidei Tribunal) etiamſi id non ſit contra regulam; aliàs Religio eſſet Reſpublica prauè ordinata, & poſſet in pluribus delinqui impunè. Et ſanè Prælatus habet iuriſdictionem Eccleſiaſticam quaſi Epiſcopalem
11. Caietan. 2. 2. q. 186. art. 5. ad 1. Th. Sanchez. Cardenas, & alij. circa ſubditos; & ſicut Epiſcopus valet punire clericos ſubditos delinquentes, ita & ille. Inde quæ poteſt punire, poteſt præceptis præcauere; ſicut Reſpublica ad ſui conſeruationem poteſt ſuis legibus præcauere ea, quæ valet punire.

10 Vbi detur in Religionis confirmatione poteſtas à Pontifice condendi nouas Conſtitutiones, poſſunt hæ etiam cum præcepto condi. Ea poteſtas conceſſa eſt Congregationi generali Societatis Ieſu à Paulo III. in Bulla, quæ incipit *Regimini*.

11 Præceptum impoſitum ſubdito non indiget eius acceptatione, & ante hanc (12) illum obligat.
12. Lorca *in* 1. 2. *tr. de legib. d.* 20. & communis. 12 Clemens VIII. prohibuit, ne Prælati Regulares excipiant confeſſiones Religioſorum, qui ſunt eorum ſubditi, niſi hi ſponte ſua velint cum illis confiteri.

13 Etiamſi Prælatura regularis, vt declarauit Congregatio Concilij (13) non ſit propriè Beneficium parochiale, tamen quoties parochus obligatur cum periculo vitæ miniſtrare alicui ſuo parochiano aliquod Sacramentum, toties eadem obligatio vrget Prælatum Regularem reſpectu cuiuſque ſubditi Religioſi. (14) Hinc tempore peſtis nequit ille deſerere ſuum Monaſterium; eiuſque ſubditi tenentur obedire præcipienti, quòd inſeruiant domeſticis peſte infectis; quin & Mendicantes tenentur inſeruire externis peſte laborantibus, ſi Prælatus Regularis id eis iubeat; ac ſanè tenentur
13. Apud Aſcan. Tambur. *de iure Abbat tom.* 2. *d.* 6. *q.* 16.
14. Gobat. *in exper. Theol. tr.* 1. *n.* 139. Nuñus, & alij.

iubere

iubere casu, quo deessent alij adhuc pecuniâ conducti, (15) qui id præstarent. 15. Th. Sanchez *cons. mor. l. 6. c. 2. ex n. 55.* Eman. Rodrig. Gobat.

14 Vt quis eligatur in Prælatum Regularem, sufficit habere viginti quinque annos inceptos; nec ei officit, esse ex hoc, vel illo genere natum. Nequit autem eligi surdus, mutus, cæcus, nec punitus ab Inquisitoribus. (16) Cæcus si in electione suffragium ferat, nequit ab alio scribi facere, sed in aurem scrutatoribus debet suggerere. (17) Nec conuictus de crimine infami potest eligi in Prælatum: nec qui Professionem in eadem Religione non emisit, & in Societate Iesu saltem vota simplicia post biennium.

16. Ex Decreto Vrbani VIII.

17. Diana *part. 9. tr. 9. resp. 30.*

15 Si ex bonis Monasterij quantitas considerabilis supersit, nequit Prælatus Regularis eam integrè in eleemosynas expendere, sed moderatas erogare, attentis circunstantiis, & reliquum in augmentum Monasterij insumere; (18) nec potest donationes liberales præstare, nisi modicas, & in bonum Monasterij.

18. Peyrinis. Suarez. Diana.

16 Prælatus Regularis, qui non curat de obseruantia regularum, quamvis hæ ad mortale, imò nec ad veniale ex se obligent, peccat mortaliter; nam est quid graue respectu Religionis ea obseruantia.

17 Si Prælatus excedat in correctione subditi, non tenetur ab eo veniam poscere, ne inde eius authoritas eneruetur. (19)

19. *Cap. Quoniam, dist. 86.*

18 Potest Prælatus concedere licentiam subdito ex causa manendi extra Monasterium, retento habitu. (20) Potest capere religiosum fugitiuum, vbicumque sit. Si subditus professus sit incorrigibilis, valet illum habitu priuare. Quis autem in vnaquaque Religione Prælatus id præstare queat, ex specialibus statutis est discernendum. Potest nouitios ob delicta punire. Et si valeat concedere subdito facultatem disponendi de aliquibus, & concedere munera, maximè vbi non est publicata, nec acceptata Bulla de largitione munerum, tamen nequit ei proximo morti præbere licentiam testandi, (nisi in Societate Iesu scholaribus non professis) nec ipse Prælatus testari potest; (21) nec enim Prælatus, nec subditus habent vllum bonorum dominium. Vide alia verbo *Regulares.*

20. Nauarrus *cons. 4. de iurepatron.*

21. *Cap. 2. de testam.*

## *Præscriptio.*

1 BOna sacra nec vendi, nec possideri, nec præscribi possunt, quia in nullius bonis sunt: vnde sepulchrum (1) præscribi nequit, sic verò ius inferendi mortuum in illud. Bona Ecclesiastica quadraginta annorum spatio præscribuntur, & etiam bona cuiuslibet Vniuersitatis; (2) cætera bona immobilia inter absentes spatio viginti annorum, inter præsentes decem annorum; bona verò mobilia, etiam Ecclesiæ trium annorum spatio. Ad præscriptionem autem immobilium, & vsucapionem mobilium prærequiritur titulus, & bona fides.

1. Ego cum aliis *de Iure Acad. l. 1. q. 38.*

2. Ego *ibid.*

2 Etenim præscriptio est modus adquirendi dominium vtile, aut directum alicuius rei, vel exceptionem ad retinendum, ex legitimi temporis, tituli, & bonæ fidei possessione. (3) Si mala fide res incepta est possideri, vel si bona fide incepit, & postea mala succesſit, non datur præscriptio. (4) Quando præscriptio est longissima, bona fides requiritur, non titulus; nam is tibi præsumitur, seu inuoluitur. (5) Contra ius naturale non datur præscriptio.

3. *Toto tit. de præscript.*

4. *Cap. fin. & cap. Vigilanti, de præscript.*

5. *Leg. Si quidem, leg. cùm nouissimi, Cod. de præscript.*

3 Non sufficit carere mala fide, cum incipit res possideri, sed etiam in dubio an res sit propria, vt detur bona fides, qua quis credat, rem esse suam.

4 Si testator mala fide in rei possessione laborauit, ea officit hæredi, non verò alij, qui bona fide ab hærede per contractum rem habuit. Quòd si quis incipiat bona fide possidere, eam non tollit dubitatio aduenies, quæ non est absolutè mala fides (6) post inceptam bona fide possessionem.

6. Salon. *de dominio, art. 7. q. 4.* Sotus. Lud. Lopez. Emanuel Sâ.

5 Bona patrimonialia Clericorum non computantur inter Ecclesiastica, atque adeò præscribi possunt eo tempore, quo cætera bona. De possessione ad præscriptionem vide verbum *Possessor.*

6 Si quis in contractu promisit soluere quotannis pensionem, & absque mala fide triginta annis non soluit, præscribit. (7) Quòd si pactum fuit iniunctum non soluendi, nisi peteretur; negligente creditore

7. Eman. Sâ *in sum. verb. Præscriptio, n. 7.*

ditore petere, præscribit iuxta leges aliarum præscriptionum.

7 Potest præscribi libertas. (8) V. g. natus Petrus ex tua ancilla, quæ ex partu obiit, & educatus à nutrice libera, quam iudicauit bona fide suam matrem, gessit se vt liberum, decem annis inter præsentes, aut viginti in alio loco, ad quem migrauit; si his transactis velis illum ad tuam potestatem redigere, iustè se præscriptione libertatis defender. (9)

8. *Leg. 1. C. de longi temp. præscr.*

8 Si tempus belli intercedat, possessio pro eo tempore non fauet, quia tempore belli, seu hostilitatis præscriptio dormit. (10)

9. *Lessius l. 2. de iust. cap. 6. dub. 9. n. 26. Gobat.*

9 Tutus est in conscientia, qui non adimplet conditiones appositas in fundatione capellaniæ, quarum omissio circa assistentiam, aut numerum Missarum, vel alia huiusmodi, constat clarè, fuisse à prædecessoribus legitimè præscriptam. (11) Difficilius est, an si Capellanus per viginti annos, aut Religiosi in sua Ecclesia, vbi sita sit Missarum fundatio, celebrarunt vnam Missam quavis hebdomada, amplius quàm debebant ratione fundationis Capellaniæ, aut Missarum, hoc cognito, teneantur ad id prosequendum deinceps, eo quòd fundatio præscribat contra illos. Pro præscriptione stat, quòd qui sentit commodum, debet sentire & onus; vnde cum Capellani possint præscribere contra fundationem Capellaniæ, & hæc poterit contra illos; aliter non esset æqua regula vtriusque. Pro non præscriptione stat, quod nullus potest priuari suo iure naturali libertatis, nec fieri seruus per titulum præscriptionis, censeturque partialis seruitus obligatio ad præstandum aliquid, vt ad sacrificandum. Iudicet rem doctus; nam ego fateor, valde de resolutione dubitare. Sed videtur, non præscribi à Capellaniæ fundatione, cum non videam, quo pacto verificentur in ea titulus, & bona fides: & aliunde ignorantia, & error fuerit in Capellanis.

10. *Cap. Ex transmissa, de præscr.*

11. *Gobat. in exper. Theol. tr. 3. n. 514. Th. Tamburin.*

10 Contra Principem nequeunt præscribi ea, quæ in signum subiectionis ei debentur, vt vectigalia; (12) nec actiones, quæ sunt singularis priuilegij, vt legitimare spurios, creare notarios, & alia huiusmodi

12. *Leg. Competit. C. de præscript. triginta annor.*

modi, nisi præcesserit scientia Principis, & tantum tempus, cuius non sit memoria. (13) Ad alia autem bona sui fisci præscribenda requiritur tempus quadraginta annorum. (14)

13. *Cap. Super quibusdam, de verb. signif.*

14. *Dicta leg. Competit.*

11 Nequeunt iuxta ius (15) præscribi sequentia. Liber homo, loca religiosa, ius decimarum, neque vlla spiritualia, scilicet à laicis: nec ea, quæ sunt deputata ad publicum vsum, vt viæ, plateæ, fontes, pontes, & alia huiusmodi: nec res, quæ prohibentur alienari fauore ipsarum absolute, vt fundus dotalis: nec res pupilli, durante ætate pupillari.

15. Sylueſt. affert Iura, & res omnes, quæ nequeunt præscribi, *verb. Præscriptio 2. ex n. 3.*

## *Priuilegium: & Priuilegium fori, & Canonis.*

1. Quintanad. *tom. 1. singular. tr. 3. sing. 16.* Lezana. Th. Sanchez. Suarez. Layman. Portel, & communis.

1 PRiuilegium insertum in corpore iuris non censetur reuocari per reuocationem generalem; nempe eam, *Non obstantibus quibuscumque priuilegiis*, &c. nisi fiat de eo specialis mentio, vel reuocetur ius commune. (1)

2. Suar. *l. 8. de legib. c. 18. & 19.* Eman. Rodrig. Peyrinus. Diana, & communis.

2 Quando priuilegij confirmatio non fit in forma communi, sed motu proprio, ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, habet vim nouæ concessionis. (2)

3. Communis.

3 Clericus coniugatus, si habeat primam tonsuram, & gestet habitum clericalem, addictusque sit obsequiis Ecclesiæ, gaudet priuilegio fori, & Canonis. (3)

4. Sanchez *de matr. lib. 8. d 8. num. 11.* Suarez *contra Reg. Angl. c. 28. n. 3.* & alij.

4 Si Subdiaconus, aut alius in sacris constitutus per dispensationem contrahat matrimonium, & gestet habitum laicalem, non gaudet priuilegio fori Ecclesiastici. (4) At si non dispensetur super recitatione, tenetur recitare Horas Canonicas. (5) Tamen certò probabile est, eiusmodi constitutum in sacris, coniugatum gaudere priuilegio fori Ecclesiastici, cum maneat in eo character, nec voto castitatis omnimodæ fuerit solutus, cum id in castitatem coniugalem fuerit à Papa commutatum; nec dispensatus sit ad omnia matrimonia, mortuâ vxore, sed pro

5. Passæus *verb. Horæ Canonicæ 1. num. 1.*

prima

prima vice; & aliunde Clericus ſuſpenſus, & degradatus verbaliter gaudeant priuilegio fori. Quare is, qui à munere Eccleſiaſtico eſt ſuſpenſus, poteſtque illud, mortua vxore, exercere, gaudebit eo foro. (6) Nec diſpenſatio efficit, quod non ſit Clericus in ſacris, de quo nequit cognoſcere Iudex laicus. In his autem, quæ ad Eccleſiam ſpectant, ſententia ei fauorabilis eſt ſequenda.

5 Priuilegio facultatiuo non tenetur quis vti: v.g. datur priuilegium, quòd veſpertino tempore hora debita poſſit recitari Matutinum ſequentis diei; non tenetur quis tunc illud recitare, quamvis præuideat, die ſequenti fore legitima occupatione impediendum, quominùs Officij Canonici penſum ſoluat. (7)

6 Priuilegium non amittitur per non vſum. Neque ſi concedatur aliquod priuilegium, v. g. Abbatibus Regularibus, & vnus ex eis illi renunciet, illud amittitur à ſucceſſoribus. (8)

7 Alleganti priuilegium incumbit onus probandi illud; nam eſt res facti, & facta non præſumuntur, ſed probanda ſunt. (9) Priuilegium non exſpirat morte concedentis. In ſua forma ſeruari debet, (10) nec extendendum eſt ad caſum nulla proprietate verborum ſignificatum. Cæterùm Bullæ Cruciatæ priuilegia quomodo ſint interpretanda, vide *Bulla communis Cruciatæ.*

8 Cum quis concedit priuilegium non ſubdito, v.g. Princeps ſæcularis Eccleſiaſticis, nequit ab eo reuocari, quia ſubit naturam contractus. (11)

9 Priuilegium extenditur ad æquiparata in Iure: v. g. priuilegium conceſſum Eccleſiis extenditur ad hoſpitalia; priuilegium comedendi oua diebus Quadrageſimalibus, extenditur ad lacticinia, etiamſi de his mentio non fieret. (12)

10 Priuilegio nobilitatis non gaudet plebeius adoptatus à nobili. Priuilegio ciuis gaudet filius, etiam natus antequam pater in ciuem adſcriberetur. (13)

11 Ex Declaratione Congregationis Concilij, (14) Regulares vtentes diuerſo Breuiario, & Miſſali, poſſunt

Suarez. Azor. Bonacina. 6.
D. Roder. de Mandia, Epiſc. *in reſol. iuridica circa id.* Chaſſancus. Tuſchus. Francus. Geminianus. Tribiſan. & alij. 7.
Gobat. *in exper. Theol. tr. 5. num.* 711. Cotonius. Dicaſtillo. Henriquez. Canus. Diana. 8.
Laym. *in qq. Canon. de Prælat. electi. q.* 225. Aſcan. Tabur. Gobat. 9.
*Cap. 9. de conſtitut.* 10.
Gloſſa *in cap. Porro, de priuil.* 11.
Diana *p.* 4. *tr.* 1. *reſ.* 82. & *p.* 7. *tr.* 1. *reſ.* 8. Suarez, & innumeri. 12.
Panormitan. Nauarrus. Diana, & alij. 13.
Beſoldus. Tiraqueilus. 14.
Anno 1602.

Affertur à Quaranta *verb. Priuilegia Regularium.*

possunt eo priuilegio vti solenniter solùm in suis Ecclesiis quoad Missas, & Diuina Officia. Regulares, qui vltra dimidium milliare ab vrbe, seu loco distant, nequeunt compelli ad processiones accedere.

15. Sub die 29. Iul. ann. 1566.

12 Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Dum ad vberes* (15) concessit Religionibus Mendicantibus priuilegium non soluendi ex suis bonis mobilibus, immobilibus, & se mouentibus, vllam exactionem rusticam, nec vrbanam, datias, gabellas, pedagia, vectigalia, collectas, impositiones, onera ordinaria, ac extraordinaria, focularia, hospitia militum, & quælibet alia, quovis nomine nuncupata, imposita, & & in posterum imponenda, etiamsi sint pro mœnibus exstruendis, aut reparandis, seu pro pontibus, aquæductibus, fortificationibus, vel aliis quibuscumque. Quod priuilegium concedit tum viris, tum fœminis Mendicantibus, & præcipit, cuncta eorum bona esse omninò libera, immunia, & exempta: & sub excommunicatione latæ sententiæ, & in virtute sanctæ Obedientiæ iubet super his non turbari.

13 Priuilegium à Superiore maiore concessum nequit tolli, aut limitari à Superiore minore. Priuilegium autem Principis citra alterius præiudicium est interpretandum. (16)

16. *Cap. Super eo, de offic. deleg.*

14 Priuilegium sufficienter probatur per immemorialem consuetudinem, cum detur efficax præsumptio.

17. Nauar. *cõs. 19. de pœnit. & remiss. num. 2.* & communis.

15 Etsi priuilegium contra ius commune debeat aliquid operari contra illud, ne frustraneum reddatur, tamen minimè est extendendum, (17) cum similia priuilegia potiùs sint restringenda, quàm ampliãda. (18)

18. *Cap. Qui cõtra iura, de reg. iur. l. 6.*

16 Priuilegia, siue realia, hoc est, concessa loco, aut rei, vel personis ratione loci, aut rei; siue personalia, hoc est, concessa personæ, vel singulari, vel in communi talibus personis, potest concedere in sua lege, aut constitutione, quicumque illam potest condere respectu loci, rei, aut personæ.

17 Priuilegium extinguitur per reuocationem illius factam ab eo, qui illud concessit: & priuilegium personale

perſonale ſingulare amittitur per renunciationem ipſius: nam quivis poteſt renuntiare priuilegio ſuo, niſi renunciatio cedat in præiudicium tertij, ſeu ſtatus, aut Communitatis. Hinc religioſus nequit renuntiare exemptioni; (19) nec clericus priuilegio fori.

19. *Cap. Cùm tempore, de arbitr.*

18 Priuilegium Papæ oſtendendum eſt in Bulla, aut Breui, niſi per immemorialem conſuetudinem probetur. Priuilegium Principis in reſcripto ſignato. Priuilegium quoad forum interius voce ſufficit concedi. Et quavmis ad eſſentiam priuilegij non requiratur Bulla, aut reſcriptum; (20) tamen aliter difficiliùs probatur per teſtes. Quòd ſi Papa concedat priuilegium, & moriatur ante Bullæ expeditionem, illud valet. Cum Papa concedit priuilegium alicui Dynaſtæ, quo ipſe, & eius familia frui poſſint, non comprehenditur nomine familiæ Confeſſarius; niſi is ſit, cui Dynaſta neceſſaria tribuat ad ſuſtentationem, & ſecum eum ferat, quocumque habitaturus vadat.

20. Communiter D.D. *in cap. Conſtitutus, de reſcript.*

19 Quando conceditur priuilegium cum clauſula, quòd per nullam conſtitutionem contrariam intelligatur reuocatum, niſi inſeratur de verbo ad verbum, ſanè reuocatur per conſtitutionem, in qua aſſeratur, reuocari priuilegia contraria, etiam illa, quæ exigunt, vt inſerantur de verbo ad verbum, ita vt inſerta cenſeantur. Quippe nequit dubitari, poſſe illud priuilegium reuocari ab habente poteſtatem. Supponamus ergo, eſſe viginti priuilegia eius tenoris conceſſa Magnatibus fœminis ingrediendi monaſteria Monialium. Vult ea Pontifex reuocare, & poteſt; quo ergo alio modo reuocet, quàm *nuper* præfixo? nam in Conſtitutione reuocatoria præfigere de verbo ad verbum illa viginti priuilegia eſt moraliter impoſſibile; tum quia ea Conſtitutio reuocatoria creſceret in volumen; tum quia nequit Pontifex omnia ea habere præſentia. Quòd ſi non ſufficeret ea reuocatio, tolleretur à Pontifice poteſtas practica reuocandi priuilegia à prædeceſſoribus conceſſa, quæ ob circunſtantias in diem occurrentes, & ob multitudinem obnoxiam incommodis, reuocatione ſunt digna,

digna, & reuocari eſt æquum ad rectum regimen Eccleſiæ. (21)

21. Fumus *in Armilla, verb. Priuilegium, num.* 16. Federicus *conſil.* 46. Syluester.

20 Priuilegium interpretari authenticè pertinet ad concedentem, ita vt eandem vim habeat interpretatio, ac ipſum priuilegium. Doctrinaliter autem poſſunt illud interpretari ſapientes; & quidem ſtrictè, vt libaui, cum eſt contra ius; amplè verò, cum eſt præter ius; & etiam quando legem priuatam reducit ad ius commune: (22) præterea cùm priuilegium ſapit naturam beneficij, niſi hoc eſſet ambitioſum, quale eſt diſpenſatio ſuper pluralitate Beneficiorum. (23)

22. *Cap. Olim, de verb. ſignif.*

23. Syluest. *verb. Priuilegium, num.* 3.

21 Priuilegium nobilitatis conceſſum patri ratione dignitatis, tranſit in filios; (24) & etiam in vxorem aliunde ignobilem, quæ illud amittit, ſi tranſeat ad ſecundas nuptias, mortuo marito. At priuilegium, quo quis gaudet ratione officij, v. g. quia Medicus, aut Aduocatus eſt, patre viuente, tranſit in filios, & ceſſat, eo mortuo. Priuilegium verò conceſſum alicui ratione neceſſitatis, v.g. ne ſoluat gabellas, non tranſit in filios adhuc patre viuente. (25)

24. *Leg. Fœminæ, ff. de Senator.*

25. Gloſſa *in cap. Licet, de cenſib.*

22 Priuilegium non habet vim, ſi ſit ſubreptitium. Deinde ſi ſit contra conſtitutionem, & nullam faciat de ea mentionem; (26) vel ſi ſit contra conſuetudinem, aut contra ſententiam pronuntiatam, nulla de eis facta mentione. Rursùs ſi eſſet cauſa priuilegij, ſcilicet motiua. Deinde ſi incipiat eſſe damnoſum priuilegiato, cum id, quod conceditur in eius gratiam, non debeat verti in incommodum. Demùm per vſum contrarium.

26. *Cap. Cùm nos, de his, quæ fiunt à maior. part. Capituli. Cap.* 1. *de conſtit. lib.* 6. *Cap. Inter dilectos, de fide inſtrum.*

## *Profeſſio.*

1. Nauar. *conſil.* 5. *de regular.*

1 PRofeſſio religioſa eſt actus (1) vltrò, citroque obligatorius, ſeu traditio, & acceptatio, qua quis ſe obligat Ordini ad viuendum ſecundum eius regulas, & Ordo ſe obligat ad alendum eum, atque ſecundum eaſdem regulas perpetuò tractandum.

2 Tria vota ſubſtantialia emittuntur in profeſſione, Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, & in aliqui-

bus

aliquibus Religionibus aliud votum superadditur circa diuersas materias iuxta ipsarum statuta. In aliquibus præterea in professione solùm asseritur; *Promitto obedientiam secundùm regulam Sancti N.* Quibus verbis tria illa vota substantialia includuntur. In aliis additur; *Promitto conuersionem morum.* Quibus verbis nulla specialis obligatio superadditur, sed exprimitur magis ea, quæ in votis continetur. (2)

3 Debet fieri professio decimosexto anno expleto, & emissa ante illum est nulla; & post annum probationis. (3) Requirit consensum in emittente illam: quòd si hic desit, & postmodùm superueniat, reualidatur. (4)

4 Per professionem, dum quis existat in gratia, obtinet indulgentiam plenariam peccatorum.

5 Hermaphroditus, si par est sexus, nequit professionem emittere, nec inter viros, nec inter fœminas Religiosas. (5)

6 Bona professi, si ipse ante professionem de eis non disposuerit, cedunt Monasterio, sicut hæreditas patris, hoc mortuo post professionem filij, & quælibet hæreditas ad eum quoquo modo pertinens. (6) Ipse autem post professionem nequit testamentum condere, nec antea factum reuocare. Et quidquid religiosus adquirit, Monasterio adquirit.

7 Coniux de consensu alterius coniugis potest ingredi Religionem, & in ea profiteri. At si alter coniux non voueat castitatem, (7) professio inualida est. Quòd si inuito coniuge, alter coniux ingrediatur Religionem, & emittat vota, hæc non habebunt vim professionis, sed votorum simplicium.

8 Si quis, dum profitetur, celat morbum contagiosum, potest expelli à Religione, quia hæc non habuit intentionem acceptandi illum, dum eo morbo laboraret.

9 Professus in vna Religione, si ad aliam transeat, nequit in illa profiteri, nisi annum nouitiatus peragat.

10 Si quis profiteatur in Religione, in qua emittitur votum non ambiendi Dignitates, & ad aliam transeat,

2. Ego *de Ordin. Milit. d. 3. q. 9. & 10.*

3. Trid. *sess. 25. c. 15. de regul.*

4. Th. Sanchez. *de matr. l. 1. d. 16. & l. 2. d. 32. n. 14.* Nauarrus. Eman. Sà.

5. Em. Sà *verb. Religio, n. 30.*

6. Molina *de iust. d. 140.* Sylvester. Fumus. Eman. Sà.

7. *Cap. 1. & 4. de conuers. coniugator.*

tranſeat, in qua id votum non emittitur, non propterea liberatur illo, ſed adhuc obſtrictus eo manet; nam id in Bulla ſpeciali iniunxit, ac declarauit Pontifex Vrbanus VIII.

11 Profeſſus nequit tranſire ad Religionem laxiorem abſque licentia Papæ, aut Prælati, qui eam poſſit concedere ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ. (8) Poteſt quidem ad Religionem ſtrictiorem tranſire, facultate petita, & non obtenta, maximè ad Chartuſienſem; niſi Religio, in qua quis degit, habeat ſpeciale priuilegium derogatorium cæterorum, vt nullus ex ea poſſit adhuc ad Chartuſienſem tranſire, niſi obtenta facultate, quale habet per communicationem Societas Ieſu, & Religio Carmelitarum excalceatorum directè. Quòd ſi quis Profeſſus eiiciatur, vt incorrigibilis, à Religione, & in ſæculo viuat, ligatus manet votis, quæ in Religione emiſit.

8. *Trid. ſeſſ. 25. c. 19. de regul.*

12 Per vota, quæ in Profeſſione emittuntur, & per ea, quæ in Societate Ieſu poſt biennium, extinguuntur omnia vota antecedenter facta, quia in ea, quæ tunc fiunt, commutata cenſentur. (9)

9. *Cap. Scripturæ, de voto.*

13 Profeſſio tollit irregularitatem ex defectu natalium, quoad Ordines ſacros; non verò eam, quæ prouenit ex homicidio, bigamia, vel ſimiles. Vide plura verbo *Regulares*.

## *Purgatorium.*

1. *Ego in Stateram, diſſ. 1. q. 2.*

1 NOn datur Purgatorium, in quo animæ crucientur ſola pœna damni, & non ſenſûs. (1) Etenim eatenus animæ detinentur ante beatitudinis conſequutionem, quatenus pro culpis non ſatisfecerunt in hac vita, & poſteà ſatiſpatiuntur: & ſicut ſatisfactio eſt pœnalis, ita & ſatiſpaſſio, quæ illius loco ſuccedit. Hinc Eccleſia, & fideles fundunt preces, vt liberentur à pœnis. Purgatorium deſiderij dari, affirmauit Ludouicus Bloſius. Alia etiam loca, in quibus animæ detineantur, quin torqueantur igne

igne, appoſuerunt aliqui.(1) Eccleſia neutrum damnauit, ſed conuincens fundamentum non reperio.

2. Apud Henao *part. 2. empyr. ſect. 4. exerc. 15. lib. 5.*

2 Nequit dici, quod aliquis (3) aſſeruit, animas non detineri in Purgatorio vltra decem annos; cum id pendeat à debito pœnæ quam merentur, & à prouidentia, ac ordinatione Dei; & plures hiſtoriæ graues contrarium ſuadeant. Purgatorij animabus ſacrificia Miſſæ proſunt cum infallibili effectu, item & indulgentiæ pro illis conceſſæ; (4) aliàs deciperentur Fideles, dum indulgentias pro illis lucrantur, & Bullas defunctorum accipiunt; & Miſſæ habent infallibilem effectum reſpectu viuorum exiſtentium in gratia, vnde & reſpectu defunctorum; & æquè decernit Tridentinum, eas prodeſſe viuis, & defunctis. Vide *Bulla defunctorum.*

3. Sotus relatus à Fr. Ioanne de la Cruz *in direct. p. 2. de pœn. q. 8. dub. 2.*

4. D. Thomas. Durandus. Alb. Magnus. Suarez, & innumeri apud Me *in Statera, diff. 13. q. 8.*

3 Non opus eſt, vt proſit animæ defuncti, eſſe in ſtatu gratiæ eum, qui applicat indulgentiam plenariam pro anima Purgatorij per modum ſuffragij, nec celebrantem pro illa, (eſtò ille graue ſacrilegium committat, ſi ſit in ſtatu culpæ lethalis) nec accipientem Bullas defunctorum, vbi conceduntur. Etenim (5) ſtatus gratiæ in ordine ad indulgentiam ſolùm requiritur, vt amoueatur obex peccati in obtenturo illam, cum non relaxetur pœna, non remiſſa culpa. Applicans autem pro defuncto, non eſt eam ipſe pro ſe obtenturus, & animæ Purgatorij ſunt in ſtatu gratiæ. Et eſtò aliquæ conditiones apponantur exequendæ ab applicante, at Pontifex non apponit conditionem, quòd ſit in ſtatu gratiæ. Sanè ſi eadem actione concedatur, quem lucrari pro ſe, & pro anima indulgentiam plenariam, ſi exiſtat in ſtatu peccati, non obtinebit eam pro ſe, ſic verò pro anima Purgatorij.

5. Nauarrus. Card. Bellarm. Card. Toletus. Trullench. Villalobos. Henriquez. Suarez, & plurimi apud Me *de Bull. Cruciat. d. 36. num. 12.*

4 Poteſt excogitari caſus, in quo Pontifex liberaret animam deſtinatam Purgatorio ex prouidentia communi, quin in illud ingrederetur; nempe ſi aſſereret: Concedo indulgentiam plenariam per modum ſuffragij huic animæ illicò ac exierit à corpore, medio opere tali à viuente alio exequendo ante eius exitum à corpore. (6) Hinc ſuppoſita ſufficienti cauſa ad concedendam hanc indulgentiam, & appoſito

6. Ego *de Bulla Cruc. d. 36. num. 23.*

sito illo medio opere, animæ remitteretur illicò pœna debita. An autem possit Pontifex euacuare Purgatorium, vide verbum *Bulla defunctorum.*

5 Vt autem constet, quid sit per modum suffragij, seu adiutorij, scire oportet, dupliciter posse quem liberari à pœna, v.g. si quis damnaretur ad carcerem perpetuum propter debita à se contracta, posset Princeps absoluere eum ab illa pœna, & aliter posset quis soluere eius debita, vnde liberaretur. Pontifex quidem absoluit fideles viuentes, vtpote subditos, mediis indulgentis, à pœnis; at quia animæ Purgatorij non sunt subditæ Pontificis, cum ipse sit dispensator thesauri Ecclesiæ, soluit ex illo pœnam ab eis debitam, & per modum solutionis, quæ est suffragium, & adiutorium, liberat eas à pœnis, mediis indulgentiis, quæ pro eis applicantur. Vsus etenim Ecclesiæ semper fuit, (7) vt Pontifex non immediatè applicet indulgentias defunctis, sed medio opere viuentium. Vide verbum *Indulgentia.*

7. Suarez, & alij. Apud Me *sup. d. 12. n. 7.*

6 Suffragia viuentium prosunt pro defunctis, non solùm quatenus sunt satisfactio, sed etiam per modum impetrationis. (9) Nam Ecclesia petit, vt B. Virgo, & Sancti in cœlo orent pro defunctis, & ibi solùm datur impetratio. Et præterea Ecclesia orat pro defunctis; & fideles in suis operibus pœnalibus, & in Missis possunt sibi applicare satisfactionem, & defunctis impetrationem. Et quidem prosunt satisfactiones oblatæ à viuis pro his, pro quibus specialiter eas offerunt. (10)

9. Faustus. Caietanus. Durandus. Nauarrus. Lugo. Coninch. Apud Me *in Append. d. 4. num. 27.*

10. *Ibi, ex n. 35.*

7 Inter opera satisfactoria pro defunctis, post Missas, quæ sunt potentius suffragium, videtur eleemosyna esse magis satisfactoria; tum quia plus in Scriptura, & à Patribus commendatur; tum quia estò erogatio illius non cruciet eo genere doloris, quo aliæ castigationes, tamen difficile est, quem spoliare se suis bonis. (11)

11. Syluester. Armilla, & plures apud Me *de Bulla Cruc. in App. d. 4. num. 45.*

8 Sepultura in loco sacro est vtilis animabus defunctorum, (12) quia fideles recordantur eorum, cùm Ecclesiam ingrediuntur, & pro eis orant; & animæ commendantur patrocinio Sanctorum, quarum corpora reperta fuerint in ea Ecclesia, & etiam

12. Bardi. Ego *vbi nuper, num. 55.*

corum

eorum, quibus est dicata; asperguntur sepulchra aqua benedicta, ex qua leuamen animabus accedit, & Responsoria dicuntur pro illis. Septem Psalmorum pœnitentialium recitatio prodest plurimùm animabus Purgatorij, vt probant historiæ graues.

9 Si testator relinquat legatum pro animabus Purgatorij, & ipse tunc existat in statu peccati, ille actus legandi non erit satisfactorius pro eis, cum opus peccatoris nec mereatur, nec satisfaciat; si verò ad statum gratiæ redeat, & positiuè approbet illud, iam hic actus erit satisfactorius. (13) Cæterùm posteà si eleemosyna illa erogetur pro animabus ab hærede existente in gratia, videtur censenda satisfactoria pro eis, quatenus ab illo perficitur. 13. Pardi. Ego *vbi supra*, n. 66.

10 Non detinetur in Purgatorio anima hominis debitoris ex eo, quod eius debita ab hærede, aut executore testamenti non soluantur; (14) nam ea solutio non est pars satisfactionis pro eius culpis, vnde vbi satisfacta fuerit ibi, liberabitur à pœnis. Alias si debitor martyrium pro Fide pateretur, aut quis debitis requisitis extantibus indulgentiam plenariam in vltimo vitæ instanti obtinuisset, non tenerent via recta ad cœlum, quod nequit dici. Cæterùm potest contingere, quòd anima priuetur aliquibus suffragiis, ob non solutionem, quæ ei prodessent, vt ei tiùs liberaretur à pœnis; vel quia creditores, dum eis satisfieret, pro ea orarent; vel quia Deus forsan non moueret aliquos fidelium animos ad orandum pro ea ex eo, quòd in dilatione solutionis creditores, maximè pauperes, inopia laborarent. Hæc autem incerta sunt, nec sufficiunt, vt asseratur, animam absolutè detineri in Purgatorio, donec solutiones, & restitutiones fiant. 14. D. Thom. *quodl. 6. art. 13.* Gabriel. Nauarra, Sotus. Syluester. Richardus. Card. Lugo, & alij apud Me *de Bull. Cruc. in Append. d. 4. num.* 24.

11 In Purgatorio animæ sunt certæ de sua salute æterna, & confirmatæ in gratia; nequeunt tamen mereri, aut demereri, quia ad id requiritur status viæ, in quo iam non versantur. Orant pro viuis, & pro his, qui ipsas suis suffragiis iuuant. Aliquas animas detinendas fore in Purgatorio vsque ad diem Iudicij, non caret fundamento ex historiis (15) desumpto. Post diem autem Iudicij, nulla anima in Purgatorio 15. Ven. Beda *l. 5. hist. c. 13.* Bellarminus.

patietur. An dæmones ibi torqueant animas, nequit esse omnino certum. Ego id mihi suadere non possum, nec alij assentiuntur. (16) Eas autem pœnas

16. D. Thomas *in 4. dist. 20. art. 5.* Card. Bellarm.

superare omnes, quotquot fuerunt, sunt, & erunt in hac vita, est certum, quamvis dolores, quos sensit Christus D. recensentur. (17) An verò sint illæ pœnæ adeò acerbæ, ac sunt pœnæ damnatorum, nequit certò sciri; & quomodo anima spiritualis possit igne materiali vexari, non est moralis Theologiæ. Cæterùm de Fide est, dari Purgatorium, in quo animæ satisfatiuntur pro culpis, quarum meritas pœnas non soluerant in hac vita, satisfaciendo pro ipsis.

17. D. Augustin. *in Psal. 37.* D. Gregorius. D. Anselmus. D. Thomas, & communis.

12 Quando restitutio præstanda est pauperibus, potest applicari pro Missis dicendis pro animabus Purgatorij, quæ nomine pauperum veniunt. (18)

18. Diana *p. 7. tr. 10. res. 14.* Suarez. Fillmcius. Mazuchellus.

Hinc si quis debeat pro omissione Horarum Canonicarum restitutionem pauperibus, satisfaciet celebrans, aut faciens celebrari tot Missas pro animabus, quot sufficiant ad exhauriendam quantitatem restitutionis, applicata eleemosyna communi pro vnaquaque Missa.

13 Cum grauissima necessitas sit præferenda graui necessitati, indeque debitor, etiamsi in graui necessitate sit, tenetur soluere creditori in grauissima necessitate existenti; fit, vt etiamsi quis in graui sit necessitate, teneatur soluere legatum, aut aliunde debitum pro Missis applicandis animabus Purgatorij, quia hæ in grauissima sunt necessitate.

14 Statim ac iustus è vita decedit, si culpæ veniales non erant ei remissæ, actum elicit, quo à Deo remittuntur; & restat pœna soluenda in Purgatorio, sicut & pœna debita, & non soluta pro peccatis venialibus, & mortalibus iam remissis. Etenim pœna æterna, quam peccatum mortale meretur, cum id remittitur, mutatur in temporalem.

## Q

*Quadrageſima.* Vide *Lactlicinia.*

## R

## *Raptus, & Stuprum.*

1 RAPTVS committitur, quoad culpam, cùm filia, adhuc conſentiens, à domo parentum extrahitur; fit enim illis iniuria. (1) Sed non eſt tunc impedimentum dirimens matrimonium. Vide *Matrimonium.*

1. D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 7. & communis.

2 Stuprum patratur, cum violenter virgo defloratur; ſi enim ipſa conſentiat, cum ſit domina ſui corporis in eo vſu, (2) nulli fit iniuria; & cum iniuſtitia non detur, non debetur reſtitutio ex rigore iuſtitiæ: nec eſt circunſtantia mutans ſpeciem peccati. At ſi violenter eam quis compreſſit, in foro interiori non tenetur eam ducere vxorem, dum id non promiſerit, ſed tenetur ei ſatisfacere, vel ducendo, vel reparando per dotationem totum damnum inde ſecutum. (3) Violentia autem intelligitur, vel per vires corporis, vel per metum grauem, dolum, aut fraudem, vel fictis promiſſionibus. (4) Et quidem ad id tenetur, quamvis puella poſteà æquè benè nupſerit, ac ſi non eſſet defloratа; quia ex ſe iam iniuſtitiam irrogauit, ob quam tenetur ad reſtitutionem, antequam illa nubat: poſt nuptias verò, ſi non ideò ea malè à marito tractetur, non tenebitur. Etenim in ſtupro, in homicidio, & in mutilatione, cum vita, membra, & ſignaculum virginale non ſint pretio

2. Sotus *in 4. diſt.* 18. q. 2. art. 4. Nauarra, & plurimi.

3. Veracruz *in ſpeculo coniug.* 3. p. art. 9. D. Antonin. Nauarrus. Corduba. Nauarra. Sylueſt. & alij.

4. Caietan. 2. 2. q. 154. art. 6. Nauarrus. Angles. Corduba.

Medina. Nauarra, & alij.

æstimabilia, solùm datur obligatio (5) restituendi damna inde emergentia. Nam hæc iustitia est non absoluta, sed subsidiaria, hoc est, pro necessitate, & damnis; quibus cessantibus, illa non instat. Stuprum non patratur sine ruptione claustri virginalis.

5. Nauarra *de resl. l. 2. c. 3. num. 451.* Didac. Perez. Corduba. Nauarr. & alij.

3 Raptor fœminæ, non vt cum ea contrahat nuptias, sed vt suam libidinem expleat, non contrahit pœnas à Tridentino (6) latas contra raptorem, & omnes ei consilium, fauorem, & auxilium præstantes, nempe excommunicationis, perpetuæ infamiæ, & incapacitatis ad omnes Dignitates; nam Tridentinum solùm voluit ibi agere de illis, qui rapiunt causa contrahendi matrimonij, (7) vt sic libertati illius consuleret; & vbi non cogit litera, non sunt extendendæ leges pœnales, & in præsenti non cogit.

6. *Sess. 24. cap. de reform. matr.*

7. Gobat. *in exper. Theol. tr. 9. n. 542.* Th. Sanchez. Dicastillo, & plures.

4 Si vir rapiatur è domo patris à fœmina per alios id agente, non contrahit hæc pœnas à Tridentino latas, nec ab eo id tanquam impedimentum dirimens apponitur; quia solùm loquitur de raptoribus, non de raptricibus: & hic casus erit rarissimus, & super rarissimè, aut nunquam contingentibus leges non conduntur. (8) Similiter mulier non committit stuprum, quæ cum viro virgine mœchatur; vir enim non redditur ob amissam virginitatem minùs aptus ad nuptias.

8. Escobar *in Theol. mor. lib. 27. cap. 33. dub. 141.* Diana. Gobat. Dicastillo.

## *Recusatio.*

1 Recusatio iudicis sæcularis distat à recusatione iudicis Ecclesiastici in multis. Nam Ecclesiasticus (1) potest recusari in totum, tam ordinarius, quàm delegatus; at sæcularis ordinarius non definit esse iudex in causa, sed datur illi adiunctus. (2) Et idem est de delegato ad vniuersitatem causarum; Quod procedit iure Hispano, (3) nam alibi iudices delegati in totum recusari queunt. Præterea ad recusandum iudicem Ecclesiasticum iusta causa requiritur, & quòd probetur; (4) ad recusandum autem iudicem sæcularem solùm exigitur, quòd iuret recusans,

1. *Cap. Cùm specialis, de appell. Cap. Si quis, de foro competent.*

2. Communis *in leg. aperti ssimi, Cod. de iudic.*

3. *Leg. 1. tit. 6. lib. 4. nou. recop.*

4. *Cap. Cùm spe-*

sans, se non ex malitia, sed ob suspicionem, & metum eum recusare; quamvis iure Hispano requiratur causa ad recusandum Senatores Regios, & Iudices Cancellariæ, (5) qui omninò abstinent à causæ cognitione, nam alij Iudices illius remanent.

2 Omnes iudices, siue singulares, siue in corpore Vniuersitatis, Collegij, Concilij Prouincialis, Senatus, aut Tribunalis possunt recusari, siue Ecclesiastici, siue sæculares sint, præter Pontificem, Principem Supremum, & Concilium generale; (6) nam ij soli iudices recusari nequeunt, de quibus nullo modo præsumitur, iniustè se gesturos propter vllum motiuum; præsumptio autem potest ex cæteris, nisi de exceptis, dari. Princeps Supremus ex iusta causa potest recusationem tollere, sicut & appellationem, committendo iudici causam, omni appellatione semota. Causa recusationis non est probanda coram Iudice recusato, sed coram arbitris electis à partibus, seu à Iudice, & Reo, si iudex ex officio procedat. Causæ iustæ recusationis sunt inimicitia iudicis, consanguinitas illius cum alio ex litigantibus, & similes, velut nimia familiaritas.

3 Recusatio iudicis, si is post recusationem ferat sententiam, quæcumque hæc sit, reddit eam nullam; siue iudex sit Ecclesiasticus, siue sæcularis. (7)

4 Potest etiam recusari exequutor, qui modum excedit in exequendo, etiamsi esset datus de consensu partium. (8)

*ciali, de appell.* cum vulgatis.

5. *Leg.* 1. *& 2. tit.* 10. *lib.* 2. *nouæ recopil.*

6. Abbas. Francus. Nauarrus, & alij apud Me *de Iure Acad. lib.* 1. *q.* 29.

7. Sayrus *lib.* 1. *de censur. c.* 16. *num.* 14. Nauarrus. Plures Rotæ decisiones, & communis.

8. *Cap. Super quæstionum, de offic. delegat.*

## *Regulares. Religio.*

1 REgulares Mendicantes nequeunt virtute suorum priuilegiorum absoluere à casibus Episcopo reseruatis, indigentque facultate speciali ab ipso concedenda, vt absoluant. Contraria propositio damnata est ab Alexandro VII. anno 1665. Et id nequire Regulares, declarauit Clemens X. in Bulla expedita anno 1670. & ante has Bullas cum pluribus Authoribus ego tenui præfatam contrariam propo-

sitionem, quam *in meo tomo super Bullam Cruciatæ*, in secunda editione retractaui in Operis fine, pagina 600.

2 Nec Religioso, nec Clerico licitum est occidere eum qui minatur spargere grauia crimina de ipsis, aut de eius Religione, etiamsi alius modus defendendi non suppetat, vti suppetere non videtur, si calumniator, nisi occidatur, paratus sit, vel ipsi Religioso, aut Clerico, vel eius Religioni publicè, & coram grauissimis viris prædicta crimina impingere. Contraria propositio damnata est ab Alexandro VII. anno 1665.

3 Nequeunt Regulares non solùm in foro externo, sed nec in foro conscientiæ vti priuilegiis, quæ sunt reuocata per Concilium Tridentinum. Contraria propositio damnata est ab eodem Pontifice, anno 1666.

4 Non sunt hodie reualidatæ indulgentiæ concessæ Regularibus, quas Paulus V. reuocauit. Contraria propositio similiter est damnata ab eodem Pontifice.

5 Religiosus Professus in extrema necessitate parentum, quibus potest succurrere deserens Religionem, tenetur illam deserere, quia obligatio naturalis, & diuina præponderat obligationi contractæ ex vi votorum. (1) Cessante autem necessitate tenetur ad Religionem redire. In necessitate graui parentum non tenetur, iuxta probabilem sententiam, Religiosus exire è Religione, sed potest, petita, & non obtenta licentia à Prælatis, dum intra Religionē nequeat eis succurrere. (2) Quòd si retento Habitu, exiens extrà claustra, non valeat eos iuuare, poterit Habitum, dum iuuet, exuere; etenim si licet exire e Claustris ad succurrendum ei graui necessitati, & non potest, nisi exuat Habitum, quod est medium vnicum, cui licet finis, licet & illud medium; & necessitas cogens dimittere Habitum excusat à contrahendis censuris. Cæterùm tutior, & consulenda sententia est, (3) non posse Religiosum exire à Claustris ad succurrendum graui necessitati parentum, nec Habitum dimittere, nisi obtenta à Prælatis

1. Caietanus. Clauis Regia. Corradus. Azor. Medina. Fagundez, & plures apud Me *in Statera, diff. 3. q. 1.*

2. D. Antonin. Armilla. Tabiena. Angles. Passarellus. Sà. Fagundez, & alij *suprà.*

3. Bonacina.

Prælatis facultate; nam ob grauem neceſſitatem alterius nequit quis ſurripere rem ab alio, vt ei ſuccurrat; & cum Religioſus non ſit ſuus, ſed tradiderit ſe Religioni, non poteſt ſe ab illa ſubtrahere. Leſſius. Buſembaum, & plures apud Me *ſupra*.

6 Religioſi Profeſſi addicti Choro (non cæteri) tenentur ſub mortali recitare Horas Canonicas, etiamſi non ſint ſacris initiati; (4) quia de conſuetudine obligante ad id ſub mortali, & de modo, quo acceptata eſt, ferè omnes teſtantur. 4. Suarez. Valentia. Vaſquez. Card. Toletus, Reginaldus. Layman.

7 De cauſis criminalibus Regularium (non eſt ſermo de cauſis ad Fidem ſpectantibus) debent cognoſcere eorum Prælati Regulares, nec poteſt Salmanticæ cognoſcere de illis Magiſter ſcholæ, nec vllibi alij Iudices, niſi tanquam Delegati à Sede Apoſtolica. (5) Id ex innumeris Bullis Pontificis, & Regularium priuilegiis planum eſt. Leſſius, & innumeri apud Me *in Statera, diſſ. 7. q. 2.* 5. Eman. Rodrig. Cordoua. Hier. Rodrig. Villalobos. Chaſſaing. Tamburinus. Th. Sanchez, & innumeri apud Me *in Statera, d. 13. q. 22.*

8 In communicatione priuilegiorum ad inuicem, quæ conceſſa eſt Religionibus, ſtandum eſt verbis, & limitationibus Bullæ Pontificiæ, in qua aliquod ſpeciale priuilegium conceditur, nam ſi in ea aſſeratur, non communicandum fore illud aliis Religionibus, ſanè non communicabitur, aliàs nihil operaretur ea limitatio. Poſt eam verò appoſitam, poteſt per nouam Bullam illud ipſum priuilegium communicari.

9 Regulares perita licentia, & adhuc non obtenta à ſuis Prælatis, poſſunt tranſire ad aliam Religionem, dummodo hæc ſit ſtrictior, & tranſitus non fiat ex temeritate, leuitate, aut per fraudem, ſed verè vt perfectior vitæ norma obtineatur, & non detur Bulla, ſeu priuilegium Pontificium in ea Religione tranſitum illum prohibens, vide *Profeſſio.* (6) Regularis tranſiens ad aliam Religionem, ſi lis moueatur à prima, remanere debet in ſecunda, donec lis decidatur, quia fauet ei poſſeſſio, dum delictum non probatur. (7) Ipſe autem nequit regredi ad Priorem Religionem, non allegatis cauſis coram Superioribus legitimis, & pronuntiata ſententia pro regreſſu. Ad Religionem laxiorem non poteſt quis tranſire, nec in ea recipi, niſi in caſu ferè metaphyſico, vt ſi quis profugus, aut apoſtata reperiretur in regione 6. D. Thomas. Bonacina. Th. Sanchez, & cum aliis. Ego *de Ordin. Milit. d. 3. q. 12.* 7. Bonacina. Th. Sanchez. Abbas. Hoſtienſis, & alij *ſupra*.

gione distantissima, vbi Religio non esset nisi laxior, & ille moraliter nequiret accedere ad regionem, vbi sua Religio domum habet, tunc posset in illam laxiorem admitti; nam Bullæ cum transitum interdicentes supponunt, esse possibilem reditum ad suam Religionem; & melius est, eum manere in quavis Religione, quàm in sæculo degere fugitiuum, & apostatam.

8.
Basil. Legion. & cũ pluribus Ego *de Ordin. Milit. d.1. q.13. & in Statera, d.12. n.12. & d.13. n.11.*

10 Regularis professus ex dispensatione Pontificis potest Habitum dimittere, & fieri Miles Equestris, ac nuptias contrahere; nam solennitas votorum ex iure positiuo (8) prouenit, in quo valet Pontifex dispensare.

9.
Ego cum aliis *de Ordin. Milit. d.4. q.10.*

11 Nequit Regularis succedere in Maioratum, cui annexa est clausula exceptionis Religiosi, siue expressa, siue implicita, nempe apposità in eo aliqua qualitate, aut conditione, quæ nequeat Religioso competere. (9) Quod si ea clausula non sit præfixa, & Religio sit capax successionis, adquiritur ratione Religiosi Maioratus Monasterio, aut Religioni, dum ille viuit, & posteà transit ad cæteros hæredes: (10) & à fortiori succedit in bona, quæ non sunt Maioratus, cum retentione perpetua eorum. Quòd si quis in vno Monasterio profiteatur, & bona ei adquirantur, ac posteà transeat in aliud Monasterium, bona non transeunt, nisi id Monasterium cogatur admittere illum Religiosum. (11) Si pater ingrediatur Religionem, præter bona, de quibus liberè potens disponere disposuit, cætera debentur filiis statim post professionem patris; (12) quamvis certò probabile sit, non deberi eis nisi illa alimenta, quæ pater in sæculo teneretur illis elargiri. (13)

10.
Molina. Ant. Gomez. Bartolus. Mieres. Greg. Lopez. Tiraquellus. Abbas, & alij apud Me *vbi super.*

11.
Bonac. & alij *vbi super.*

12 Successio autem Religionis in Maioratum non excluditur per id, quod institutor petierit, suum nomen, & insignia retineri: quod decisum est in Senatu Vallisoletano. (14) Et qui instituit Maioratum ex tertio bonorum, si non supersint alij descendentes, nequit excludere Religiosum. (15) Nec præsumenda est in Maioratibus, adhuc per immemorialem præscriptionem, clausula excludens Religiosos, aut Clericos, nisi per instrumentum publicum constet.

12.
Suarez, & alij apud Me *vbi super.*

13.
Diana. Ego cum aliis *vbi sup.*

14.
Lud. à Conceptione *vbi super.*

15.
Molina. Th. Sanchez. Rodriguez. Guttierrez. Apud Me *sup.*

(16) Quòd

(16) Quòd si Religiosus tempore opportuno renuntiauit Maioratum in fratrem proximum, & is absque liberis decedat, non succedunt in ipsum alij fratres, aut consanguinei, sed Monasterium, seu Religio. (17)

13 Regularium Ecclesias nequeunt Ordinarij visitare, dummodò in eis non detur simul Parochia. (18) Possunt tamen visitare Confraternitates laicorum in eis sitas, in his solùm, quæ ad Confratrum administrationem spectant. (19) De quibus extant plures Declarationes Congregationis Concilij. In Italia noua Monasteria, quæ non habent duodecim Religiosos, subiecta sunt Episcopis.

14 Regularis ad Episcopatum promotus non absoluitur ab obseruantia, & obedientia, donec confirmetur. Sed adhuc confirmatus, manet obstrictus votis. At oppositum est certò probabile. (20) Si Religio vsum aliquorum bonorum Religioso permittat, eo decedente, redeunt ad Religionem. Si renuntiet Episcopatui, non redit ad obedientiam Religionis, quia non renuntiat Dignitati, sed exercitio; nec tenetur Prælatus eum recipere, (21) si redeat; nec potest in Religione ad Prælaturam eligi, vt (22) decretum Pauli IV.

15 Regulares ventes Breuiario speciali possunt extra Chorum recitare iuxta Breuiarium Romanum; nam Pius V. solùm locutus est de Horis recitandis in Choro, in præsenti casu, cum formam recitandi præscripsit. (23) Obligatio recitandi Horas Canonicas non comprehendit Nouitios. (24)

16 Regulares non tenentur obedire præcepto, quod sit contra Regulam, nisi præcipiens habeat potestatem in Regula dispensandi. Nequit inducere Prælatus nouas asperitates graues, quæ sint extra Regulam, vt *alibi* dixi. Aliquando potest præcipere aliquid cum periculo vitæ subditi, nempe si tempore pestis præcipiat ei assistere ægrotis, aut ministrare Sacramenta, & hic (25) tenetur obedire. Potest præcipi materia grauis sub culpa leui, & materia leuis sub culpa graui, si ea materia relata ad bonam famam

16. Lud. à Cõcept. Th. Sanchez, & alij *supra*.

17. Idem *ibid.*

18. Barbosa. Sellius.

Illef. à Iesu Maria. Apud Me *tom. de Ordin. Milit. d. 7. q. 19.*

19. Apud Flauiũ Cherubinum allatum à Me *supra*.

20. D. Thom. & alij apud Me *sup. d. 9. q. 6.*

21. Nauarrus. Sã Henriquez, & alij apud Me *supra*.

22. Apud Me *sup.*

23 Rodriguez. Portel. Ego *de Ordin. Milit. d. 13. q. 1.*

24. Portel. Rodriguez. Diana. Suarez, & plurimi apud Me *supra*.

25. Rodriguez *vbi sup. q. 3.*

famam, seu vtilitatem Religionis (26) sit grauis. Ad seruandas Regulas non tenetur sub mortali Religiosus, nisi ea obligatio in aliqua Regula contineatur.

26. Suarez *vbi super.*

17 Nequit validè contrahere Religiosus absque licentia; potest verò, si concedatur. Quòd si iniusta sit licentia, valet Superior mediatus rescindere contractum. (27) Potest verò propriam actionem promittere, non resistente Prælato; & promissio eum obligat, quia tunc nulla lex resistit. Debita realia contracta ante Professionem, peccat, si potens ante illam non soluat; post illam verò, si habeat vsum peculij, tenetur ex illo soluere. (28) Aliter si Monasterium in eius bona successit, ad id tenebitur. Debita contracta post Professionem absque licentia, non tenetur Monasterium soluere, quia personæ delictum (29) non est conuertendum in Ecclesiæ damnum. Tenebitur autem, si licentia Superioris potentis eam concedere præcessit; imò etiamsi non præcesserit, si inde Monasterium (30) fuerit factum locupletius, quoad partem augmenti tenetur.

27. Nauarrus. Th. Sanchez *loco relato.*

28. Th. Sanchez. Ego *de Ordin. Milit. d. 14. q. 3.*

29. *Cap. Si Episcopi 16. q. 6.*

30. Th. Sanchez. Apud Me *de Ordin. Milit. d. 14. q. 3.*

18 Non tenentur Regulares diebus Rogationum facere Processiones intra Monasterium, nisi consuetudo obligans ex circunstantiis ad mortale fuerit (31) inducta. Nec si data fuerit lex pro Monasteriis vnius Prouinciæ, & vnum non acceptauerit, tenetur ad eius obseruationem, quia hæ leges ab vnaquaque (32) Communitate particulari debent acceptari, loquendo de legibus, quæ vt obligent, requirunt acceptationem.

31. Bonacina *vbi super.*

32. Bonac. *ibid.*

19 Bona Monasterij alienare, census suscipere, necnon mutuum soluendo lucrum cessans, aut damnum emergens, & mobilia pretiosa oppignorare, Religiosis (33) est prohibitum à Clemente VIII. Non licet appellare à correctione Superiorum, nisi (34) notabilis iniuria inferatur. Potest verò per modum querelæ, aut defensionis propriæ supplicari, & causa ad Superiorem mediatum deferri. Secundus Superior (idem est de Monialibus) iurisdictione non gaudet. Regularibus prohibitum est (35) suscipere baptizatos, & confirmatos. Potest Regularis esse executor

33. *Ibid. q. 4.*

34. *Cap. Ad nostrã. Cap. Reprehensibilis de appel.*

35. *Cap. Peruenit 18. q. 1.*

tor testamenti, nisi per Regulam prohibeatur; nam in iure non prohibetur; eget tamen (36) licentia Superioris. 36. Th. Sanchez, & alij *ibid.*

20 Religiosus appellans ad Tribunal sæculare, vel indebitè ab vno Prælato ad alium, adhuc proprium, incidit in excommunicationem (37) reseruatam. Qui impedit Prælatum, aut Visitatorem, quominus suum munus exerceat, contrahit excommunicationem (38) in Iure latam. 37. *Ibid.* 38. *Clement. Attendentes, de statu Monach.*

21 Vt Regularis confireatur Regulari, adhuc virtute Bullæ Cruciatæ, (39) aut Iubilæi, non requiri in hoc approbationem Ordinarij, sed sufficere approbationem Superioris, certò probabile est; nam in Bulla requiritur ea approbatio, quæ iniungitur à Tridentino, à quo non requiritur approbatio Ordinarij nisi ad audiendas Confessiones sæcularium; ad audiendas autem Confessiones Regularium sufficit ex se approbatio Superioris. 39. Ioan. Sanchez. Bonacina. Rodriguez. Ledesma. Peyrinis. Moure. Nauarr. & alij apud Me *de Ordin. Milit. d. 14. q. 5.*

22 Regulares, qui in Academiis sunt Magistri, & ex præcepto illarum, seu cum stipendio Cathedras moderantur, nequeunt absque vlla causa, & pro solo libito Superiorum (40) inde extrahi ad alia loca; possunt verò, si ad Religionis bonum ingens expediat, aut si ratione delicti mereantur puniri; nam insigniri Magisteriis, & docere inibi, non tollit ab eis subiectionem in omnibus, in quibus obedire tenentur. Nec Prælati tenentur causas amotionis Magistratibus Academiarum propalare, cum sint ab eis independentes, & aliquando expediat, causas reticeri. 40. Ego *de Iure Acad. l. 2. q. 29.*

23 Religiosus nequit publicè studio Iuris ciuilis, aut Medicinæ incumbere, (41) aliàs incidit in excommunicationem; potest verò priuatim, cum (42) id non sit prohibitum. Religiosus apostata studens Medicinæ, & Magistri, qui eum docent, & quisquis eum retinet, præbens influxum positiuum consulendo, rogando, aut defendendo, vt studeat Medicinæ, incidunt in excommunicationem. (43) Cum autem hæ sint leges pœnales, & odiosæ, & loquantur de studentibus, non sunt extendendæ; atque adeò (si in Religione prohibitio non extet) possunt Regulares docere 41. *Cap. Magnopere, Ne Clerici, vel Monachi. Cap. Super speculæ, eod. tit.* 42. Apud Me *sup. q. 30.* 43. *Cap. Ex periculosa, Ne Cler. vel Monach.*

docere Ius ciuile, Medicinam, aut Chirurgiam, & Cathedras moderari, qtiin & Gradu in eis scientiis insigniri; (44) & fortè expediens iudicabitur, si insignis Medicus ingrediatur Religionem, quòd Medicinam doceat; in raro autem euentu hoc potest ad praxim deduci. Non autem absolutè possunt exercere artem Medicinæ, aut Chirurgiæ; nam hæc exercitia iudicantur negotia sæcularia, quæ Religiosis sunt prohibita. (45) Et exercitium artis Chirurgicæ prohibitum est in Iure, (46) saltem cum incisione, quam si mors sequatur, manet Religiosus irregularis. At causa pietatis, sine mortis superuenturæ periculo, & sine incisione, possunt exerceri artes Medicinæ, & Chirurgiæ circa miserabiles, & cognatas personas. Sed quia non est facile, id periculum præcaueri, poscenda est à Religioso, seu Sacerdote dispensatio à Pontifice ad eas artes exercendas. Deinde si in Religione sit priuilegium exercendi eas artes, possunt exerceri. In Societate Iesu ex concessione Gregorij XIII. potest si quis in ea est Medicus, exercere suam artem cum domesticis, & externis, vbi commodè alius haberi nequit.

44. Nauarrus. Card. Toletus. Panormitan. Sanctarellus. Bonacina. Suarez. Filliuc. & ego cum aliis *de Iure Academ. l.2. q.30. & q. 31.*

45. Armilla. Nauarrus. Th. Sanchez, & alij *sup.*

46. *Cap. Tua nos, de homicid.*

24 Iuri Canonico studere Religiosos publicè, non est prohibitum, (47) estò id non præstent; nam inter Theologica studia, quod ipsis sufficit, discitur. Possunt illi Cathedras Iuris Canonici moderari (48) & Gradus in illo accipere, cum nullo Iure id prohibeatur.

47. Ego *de Iure Acad. l.2. q.31.*

48. Th. Sanchez, & plures *vbi super.*

25 Vt quis Habitum in Religione suscipiat, non tenetur monere suos parentes, aut Maiores, nec ab eis consensum poscere, cum liberè possit statum religiosum assumere, etiam illis inuitis; (49) nisi fortè lege charitatis teneatur in sæculo manere ad alendos parentes pauperes.

49. D. Hieron. D. Thomas. & communis apud Me *sup. q.41.*

26 Regularis prohibitus à suo Superiore audire Confessiones, si sit approbatus ab Ordinario, & immediatè à Pontifice accipiat iurisdictionem, v. g. virtute Bullæ Cruciatæ, aut ab Episcopo, validè excipiet illas; (50) nam Superior nequit suspendere eam iurisdictionem. Non poterit tamen absoluere à casibus, à quibus præcisè virtute priuilegiorum suæ

50. Ledesma. Cruz. Nauarrus. Acosta.

Religionis

Religionis posset absoluere, cum hæc iurisdictio fuerit ei negata, aut non communicata. Ac is Religiosus peccabit grauiter iuxta qualitatem prohibitionis, & statuta Religionis, si hæc ad mortale obligent; secus si non obligent ad mortale, tunc enim veniale erit peccatum. Quòd si Superior suspenderit subditum, infligens suspensionem vt censuram, violatio illius erit graue peccatum; secùs si suspensio non vt censura, sed vt pœna quædam fuerit inflicta. Et quidem in materia Obedientiæ non desumitur grauitas culpæ ex grauitate materiæ, sicut in materia Paupertatis; sed ex præcepto sanctæ Obedientiæ, (51) aut ex statuto obligante ad mortale, aut ex censura inflicta.

Leand. de Sacram. & alij apud Me *de Bulla Cruc. d.22.n.105. & in Append. d.4. ex n.71.*

51. Ego *vbi nuper*, & cum aliis.

27 Regularis, approbatus ab Ordinario, etiamsi non fuerit præsentatus à suo Superiore, validè excipit Confessiones, nam pristina solennitas contenta in Iure (52) non aliter requiritur, nisi iuxta id, quod à Tridentino exposcitur, in quo ea præsentatio non præfigitur.

52. *Clem. Dudum, de sepult.* Suarez. Ego *vbi sup. n.111.*

28 Regulares possunt absoluere virtute suorum priuilegiorum à delictis pertinentibus ad Sacræ Fidei Tribunalia, dum non contineant hæresim externam formalem, nec contineantur in Bulla Cœnæ, (53) nec sint Episcopo reseruata; nam ab aliis reseruatis Pontifici valent absoluere, quod est amplius: & virtute Bullæ Cruciatæ potest ab eis delictis absolui, vt constat ex verbo *Bulla communis Cruciatæ*: quare iurisdictio delegata concessa eis à Pontifice ad absoluendum à reseruatis, nequit tolli per reseruationem factam ab inferioribus. Vnde ab ipso Pontifice ablata est eis iurisdictio absoluendi à reseruatis Episcopo.

53. Portel. Freytas. Ego *de Bulla Cruc. d. 23. n. 98.*

29 Regulares possunt absolui à peccatis mortalibus non reseruatis per Confessarium à se electum virtute Bullæ Cruciatæ. (54) Etenim in Bulla Vrbani VIII. de qua verbo *Reseruati casus*, solùm declaratur, non posse Regulares virtute Bullæ Cruciatæ eligere Confessarium quoad reseruata, & exceptio firmat regulam in contrarium; ac præterea ait, non suffragari eis ciusmodi Bullam quoad effectum *eligendi*

54. Lud. à Cruce, Rodriguez. Leand. à Sacr. Trullench. Quintanad. Ego *sup. d.24. cap. 18.*

*eligendi Confessarium, & absoluendi à reseruatis*; quæ verba copulatiuè sunt intelligenda, nempe eligendi simul & absoluendi, cum hic sensus rectè aptetur, ac odia sint restringenda; & in iure (55) ea particula *&*, quando non sunt diuersæ orationes, sed vnica, facit sensum copulatum, non diuisum. Rursùs ex legis proœmio colligitur animus legislatoris; in proœmio autem eius Bullæ solùm est sermo de electione Confessarij quoad reseruata. Nec ex Bullis aliorum Pontificum præcedentium contrarium probatur; tum quia videtur, eos loquutos fuisse de absolutione à reseruatis; tum quia Vrbanus VIII. ait se innouare Constitutionem Clementis VIII. quæ erat vltima, ac supponebat præcedentes; & dum innouat, solùm declarat, non prodesse Bullam quoad reseruata.

55. Gloss. 1. *in Rubric. de Fumin.* Gloss. 1. *C. de vindict. libert.* Gloss. 1. *in leg. Consentaneum, Cod. Quomodo, & quando iudex*, &c. & frequenter alibi. Apud Me *sup.*

30 Regulares Confessarij gaudentes priuilegiis Ordinum Mendicantium possunt virtute illorum dispensare in votis, in quibus possunt Episcopi, (56) præter ea, de quibus verbo *Votum*; & quando dispensant cum eo, qui emisso voto Castitatis contraxit matrimonium, vt petat debitum, eum monere debent, mortua vxore non posse transire ad secundas nuptias, & violando castitatem, nisi cum vxore viuente, peccare contra votum, nisi à Pontifice dispensetur.

56. Nauarrus. Aragon. Lopez. Clauis Regia. Sayrus. Candidus. Valentia *vbi sup. d. 26. n. 34.*

31 In Bulla Clementis X. quæ incipit *Superna*, expedita die 2. Augusti 1670. extant sequentia, quibus nequit contrairi. Regulares, etiam vt in templis suis concionentur, tenentur petere benedictionem ab Episcopo dicœcesano; si non obtineant, possunt concionari; si contradicat Episcopus, nequeunt; si secus faciant, valent ab illo coerceri censuris, & puniri. Sine causa autem iusta non debet negari. Eadem benedictione indigent ad concionandum in Oratoriis suarum Domuum coram populo, & ad crates Monialium, etiam nullo sæculari præsente, ac ianuis clausis; & possunt examinari ab Episcopo quoad doctrinam ante concessionem licentiæ: & hanc possunt illi suspendere ob causas ad prædicationem concernentes. Nequeunt tamen Episcopi generaliter prohibere

prohibere, ne Regulares in suis Ecclesiis concionentur. Regulares Confessarij absque approbatione Episcopi possunt audire Confessiones sæcularium eorum, qui in eorum Domibus, aut Collegiis sunt de familia, & continui commensales, non eorum, qui ipsis inseruiunt. Episcopus, quos idoneos generaliter repererit, debet approbare absque limitatione temporis, locorum, aut personarum; aliis absolutè non idoneis possunt limitare approbationem. Regulares approbati absque Parochi licentia valent Confessiones sæcularium audire, adhuc infirmorum, & etiam tempore Paschatis, dum tunc saltem per schedulam certiores reddant Parochos de Confessionibus à se auditis, & ad id possunt compelli ab Episcopo. Ab eo autem approbatio concessa nequit reuocari, nisi noua superueniente causa; sic verò ab eius successore; & etiam si ab eius Vicario fuerit concessa, reuocari potest ab illo. Potest Regularis approbatus in vna diœcesi absoluere pœnitentem à casibus reseruatis Episcopo in diœcesi pœnitentis, non verò in ea, in qua absoluitur, nisi in fraudem, solùm vt absoluatur, eò peruenerit. Nequit virtute priuilegiorum Religionis absoluere Regularis Confessor ab excommunicatione, aut alia censura quoad forum externum, etiam satisfacta parte. Si aliqua priuilegia obscura verba habeant, pro eorum declaratione non est recurrendum ad Metropolitanum, sed ad Summum Pontificem. Hucusque in præfata Bulla, adhibitis maximis firmitatibus, & reuocationibus omnimodis quorumcunque priuilegiorum, ac si de verbo ad verbum forent inserta. Quod sufficit, cum nequeant singula transcribi, & cum absolutè possint reuocari, & non sit alius modus excogitabilis ea reuocandi.

32 Si Regularis sit aliquo impedimento ligatus, in quo Prælatus regularis nequeat cum illo dispensare, sed possit Episcopus cum suis subditis, poterit etiam cum eo Regulari, (57) quia censetur Pontifex ob bonum Religionis quoad hoc exemptionem tollere ab eiusmodi impedito.

57. Molina *t.4. de iust. tr.3.d.61. n.3.*

33 Aliquæ Religiones, & quæ communicant earum

rum priuilegia, possunt suspendere interdictum in Festiuitatibus suorum Fundatorum, & per Octauam. (58) Et praterea aliquæ in Festiuitatibus aliorum Sanctorum suorum Ordinum, in quo est standum earum priuilegiis Rursùs in Festiuitate (59) omnium Sanctorum, & in Commemoratione omnium Defunctorum. In festiuitatibus Conceptionis, Natiuitatis, Visitationis, & Purificationis B. Mariæ, & in festis duodecim Apostolorum. (60)

34 Sixtus V. in sua Constitutione prohibuit, ne admitterentur in Religionem grauati ingenti ære alieno, & irritauit admissionem, & professionem eorum; & admittentes illos priuauit voce actiua, & passiua, & dignitatibus, quas habuerint, & reddidit inhabiles ad eas, & ad alias in posterum obtinendas. Clemens VIII. temperauit eam Constitutionem quoad irritationem admissionis, ac professionis, alias pœnas in suo robore relinquens. Æs alienum, quando iudicandum sit ingens, relinquitur (61) prudentum iudicio; saltem debet excedere quadraginta aureos nummos. (62) Quòd si plures sint creditores, vnusquisque exiguæ quantitatis, duplum debet excedere. Nam Pontifices in id tendunt, ne fiat creditoribus præiudicium, quod minus est, cum sit pluribus. Sicut ob eandem rationem in furto requiritur (63) maior quantitas ad peccatum lethale, quando quis diuersis vicibus à pluribus furatur.

35 Nec constitutio Sixti V. vt ex eius verbis constat, comprehendit nisi eos, qui culpabiliter ære alieno grauati sunt; non eos, qui inculpabiliter, aliquo casu fortuito (64) Si debita sunt ex promissione liberali, non impediunt ingressum, nam tacitè inest conditio promissioni: Si ego non decernam ingredi Religionem, & non sim (65) soluendo. Quòd si non sit spes, quòd debitor manens in sæculo possit satisfacere, non obstabit ei constitutio Sixti V. ad ingressum in Religionem, (66) cum illa tendat in id, ne ille liberetur onere soluendi. Hinc si interrogetur ille à Superiore Religionis, an sit grauatus ære alieno, potest respondere, non esse, scilicet impediente ingressum in Religionem. In eam autem admissus, si

tempus

58. Rodrig. *tom.3. qq. regul. q. 112. art. 2. & 3.*

59. Pius V. Religiosis S. Hieronymi.

60. Pius IV. & Pius V. eisdē.

61. Eman. Rodrig. *tom.3. qq. regul. q. 54. art. 2.* Th. Sanchez. Suarez.

62. Moure *part. 1. exam. c. 12. n. 9.* Perez. Author Instructorij.

63. Lessius *lib. 2. cap. 12.* Th. Sanchez. Rebellus. Diana. Villalobos. Megala. Laymann.

64. Bonacina *d. 1. de restit. q. vlt. punct. 2. §. 1. concl. 3.* Th. Sanchez, & alij.

65. Th. Sanchez *tom. 2. in Decal. l. 7. c. 31. n. 28.*

66. Eman. Rodrig. *tom. 3. qq. reg. q. 10. art. 9. ad 2. vlt.*

tempus ei detur ad laborandum manibus propriis, quidquid lucratur, debet expendere in creditores; sed non tenetur Superior, adhuc conscius debitorum, ei tempus concedere ad id, nec ipse acceptare. Th. Sanchez *supra.*

(67) Quòd si grauatus ære alieno ignoret omninò creditores, cum ea bona debeantur pauperibus, & operibus piis, poterunt ipsi, vt pauperi applicari, vel Religioni, & inde liberatur ære alieno, & potest ingredi eam Religionem. 67. Th. Sanchez *in Decal. tom. 1. l. 4. cap. 19. num. 14.*

36 Nequit Prælatus regularis subditum, adhuc conuersum, nec propter atrocia crimina, expellendo illum à Religione, (68) tradere brachio sæculari. 68. Eman. Rodrig. *tom. 2. qq. reg. q. 33. art. 1.* Suarez. Lezan. & alij.

Poterit se permissiuè habere, post expulsionem illius, vt à iudice sæculari capiatur, & puniatur; non potest autem is iudex capite eum punire propter delicta commissa in Religione. (69) Non tamen est fermo de delicto hæresis, aut læsæ Maiestatis, & his affinium. Potest Prælatus, si sit in sua Religione consuetudo legitima, subditum ad triremes damnare. 69. Suarez *tom. 4. de relig. tr. 8. lib. 2. cap. 12.*

37 Propter crimen atrox potest Religiosus, si detur plusquam semiplena probatio, torqueri, si nolit fateri delictum. (70) Debet autem torqueri his suppliciis, quibus Religiones vtuntur, nempe flagellis, ieiuniis, &c. Quòd si delictum sit atrocissimum, potest torqueri sicut sæculares, in equuleo, aut alio modo; (71) & si nullus Religiosus sciat, aut velit eum torquere, potest vocari ad id minister sæcularis. Nec id prohibetur in iure, (72) vbi sub pœna excommunicationis reseruatæ Papæ præcipitur, ne subditi percutiantur nisi à Prælato, vel alio de eius commissione. Id enim est ob causam correctionis, non verò ad extorquendam veritatem atrocissimi delicti. 70. Communis. 71. Farinacius *in praxi, tom. 2. q. 41. n. 12.* Portel. Lezan. & alij. 72. *Cap. Vniuersitatis, de sent. excomm.* Suarez *de censur. d. 22. sect. 1. num. 44.*

38 Religiosus noscens in se impedimentum, quo nequit esse Prælatus Monasterij, aut Prouinciæ, si eligatur, non tenetur acceptare, etiamsi id præcipiatur in virtute sanctæ Obedientiæ à Præside Capituli, aut simili, (73) quia illud præceptum non est secundum regulam, dum supponitur, impeditum esse, vt secundum regulam gubernet. Quare potest 73. D. Thom. 2. 2. *q. 185. art. 2. ad 2.* D. Antonin. Turrecremat.

Th. Sanchez. Sotus. suo Generali, aut Pontifici proponere impedimentum, vt vltimò decernant.

39 Cœnobia, seu Communitates Regularium non obligantur ob contractus, aut delicta subditorum. (74)

74. Nauar. *com.* 2. *de regul. n.* 62. Molina. Th. Sanchez. Lessius.

40 Regularium priuilegia non amittuntur (75) per non vsum. Priuilegia concessa Regularibus, si sint dubia, in eorum fauorem (76) sunt interpretanda.

75. Chassaing. *de priu. regul. tr.* 1. *cap.* 5. Portel. Diana.

41 Apostata à Religione est, qui sponte dimittit Habitum post Professionem, aut post tria vota biennij in Societate Iesu; (77) & non est audiendus circa causas dimissionis, (78) sed cogendus redire ad Monasterium, & puniendus vt apostata. Quin (79) iuxta Bullam Pauli I V. omnes cuiuscumque status, etiam Cardinalitij, qui apostatas receperint, aut eis auxilium, fauorem, vel consilium præsumpserint præbere, vel moniti ab Ordinatio loci non desiterint, sententiam excommunicationis ipso facto incurrunt, quam ipse apostata primus contrahit.

76. Hier. Rodrig. *resp.* 90. Cardinalis. Eman. Rodrig. Portel & alij.

77. Communis.

42 Domus Professæ Religionis Societatis Iesu nequeunt habere pro Ecclesia bona stabilia, quia specialis illius Constitutio id impedit. At potest quis relinquere hæredi, aut legatario onus, vt titulo eleemosynæ præstet quotannis, vel pro Ecclesia, vel pro victu aliquam quantitatem, & tunc Societas non habet ius exigendi, sed Ordinarius potest cogere debitorem ad soluendum, non ob obligationem, quæ detur respectu Societatis, sed ob eam, quam ille habet testatori. (80) Sed Fratribus Minoribus est prohibitum accipere pro victu, ac vestitu eas eleemosynas in perpetuum, ita vt modo dicto hæres, aut legatarius (81) maneat obligatus.

78. Trid. *sess.* 25. *cap.* 19.

79. Incipit *Postquam diuina bonitas.* In Bullario *tom.* 1. *fol.* 822.

80. Card. Lugo.

81. Th. Sanchez. Lugo.

43 Estò ad suscipiendos ordines sacros requiratur in suscipiente, si careat Beneficio, patrimonium verum, & non fictum ad congruam sustentationem, at dum Religiosus Sacerdos exit è Religione, non indiget patrimonio, vt Missam celebrare queat; ad hunc enim effectum nihil illud conducit, siquidem ideò requiritur in sæculari ante Ordines sacros, ne

ille

ille ſemel ordinatus indecenter viuat, non habens vnde victitet; at is, de quo eſt ſermo, cum iam ſupponatur Sacerdos, non ideò decentiùs victitabit, ſi Miſſam non celebret, quin eleemoſynæ pro Miſſis erunt ei in ſubſidium. Præterea quando Epiſcopus ordinat ſcienter aliquem carentem Beneficio, & patrimonio, tenetur eum alere, dum ille aliunde non habeat, vnde ali queat; at quando ordinat Religioſum, etiamſi hic poſteà è Religione egrediatur, cùm bona fide eum, vt à ſua Religione ſuſtentandum ordinauerit, non tenetur eum alere, quamvis careat Beneficio, & patrimonio; nec enim voluit in ordinatione illius id ſibi onus imponere, ſanè graue, nempe alendi illum, ſi à Religione exiret.

44 Religioſus Sacerdos, ſi ſciat certò aliquem hæreticum, aut infidelem proximum ſupplicio vltimo fore conuertendum ad Fidem Catholicam, ſi audiat verba ſalutis, vel baptizetur, aut abſoluatur, debet etiam cum periculo vitæ ſe in carcerem immittere, vt eum ad ſalutem æternam vehat; (82) & ſi opus ſit, mutare veſtem, cingere enſem, & alia huiuſmodi; ſicut laudabiliter mutant veſtes, qui ad Sinas, & Japonios pergunt, vt Catholicos iuuent, & paganos conuertant. Quippe Religioſi ob ſtatus perfectionem tenentur imitari Chriſtum. *Quia ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus animas pro fratribus ponere.* (83)

82. Gobat. *in exper. Theol. tr. 1. n. 181.* Caſtro Palao.

83. Ioannis *ep. 1. c. 3. verſ. 16.*

## *Reſeruati caſus.*

1 REſeruare ſibi abſolutionem, eſt tollere facultatem abſoluendi cuiuis alij, qui Superior reſeruantis non ſit, ſi reſeruans Superiorem habeat. Et idem eſt de reſeruatione diſpenſationis, aut commutationis voti. Nequit quis reſeruare peccata niſi eorum, qui abſolutè ſunt eius ſubditi, vel ratione ſuſceptionis Sacramenti. De fide eſt, in Eccleſia dari poteſtatem (1) reſeruandi peccata; nam iuriſdictio deriuatur à Superiore ad inferiores, & poteſt limitari. Pontifex pro tota Eccleſia, & Epiſcopus pro

1. Trid. *ſeſſ. 14. c. 7. & can. 11.*

ſua diœceſi, & Prælatus regularis (modo infra exponendo) poſſunt reſeruare peccata, & cenſuras. Parochus delegans ſuam iuriſdictionem, in vſu non eſt, vt reſeruet peccata, etſi probabile ſit (2) poſſe reſeruare.

2. Ochagauia. Suarez. Apud Me *de Bulla Cruciat. d. 23. n. 15.*

2 Reſeruari poſſunt peccata mortalia ſuſpenſiuè dubia, de quibus egimus verbo *Pœnitentiæ Sacramentum*; (3) nam iuxta ibi dicta ſunt materia neceſſaria Confeſſionis, & Superior concedens iuriſdictionem ad abſoluendum, poteſt eam denegare reſpectu peccatorum huiuſmodi. Verùm cum reſeruatur peccatum, niſi exprimatur, aut declaretur, vt Clemens VIII. declarauit de peccatis in Bulla Cœnæ contentis, non reſeruatur dubium.

3. Gaſp. Hurtad. & cum aliis. Ego *in Statera, diſſ. 10. q. 2. & in Bulla Cruc. diſp. 23. n. 17. & d. 24. num. 20.*

3 Poſſunt reſeruari peccata impuberum, (4) quia reſeruatio non eſt pœna, ſed lex determinans caſus, in quibus adeundus eſt Superior pro remedio opportuniori. Non expedit, reſeruari peccata venialia, nec mortalia iam ritè confeſſa, cùm ſint materia libera Confeſſionis; poſſunt verò reſeruari à Pontifice, (5) nam iuriſdictio abſoluendi ab illis dimanat à Pontifice, à quo poteſt limitari: inde à nullo alio valent reſeruari, cum iuriſdictio à nullo alio dimanet; ſiquidem Sacerdos ſimplex, qui illam non accepit ab Epiſcopo, aut alio Prælato, poteſt ab eis abſoluere. Idem dic de excommunicatione minori, (eſtò ſit probabilius (6) Sacerdotem ſimplicem non poſſe ab ea abſoluere) in ſententia probabili aſſerente, poſſe.

4. Card. Lugo. Lazarius. Homobonus. Floronus. Ieand. à Sacr. Apud Me *ſup. num. 16.*

4 Poſſunt etiam reſeruari peccata merè interna, (7) cum iuriſdictio abſoluendi ab illis dimanet ab Eccleſiæ Prælatis. Id tamen non expedit, nec vllum internum eſt de facto reſeruatum. Si peccatum certum ſit reſeruatum, & quis abſolutus ſit ab eo peccato in ipſius conſcientia ſolùm dubio, etſi poſtea conſtet ipſi, fuiſſe certum, non tenetur ad Superiorem recurrere. (8) Poſſunt peccata etiam abſque cenſura reſeruari: Pontifici autem de facto nullum peccatum abſque cenſura eſt reſeruatum. (9) Quando reſeruatur à Prælato peccatum cum cenſura, tam hæc, quàm

5. Candidus. Fagundez. *vbi ſuper.*

6. Laym. & alij *ſuper.*

7. Card. Lugo. Ego *vbi ſup. num. 17.*

8. Trullench, & alij *ſuper, num. 18.*

9. D. Thomas. Sotus. Vaſq. & alij *vbi ſuper.*

quàm illud reseruatur ; (10) sed consuetudine receptum est, vt concessa facultate ad absoluendum à censura, intelligatur concessa ad absoluendum à peccato. (11) Si propter ignorantiam non incurratur censura simul cum peccato reseruata, nec peccatum (12) manet reseruatum. Pontifex potest reseruare absolutionem indirectam peccati reseruati ; non verò inferior Prælatus, cum hic nequeat tollere iurisdictionem absoluendi à venialibus, quâ absolutione in casu necessitatis præstita, absoluitur indirectè à reseruatis. (13) Reseruatio lata, etiam absque causa, ab eo qui iurisdictionem concedit, valida est ; nam dum ipse limitat iurisdictionem, & alius eo superior non præstat illam, non est vnde iurisdictio (14) proueniat. Potest Prælatus reseruare casus sibi, & aliis, ita vt solùm ipse, & illi alij possint absoluere.

5 Ignorans reseruationem adhuc nequit nisi à reseruante absolui, quacumque ratione imposita fuerit reseruatio, cum reseruatio non sit strictè pœna, sed limitatio iurisdictionis. Quòd si ignorans reseruationem peccati, bona fide confiteatur cum aliquo, quem habere iurisdictionem ad ipsum absoluendum iudicet, remanet absolutus, quia tunc censetur, (15) Ecclesiam ei iurisdictionè confere. Nequit quis absoluere à reseruatis cũ præsumpta ratihabitione obtinenda de futuro ; nã Sacramentum Pœnitentiæ nequit in valore pẽdere ab euentu futuro, (16) vt aliqui actus ciuiles. Qui habet peccata reseruata in vna diœcesi, nequit data opera pergere ad aliam, in qua non sunt reseruata, vt ibi absoluatur, vt declarauit Congregatio (17) Cardinalium : secus est de peregrinis, & exteris bona fide confitentibus reseruata in sua diœcesi. Qui autem habet iurisdictionem ad absoluendum à reseruatis in hac diœcesi, potest in ea absoluere à reseruatis in alia, quia absoluendus iudicatur incola eius loci, & iuxta eius forum absolnitur. Inde qui peccata reseruata in hoc loco commisit, estò non sint reseruata in loco, à quo discessit, nequit absolui nisi ab habente iurisdictionem absoluendi

10. Fagundez, & plures apud Me *de Bulla Cruc. d.23. num. 19.*

11. Th. Sanchez *vbi super.*

12. Card. Lugo *vbi super.*

13. Ochagauia. Suarez *vbi super, n. 20.*

14. Præpositus *sup. num.22. & in Append. d.2. c. 25.*

15. Coninch, & alij *vbi super.*

16. Apud Zambellum *verb. Casus, n.26.*

17. Caietanus. apud Me *de Bulla Cruciat. d.23. n. 23.*

18. Vega. Graffis. Pet. Ledesma.

19. Fagundez *vbi super.*

20. Card. Lugo, & alij *vbi super, n.* 24.

21. Candidus, & alij. Ego *de Bulla Cruciat. d.*23. *num.*25.

22. Reginaldus, & alij *vbi super, & in Append. d.*2. *cap.*27.

23. Leand. de Sacram. & plures *ibi*, & *in Appendic. d.*2. *cap.*27.

24. Th. Sanchez, & alij *ibid.*

25. Sanctarellus, & alij *ibid.*

26. Zanardus. Alph. de Leone *supra.*

27. P. Henriq. & plures *sup. num.* 27.

28. Idem Henriq.

soluendi à reseruatis. (18) Certò probabile est oppositum. (19)

6 Non potest habens reseruata absolui ab illis cum onere comparendi, à non habente facultatem absoluendi ab illis, nisi detur grauis causa. Quòd si hæc detur, non tenetur pœnitens cõfiteri peccata reseruata, sed alia, & sic indirectè absoluetur ab illis, cum ille Confessarius non sit iudex respectu eorum, (20) quæ posteà confiteri tenetur, vt directè absoluatur. Si verò quis absoluatur à reseruatis à Superiore, & aliqua inculpatè omiserit, potest à quolibet Cõfessario absolui, nã reseruatio ablata est à superiore, qui absoluit, (21) quantum poterat. Idem dicendum si subditus confessus est cum illo, & nullum peccatum reseruatum propalauit propter obliuionem; poterit enim à reseruato, quod habebat, per alium Confessarium (22) absolui. Idem contingit, si tempore Iubilæi, aut virtute Bullæ Cruciatæ elegerit Confessarium, & obliuiscatur reseruatorum; poterit tempore transacto Iubilæi, aut Bullæ, ab eis absolui, quia reseruatio (23) fuit ablata. Imò etiam aufertur, si quis eo tempore durante, confiteatur reseruata, (24) quamvis defectu mediorum posteà non lucretur Iubilæum; nam absolutio illa directa non pendet ab euentu futuro. Quod idem dic de censuris reseruatis.

7 Si quis non inueniens in se conscientiam peccati mortalis, absque Confessione, quæ tunc necessaria non est, apponat media, & lucretur Iubilæum, & transacto Iubilæo recordetur peccati reseruati, poterit ab electo à se absolui, quia iam obtinuit priuilegium, (25) vt absolueretur. Quin si memor reseruatorum, ob defectum Confessarij, non est confessus tempore Iubilæi, & alia media apposuit ad lucrãdum illum, poterit posteà ab eis absolui. (26) Tutius est oppositũ. Si absoluatur quis à reseruatis per superiorem, & nulla sit Confessio ob defectum doloris, aut examinis, tamen ablatam manere reseruationem est probabile. (27) Idipsum est probabile, (28) si quis tempore Iubilæi inualidè confiteatur reseruata, à quibus transacto tempore Iubilæi poterit absolui. Verius est oppositum in vtroque casu.

8 Reseruans

8 Reseruans potest delegare suam iurisdictionem. Is, qui petit ab eo facultatem ad absoluendum à reseruatis, nequit ipse absolui virtute eius facultatis: secus si peteret à Superiore facultatem eligendi Confessarium pro vna persona indeterminatè, tunc enim ipse includeretur. (29) Obtinens autem facultatem ab absoluendum subditum à reseruatis, dum non determinauerit ad vnum, vel duo, aut plura peccata, potest eum absoluere adhuc à peccatis commissis post obtentam facultatem; quòd idem contingit, si pœnitens obtinuerit facultatem, vt absoluatur. Idem dicito, si incepta Confessione tempore Iubilæi, aut Bullæ Cruciatæ, posteà finiatur Confessio, commissis interim nouis peccatis; nam cœpta causa, donec finiatur, (30) durat delegati potestas, etiamsi peccata commissa sint post elapsum tempus Iubilæi, aut Bullæ.

29. Card. Lugo. & alij *vbi sup.*

30. P. Sà, & alij *ibid.*

9 In Iubilæo duplicis hebdomadæ, si quis non apposuerit alia media, & accedat ad Sabbathum secundæ hebdomadæ, potest eo die confiteri, & sumere Eucharistiam, ac absolui à reseruatis, & eius vota commutari; nam possunt media, quæ non apposuit, (31) commutari à Confessario in alia opera pia. Probabile est, posse in vtraque hebdomada obtineri Iubilæum: (32) probabilius est oppositum, attentis verbis Iubilæi. (33) Qui autem iam confessus est, si posteà peccata reseruata committat, (34) nequit in eadem hebdomada ab illis absolui.

31. Diana, & alij apud Me *de Bulla Cruc. d.23. n. 29.*

32. Diana *vbi mper.*

10 Existente impedimento, ob quod non valet quis adire Pontificē pro absolutione à reseruatis ei, potest ab Episcopo absolui; sed cessante impedimento, tenetur adire Pontificem, nisi fuerit impedimentum pueritiæ, in quo casu non tenetur posteà illum adire. (35) Si plures reseruationes eiusdem peccati, aut censuræ ab eodem Prælato sint impositæ, ablata vna, cæteræ auferuntur. Secus est, si à diuersis Prælatis. At si à Pontifice, & ab inferioribus Prælatis sint impositæ reseruationes, ablata reseruatione Pontificia, cæteræ auferuntur.

33. Suarez, & plures *ibid.*

34. Bossius *ibi.*

35. Ego cum pluribus *ibid.* 30

11 Si quis absoluatur à reseruatis (vt potest) à quouis Confessario in articulo mortis absque priui-

legio Bullæ Cruciatæ, aut simili, si superviuat, tenetur comparere coram reseruante. Idemque est, si vrgente necessitate extra illum articulum absoluatur. Quòd si non compareat, reincidit in easdem (36) censuras, etiamsi ante absolutionem ignorauerit onus comparendi, si posteà certior de eo reddatur. Verùm in hoc casu non teneri ad comparendum, (37) certò probabile est. Si autem quis in articulo mortis absoluatur validè à peccatis absque censura reseruatis, non tenetur ad comparendum; nam onus comparendi pro illo articulo appositum in Iure solùm est pro censuris reseruatis, & exceptio firmat regulam in contrarium: cum id sit solùm fundamentum adstruendi onus comparendi pro censuris, quia in Iure appositum est id onus, & nec in iure, nec alicubi impositum est pro peccatis. (38)

36. Th. Sanchez. Lugo. Vasquez. Gasp. Hurtad. Leand. à Sacr. Granado. Apud Me *sup. num.* 102.

37. Vasquez. Ægidius. Gasp. Hurtad. *vbi super.*

38. Corduba. Suarez. Th. Sanch. & plures *ibid. num.* 104.

12 Cum autem agitur de absolutione in articulo mortis, intelligendum est etiam in periculo mortis, & quando in periculosa ægritudine timetur defectus loquelæ, aut vsus rationis; quin si timeatur perpetua amissio vsus rationis, licet mors non timeatur, cum id perindè se habeat quoad effectum in ordine ad absolutionem. (39) Quo autem tempore, aut die periculosæ ægritudinis possit à reseruatis absolui, (40) relinquendum est iudicio docti, & prudentis Confessarij.

39. Llamas. Zerola. Zambrana. Th. Sanch. & alij *sup.*

13 Nequeunt inferiores Prælati ita reseruare sibi peccata, vt onus comparendi in articulo mortis iniungant; nam cùm dimanet à Pontifice iurisdictio absoluendi tunc ab illis, non potest ab inferioribus limitari. (41) Secus contingit in censuris; Pontifex enim appossuit onus comparendi pro illis, siue sint reseruatæ ipsi, siue inferioribus Prælatis.

40. Ego *de Bull. Cruciat. d.* 23. *num.* 103.

41. Card. Lugo. Leand. de Sacram. Ego *sup. n.* 106.

14 Absoluens in articulo mortis in sex casibus statim referendis debet petere cautionem iuratoriam à pœnitente cuiusvis sexus, dum attigerit decimumquartum ætatis annum, de obediendo mandatis Ecclesiæ, aut iudicis proprij. Casus autem sunt in Iure expressi; (42) excommunicatus notorius: incendiarius iam declaratus: mutilator: manifestus raptor, aut Ecclesiæ violator: vsurarius publicus:

42. Caietanus. Sylvester. Couarruuias. Corduba.

iniuriator

iniuriator publicus perſonæ Eccleſiaſticæ. Si detur pars læſa, debet Confeſſarius poſcere à pœnitente vnam ex tribus cautionibus, arbitrio prudenti circa eam, quam ſit exacturus, nempe iuratoriam, fideiuſſoriam, aut pignoratitiam. Valida autem eſt abſolutio, quamvis cautio non petatur; (43) nec incidit in excommunicationem, vt aliqui voluerunt, Sacerdos abſoluens à reſeruatis in articulo mortis, non poſtulans cautionem. (44)

Decius, & alij *ſup. ex n.* 108.

43. Armilla. Sylueſter. Trullench, & alij *ibi, n.* 109.

44. P. Henriquez. Ego *ibi, n.* 110.

15 Cum Superiores Religionum habeant circa ſuos ſubditos poteſtatem quaſi Epiſcopalem, & poſſint iure communi reſeruare ſibi poteſtatem abſoluendi à caſibus, quos reſeruandos iudicarent, Clemens VIII. eam limitauit, vt reſeruare nequirent, niſi caſus ſequentes. (45)

45. Bulla affertur à Quaranta, & à me *ſup. d.* 24. *c.* 1.

Veneficia, incantationes, ſortilegia. Apoſtaſia à Religione, adhuc habitu retento, dum fiat egreſſio extra ſepta Monaſterij. Nocturna egreſſio è Monaſterio, adhuc abſque animo apoſtatandi. Proprietas, quæ ſit culpa grauis contra votum paupertatis. Iuramentum falſum in iudicio legitimo. Procuratio, auxilium, conſilium ad abortum poſt fœtum animatum, adhuc non ſequuto effectu. Falſificatio manus, aut ſigilli Officialium Monaſterij. Furtum, quod ſit peccatum mortale, de rebus Monaſterij. Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus. Occiſio, aut percuſſio grauis cuiuſcumque perſonæ. Malitioſum impedimentum, ſeu retardatio, aut apertio literarum Superiorum ad inferiores, aut inferiorum ad Superiores.

16 Declarat præterea ibi Pontifex, *Si quod aliud peccatum graue* ſit reſeruandum, non poſſe id præſtari niſi in Capitulo generali pro toto Ordine, aut in Prouinciali pro Prouincia. Deinde præcipit in quouis Monaſterio deſignari duos, tres, aut plures Confeſſarios pro numero Religioſorum, qui eos à non reſeruatis abſoluant, & quibus committatur abſolutio à reſeruatis, quando ipſe Confeſſarius ſibi debere committi iudicabit. Diſtrictéque prohibet, ne Superiores vllo pacto vtantur ad gubernationem notitia per Confeſſionem habita.

17 Motiuum

46. Th. Sanchez apud Me *de Bulla Cruciat. d.24.num.5.*

17 Motiuum huius Bullæ (46) fuit, vitare nimias reseruationes peccatorum. Hinc etiam nec in Capitulis possunt reseruari quælibet, nec multa peccata; quia vox *Si quod aliud*, significat paucitatem, nec dicit, *si qua alia*. Et vox *aliud*, in Iure significat similitudinem, & est implicatiua (47) cum antecedentibus, quando non antecedit aliquid incompatibile. Quare peccata reseruanda debent esse similia parùm, minusvè peccatis præfixis à Pontifice. Cæterùm Capitulum generale potest reseruare peccata pro aliqua Prouincia; nam cui conceditur, quod est amplius, conceditur quod est minus inclusum in illo.

47. Leg. *Fugitiui*, *Cod. de seruis fugitiuis.* Guttierrez. Antoninus. Villalobos. Ruffinus, & alij *sup. num. 8.*

18 Nequeunt à Capitulis, nec à Prælatis reseruari censuræ impositæ supra peccata, quæ ab eisdem reseruari non possunt; (48) nam obstaretur menti Pontificis, cum nihil referret prohibitio reseruationis peccati, si posset censura imponi, & reseruari, grauisque reddi salus animæ; & quidem fuori subditorum primariò consulit Pontifex, quamvis sequatur, id esse odiosum Superioribus; & in præsenti incomposibilis est restrictio odij cum extensione fauoris. Nec possunt à prædictis reseruari peccata venialia, nec mortalia ritè confessa; nam sunt valdè absimilia in grauitate his, quæ designantur à Pontifice. Nec item peccata merè interna, cum norma desumenda sit à præfixis à Pontifice, à quo nulla interna proponuntur reseruanda. Quare etiam peccata, quæ prodeuntia in actum externum reseruantur, ita sunt exponenda, vt actus externus habeat malitiam grauem; aliter (49) etsi procedant ab actu interno mortaliter peccaminoso, non sunt reseruata; quia solùm externa grauia reseruari queunt. Imò quando reseruarentur peccata ab habente iurisdictionem ad reseruandum peccata merè interna, aut ea simul cum externis venialibus, opus esset exprimi ab illo, reseruari à se externos actus, etiam veniales, aliter non essent reseruati; nam onus adeò graue non censetur impositum nisi super malitiam grauem. Nec possunt à Capitulis, & Prælatis reseruari pecata dubia (nisi ex concessione spe-

48. Th. Sanchez, & alij apud Me *sup. n. 11.*

49. Nauarrus. Graffis. Homobonus. Bonacina. Leand. à Sacr. Suarez. Card. Lugo. Henriquez. Granado. Miranda. Apud Me *sup. num. 17.*

ciali

ciali à Pontifice obtenta) quia esset excessus nimius contra mentem Pontificis, qui adhuc certa, nisi similia præfixis à se, noluit reseruari. Quin quoties à quolibet reseruatur aliquod peccatum, intelligendum est de certo, nisi aliud exprimatur; (50) cum reseruatio sit odiosa, & restringenda, vt *suprà* libatum est.

50. Bossius. Ochagania, Lugo. Suarez. Merolla. Diana. Hurtado, & plurimi apud Me *de Bulla Cruc. disp. 24. n. 20.*

19 Iam verò vt cognoscatur, qui sunt casus reseruabiles præfixi à Clemente VIII. explicandi sunt in stricta acceptione, cum reseruatio sit odiosa. Quare *Veneficium* est quasi crimen veneni, nempe opus auxilio dæmonis factum ad damnum alterius. *Incantatio* est expressa, aut tacita inuocatio dæmonis ad aliquid exequendum, aut cognoscendum, pacto interueniente, quòd aliquid in eius cultum præstabitur; idque fit, quando aliquid supra vires naturæ intenditur. Sæpè huic culpæ immiscetur hæresis, si credatur dæmonem esse honore diuinitatis dignum. Curatio per ensalmum verba quædam proferendo, non est incantatio, sed fugienda, ne subsit aliquod pactum tacitum cum dæmone. *Sortilegia* sunt diuinationes alicuius rei occultæ per sortes, cum pacto expresso, aut tacito cum dæmone. At absque eo pacto vti temerè sortibus consultoriis est sacrilegium, aut tentatio Dei, non sortilegium.

20 *Apostasia à Religione* est egressio, absque animo redeundi, à Religione. Quare si non detur is animus, estò quis vagetur per aliquod tempus, non est apostata. (51) Nec est apostasia egressio cum animo ingrediendi Religionem laxiorem, (52) etiamsi in foro externo puniendi sint tanquam apostatæ, qui ingrediuntur quouis prætextu, iuxta Tridentinum. (53) *Nocturna egressio è Monasterio*, absque licentia: quòd si hæc detur in ordine ad opus bonum, quamvis egrediens operetur malum, egressio sub reseruatione non cadet.

51. Sylvester. Tabiena. Lessius. Fagundez. Apud Me *sup. num. 25.*

52. Panormitan. Ioan. Andreas. Angelus. Sà. Lessius. Fagundez *vbi supra.*

21 *Proprietas contra votum paupertatis*; & *Furtum de rebus Monasterij*, possunt coincidere, & etiam separari; nam si quis surripiat quantitatem grauem è Monasterio, vtrumque coincidit: si verò acciperet eam quantitatem à sæculari absque licentia

53. *Sess. 25. cap. 4. de Regular.*

tia, reus esset proprietatis, non furti. In præsenti verò furtum asseritur fore de rebus Monasterij, quare si sit de rebus alterius domini, quæ sint in Monasterio, non includitur in hoc furto. Res autem Monasterij sunt bona communia ipsius, vel destinata ad vsus Religiosorum. Debet autem quantitas accedere ad peccatum mortale, vt reseruetur. Nec solùm datur furtum rei, sed vsus, aut quantitas, ad quam ius habet Monasterium. At damnificatio grauis per actionem iniustam rerum Monasterij, non est furtum, aut proprietas inclusa in his casibus. Nec erit proprietatis peccatum, si quis extorqueat per metum leuem, (non grauem) aut per dolum licentiam à Superiore. Nec etiamsi abscondat rem, ne videatur à Superiore; aut non sit animo prompto, vt is de illa disponat, esto sit proprietarius internus, non externus, nec vt talis puniri potest, atque adeò sub præfata reseruatione non cadit ea proprietas. Nec consumptio rei in materia turpi, cum licentia absoluta ad consumendam illam, est peccatum proprietatis. (54)

54. Sylvester. Graffis. Tabiena. Azor. Lessius, & alij apud Me *de Bulla Cruc. d. 24. num. 30.*

22 Non cadit sub hac reseruatione furtum rei leuis, quod est graue ratione damni illati, quia non est graue in ratione furti. Nec item furtum materiæ leuis, etsi animus sit furandi rem grauem; nam furtum solùm exterius grauiter peccaminosum includitur in reseruatione. Nec præterea furtum repetitum rei modicæ modicæ, quod tandem constituit peccatum mortale: nam tunc fit mortale ratione damni illati grauis. Cæterùm si retinerentur plures modicæ quantitates, quæ simul constituerent materiam grauem, esset peccatum proprietatis.

23 At furtum in Religioso è rebus Monasterij erit mortale, si accedat ad quantitatem, quæ esset mortalis respectu alterius; nam etsi filius sit Religionis, tamen mater est inops, & suppeditat necessaria, quæ potest, & sub his circunstantiis etiam in filio naturali non requiritur maior quantitas ad peccatum lethale: nec absolutè Religiosi sunt filij Religionis, sed per iuris fictionem in ordine ad alia. Aliter se res habet in esculentis, nisi adesset circunstantia grauis necessitatis

cessitatis in Monasterio; alias duplicata ferè quantitas est (55) necessaria ad peccatum lethale. Quando plures Religiosi concurrerent ad furtum graue, verùm vnusquisque solùm rem leuem surriperet, id peccatum graue non caderet sub reseruatione, quia respectu cuiusque non erat furtum ex se graue. 55. Ego *sup. n.35.*

24 Donare absque licentia, aut accipere rem ad vsum, si vsus æquiualet quantitati graui, erit peccatum proprietatis. Nolle accipere rem ab extraneo donatam, deficiente causa, non esset proprietas, sed peccatum contra charitatem, quia impediretur illud bonum Monasterio obuenturum. Mutuare, aut accipere mutuum, si vsus non æquiualet quantitati graui, non est furtum, nec proprietas. (56) Est autem peccatum proprietatis inire contractum societatis, & accipere lucrum absque licentia; imò etsi nullum detur lucrum, si in eo contractu non adsit securitas, erit peccatum lethale ob damnificationem Communitatis, cuius sunt bona subditorum; sed non erit furtum, nec proprietas. Nec præterea accipere rem cum animo poscendi postea licentiam. Nec rursùs itinerando erogare eleemosynas moderatas. Quòd si quis furetur è bonis Monasterij aliquid ad succurrendum graui necessitati, id furtum non cadet sub præfata reseruatione, (57) quia non censetur Superior adeò rationabiliter inuitus, ac si esset aliud furtum commissum, idque minus habet de malitia furti, atque adeò reseruatio odiosa non est ad illud extendenda; maximè cum id non esse furtum, teneant non pauci. (58) In extrema autem necessitate, licentia petita, & adhuc negata, potest Religiosus succurrere pauperi de bonis Monasterij, aut de bonis sui vsus. 56. Ego *de Bulla Cruc. d. 24. num. 36.* cum communi. 57. Ego *sup. n.37.* 58. Nauarra. Sylvester. Sà. Angelus.

25 *Iuramentum falsum in iudicio legitimo.* Scilicet iuxta leges, & coram competenti Iudice, & vbi quis veritatem aperire teneatur. Vnde in iudicio coram arbitro, seu in iudicio priuato ex conuentione partium iuramentum falsum non cadit sub reseruatione, quia id non est iudicium (59) forense, & legitimum. Nec cadit, si quis ante tribunal iuret falsò, sistendo se absque licentia Superioris; nam respectu Lessius, & alij *vbi super.* 59. Suarez *sup. num. 39.*

pectu ipsius non est iudicium legitimum. Nec rursùs iuramentum rei dubiæ continetur in reseruatione, nec iuramentum incautè prolatum, quia non sunt absolutè periuria, (60) sed periculum periurij, nec habent pro fundamento mendacium; & estò sint eiusdem malitiæ ac periurium, non accedunt ad periurij proprietatem, quæ requiritur, vt in reseruatione odiosa, & restringenda includantur. Ad ea etiam reducitur consuetudo iurandi, quæ in causa est peccatum; (61) causa autem in præsenti non ponitur reseruabilis. Nec item iuramentum in iudicio faciendi aliquid cum animo id adimplendi, si postea non adimpleatur; nam in non adimpletione non datur iuramentum, sed id in promissione præcessit.

60. Vasquez. Layman. Lud. de Torre. Ego *de Bulla Cruc. d. 24. num. 40.*

61. Suarez, & alij *vbi super.*

26 Iuramentum amphibologicum non includitur in ea reseruatione; nam prolatum ex causa sufficienti non est peccatum. Prolatum sine causa, vel iuxta aliquos non est mendacium, vel estò sit, iurans sic ex causa excluderet animum iurandi id, de quo interrogatur. Reseruatio autem restringenda est ad periurium strictum, nec cadit sub illa iurans verum, quod erroneè putat falsum; nam ibi est falsitas formalis, non realis: hæc autem necessaria est, vt quis pœnam odiosam reseruationis contrahat. Sic formalem malitiam homicidij contrahit, qui occidit equũ putans esse hominem, non tamen contrahit pœnam irregularitatis. Sic etiam qui tollit pallium suum, iudicans esse alienum, formali malitia furti deturpatur, sed vt fur non punitur. Sic demùm, qui iudicans se proferre hæresim, affirmat, Deum esse trinum, & vnum, non incurrit in pœnas contra hæreticos designatas.

27 *Percussio, consilium, auxilium ad abortum, animato fœtu.* Communiter (62) censetur, fœtum masculum animari quadragesimo die, fœmineum octogesimo. Hinc si quis consulat, aut procuret abortum quinquagesimo, aut sexagesimo die, cum ignoret, an animatus sit fœtus, non cadet delictum sub reseruatione, (63) vtpotè odiosa, & non ampliandа ad casum, in quo dubitatur, an sit fœtus fœmineus

62. Couarruuias *sup. num. 44.*

63. Ego *sup. n. 44.*

neus, an maſculus; nec expectandum eſt ad tempus abortus, ſi fortè ſequatur, cum delinquens poſſit priùs confiteri, & abſolui.

28 *Falſificatio manus, aut ſigilli Officialium Monaſterij.* Hi ſunt Superiores, Secretarius, Procurator, & ſimiles. Debetque id intelligi de falſificatione non ad iocum, aut ad res leues facta. Nec opus eſt, vt ſubſcriptio nominis falſificetur; ſat erit, ſi falſum ſcribatur, v. g. in libris Rationum Oeconomi, vnde Monaſterio proueniat graue damnum. Quòd ſi in Bullario Religionis deeſſet ſigillum, & aliunde id tolleretur, ac ibi apponeretur, eſſet quaſi amphibogia realis, non falſificatio, cum Bullæ eſſent veræ, & ſigillum verum. (64) Vt autem ſigillum falſificetur, neceſſum eſt, ita imprimi, vt characteres, ſeu ſigna dignoſcantur. 64. Ego *de Bullæ Cruc. d. 24. num. 45.*

29 *Lapſus carnis opere conſummatus*; ſcilicet in quauis ſpecie luxuriæ. Neceſſum autem eſt ad reſeruationem, vt lapſus ſit voluntarius directè, & in ſe, & non ſolùm indirectè, & in cauſa; nam voluntarium indirectè, non eſt in ſeipſo obiectiuè voluntarium: (65) & cum cauſa, adhuc turpis, vt oſcula, & tactus (vel ebrietas) in præſenti reſeruationi non ſubiaceant, cum non ſint opus conſummatum in ſpecie fornicationis, ſit vt ſi inde v. g. ſequatur præuiſa pollutio non intenta, minimè reſeruationi ſubiaceat. Opere autem proprio conſummatus debet eſſe hic lapſus; quare coïtus cum fœmina, ſi vir non ſeminet, non cadit ſub hac reſeruatione; nec procuratio, vt alius polluatur, ſi ipſe non polluitur. (66) 65. Suarez cum aliis *ſup. n. 46.*

30 *Occiſio, aut percuſſio grauis.* Nempe in ſe volita, & non ſolùm in cauſa. Eſt autem ex circunſtantia eſſe grauis percuſſio, quæ ex ſe eſt leuis; quippe leues ſolent dici, (67) quæ non relinquunt in percuſſo maculam, ſuggillationem, aut effractionem membri, vel carnis. Nec ad reſeruationem ſpectant percuſſiones ioco, caſu, aut correctione inflictæ, abſque animo damnificandi grauiter, eſtò graue damnum ſequeretur. 66. Ego *vbi ſuper. num. 47.* 67. Nauarrus *vbi ſuper. num. 48.*

31 *Malitioſum impedimentum, aut retardatio literarum*

*terarum respectu Superiorum, & subditorum.* Non sat est, vt retardatio, aut impedimentum sit imprudens, sed requiritur ad vtrumque malitia; nam vox *malitiosa*, coniuncta cum particula *aut*, afficit sequentem dictionem. (68) Superior autem debet esse scribentis literas, nec sat est, si sit Superior aliorum. Prætereà si quis sibi timet probabiliter aliquam iniustitiam in literis, potest retardare eas, & rumpere, quamvis iurauerit, se illas daturum; nam in hoc casu nec reseruatio, nec iuramentum obligant, nec peccatum intercedit. (69)

68. Leg. *Si quis ita*, 32. cum Gloss. *ff. de auro, & argent. legat.* Instit. *de interdictis, in principio.*

69. Communis.

32 Vt autem præcepta Clementis VIII. obseruanda in reseruatione rectiùs intelligantur, obseruanda sunt quæ sequuntur. Non tenentur subditi confiteri cum Superiore; quare si nullus sit Confessarius in Monasterio, debet Superior designare Confessarios externos. Vbi autem sunt in Monasterio, debent saltem duo designari. Quòd si vnicus sit Confessarius, eum sufficiet designari. Et quidem reseruatio non tenet, vbi non designentur duo ad minùs Confessarij, si dentur; id enim expressè iniungit Clemens VIII. (70.) Confessarius autem tenetur sub graui culpa non decipere Superiorem, si affirmet, debere sibi committi facultatem ad absoluendum; nam si per dolum extorqueatur facultas, inualida erit absolutio. At si iudicante verè Confessario sibi debere committi, Superior deneget facultatem, poterit Confessarius pœnitentem absoluere; nec tenetur Confessarius speciem peccati declarare Superiori. Confessarius autem, cuius iudicio stare debet Superior, debet esse designatus pro Monasterio; nam aliorum iudicio nō tenetur stare, & potest negare facultatem. Quòd si Confessario designato non deneget facultatem Superior, sed differat, ille nequibit absoluere, donec vel concedatur, vel absolutè denegetur. Si designet Superior pœnitentias imponendas pro peccatis siue reseruatis, siue non; quamvis hæ non imponantur, erit vadila absolutio; & non peccabunt grauiter Confessarij, si eas non imponant, dum Superioris præceptum non obliget sub mortali. Est autem ingens

70. Ego *de Bulla Cruc. d. 24. ex num. 51.*

imprudentia

imprudentia, ex mille capitibus eas pœnitentias designare.

33 Superior ex iustitia (71) tenetur aliquando concedere facultatem absoluendi à reseruatis, nempe cum ei per Confessarium exponitur, à pœnitente timeri graue damnum, si cum Superiore confiteatur; & ex charitate, ac debito sui muneris (72) ad id tenetur, si quodvis damnum timeatur, & metus sit subditum sacrilegè fore se confessurum, cum reseruatio non fuerit apposita in destructionem animarum. Et quamvis aliquis excogitetur casus, in quo Superior teneatur denegare facultatem absoluendi; tamen iudico, casum esse metaphysicum, cum non videatur esse vllus, in quo nequeat viro docto, ac prudenti delegari ea facultas. 71. Suarez *vbi super. num.* 59. 72. D. Thom. & communis *sup. n.* 60.

34 Confessor ordinarius tenetur sub mortali poscere facultatem à Superiore absoluendi subditum à reseruatis, quando hic cum eo vult confiteri, cum teneatur succurrere necessitati graui spirituali, nec possit cogere pœnitentem, vt alium Confessorem adeat, quod ei esset valdè onerosum. Si autem in aliquo casu sit periculum notæ in pœnitente, & instet necessitas celebrandi, aut communicandi, debet eum absoluere indirectè à reseruatis, & directè à non reseruatis, & postmodùm poscere facultatem, & directè absoluere. Quod idem (73) contingit in reseruatis Episcopo. Imò id fieri potest, etiamsi peccatum habeat reseruatam excommunicationem annexam, quæ cum sit de iure Ecclesiastico, non obligat in casu vrgentis necessitatis tum seruandi famam, tum simul celebrandi, cum ad celebrandum requiratur præuia confessio de iure diuino, quando datur conscientia peccati mortalis; & ius diuinum præualet Ecclesiastico, (74) & tamen absque confessione potest tunc celebrari. 73. Sotus. Nauarrus. Rodriguez. Suarez. Pluliarcus. Layman, & plures apud Me *de Bulla Cruc. d.* 24. *num.* 64. 74. Llamas. Coninch. Henriquez. Suarez. Layman *vbi super. n.* 65.

35 Confessor extraordinarius, ad quem pœnitens accedit cum casibus reseruatis, non tenetur adire Superiorem pro facultate, cum non teneatur ad audiendum Confessionem illius, nisi essent circunstantiæ, quæ eum cogerent, v. g. si pœnitens repulsus fuisset iniustè à Confessore ordinario. Quod si casus

occurreret *nuper* dictus vrgentis neceſſitatis, poſſet ab eo indirectè abſolui à reſeruatis, & directè à venialibus, aut à mortalibus iam ritè confeſſis, & obtenta poſteà facultate, abſolui directè à reſeruatis. Et quamvis per ſe loquendo non teneatur quis bis eadem peccata confiteri, cum directè abſoluitur, & abſque onere comparendi; ſic verò per accidens, quando directè non abſoluitur.

36 Si iter faciens incidat in peccatum reſeruatum, ſtandum erit Conſtitutionibus ſuæ Religionis circa hunc euentum. Si Superior in caſu aliquo teneretur negare facultatem abſoluendi ſubditum, hic deberet cum illo confiteri: qui caſus raro, aut nunquam eueniet. Tutius eſt, non poſſe dimidiari Confeſſionem, ita vt Superior audiat, & abſoluat à reſeruatis ſolis, & poſteà hæc, & non reſeruata confiteatur pœnitens cum alio; (75) eſtò oppoſitum ſit certò probabile. (76) Qui reſeruat peccata, poteſt eximere ſubditum à reſeruatione, tum eximendo illum à reſeruatione, tum ei licentiam præbens, dum ipſe Superior eſt, vt à commiſſis, & committendis peccatis reſeruatis confiteatur cum quo maluerit, aut cum hoc, vel cum illo.

*75.* Card. Lugo. Syluester. Victoria. Canus. Adrianus. Viguerius. Suarez. Vaſquez *vbi ſup. n. 81.*

*76.* D. Antonin. Caietanus. Henricus. Sotus vterque. Paludanus. Ledeſma. Ioan. à Cruce *vbi nuper.*

37 A Superiore maiori poſſunt reſeruari caſus Superiorum, qui ei ſunt ſubditi, dum ſint contenti in præfata Bulla Clementis. Et in Capitulo, aut Congregatione generali poſſunt alia ſimilia, non plura numero, nec notabiliter diſſimilia, reſeruari reſpectu omnium è Religione, quin & reſpectu Generalis, durante Congregatione, aut Capitulo, quando Congregatio, aut Capitulum eſt Superior illius; at diſſoluta Congregatione, aut Capitulo, non manet reſeruatio reſpectu illius; tum quia nullum in Religione habet Superiorem, cui peccata reſeruentur; tum quia quomodocumque excogitaretur ea reſeruatio, poſſet Generalis diſpenſare in eo Decreto. Superior cæterùm reſeruans peccata non tenetur ea reſeruatione, quia nequit reſeruare ſua peccata Superiori mediato, ſicut non poteſt Pontifici; hoc enim eſſet iuriſdictionem illius ſibi arrogare: & ſicut non poteſt ſe excommunicare, ita nec facere, vt ſua peccata

cata nequeant absolui nisi à Superiore mediato; nam excommunicare, & reseruare, ac similia requirunt distinctionem personarum. (77) Nec accidit, quod in Legislatore, qui obligatur à legibus per vim directiuam, non coactiuam; nam in reseruatione non est excogitabilis vis directiua.

38 Prælatus tum Regularis, tum Sæcularis (78) qui absoluere potest subditos à reseruatis, & committere facultatem delegando, aut subdelegando, vt absoluantur, si ipse incidat in ea ipsa reseruata, adhuc pro se potest secundum ius commune (79) committere facultatem cuivis Confessario, vt ab eis absoluatur; nisi in Religione extet aliqua Constitutio, aut Decretum id limitans, quod à Pontifice potente derogare iuri communi sit saltem implicitè confirmatum. Quin & ipsum ius commune quasi conditionatum est, nempe si aliud contrarium in Religionibus non statuatur, occurraturque damno, quod ius intendit vitare, ne scilicet pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum.

39 Virtute Bullæ Cruciatæ nequeunt Regulares absolui à peccatis reseruatis in sua Religione. (80) Extat Bulla Vrbani VIII. expedita die 19. Iunij, anno 1630. quæ clarè, & manifestè id declarat, & quæ per sequentes Bullas Cruciatæ non reuocatur: nec refert, quod in transumpto Bullæ Hispano idiomate confecto id non exprimatur; (81) nec quòd supplicatum de illa fuisse tradatur. Et quidem ea absolutio non licet adhuc præstanda per Confessores ordinarios in Monasterio deputatos. Quod idem intelligendum est de reseruatis Pontifici. Verùm nouitij possunt absolui à reseruatis, ac si essent sæculares; nam illi in fauorabilibus comprehenduntur nomine Religiosorum, non verò in odiosis, & in oneribus. Omnes autem Regulares possunt virtute lubilæi duplicis hebdomadæ absolui per quemvis Confessarium à se electum à casibus reseruatis in sua Religione, necnon à reseruatis Pontifici.

40 Ab excommunicatione occulta reseruata Pontifici potest Episcopus absoluere iuxta Tridentinum; & præterea à publica, (82) quando excommunicatus

77. Ego *de Bulla Cruc. d. 24. ex n. 89.*

78. Sayrus. Riccius. Naldus. Nusius. Villalobos. Sà. Suarez. Card. Lugo. Marzilla. Henriquez. Diana. Leander. Bonacina, & plurimi *sup. ex num. 98.*

79. *Cap. Ne pro dilatione, de pœn. & remiss.*

80. Ledesma. Cordoba. Acosta. Garcia. Passarellus. Portel. Rodriguez. Trullench. Suarez. Card. Lugo. Medina. Candidus. Chapeauille. Vega. Prado, & innumeri *vbi sup. n. 122. & in Append. d. 1. n. 33. & d. 5.*

81. Ego cum pluribus *sup. ex cap. 12.*

82. *Cap. De cætero. de sent. excom.*

nequit adire Pontificem; quando autem ceſſat impedimentum, debet admoneri de obligatione ſiſtendi ſe Pontifici, aliàs reincidet in excommunicationem. Nec tenetur ille per nuntium, aut epiſtolas, aut per Procuratorem (83) adire Pontificem, aut eius Nuntium, dum per ſe non poteſt. Imò ſi nequeat adire Epiſcopum, poteſt à Parocho (84) abſolui: & deficiente Parocho, à quolibet Confeſſore, impoſita ei obligatione *ſuprà* dicta. Impedimenta autem adeundi Pontificem ſunt periculum mortis in itinere; paupertas, qua cogeretur mendicare in via; infirmitas longa; ætas ſeu ſenilis, ſeu impubes; ſexus fœmineus; ſubiectio filij ad patrem, (85) aut ſerui ad dominum, quando abſque præiudicio eorum nequeunt iter facere. Cura animarum, aut temporale dominium, ſi ſubditorum iactura timeatur. Debilitas in membris, aut in vitis delicatis nequeuntibus incommoda itineris ſuſtinere, & alia huiuſmodi legitima impedimenta. (86) Quamvis excommunicatio reſeruata lata fuerit poſt Tridentinum, ſi ſit occulta, poteſt Epiſcopus ab illa abſoluere; nam Tridentinum non reſtrinxit ad latas antecedenter, & fauor eſt ampliandus.

41 Quando Epiſcopus concedit Confeſſario facultatem abſoluendi à caſibus ſibi reſeruatis, non intelligitur de caſibus Papalibus occultis; nam in ea generali conceſſione non venit hæc ſpecialis, cum Tridentinum (87) concedat Epiſcopo facultatem abſoluendi ab illis per ſe, vel per alium ad id ſpecialiter deputatum. Poterit verò is Confeſſarius ab eis abſoluere, ſi exprimat Epiſcopus, (88) ſe ei concedere facultatem abſoluendi à caſibus Papalibus occultis.

42 Si Epiſcopus, vel Vicarius generalis ab eo pleniſſimam poteſtatem habens, dicat Confeſſario, *Committo tibi omnes vices, ſeu poteſtatem meam ad abſoluendum*; intelligitur conceſſa facultas ad abſoluendum ab omnibus reſeruatis Epiſcopo, non Papalibus. Si ab Epiſcopo petatur (89) facultas ad abſoluendum ab vno reſeruato, & is concedat, atque addat

83. Gaſp. Hurtad. Ego *de Bullæ Cruc. d. 25. num. 19.*

84. Tannerus *vbi ſuper.*

85. Apud Me ex Iuribus *vbi ſuprà.*

86. Gordonus. Apud Me *ſup. num. 62.*

87. *Seſſ. 24. de reform. cap. 6.*

88. Suar. *de pœnit. d. 30. ſect. 2. num. 9.* & alij.

89. Suar. *vbi ſuper, ſect. 1. n. 3.* & communis.

addat, *Et concedo tibi omnes vices meas*, facultatem præbet absoluendi ab aliis.

43 Si Episcopus, vel Vicarius generalis in eius absentia diuturna manens cum plenissima potestate, dicat Confessario, *Concedo tibi quantum possum*; an concedat facultatem dispensandi in impedimentis matrimonij, post illud contractum, in quibus potest dispensare Episcopus, discernendum est ex circunstantiis materiæ, de qua agebatur inter illos, cum concessa est ea potestas.

43 Cum Episcopus reseruat casus non reseruatos aliundè à Iure, eo mortuo, exspirat reseruatio, idemque est, si ab eo Episcopatu amoueatur. Idipsum dicendum est, cum Prælatus Regularis reseruat in sua Prouincia, seu in suo Monasterio casus, quos ipse, absque Capitulo Prouinciali, aut Generali, reseruare potest, nempe eos, qui à Clemente VIII. sunt designati, vt reseruari queant. Namque ea, quæ à Capitulo Prouinciali pro Prouincia, vel Generali pro Religione tota, seu tota Congregatione (si Religio in varias Congregationes independentes ad inuicem diuisa sit) reseruantur, non exspirant donec reseruatio reuocetur.

44 Reseruatio facta ab Episcopo ligat etiam Moniales ipsi subiectas; (90) & extenditur etiam ad casum peractum in loco exempto Diœcesis, v. g. in Monasterio non subiecto Episcopo, in quo si patretur peccatum, quod ille reseruauit, sub reseruatione cadit. 90. Diana *p.* 10. *tr.* 13. *res.* 52. & *tr.* 14. *res.* 7. Suarez, & plures.

45 Quando reseruatur casus effectu sequuto, veluti procuratio abortus, homicidium, & alia huiusmodi, si quis apposuit causam, & ante effectum sequutum homicidij, vel abortus pœnitens vult confiteri, vt potest, (91) tunc non est casus reseruatus, quia nondum est effectus sequutus; nec cum sequitur effectus, ille casus potest esse reseruatus, quia iam is directè est ab illo absolutus, nec tenetur iterùm illud peccatum confiteri. Idem est, si apposita sit excommunicatio ei peccato, sequuto effectu; nam in suppositione facta excommunicatio non 91. Mazuchellus. Diana, & alij.

contraheretur, cum iam non extiterit peccatum vt imputabile.

45 Obserua, si in Capitulo generali, aut Prouinciali alicuius Religionis reseruarentur plurima peccata, vel aliunde aliqua ex illis notabiliter, seu multùm dissimilia, aut leuiora his, quæ proposuit Clemens VIII. nullum manere reseruatum. Nam, vt dixi, Pontifex attendit ad exonerandos subditos, & proposuit casus, quos quisque Superior posset reseruare; & permisit Capitulis *si quod aliud*; hoc est, iuxta dicta *suprà*, posse reseruare alia quædam, sed pauca, & similia ferè in grauitate designatis ab ipso. Cùm ergo tollatur iurisdictio à Capitulis aliter reseruandi, si de facto plura reseruent, nec similia, id præstant absque iurisdictione, quare nulla est reseruatio. Quòd si plura sint, quamvis grauissima, & possent ex illis reseruari pauciora, nequit discerni, supra quæ ex illis cadat valida reseruatio. Tunc autem erunt plura, si excedant medietatem eorum, quæ Clemens præfixit. An sint similia in grauitate, ex ipsis constabit.

*Residentia.* Vide *Horæ Canonicæ*, & *Parochus.*

## *Restitutio.*

1 REstitutio imposita à Pio V. Beneficiatis non recitantibus debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam iudicis. Contraria propositio damnata est ab Alexandro VII. anno 1665. Neque potest asseri, non deberi eam restitutionem, eo quòd sit pœna; id enim etiam inibi à Pontifice damnatur.

2 Qui rem furtiuam à latrone accepit, tenetur vbi conscius fuerit vitij furtiuitatis, rem cum fructibus extantibus domino reddere. (1) Si res consumpta est, debet reddere id, in quo locupletior est factus; nec potest remittere dominum ad latronem, sed habet ipse actionem contra illum; nam si latro esset impotens ad restituendum, dominus ve-

1. *Lex. Certum, Cod. de rei vindic.*

rus

tus non haberet vnde rem suam recuperaret, & ratione rei acceptæ semper instat restitutionis obligatio. (2)

3 Beneficio restitutionis in integrum gaudent Ecclesiæ, minores Reipublicæ, & Academiæ, (3) cum facta est eis læsio in contractibus, etiamsi sit infrà dimidium pretij iusti, dum non sit exigua; quòd si læsio non detur, sed non expediat eis contractus celebratus, datur eis actio (4) aduersus possessorem, vt rescindatur contractus. Quæ restitutio etiam competit ratione damni emergentis, v. g. hæreditatis repudiatæ, (5) dum tamen ea integra sit. Intra quadriennium autem est petenda restitutio, quod in minoribus incipit numerari à vigesimoquinto ætatis anno; (6) in Communitatibus à tempore læsionis, nisi detur ignorantia inculpabilis, aut sit valdè enormis læsio. Quòd si hæc facta sit Ecclesiæ à Prælato, non elabitur quadriennium ipso viuente, sed (7) incipit ab eius morte.

4 Qui alium iniustè vulnerauit, tenetur restituere impendia facta in curatione vulnerati. (8) Quòd si hic sit artifex, restituendum est ei lucrum, quo, deductis expensis, caruit, aut carituras est. (9) Pro deformitate cicatricis, aut membris, & pro vita ablata, secundum se nulla restitutio debetur ante sententiam iudicis, (10) nisi in funere occisi extra patriam fierent maiores sumptus, tunc enim excessus compensari debet. At occiso homine, debent restitui alimenta his, qui ius legale habebant poscendi ab illo alimenta; & si ob accelerationem mortis decrescat hæreditas necessariis hæredibus, id est restituendum; (11) non autem aliis, quibus per accidens damnum sequatur, & nihil ex iustitia eis defunctus debuerit.

5 Ex homicidio, aut vulnere in duello contingente nulla oritur obligatio restituendi, quia fit ex consensu vtriusque decertantis, & nulla fit iniuria volenti, & consentienti; ac vterque censetur feciſſe potestatem inferendi damni, non excedendo moderamen inculpatæ tutelæ. (12) Si per errorem culpa homicidij, aut vulneris alteri imputetur, percussor nihil

2. Ego *in Statera, diſſ. 6. q. 7.*

3. Panormitan. Bartolus. Greg. Lopez. Leſſius. Layman, & alij apud Me *de Iure Acad. lib. 1. q. 41.*

4. *Lex in cauſa 1. ff. de minorib.*

5. Molina apud Me *ſuprà.*

6. Layman, & alij apud Me *ſup.*

7. Gloſſa *in c. 1. de in integrum reſtitut.*

8. *Leg. Qua actione, ff. ad leg. Aquiliam.*

*Leg. vlt. ff. de his qui deiecerunt, &c.*

9. Communis.

10. Nauarrus. Nauarra. Ant. Gomez. Leſſius, & alij apud Me *de Iure Academ. lib. 3. q. 29.*

11. Abbas. Molina. Leſſius, & alij *ſuprà.*

12. Bañez. Molina.

Rebellus. Azor. Layman *vbi supra.*

tenetur restituere ratione eius imputationis præcisè, licet antecedenter præuiderit alteri fore imputandum, dummodò ipse non dederit causam (13) falsæ suspicioni, vtendo v. g. gladio alterius, aut actionem similem exercens. Quin etsi intendat, imputari alteri, & causam non præbeat, cum intentio sola non constituat actionem iniuriosam respectu illius, si ipsa actio non sit ex se iniuriosa, nihil ei restituere tenetur.

13. Molina. Lessius *vbi supra.*

6 Restituere tenentur non solùm ij, qui rem alienam furantur, aut retinent, aut iniuriam alicui infligunt contra iustitiam, sed & qui continentur sub actionibus contentis in illis versiculis: *Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus; participans, mutus, non obstans, non manifestans.* Verùm quia restitutio dimanat ex obligatione iustitiæ, non ex obligatione charitatis, scire oportet discrimen. Quilibet est perfectè dominus suæ libertatis, ac plurimarum actionum. Obligatio iustitiæ respicit bonum alienum, & inducit in me quandam seruitutem, qua tollitur, aut minuitur dominium in meas actiones, & ordinatur ad augendum alienum, diuiditque bonum commune iuxta qualitatem arithmeticam. Obligatio charitatis refertur ad augendum bonum proprium per coniunctionem cum aliis; & ex bonis diuisis facit omnium bonum commune. Hinc non peccant contra iustitiam, sed contra charitatem, qui præcisè non impediunt amicos, aut famulos, ne damna inferant; (14) nam cum ex officio aut contractu non debeo meas actiones, sum earum dominus; & nihil ab alio aufero proprium illius: aliàs tenerentur omnes suas operas aliis donare, quia in eorum commodum sunt. Sed contra charitatem delinquerent, quia ad bonum commune, cum possint, non respiciunt, nec ad augendum bonum proprium per coniunctionem cum aliis. Quare solùm restituere tenentur, qui sunt causa positiua damni, vel causa negatiua, si ex officio tenentur. Vnde qui accipit pecunias, vt taceat furtum, cooperatur ad furtum tacens; nam ea acceptio, & traditio pecuniæ fit per modum pacti, & securitatis, & est medium ad furtum: hincque tenetur restituere

14. Lessius. Ant. Perez, & alij apud Me *de Iure Acad. lib. 3 q. 37.*

stituere damnum illatum; sicut etiam suadens, iubens, confirmans in proposito, addens animum, præbens recursum, consentiens famulo, aut alij inferenti damnum, ita vt aliquo modo sit concausa, qua ablata, saltem tunc & eo modo non sequeretur damnum; particeps rei ablatæ, & apponens causam, ex qua sequatur damnum, & demùm executor damni.

7 Nihil tenetur restituere Religioni qui impedit aliquem, ne in illa Habitum suscipiat, aut tempore Nouitiatus eum extrahere à Religione conatur, seu obtinet; (15) nam contra iustitiam non peccat, sed contra charitatem proximi, & persona quæ quasi aufertur à Religione, non est pretio compensabilis. Sanè qui violentè, aut per fraudem, vel iniustis suasionibus, seu illicitis mediis detinet aliquem, ne Religiosus fiat, aut auertere conatur à suo proposito friuolis, & mundanis motiuis, quæ nullum pondus habent respectu boni tutioris animæ, mortaliter peccat; cum impediat opus perfectum, salutem animæ inter mundi illecebras frequentioribus periculis obnoxiam, aliaque huiusmodi. (16) Sicut impediens alium, ne opera bona exequatur, v. g. ne confiteatur, cum sit irretitus pluribus vitiis, peccat grauiter contra charitatem, attentis circunstantiis, nisi titulus iustus adsit impediendi.

15. Communis.

16. Bañez. Pet. Ledesma, & communis. Apud Me *vbi suprà.*

8 Loquendo in communi (nam limitationes afferemus) acceptum ob turpem causam non debet restitui, nam obligatio restituendi oritur ex causis, quæ sunt contra iustitiam; at acceptio lucri ob turpem causam pretio æstimabilem, & quæ non est debita, non est contra iustitiam, sed contra aliam virtutem. V. g. accepit quis nummos à Petro, vt vulneraret Ioannem; ea actio vulnerandi non est debita Petro, & est pretio æstimabilis, quia ille suam industriam apponit, & exponitur periculis; vnde non debet restituere Petro, cui non infert iniustitiam; nec Ioanni debet restituere id, quod accepit à Petro, id enim non est illius; esto aliundè teneatur restituere damna ei illata contra iustitiam, non verò pecuniam acceptam à Petro, quæ acceptio non

non est contra iustitiam, nisi excedat vltra summum id pretium acceptum, quod ex circunstantiis dignoscendum est; & nisi is, qui dedit, non potuerit donare, aut is, qui accipit, incapax sit dominij.

9 Meretrix turpiter adquirit, sed turpiter nō retinet. (17) Item & adultera, quæ non tenetur lucrum (18) marito restituere. Iudex accipiens munera, quorum acceptio sit prohibita à legibus, tenetur restituere, quia ex munere proprio debet administrare iustitiam, & ei stipendium est designatum à Republica, & non est titulus, quo duplicatum (19) stipendium valeat reportare. Si verò ex consuetudine permittantur munuscula, esculenta, & poculenta, non tenetur accipiens restituere. Quin etsi post latam sententiam in signum gratitudinis ei munera conferantur, non tenetur restituere, (20) quia illæ leges pœnales non prohibent dominium; & largitio prouenit ex affectu liberalitatis, & consensu donantis; secus est ante sententiam.

17. Communis.
18. Megalins. Bonacina. Diana. Graffis. Apud Me *de Bulla Cruc. d.34. num.72.*
19. Communior *vbi nuper, num. 80.*
20. Fagund. & alij *nuper.*

10 Pretium simoniacè acceptum semper debet restitui Ecclesiæ, aut pauperibus, nisi detur sententia iudicis præcipientis restitui ei, qui illud dedit. Ante sententiam iudicis absolutè ea restitutio debetur, præterquam in simonia propter ingressum, aut Professionem (21) in Religione, & ob susceptionem Ordinum, ac ob Sacramenta; nam in hoc triplici casu non datur obligatio restituendi nisi post iudicis sententiam. Si quis pretium accepit pro re spirituali, & adhuc hanc non contulit, tunc ipsi domino pretij tenetur id restituere, & quidem (22) iure naturali.

21. Machado. Suarez. Lessius. Castro Palao, & alij *vbi sup. num. 84.*
22. Caietanus. Azor, & communis *sup. num. 83.*

11 Iudex quilibet non tenetur restituere danti pretium pro quavis iniusta actione à se peragenda, quia est causa turpis pretio æstimabilis; (23) tenetur tamen restituere omnia damna inde sequuta alteri collitiganti; & quidem scelerata est acceptio, non tamen retentio; & qui pecunias dedit ob turpem actum, non habet (24) ius repetendi illas.

23. Plures apud Me *ibid. n. 74.*
24. Rodriguez, & plures *ibid. num. 100.*

12 Iudex negligens in sententia proferenda, & in condemnando reum, non tenetur quidquam restitue-

re,

re, etsi peccet; quia (25) nondum fiscus, aut pars læsa adquisierunt ius ad multam, quam iudex promulgare in sententia debebat. Secus erit in aliis causis ciuilibus, si iudex sit causa moralis, vt partes damnum in facultatibus suis reportent. 25. Lessius. Diana, & alij. Apud Me *de Bulla Cruc. d.34.num.101.*

13 Aduocatus, si causam iniustam defendat, tenetur omnia damna clienti restituere, (26) nisi operetur cum ignorantia inculpabili; (27) at tenetur, si culpa sit lata, quæ dolo æquiparatur; (28) sicut etiam si se agnoscat insufficientem, tunc enim desistere tenetur, (29) nisi cliens conscius eius insufficientiæ velit eius patrocinium, cum scienti, & volenti nulla fiat iniuria. Restituere etiam tenetur excessum, si attentis circunstantiis is detur in stipendio. Cum verò stipendium ei ab aliquo assignatur in singulos annos, potest illud percipere, quamvis nulla his occurrat; sicut Medicus, & Chirurgus possunt stipendia annua percipere, quamvis nulla occasio suam artem exercendi occurrat. Si verò accipiat aliquid pro defensione causæ iniustæ à cliente conscio iniustitiæ, tenetur ante defensionem reddere clienti acceptum; post defensionem autem non tenetur, quia est pretio æstimabilis causa, quamvis turpis. 26. Communis. 27. Caietanus *vbi sup. num.105.* 28. Ortiz. Turrianus. Lessius *vbi super.* 29. Machado, & communis *ibi.*

14 Idem dicito de teste, fiscali, aut accusatore, seu denuntiatore; qui tamen tenentur omnia damna illata parti restituere, estò sibi retineant pretium pro iniqua accusatione, aut testificatione, seu pro taciturnitate, seu pro iniquis actionibus, quæ ab eis possunt exerceri.

15 Tabellio, qui de consensu partium instrumenta iniqua conficit, v. g. vsuraria, non tenetur restituere pretium (30) pro confectione illorum acceptum; nec item si ea faciat in damnum alterius: tenebitur tamen restituere damnum. 30. Machado. Rebellus. Molina.

16 Qui pretio accepto iuuat aliquem, vt iudex pro eo iniustam sententiam ferat, aut quid aliud operetur, non tenetur restituere pretium illud, sic verò damnum, quod inde cuicumque fuerit illatum: nam efficaciter iuuantes, aut mouentes ad executionem damni, (31) tenentur ad restitutionem, sicut & damnificantes, & furantes, vnusquisque pro rata, Card. Lugo. Apud Me *sup. num.73.* 31. Communis.

quin

quin & in solidum, si alij non restituunt, dum plures concurrunt.

17 Qui iustam licentiam à Prælato obtinet petendi eleemosynam pro determinato tempore, potest absque onere restitutionis (32) eam alteri locare, accepto pretio; nam sic subleuatur eius miseria, & hic fuit titulus quo licentia fuit concessa.

32. Trullench. Henriquez. Apud Me *sup. n.* 175.

18 Cum à lege prohibetur, ne tali tempore, aut instrumento quis piscetur, aut venetur, si id præstet, non tenetur restituere, (33) quia absolutè nihil alienum occupat. Nec ad restitutionem tenetur, qui venatur in nemore domini certi non concluso, (34) quia hoc ipso feræ, & bestiæ nullius domini cententur, & primi occupantis fiunt; secus erit, si nemus sit concluſum.

33. Sotus. Medina. Henriquez, & alij apud Me *de Bulla Cruc. t.* 34. *num.* 189. & 192.

19 Qui vltra leucam à columbario aucupatur columbas, non tenetur restituere, (35) secus si intra leucam. Id saltem in Castella. Alibi leges municipales consulantur.

34. Communis.

20 Cædens ligna in nemore totius oppidi tempore prohibito, subiacet pœnæ, sed nec peccat, nec restituere tenetur, cum nihil alienum occupet. (36) Peccabit tamen, si stragem ingentem faciat, cum damnum cæteris inferat. Quando duo oppida vicina habent nemora, si incola vnius in alterius nemore ligna cædat, & è conuerso, non est obligatio restituendi, quia datur compensatio; secus erit, (37) si vnum ex oppidis non habeat nemus, tunc enim non datur compensationi locus.

35. Sotus, & alij apud Me *sup. n.* 191.

36. Sotus. Villalobos. Molina. Henriquez *sup. n.* 193.

37. Rodrig. *sup. num.* 195.

21 Si dominus priuatus montis plantauit arbores, aut habet montem clausum, cædens ligna in eo, peccat, & restituere ei tenetur; secus est, si nec plantauit ipse arbores, nec concluſus est mons; nisi cædens magnam faciat stragem. Etenim consuetudo (38) interpretatur, dominium montium non vlteriùs extendi. Dicta aptanda sunt eis, qui greges pascunt, aut siliquas ad gregem pascendum colligunt in montibus alienis, seu alicuius oppidi, seu domini priuati. Excipe tamen in his omnibus casum, in quo Communitas locauerit montem, aut pascua alicui priuatæ personæ.

38. Ledesma. Bañez. Villalobos, & alij *sup. n.* 196.

22 Meretrix

22 Meretrix tenetur reſtituere exceſſum pretij pro turpi actu, attentis circunſtantiis, & quod per fraudem ab amaſio extorſit, cuius tunc deficit conſenſus. Mulier autem impudica occultè plus poteſt reportare, quàm meretrix publica. (39) Tenentur autem hæ reſtituere, quod accipiunt à non potente alienare ea, quæ ipſis donat. At poſt actum turpem, ſi id contingeret, poſſet meretrix accipere à religioſo pretium, quia actu completo iuſta eſt ſolutio. Non poteſt autem alia fœmina, quæ non locat operas ſui corporis; id enim eſt proprium publicæ meretricis. Cæterùm à filiisfamilias poſſunt fœminæ huiuſmodi accipere moderata dona, cum parentes, aut curatores, etiamſi inuiti ſint quoad culpam, non verò abſolutè quoad eas donationes; aliàs mille ſcrupulis inuoluerentur omnes. 39. Carbon, & alij *ſup. num.* 202.

23 Si mulier bona fide accepit aliquid, non tenetur reſtituere non potentibus alienare, niſi id, in quo facta eſt locupletior. (40) 40. Sotus. Salon. Leſſius, & alij *ſup. n.* 205.

24 Fœmina coniugata, filia, & ſerua, non tenentur reſtituere acceptum ob turpem actum, quia in domino, aut marito, ſeu patre non datur actio niſi ad bona iuſtè ab illis adquiſita. (41) An autem fœmina coniugata debeat adducere in partitionem bonorum ea, quæ ſic adquiſiuit, pendet à conſuetudine Prouinciarum, vbi matrimonia contrahuntur. In Caſtella contrahit vxor cum marito contractum ſocietatis, vnde omnia bona iuſtè retenta in partitionem ſunt adducenda. Si verò contractu dotali alibi contrahat, poteſt ſibi aſſeruare, quæ adquiſiuit, quin rebus neceſſariis domus defuerit. (42) 41. Graffis. Bonacina. Diana. Apud Me *de Bulla Cruciat. d.* 34. *n.* 207. 42. Bonacina. Machado. Diana. Trullench, & alij *ſup.*

25 Si amaſius accipiat à fœmina coniugata aliquid de bonis paraphernalibus excerptum, non tenetur reſtituere. Si de aliis bonis accipiat, reſtituere debet ipſi marito. Item debet reſtitui ab amaſio id, quod à filiafamilias, aut à Religioſa accipit, cum nequeat præſumi conſenſus patris, nec Superioris in donatione turpi, & in eo quòd illæ non ſolùm famam, ſed diuitias diſperdant. Religioſa autem, quæ accipit aliquid ob turpem cauſam, poterit vſum de licentia Prælatæ retinere.

26 Fœmina

26 Fœmina vxorata assumens aliquid moderatum ex bonis communibus, non tenetur restituere marito, sicut nec pupillus tutori, quod ex
43. Machado *sup. n. 209.* suis bonis assumit. (43) At in partitione bonorum debent compensationem facere eorum, quæ acceperunt.

27 Si pauper debeat bona incerta, potest ea sibi applicare. (Sermo est non de paupere nihil habente, is enim ob impossibilitatem restituere non tenetur; sed de eo, qui iuxta sui status qualitatem est indigens.) Etenim (44) poterat, si ipse ea bona restituenda Episcopo traderet, is illi applicare ipsa, vt
44. Nauarrus. Medina. Nauarra. Fagundez, & alij *sup. d. 35. num. 63.* pauperi; & cum ea debeantur pauperibus, iam pauperi præstantur: sed consulendus est Confessarius, ne quis in re sua erret. Quòd si necessitas illius non sit certa, sed dubia, necessariò debet interuenire authoritas Episcopi, aut Consultatio Confessarij, vt iudicent de illa, an sit talis, vt applicatio ei fieri valeat.

28 Quando restitutio debetur pauperibus, aut operi pio, potest fieri Monasteriis; nam hæc sunt opera pia.

29 Cum domus instituta est ad alendos filios pauperum, si diues in ea filium collocet, tenetur restituere sumptus, quos ille facit, etiamsi diues timeat, se redigendum ad pauperiem; nam nomine
45. Acuña. Diana *vbi sup. num. 67.* pauperum (45) non veniunt hi, qui actu non sunt pauperes, quamvis vereantur pauperiem superuenturam.

80 Quando aliquis tenetur restituere, debet id præstare, cum primùm possit, non sumendo tempus mathematicè, sed moraliter, absque incommodo graui proprio, dum simile incommodum in creditore non datur. Si autem potens restituere differat restitutionem contra voluntatem rationabilem creditoris, peccat contra iustitiam (46) in præiudicium
46. Communis. tertij, & tenetur restituere damna ex dilatione sequuta; & esse nouum peccatum illam dilationem, & toties committi, quoties interrumpitur moraliter ea intentio non restituendi, seu retinendi, ac renouatur

uatur, (47) est mihi certius; estò sit certò probabile (48) esse omissionem continuatam, & sufficere, si quis in Confessione dicat, se tantum temporis distulisse restitutionem, cum posset restituere.

47. Bonacina. Vasquez. Machado, & alij apud Me *de Bulla Cruc. d.* 35. *n.* 72.

31 Necessitas grauis excusat à restitutione, nisi simul detur ea in creditore. Si quis furatur rem, & postea aduenit ad extremam necessitatem, & eam consumit tunc, non tenetur postmodùm restituere, sicut non teneretur, si in ea necessitate, in qua omnia bona sunt communia, eam surriperet, & consumeret. (49) Oppositum est tutius, & certò probabile.

48. Aragon. Quandus. Henriquez, & plures *vbi nuper.*

49. Diana. Villalobos. Lessius *sup. num.* 73.

32 Si quis cedat omnibus suis bonis, quamvis retineat necessaria ad suæ familiæ sustentationem, deobligatur à restitutione, (50) estò si ad pinguiorem fortunam perueniat, teneatur ad illam.

50. Communis.

33 Potest quis differre restitutionem, vt succurrat alicui in extrema necessitate constituto, & debet id facere, si alius non succurrat.

34 Necessitas excusans à restitutione non solùm est propria, sed omnium ascendentium, & descendentium, quæ etiam propria censetur, (51) & priùs debet eis succurrere, quàm restituere.

51. Basseus. Layman *vbi sup. num.* 75.

35 Potest quis differre restitutionem, si exinde nequeat conseruare decentiam sui status, cæteris paribus in creditore; (52) sed moderari debet sumptus. Quin quando illa decentia status non ex propriis habebatur, sed ex vsuris, & quæstibus illicitis, tenetur illicò restituere, quamvis eam decentiam non conseruet, (53) quia nihil amittit proprium, sed indebitum.

52. Aragon. Valentia. Salon. Bonacina. Fagundez *sup. num.* 76.

36 Adhuc potest quis restitutionem differre, si non possit eam præstare, nisi cum maiori damno, quàm est id, quod sequitur creditori; nam tunc creditor esset irrationabiliter inuitus circa dilationem: vnde tunc non tenetur suam suppellectilem vendere, aut bona sua disperdere. Præterea si ex restitutione vni facienda amittat debitor ingens lucrum, quo posset pluribus creditoribus restituere, potest eam restitutionem differre, ne amittat (54) id lucrum. Aliter erit, si non intendat lucrum, vt aliis restituat; (nam creditor

53. Sotus. Nauarra. Bonacina. Filliucius *sup. n.* 77.

54. Nauarrus. Clauis Regia, Nauarra.

Salon. Molina. Turrianus, & alij apud Me *de Bull. Cruc. d. 35. num. 77.*

creditor non debet incommodum sentire, vt debitor commodum sentiat) aut si aliquis creditor sit in extrema, aut graui necessitate.

37 Non tenetur debitor restituere bona inferioris ordinis, si exponat periculo bona superioris ordinis.

55. Bonacina. Basseus, & alij *vbi super. n. 78.*

(55) In infimo ordine sunt diuitiæ. In medio honor, fama, & existimatio. In supremo vita, salus, libertas, virginitas, & membra. Etsi aliqui Authores præponant honorem vitæ, & in supremo ordine honorem constituant.

38 Et generalis regula sit: Tunc potest omitti, aut differri restitutio, quando creditor sequens prudens rationis dictamen debet velle, vt omittatur, aut differatur; & esset inuitus irrationabiliter circa omissionem, aut dilationem.

39 Si quis accipiat pretium pro eligendo hoc præ illo ad Cathedram, vel ad maioratum, seu ad percipiendum legatum, tenetur illud restituere, quia non potuit adquirere, cùm ea ad iustitiam spectent.

40 Mandans furtum committi, aut quem occidi, seu vulnerari, si reuocet mandatum re integra, etiamsi posteà mandatarius illud exequatur, non tenetur, qui mandauit, ad restitutionem; (56) nam cum mandatarius agat nomine mandantis, dum is mandatum reuocat, non est causa moralis, nec influit in damnum illatum; quare tunc mandatarius nomine proprio intulit, ipseque ad restitutionem tenetur.

56. Communis.

41 Consilians ad furtum, seu aliud damnum, si is, qui accipit consilium, eius rationibus motus damnum inferat, tenetur ad restitutionem, quamvis ante executionem reuocauerit, & retractauerit consilium nouis rationibus. Nam iam damnum intulit, dum primum consilium dedit, nec sufficit pœnitere, si influxus, & primi consilij rationes operantur; sic enim est causa moralis damni sequuti. Veluti si quis domui alienæ applicet ignem, & posteà pœniteat, atque aquam immittat, si hæc non sufficiat ad extinguendum ignem, tenetur ad restitutionem damni illati; & quamvis ignis vt causa necessaria operetur, tamen respectiuè pariter se habet ignis, ac influxus primi consilij, si aqua secundi consilij illum non extinguat.

tinguat. Et sicut propinans venenum alteri, etiamsi posteà pœnitens tribuat antidotum, si hoc non prosit quia serò applicatur, & venenum iam tenet cor, censetur homicida; sic quamvis secundum consilium sit antidotum, si primum occupauit cor, & illius rationibus mouetur ille ad damnum, hoc imputatur consilianti. Nec refert, quòd fecerit, quantum ex se est, præbens secundum consilium, & reuocans primum, dum in vi primi sequatur damnum; sicut non sufficit applicare aquam contra ignem, & antidotum contra venenũ faciendo quantum est in se, si in vi ignis semel appositi, & veneni dati sequatur damnum; etenim aliqua sunt, quæ semel facta, inferunt damnum, quorum pœnitentia non liberat à damni restitutione. Nec facit, quantum in se est, qui retractat consilium, cum iam illud præbuerit, & tunc non fecerit quantum est in se, ne sequeretur damnum, imò fecit, vt sequeretur. At opposita sententia est certò probabilis.

42 Si plures sint creditores, & non dentur bona prõ omnibus, hæ regulæ seruandæ sunt. (57) Primò res, quæ in specie extant alienæ, sunt dominis etiã ignorãtibus reddẽdæ. Deindè debita certa sunt præferẽda incertis. Postmodum anteponendi sunt creditores habẽtes hypothecam. Inter cæteros (58) pro rata diuidenda sunt bona. Quòd si aliquis creditor sit pauper, poterit huic inter hos vltimos satisfieri integrè, estò aliis de sua rata minuatur, (59) & quamvis nihil eis restaret. Si domini ignorent, se esse creditores, adhuc debitor tenetur eis pro rata restituere debita, eo modo, quo ipsis essent restituenda, si scirent, se esse creditores. (60) Estò sint aliæ opiniones certò probabiles: prima asserens, primùs restituendum esse integrum debitum ex contractu illicito, quàm ex licito. Secunda, primùm esse restituendum debitum ex contractu licito, deinde ex vsurario, vel ex alio illicito, aut ex furto.

57. Communis.

58. Communior.

59. D. Thom. *opusc.* 73. c. 18. Aragon. Medina. Valentia. Sylvester. Salon. Sà Sayrus. Lessius.

60. Communior.

43 Cum debitori remittit creditor partem debiti, vt aliam partem ab eo habeat, videns non aliter posse recuperare totum, nec partem, nisi ea remissione facta, debitor tenetur restituere ei partem remissam

missam, quia absolutè non fuit spontaneus. (61) Similiter si cui debeatur certò hæreditas, aut alia bona, & ille ne litiget cum potentiori, aut quia non habet, quæ expendat in lite, pactum cum eo init cedendi id totum, quod ad ipsum pertinet, concessa ei quantitate, quæ certò est minor, debetur ei restitui reliquum. Nam involuntariè, & ad redimendam vexationem initum est id pactum à creditore, aut per metum, vim, vel impotentiam aliter quidquam recuperandi. Et restitui debet res cum fructibus naturalibus, necnon industrialibus, qui à creditore potuissent percipi; nam possessor malæ fidei tenetur de damno illato creditori.

61. D. Antonin. *part. 2. tit. 2. cap. 6. vers. 7.* Angelus. Sylvester. Th. Sanchez. Lud. Lopez. Eman. Rodrig. Bonacina. Fagundez. Layman. Azor. Rebellus. Graffis.

44 Restitutionis necessitas à iure naturali, & diuino trahit originem. Nam restitutio est actus iustitiæ, quo damnum proximo datum reficitur.

45 Qui adhibita priùs omni diligentia damnum intulit præter intentionem, (62) non tenetur restituere, quia iustitia ab eo læsa non est. Si autem eius boues, aut oues sata, vel prata disperdant, adhuc ipso innocente, tenetur vel damnum restituere, vel animalia dare. (63)

62. *Cap. fin. de iniuriis.*

63. *Eodem cap. fin.*

45 Debetur restitutio ratione rei acceptæ, siue iniustè, siue iustè, vt ex mutuo, locato, commodato, & similibus. Tenetur quis restituere ex lata culpa, aut dolo; non ex leuissima, aut leui culpa: (64) estò si non sit omissio, sed commissio, in foro externo iudicetur teneri; nam accedit ad dolum.

64. Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 1. n. 59.* cũ aliis.

47 Si quis grauiter peccauit accipiendo modicas quantitates, quæ grauem constituant, & restituat partem, qua restitura, quantitates retentæ non constituunt grauem quantitatem, non peccabit mortaliter, sed venialiter in his non restituendis, (65) quia in ea retentione non læditur grauiter iustitia, nec proximus.

65. Nauarra *de rest. l. 3. cap. 1. num. 66.*

48 Seruus captus in bello, aut emptus, si fugiat à domino, vt in patriam redeat, non tenetur se restituere domino; (66) secus si fugeret, vt vagaretur intra proprium Regnum. Seruitus quippe est mors ciuilis, & maius malum, quàm flagellatio, aut mutilatio; vnde sicut potest quis iustè detentus in car-

66. Sotus *de iust. l. 4. q. 2. art. 2. concl. 3.* Couatruuias. Bañez. Nauarra. Angelus.

cere

cere fugere, ne patiatur mortem, aut mutilationem membri, sic seruus è domo, vt vitet seruitutem. At dum est in Regno vagus, seruire tenetur domino; & si quis eum occultet, restituere eum tenetur.

49 Seruus non subtrahens seruitium domini, non est priuatus iure habendi bona, quæ ludo, donatione, & aliis huiusmodi viis adquirit; (67) nec ea restituere domino tenetur; nec ea, quæ ei legarentur ab aliquo sub ea conditione, quòd dominus in ea non se ingerat: quæ conditio si deficiat, fiunt domini, sicut bona, quæ seruus suo labore adquirit, nisi dominus ei permittat lucrari, quæ possit. Ac si ipse cuigilans, nec à seruitio deficiens, fatigaret se, vt aliquid adquireret, eius fieret; nec enim dominus est rationabiliter læsus ob eam adquisitionem.

67. Nauarra *de rest. l. 3. cap. 1. num. 219.*

50 Famuli non peccant grauiter, si sibi, & non aliis, esculenta (68) non in magna quantitate accipiant; nec domini læduntur rationabiliter, quando illi paulatim id præstant. At si seuerè prohibeantur, peccabunt, & restituere tenebuntur.

68. Nauarr. *c. 17. num. 140.* Nauarra, & alij.

51 Famulus, cui non est cura administrationis domus, si videat alium famulum furantem res domini, & non moneat dominum, peccat contra charitatem, non tamen tenetur restituere. Sic verò, si videat externum furantem res sui domini; nam ex officio tenetur esse custos, ne extranei domum aggrediantur.

52 Famulus, qui pepigit cum domino inservire vno vel pluribus annis, vt disceret officium, vel ob tale stipendium, nequit eum deserere, nisi esset causa sufficiens, veluti aspera domini conditio, paritas victus, occasio euidens maioris ingentis lucri, & similes; nam in his casibus non est rationabiliter læsus dominus: at his deficientibus, teneretur deserens restituere damna sequuta.

53 Quamvis qui venantur tempore, aut loco prohibito, non teneantur restituere, (69) quia per prohibitionem non appropriatur animalia non mansueta alicui, sed manent communia iure gentium, & primi occupantis fiunt; & clericus, cui prohibita est venatio,

69. Nauarra *de rest. l. 3. cap. 1. num. 293.* Couarruuias, & plurimi.

venatio, (70) scilicet ea, quæ impediat vacare diuinis officiis, aut fiat cum strepitu, si venetur, non teneatur restituere, etiamsi venetur in alieno fundo, nam dominus illius non habet ius in ea animalia, donec ea apprehendat, (71) & ea fiant apprehendentis; attamen post sententiam, si detur lex pœnalis, soluere debebunt pœnam; & si fundus sit locatus, vel pars fluuij, ex quibus præcipuus fructus prouenit ex venatione, & piscatione, tenebitur venans, aut piscans restituere non totum, sed id, in quo dominus, aut locator damnificatus est. Ergò ad nihil teneri, sit certò probabile. (72)

70. *Cap. 1. & 2. de Cleric. venator. Cap. An putatis, 86. dist.*

71. Medina *de rest. q. 12.* Couarruuias. Nauarra.

72. Nauarra *de rest. l. 3. cap. 1. n. 302.* Couarruuias. Medina.

54 Qui simulat paupertatem, aut consanguinitatem ad extorquendam eleemosynam, peccat, & tenetur restituere. At si paupertatem finxit, restitutio est facienda non eroganti, quia is intendit subuenire pauperi, (73) sed pauperibus; si consanguinitatem finxit, tutius est restituere danti, quàm alij consanguineo, cui forsan non vellet eam donationem facere is, qui donauit.

73. Sotus *in 4. d. 15. q. 2. art. 3.* Medina. Nauarrus. Angelus. Adrianus. Nauarra. Gabriel.

55 Qui furatur ab aliquo viuente, & non contradicente, si is non contradicat ex timore, aut verecundia, restituere tenetur oblatum, cum non fuerit domino voluntarium absolutè. (74)

74. Syluest. *verb. Furtum, q. 1.* Nauarrus, & plures.

56 Qui merces alienas tempore procellæ in mare deiicit, ne periclitetur nauis, & vita eorum, qui ibi sunt, nihil tenetur postea restituere. (75)

75. *Leg. 1. ff. ad leg. Rhodiam, de iactu,* & communis.

57 Ratione officij prauè exerciti debetur restitutio, tum si actione positiua damnum inferatur, tum si ex omissione, & negligentia, si detur culpa lata. At qui ex mercede accepta non exercent officium, non tenentur de culpa leui. (76) An verò, qui mercedem accipit, veluti iudex, aduocatus, medicus, & alij similes, ad restitutionem teneantur, necne de leui; videatur verbum *Tabellio*. Sanè in contractibus, qui vtriusque contrahentis gratiâ fiunt, tenetur (77) quis de leui.

76. Panormitan. *in c. cùm causa, de testam.* Nauar. & alij.

77. *Cap. Vsico, de commodato. Cap. Bona fides, de deposito.*

58 Qui suo suffragio damnum iniustum alij infert, adhuc inferendum absque eo suffragio, tenetur ad restitutionem, si suffragia fiunt secreta, quia nesciebat,

bat, an esset damnum inferendum. Si sint publica, & sic ex primis suffragantibus, etiam tenetur, cum potuerit alios allicere ad suum sensum. Si alij præcesserint, qui iam damnum intulerunt, & eius suffragium nequeat mouere eos ad retractationem, nec augeat damnum, aut modum illius, non tenebitur ad restitutionem, estò peccet, cum suffragium sit prauum. (78)

78. Nauarra *de rest. l. 3. cap. 3. num. 33.* Card. Caietan. Nauar. & alij.

59 Milites, qui iniustè diripiunt vrbem, vnusquisque suam partem solùm tenetur restituere; (79) dux verò totum damnum. Secus est, cum quatuor, aut sex conueniunt de vinea deuastanda, vnusquisque enim in solidum tenetur; & non ita se habent milites in ratione concausæ damnificationis, nec sic omnes inter se conueniunt quasi quodam pacto.

79. Sylvest. *verb. Bellum, q. 7. concl. 6.* Angles. Paludanus. Nauarra.

60 Quando quis est paratissimus inferre damnum, eum laudans, aut consulens, nihil tenetur restituere, dum exinde nec in substantia, nec in modo fuerit immutatio.

61 Remiges Christiani, cùm aduersus alios Christianos nauigantes Infideles bellant, nihil tenentur restituere, imò nec peccant, quia solùm vehunt huc illuc rates, quæ est actio indifferens; etenim alias actiones, velut arma iacere aduersus illos, nec metu mortis possent præstare, cum ab actionibus in se prauis non excuset mortis metus. Sicut non peccat auriga, qui in suo curru locato viatoribus defert ab vno in alium locum meretricem, quia exercet actionem indifferentem, estò illa tendat ad peccandum.

62 In generali hæc sit regula. Cum ex illis, qui continentur in versiculis, *Iussio, consilium*, &c. verè influunt moraliter in damnum, tenentur ad restitutionem; aliquando enim non sic influunt consilium, palpo, mutus, & non manifestans. Cæteri influunt semper. Præterea si influant in totum damnum, tenentur in solidum; si verò in partem, solùm pro ea parte tenentur. Et hinc est eruenda resolutio plurium casuum, cum eueniunt.

63 Indè fit per solam ratihabitionem, quæ sanè non influit, non teneri (80) quem restituere.

80. Molina *Cod. de rest. q. 7.*

 Rebellus.

Lessius. Molina. Laym. & alij.

64 Fit etiam, primo loco teneri ad restitutionem eum, qui est principalis causa damni; veluti iudex sententiam iniustam proferens; dominus seruis præcipiens inferre iniustum damnum, & similes. Cum verò æquè concurrunt duæ causæ, vtraque tenetur ad restitutionem, non expectata alia: nam dum vna est minus principalis, potest expectare, & inuestigare, an principalior restituat. Sanè inter consiliantem, & exequentem (81) hic est principalis. Restituente principali, cæteri ad nihil tenentur. Si æquè sint principales, & vnus restituat, cæteri huic suam portionem restituere debent. (82) Omnes etiam damnificantes possunt conuenire, vt vnusquisque suam portionem restituat damnificato.

81. Nauarr. *de rest. l. 3. c. 4. n. 83.* cum aliis.

82. Alcozer *in sum. cap. 21.* Nauarra, & plurimi.

65 Si damnificatus remittat debitum principali, cæteri minus principales liberi manent à restitutione; non verò si remittat illud minus principali; vel si sint plures æquè principales, si remittat vni ex illis dumtaxat.

66 Restituere tenentur non obstans, & non manifestans, cum possint absque graui suo detrimento (83) impedire damnum, si sint hi, qui ex munere id præstare debent, vt ministri iustitiæ, custodes nemorum, & agrorum, & alij similes; nam alij, nisi positiuè influant, non tenentur nisi ex charitate impedire damnum; si autem in testes assumantur, verum debent propalare, aliàs tenentur restituere damnum ex taciturnitate secutum.

83. Couarruuias *in reg. Peccatum, 2 p. num. 5.* D. Antonin. Scotus. Nauarrus. Corduba. Angles. Adrian. & alij.

67 Qui rem alienam retinet mala fide, v. g. pallium, etiamsi absque ipsius culpa perierit, tenetur restituere. Qui verò bona fide, cum scit esse alienam, debet eam restituere, si extet; vel si vendiderit eam, & factus sit ditior. V. g. emisti bona fide pallium duobus aureis, vendis illud bona fide aliis duobus, ad nihil teneris: periit vel absque culpa, vel cum culpa, dum bona fides dabatur, ad nihil adhuc teneris. At si extat apud te, debes restituere illud. Si vendidisti illud duobus aureis & dimidio, & postea scis esse alienum, teneris restituere illud dimidium aureum, in quo factus es ditior. (84) Cœnasti cum amico bona fide; cibus erat alienus, & postea scis; si in tua domo

84. Sotus *lib. 4. de iust. q. 7. art. 2.* Mercado. Nauarr. & alij.

cœna

cœna erat tibi parata, & nihil imminutum est de sumptu, non es factus ditior, & ideò restituere non teneris: secus si ideò imminutus est tuus sumptus; nam teneberis ad id, in quo factus es ditior, non ad id, quod cœnasti.

68 Fructus rei alienæ mala fide habitæ debent restitui. Si bona fide fuerit res retenta, fructus naturales extantes, & hi, in quibus est quis factus ditior, tenebitur restituere; necnon industriales, deductis expensis. (85)

85. Communis.

69 Si quis rem alienam dono accepit, statim ac scit esse alienam, vero domino restituere tenetur: at si contractu oneroso, veluti emptione, eam habuit, satisfacit, si venditori, à quo posset pretium repetere, illam reddat; nam in æquo casu innocentiæ veri domini, & emptoris, hic plus sibi, quàm alteri consulere debet, & obligationem restitutionis in venditorem refundere. (86) Si autem mala fide emit illam, tenetur restituere vero domino, & sibi imputet, quòd pretium in ea insumpserit.

86. Nauarra *de rest. l. 5. cap. 4. num. 194.* Sylvester. Couarruuias. Maior. Barth. Medin. & alij.

70 Res, quæ habent functionem (hæ autem sunt, quæ nullum alium habent vsum, nisi consumptionem, vt oleum, vinum, &c. & distinguuntur ab his, quæ sunt mixtæ, vt equus, domus, in quibus præter vsum res ipsa extat) si quis emerit à fure immixtas aliis, restituere non tenetur, quia dum miscentur, adhuc ipse fur dominium adquirit, estò teneatur restituere æquivalens; (87) si verò non misceantur, seruandum est in his idipsum, quod de cæteris asseruimus; nam dolium vini, aut olei non immixti sic se habet in ordine ad restitutionem, ac equus, aut pallium.

87. Couarruuias *in reg. peccatum, 2. p. num. 3.* D. Antonin. Sylvester. Gabriel. Paludanus. Cordoua. Sà.

71 Qui impedit bonum alteri habenti ius in re, seu perfectum, tenetur restituere damnum. At si ille solum habeat ius ad rem, seu imperfectum, æquale iuri aliorum, & alius consulens suæ vtilitati, aut amici, impediat assequutionem, non tenetur restituere, nec enim ei facit iniuriam, dum sibi consulit, vt quotidie contingit in candidatis Munerum, & Officiorum; secus si ius illius omninò prævaleat, veluti

si in concursu ad Beneficium quis impediret, conferri digniori, vt digno conferretur.

72 Si quis impediat malo animo, non verò vi, aut fraude, bonum alterius, ad quod nullum ius habet, v. g. precando ne detur ei hoc aut illud, estò grauiter peccet, non tenetur restituere, (88) quia iniuria stricte non fit ei, cui ex nullo iustitiæ titulo, aut iure res debebatur. Et aduerte, aliquando preces esse idem, ac vim; sic homo potens impediens virum humilem, aut subditum per preces ne legatum relinquat Petro, aut aliud ei munus conferat, restituere tenetur; nam preces in potente respectu humilium sunt gladius districtus: & iniuriam ille facit ei, qui volebat legare, aut donare, ac similiter Petro, qui supposita prima voluntate, & non immutata à potente, habebat ius quæsitum. (89)

88. Sotus *lib. 4. de iust. q. 6. art. 3.* Medina. Nauarrus. Sylvester. Nauar. & alij.

89. Barth. Medin. *in summ. l. 1. c. 14. §. 1.* Nauarra. Corduba. Paludanus. D. Antonin. Gabriel. Nauarrus.

73 Quantitas autem restituenda ab impediente iniustè bonum alterius, si hic habeat solùm ius ad rem, & sint alij ei in merito æquales, præstanda est non in totum, sed arbitrio boni viri. At si ei debeatur illud bonum, vel animus in donante fuisset firmus donandi, & iniustè quis impediret, aut mutaret eum, teneretur ad restituendum totum. (90) Cæterùm boni viri arbitrium commensurandum est qualitati damni, meritis, iuri, animo conferentis, & similibus.

90. Nauarra *de rest. l. 3. cap. 5. ex n. 19.* Cum D. Thom. Card. Caietan. Sylvester. D. Antonin. Couarr. & alij.

74 Rei mala fide retentæ, etiamsi absque culpa retinentis pereat, debetur restitutio, quia ab initio prauæ retentionis est quis in mora reddendi illam. Si verò rem ipsam offerat creditori, & is in accipiendo immoretur, dum sit ipsa ablata, vel alia æquiualens obsignata, perit domino, si pereat. Si res apud dominum foret eodem modo peritura, ac apud furem, nec ab illo vendenda antequam periret, & nulla culpa esset in fure, non tenetur is (91) restituere pretium; sic verò, dum non dentur dictæ circunstantiæ; nam inferret in hoc casu damnum, non verò, si circunstantiæ illæ dentur.

91. Couarruuias *in reg. Peccatum, 2. p.* Barth. Medin. Nauarra. Sà, & alij.

75 Si res perit apud iniustum retentorem, restituendus est valor computandus iuxta augmentum, quod

quod secundum se res haberet, si tunc esset, vel fuisset antecedenter apud dominum; non verò iuxta augmentum, quod ex speciali industria (92) retentoris habebat: nec iuxta decrementum, quod culpâ, aut omissione huius haberet. Hinc restituendi sunt fructus rei, quos dominus habuisset, v. g. redditus ex locatione domus, aut agri, & similes.

92. Sylvest. *verb. Expensæ, q. 4.* D. Antonin. Navarra. Couarruuias. Gabriel, & alij.

76 Bona naufragantium infidelium qui capit, non tenetur restituere, sic verò Christianorum. Horum verò bona, quæ solo periculo vitæ recuperari queunt, & nulla est spes recuperandi, pro derelictis haberi, & posse retineri ab eo, qui specialissima industria, & periculo adquisiuit, quin in hoc casu loquatur Bulla Cœnæ, docent non pauci. (93)

93. Navarra *de rest. l. 4. cap. 1. num. 57.* & *ibi* Navarr. & alij.

77 Quæ quis adquirit suo labore, ac industria mediis pecuniis iniustè habitis, non tenetur restituere, quia non sunt fructus rei, sed meræ (94) industriæ.

94. Scotus *in 4. dist. 15. q. 2.* Ioan. Medina. Gabriel. Navarra. Maior. Navarrus.

78 Si res aliena accepta est ab eo, qui iustè, seu bona fide eam possidebat, ei restituenda est, & non domino; quia non est ille spoliandus sua possessione, nisi sit suspectus, & dubitetur, eum monitum non fore restituturum. (95) At si res à Religioso indebitè accipiatur, aut ab eo non potente vendere ematur, superiori est reddenda; sicut etiam res pupilli restituenda est tutori, aut curatori. At vestis aliena directa à sartore, huic est reddenda, ne suum laborem impensum amittat.

95. Sylvest. *verb. Restitutio 4. q. 1.* Navarra. Medina. Angles.

79 Si quis debet centum Petro debenti alia centum Ioanni, in foro externo cogetur soluere Petro, qui habet actionem aduersus eum; in foro autem conscientiæ, si res in specie non debeatur Petro, veluti locatum, & commodatum, nec Petro damnum vllum inferatur, possunt solui Ioanni; nam perinde se habet, ac si Ioannes transtulisset in eum debitorem ea centum, quæ Petrus illi debebat; & tunc debitor eo iure ostenso satisfaceret Petro, suum debitum compensans. (96) Et admonendus est Petrus, ne soluat Ioanni; & Ioannes, ne exigat à Petro.

96. Ioan. Medina *C. de restit. q. 3. caus. 5.* Sylvester. Navarra, & alij.

80 Non licet differre solutionem ex eo, quòd creditor

creditor abusurus est pecunia ad ludum, meretrices, &c. nec enim creditor sub cura debitoris est, & aliàs multa debita non soluerentur; estque diuersa ratio, si gladium furiosi habeam, quem ei ipsi non teneor restituere; nam censebor causa moralis damni sequuturi: non verò possum non restituere illam.

81 Cum quis retinet rem alienam iniustè ab alio subrepram, tenetur ad locum, vbi habitat creditor, (nisi domicilium mutauerit) ex loco, vbi subrepta res est, & fur habitat, aut iniustus retentor, eam propriis expensis mittere; hæ enim sunt medium ad restitutionem, easque suæ iniquitati imputet debitor. (97) At si res debeatur ex contractu, & in eo aliter non sit conuentum, expensis creditoris debitum est transmittendum. Aliquando expensæ ab iniquo possessore non sunt omnino soluendæ, nempe cũ dominus rei aliquas esset facturus in re transportanda, quæ deduci possunt: v.g. abstulisti in agro triticum, quod teneris portare ad domũ, vbi dominus habitat: potes deducere expensas, quas ille facturus erat in transportatione ex agro ad suam domum, vel horreum.

97. D.Thom. *in 4. d.15.q.1.art.1. quæstiunc. vlt. ad 2.* Barth. Medin. Caietanus. Sotus. Nauarra. Armilla. D. Antonin. Syluester. Ioan. Medina. Nauarrus.

82 Quando quis rem habet ex deposito, commodato, mutuo, aut alio iusto titulo, potest eam retinere, (98) donec à domino petatur, dum aliter non sit conuentum, nec iudicetur dominus oblitus, aut pudore detentus ad petendum illam; nam his circunstantiis non extantibus, iudicatur dominus voluntarius in ea mora.

98. Medina *Cod. de rest. q.2.* Nauarr. & alij.

83 Restitutionis obligatio includit præceptum negatiuum, hoc est: Non detinebis alienum; quare semper, & pro semper obligat; & inde pro semper debet iniustus retentor habere in animo se restituturum fore, cum primùm possit. Hinc peccat primò, cum proponit non restituere. Secundò quando non restituit, cum possit; aut non soluit debitum, cum exigitur. Tertiò cum aduertens vtitur re aliena. (99) Verùm in his dari vnum peccatum continuatum in externa damnificatione proximi, estò repetantur, & interrumpantur volitiones, seu actus vtendi, v. g. bibendi

99. Nauar. *in sum. cap 6. num.16.* Card. Caietan. Nauarra. Ledesma, & alij.

bibendi in vase alieno argenteo, esse certò probabile dixi *suprà*. At si interrumpat volitiones per actum contrarium, scilicet per propositum restituendi, & iterum decernat non restituere, nouum peccatum patrabit.

84 Si fraude quis occultet bona, etiamsi cum creditoribus se componat, non manet liber à restituendo, si possit, integrum debitum, cum illi coactè, & quia aliud nequeunt, se componant. Quòd si is debita contraxerit iniustis mediis aliena retinendo, nequit reseruare bona ad statum suum conseruandum, qui ex alienis bonis fuerat auctus, cum ad id rationabiliter sint inuiti creditores, vt *suprà* libaui.

85 Ægrotans vsque ad mortem, si possit tunc restituere, attentis circunstantiis, non satisfacit, si restitutionem committat hæredi, aut executori testamenti; nec est absoluendus. (100) Nec absoluendi sunt, qui possunt restituere, antequam id præstent, si dubitetur, eos admonitos id esse effecturos.

100. Barth. Medin. *in sum. lib. 1. cap. 11.* Nauarrus. Paludanus. Nauara, & alij.

86 Si terminus est præfixus solutioni debiti in gratiam debitoris, potest hic illum anticipare; si verò in gratiam creditoris, & hic nolit anticipatam solutionem, non potest cogi ad acceptandam illam. In primo autem casu potest adhuc creditor ante terminum præfixum poscere debitum, si debitor vergat in inopiam, aut fugiturus credatur.

87 Si res soluenda, aut restituenda tradatur nuntio misso ad id à creditore, & pereat, creditori perit. Si autem quis tradat suo Confessario, vel fidelissimo viro, rem restituendam, & illi non restituant, dum ipsa res, quam tradidit, extaret in ipsa specie, in qua eam surripuit, v. g. vas aureum, non tenetur debitor iterum restituere, (101) quia dum perit absque eius culpa, domino perit. At si foret pecunia, quæ dum non traditur creditori, non est sub eius dominio, sed sub dominio debitoris, tenebitur iterum restituere, quia ei perit, qui est dominus: & actione poterit vti aduersus eum, cui tradidit.

101. Nauar. *in sum. cap. 17. n. 76.* Syluester. Medina. Nauarra. D. Antonin. Angles.

88 Remissio restitutionis precibus obtenta prodest; non

non verò minis, aut fraude; nec adhuc precibus Principis, aut Magnatis, quæ iussa censentur. (102)

102. Nauarra *de rest. lib. 4. c. 5. n. 21.* cũ aliis.

89 Per rapinam ablata non solùm debent restitui, sed insuper tenetur raptor per se, vel per interpositam personam poscere veniam, nam intulit iniuriam. (103) Remissio autem quæ liberat debitorem, præstanda est ab eo, qui liberam bonorum administrationem habet. Et quidem remissio sponte facta tenet, etiamsi debitor haberet in animo non soluere casu, quo remissio non fieret.

103. Sylvest. *verb. Restitutio 7. q. 2.* Mercatus. Nauarr. & alij cũ D. Thoma, *2. 2. q. 66. art. 9.*

90 Quando quis omnia debita potest restituere, non est necesse ordinem in restitutione seruare. Si autem non possit, primò vt *suprà* attigi, restituere tenetur, quæ debentur certæ personæ, aut loco pio, quàm quæ debentur incerto domino; nam etsi hæc pauperibus sint restituenda, tamen hi non habent actionem ad petendum lege iustitiæ: certis autem personis fauet obligatio de iure naturali, & diuino.

91 Si quis sciat rem, v.g. calicem, esse Ecclesiæ, & nesciat cuius, tradere debet Episcopo, vt eum applicet.

104. Armilla *verb. Restitutio, q. 35.* Caietanus. Nauarrus. Rosella. Med na. Sylvester.

92 Debita certa præferenda sunt legatis, etiam piis, ob rationem libatam iustitiæ.

93 Pretium rei emptæ, & extantis, maximè si hypotheca pro securitate apposita fuerit, præferendum est; nam tunc res empta (104) specialiter manet obligata. Obseruandæ autem sunt leges municipales in solutione bonorum defuncti.

105. Nauarra *de restit. l. 4. c. vlt. n. 50.* cũ aliis.

94 Debita contracta ab hærede ratione defuncti, v.g. ad eius funeralia, ac similia, præferenda sunt legatis, (105) non secus ac ipsa debita defuncti. Si ex creditoribus eiusdem gradus vnus prior in iudicio petat, & obtineat, ei est soluendum: (106) si autem alius sit magis priuilegiatus, is poterit, imò & debitor ipse in iudicio reclamare, cum ei primùm restitutio, seu solutio debeatur. (107)

106. Nauarr. *in sum. c. 17.* & alij.

107. Eman. Sa *verb. Restitutio, n. 20.* Ioan. Medina. Nauarrus. Sotus. Caietanus. Victorellus. Sylvester. Valentia.

95 Qui scienter falso testimonio aliquem in vitæ periculum iniecit, tenetur eum liberare, etiam cum vitæ suæ periculo: at si absque culpa id præstitit, sat est, si suum dictum retractet, dummodò

id

id possit peragere absque magno sui periculo. Idem dicito, si fuit iniustus accusator, aut falsos testes induxit; dum tamen profutura sit retractatio: nam si certissimè non est profutura, non teneretur ad retractationem.

96 Non tenetur quis restituere rem minoris ordinis cum damno rei maioris ordinis. Pecunia quidem, vt iam libaui, est in ordine minore, quàm honor; deindè honor, qui est reuerentia, seu cultus cuique in præsentia debitus, est in minori ordine, quàm fama, quæ est clara cuiusquam cum laude notitia: præterea fama est in minori Ordine, quàm corpus; ac demùm corpus versatur in ordine inferiore, quàm anima. (108) At si esset, attentis circunstantiis, notabilis excessus inter damnificatum, & damnificantem, seu inter rem ablatam, & rem Superioris ordinis damnificandam, teneretur quis restituere: v. g. homo plebeius abstulit honorem à viro eminenti; sanè tenetur cum damno suæ famæ illum restituere. Vel quis furatus est à Rege omnia bona, quæ possider, ad summam centum mille ducatorum; proximus est morti, tenetur omnia bona Regi relinquere, quamvis indè fama furis eius memoriam denigret; eum tamen fama boni Christiani commendabit, & sic alicui contigisse, testis sum oculatus.

108. Nauarrus. Sotus. Eman. Sà. Victorellus, & communis.

## *Reus.*

1 REus potest amphibologia vti in iuramento ad negandum suum crimen non publicum; (1) cum amphibologia sit licita ad defensionem vitæ, honoris, & bonorum. Rei forum sequitur Actor; quod consuetudine, aut priuilegio potest aliter contingere: sic studiosi Salmanticenses actores trahunt reum ad suum Iudicem; necnon Clerici diœcesis Salmanticensis actores trahunt reos ad suum tribunal.

1. Abbas. Angelus. Nauarrus. Alcozer. Vega. Nauarra. Lessius. Fillincius, & alij apud Me *de Ordin. Milit. d. 3. q. 4.*

2 Reus damnatus ad carcerem perpetuum, exilium ad terram insalubrem, ad triremes per longum tempus, aut similia, in conscientia non tenetur eas pœnas

2. Diana. Vasquez. Castro Palao. Leſſius, & alij ex D. Thoma apud Me *de Iure Academ. l. 3. q. 43.*

nas adimplere, ſed poteſt fugere. (2) Si puniatur reus pœna priuationis Officiorum, & Dignitatum, id intelligitur de Officiis, & Dignitatibus, quæ habent iuriſdictionem, ſeu Superioritatem annexam; quare poterit eſſe Concionator, Lector Theologiæ, aut alterius ſcientiæ, Conſultor Sacræ Fidei Tribunalis, & alia huiuſmodi. (3)

3. Diana. Th. Sanch. & alij *vbi ſuper.*

3 Reus nequit damnari ob ſuam depoſitionem, & iuramentum factum ante legitimam ætatem abſque authoritate curatoris, quia de iure eſt nullum. Præterea eius confeſſio, ſi à iudice accipiatur abſque præcedentia indiciorum, & quin detur priùs corpus delicti, eſt nulla. Adhuc eius confeſſio, niſi ſequatur ratificatio, non facit probationem.

4 Notificatio, & locus defenſionis debent præcedere damnationem rei in criminalibus, cùm id ſit de iure naturali, diuino, & poſitiuo; nec poteſt reus renuntiare id ius, cum non ſit dominus ſuæ vitæ, & membrorum.

5 Teſtis contra reum in criminalibus debet ratificare ſuum dictum, aliàs nullum erit.

6 Reus in carcere detentus ante ſententiam latam poteſt fugere; nam caput non eſt, (4) cur nequeat ſuam incolumitatem procurare; quamvis damnum immineat cuſtodibus, qui illud ſuæ negligentiæ imputare debent. Quin poteſt vt fugiat, effringere vinacula, & fores, ſi imminet ei pœna mortis, aut infamiæ; (5) quia ei ſolùm prohibetur, ne iniuriam inferat iudici, & miniſtris, quæ ex ſe in ea effractione non fit: damnum autem, quod reipublicæ infertur, non eſt tantum, vt propter illud priuetur reus beneficio tuendi vitam propriam, aut famam. Idem dicito poſt latam ſententiam mortis, aut infamiæ.

4. Communis cum D. Thoma 2.2.q.69.ar.4.

5. Caietanus *vbi ſuper.* Sotus *l. 5. de iuſt. q 6.art.4.* Vaſq. & plures.

6. Leſſius *de iuſt. l.2.c.31.dub.4.* Caſtr. Palao *t. 3. d. 2. pũct.4.* & alij.

7 Si reus damnetur ad mortem ex falſis probationibus, & ſpem habeat euadendi, poteſt ſe defendere à miniſtris, (6) & armis metum incutere, cum vim vi repellere liceat; non tamen eos vulnerare, ſi ſit condemnatus iuxta allegata, & probata, cum tunc (7) ex parte iudicis, & miniſtrorum ſit bellum iuſtum, de quo adhuc *infrà*.

7. D. Thom. 2.2. *q.69. art. 4.*

8 Nequit

8 Nequit obligari reus iustè damnatus, vt ipse sibi mortem inferat, (8) id enim natura refugit, & est crudelitas, quæ non solùm datur in cruciatu excedente culpam, sed in modo inusitato, (9) & indebito. Vnde nequit obligari, vt abstineat omnino à cibo, si ei detur, nec vt sumat venenum. At cum non potest vitare mortem, valet proficisci ad locum destinatum, præparare collum, & similia; nam hæc cooperatio ad mortem est remota, & de se indifferens, mortemque non inducens: & honestatur præcepto iudicis, & adstantium exemplo; nam vbi non potest euadere, alacriter, & non reluctans debet subire mortem. (10)

8. Bonacin. *d.* 1. *q.*1. *punct.*7. §. 2. Suar. *l.*5. *de legib. c.*7. Vasquez. Lessius. Salas, & alij.

9. D.Thom. 2.2. *q.* 159.

9 Si reo detur optio, vt vel sumat venenum, vel scindat venam, vel aliter laqueo sit suspendendus, poterit ipse ptiora genera mortis sumere; nam cum non sit ei periculum euadendi, ac illud genus mortis sit suaue, nec crudelitas in eo appareat, quæ datur in iugulatione sui ipsius, potest maiorem vexationem minori redimere. At si absolutè detur optio inter duo genera mortis ferè æqualia, neutrum potest eligere. Nec licet ei cooperari immediatè proximè sententiæ mortis; illa enim, quamvis iusta, non est, nec licitè potest esse de morte à seipso inferenda, sed ab alio.

10. Communis.

10 Nequit reus damnatus fugere à carcere, nec ab exilio, ob vitandum carcerem non perpetuum, & exilium non insalubre; (11) quia præcepto, & sententiæ iustæ est parendum; nec excusatur ex eo, quòd pœna nimis molesta sit, nec debeat ipse esse exequutor pœnæ; hoc enim solùm habet locum in pœnis grauioribus, in quibus inhumanum est, non posse hominem suam incolumitatem procurare.

11. Iurisperiti *in leg. si vnquam. C. de reuocand. donation.* Theologi cum D.Thoma 2.2. *q.*63. *art.*3.

11 Reus damnatus ad pœnam pecuniariam tenetur soluere, sed donec ab eo petatur, valet illam detinere.

12 Condemnatus iustè ad mortem, nequit iudici, aut ministris vim vllam incutere, vt liberetur, cum ei iniuria non inferatur.

13 Si constet, iudicem esse iniquum, & iniustam sententiam tulisse manifestè circa iacturam vitæ, aut honoris,

honoriss, vel notabilis quantitatis bonorum, potest
12. reus, (12) si aliter nequeat euadere, iudicis vim vi
Vasq. *de legib. d.174.cap.1.* & alij. repellere, non secus ac si extra iudicium inuaderetur, vt vita, honor, aut magna quantitas bonorum ab eo auferretur; quo casu licet cum moderamine inculpatæ tutelæ vulnerare, & occidere. Si autem ministri iudicent, se exequi iustam sententiam, non possunt vulnerari, quia nunquam licet innocenti directè, & per se nocumentum inferre.

14 Quando quis potest è carcere fugere, si expectet iustam mortis sententiam, non tenetur fugere, cum sit tolerantiæ actus ibi persistere, & merè passiuè se habeat ad mortem; (13) at si iniustam expectet eam sententiam mortis, aut infamiæ, tenetur fugere, (non est sermo de his, qui à tyrannis propter
13. Fidem incarcerantur;) nam si possit vitare mortem,
Angelus *in summ.* verbo *Fugere.* Sylvester. *eodem verbo.* Caietanus 2.2. *q.69. art.4.* & alij. & non vitet, est prodigere vitam. Quare in quovis casu tenetur inique inuasus defendere se ab iniquo inuasore.

15 His, qui possunt licitè fugere à carcere, nequeunt iudex, & ministri consilium, aut instrumenta præbere ad id præstandum; possunt autem cæteri: non primi, quia agerent contra suum munus, fidelitatem, & bonum publicum; at in cæteris non potest dari malitia, nisi foret instrumentaria, deriuata à causa principali; (14) in hac autem suppo-
14. nimus licitum esse fugere, & fores frangere. At cæteri
Sotus *lib.5. de iust.q.6. art.4.* & alij. nequeunt fores frangere, aut iuuare proximè, aliàs nihil esset tutũ pro custodia publica; & non datur in his titulus tuendi propriam vitam, vt sint causa principalis partialis effringendi carcerem; qui titulus honestat incarcerati effractionem. (15)

15. 16 Si reus præstet iuramentum iudici, aut custodi-
Caietatus *vbi supra.* Vasquez *vbi supra*, & alij. bus de redeundo ad carcerem, & iusta sententia expectetur, tenetur redire. Secus (16) si est iniustus
16. carcer, aut timetur iniusta sententia; nam materia
Vasquez *vbi supra cap. 5.* & alij. iuramenti debet cadere sub aliqua virtute, & in hoc casu non est virtus patientiæ, sed vitium temeritatis redire; nec virtus fidelitatis, nam iniustè petenti fidem, non est seruanda. Excipe, si custos esset innocens, & ei damnum immineat, quia iustè petit

fidem

fidem, & ex fidelitate debet ille redire, ac iuramentum implere.

17 Reus, qui legitimè interrogatus, negauit delictum, etiam post finitum processum, & damnatus capite, non tenetur veritatem propalare, nisi damnum sequeretur tertio. Nec tunc iudex habet ius ad compellendum iterum illum, vt proferat veritatem. (17) Quòd si in confessione negauit complices delicti, non tenetur fateri posteà, nisi delictum pertineat ad hæresim, proditionem patriæ, & his similia; & nisi complices non sint emendati, nec detur spes certa per aliam viam, quòd emendentur. (18)

17. Bañez *in* 2. 2. *q.* 69. *art.* 2. *in* 2. *part. dub.* 1. Salon. Th. Sanchez. Sayrus. Villalobos.

18 Cum reus in ciuilibus confitetur id, quod principaliter exigit actor, sed cum aliqua qualitate, seu conditione adiecta, non potest actor acceptare in suum commodum confessionem rei principalis, nisi acceptet qualitatem, seu conditionem adiectam, aut saltem probet, eam adiectam non fuisse. (19) V. g. Maria agit contra Petrum, quòd is promiserit ei nuptias. Petrus reus fatetur, se promisisse, sed sub conditione, quòd suus pater annueret. Maria, si acceptat confessionem, acceptare debet conditionem, vel probare, non fuisse adiectam.

18. Diana 3. *part. tr.* 5. *res.* 99. & plures ab eo relati.

19. Gobat. *in exper. Theol. tr.* 10. *n.* 183. Baldus. Abbas. Alexander. Gaillius.

19 Quando delictum absque socio potest patrari, non potest interrogari reus de socio; (20) nam supponendo, nullam esse semiplenam probationem, nec diffamationem, aut indicia grauia contra alium in communi, nec in particulari, quæ requiruntur præcedere, vt iuris forma seruetur, nequit inquisitio fieri, quæ esset causa diffamationis. Cum verò delictum nequit committi absque socio, potest reus de illo interrogari; (21) v. g. reus, qui confessus est delictum sodomiæ, de complice interrogari valet.

20. *Cap. Veniens* 1. *de testib. Leg. vlt. Cod. de accusat.*

20 Quotiescumque reus interrogatur, non seruata forma iuris, non tenetur candidè respondere, cum ad id non habeat ius, qui sic interrogat. Secus est, si criminosus interrogetur à Superiore, adhuc non seruata forma iuris, non ad punitionem, sed ad vitandum malum; tenetur quidem sicandidè respondere. (22)

21. Iulius Clarus *in pract. crim. q.* 21. *num.* 3. Ant. Gomez. Gobat.

22. Leffius *de iust. c.* 31. *num.* 9. Gobat.

21 Quando accusatur reus de vero crimine secre-

to, quod nequit accusator probare, non tenetur illud confiteri, sed valet vtens amphibologia negare; nec tenetur restituere famam accusanti, (23) cum id esset fateri delictum; nequit tamen ei opponere, esse calumniosum, sed negando potest se defendere.

23. Card. Caietan. 2. 2. q. 62. art. vlt. Nauarr. & alij.

S

*Sacerdos.* Vide *Missa.*

## *Sacramentum in genere.*

1 SACRAMENTVM nouæ legis est signum sensibile inuisibilis gratiæ ad hominem sanctificandum diuinitus institutum. Etenim Christus D. omnia septem Sacramenta instituit. Et quidem signum est, quod cognitum, & sensu externo perceptibile ducit in notitiam gratiæ sanctificantis, quæ ex opere operato per Sacramentum causatur, vel causalitate morali, vel physica, iuxta varia placita Theologorum. Constat quodlibet Sacramentum materia remota, ac proxima, forma, & ministro, de quibus in vnoquoque Sacramento agitur. Sunt septem, non tamen omnia necessaria; nullus enim tenetur absolutè suscipere Ordinem, nec matrimonium. Et de aliis suscipiendis non est æqualis circa omnia obligatio, vt suis locis dicetur, ac est dictum.

2 Imprimunt characterem Baptismus, Confirmatorio, & Ordo, seu qualitatem spiritualem in anima indelebilem; quare iterari nequeunt, & iteratio esset sacrilegium.

3 Aliqua sunt Sacramenta viuorum, alia mortuorum. Viuorum sunt, quæ per se instituta sunt, vt conferantur viuis per gratiam; quare prærequiritur ex se existentia in gratia, vt absque sacrilegio recipiantur.

Eiusmodi

Eiuſmodi ſunt præter Baptiſmum, & Pœnitentiam cætera. Illa autem duo ſunt Sacramenta mortuorum per culpam, & conferunt primam gratiam, ſi quis præexiſtit in ſtatu peccati, cum non prærequiratur exiſtentia in gratia ad ea recipienda.

4 Sacramentum poteſt eſſe validum, & informe, ſeu non formatum gratiâ, quando ſcilicet apponitur fictio, ſeu obex in eius receptione; & cum hic poſteà tollitur, gratia virtute Sacramenti cauſatur. V.g. recipit adultus ſua ſponte Baptiſmum, & dum recipit, peccatum mortale patrat, vel de anteactis non habet attritionem; Baptiſmus eſt validus, ſed informis, donec ea attritio ponatur, vel illud peccatum deleatur. In Pœnitentiæ Sacramento, quomodo poſſit id contingere, vide *Pœnitentia*, & inde poteris de aliis philoſophari.

5 Quando Sacramentum eſt inualidum ex aliquo capite, adhuc ex parte miniſtri, gratia non conferrur, nec Deum id ſupplere eſt dicendum, cum ad id nullum ſit fundamentum. (1)

6 Miniſter ad aliqua Sacramenta miniſtranda indiget aliquo ornatu Eccleſiaſtico deſignato; v.g. Epiſcopus ad miniſtrandum Ordinem, & Confirmationem. Quin Sacerdos, vt adminiſtret Euchariſtiam, Extremam-Vnctionem, & Baptiſmum ſolennem, debet vti ſuperpelliceo, aliter peccabit grauiter, (2) niſi in caſu neceſſitatis; cum is ſit ritus Eccleſiæ in re grauiſſima; & obſeruatio eiuſmodi rituum iniungitur ſub pœnis à Tridentino. (3) Suſcipientes autem Sacramenta præter eos, qui recipiunt Ordines ſacros, non indigent aliquo ornatu, nec ablatione ornatus. Quare laici, etiam ad Sacramentum Pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ accedentes poſſunt habere enſes accinctos, aut diſcinctos, provt voluerint. (4)

7 Homo eſt miniſter Sacramenti per ſe loquendo; at ſi certò conſtaret, Angelum perfeciſſe aliquod Sacramentum, (5) eſſet ratum habendum, quia certò eſſet tunc credendum, id fieri voluntate diuina. Nec tamen quilibet homo eſt miniſter Sacramentorum, ſed hi, qui in vnoquoque exponuntur.

8 Requiritur intentio in miniſtro ad hoc vt ſit valiſdum

1. Ego *in Statera, diſſ. 2. q. 2.*

2. Suarez. Eman. Sà. Apud Me *de Ordin. Milit. d. 12. q. 2.*

3. *Seſſ. 7. can. 17.*

4. Ego *de Ordin. Milit. d. 12. q. 18.*

5. D. Thom. 3. p. q. 64. *art. 7.* Card. Lugo, Gobat.

lidum Sacramentum ab eo conficiendum; secus ad miniſtrandum id, quod iam eſt validè confectum: nam vt tibi Euchariſtiam miniſtret Sacerdos, & ex ea tibi conferatur gratia, parum intereſt, quòd ille habeat intentionem, quam velit. Intentio autem requiſita eſt actualis, aut virtualis, de qua *alibi*.

9 Si forma ſubſtantialiter mutetur, non conficitur Sacramentum, vel ſi addantur verba deſtructiua veræ formæ. Forma autem debet proferri continuatè; non tamen oberit valori, ſi aliquod verbum interm iſceatur, dum id non pro forma dicatur, nec illa diuiſio interrumpat ſenſum, quem tota forma debet habere. (6) V. g. dum confertur Baptiſmus, garriunt pueri, & baptizans dicit; *Ego te baptizo (Tacete pueri) in nomine Patris*, &c. validus eſt Baptiſmus. De ſacramentis quæcumque deſiderari poſſunt, reperies, ſi ſingula luſtres, & perlegas.

6. Gobat. *in exper. Theolog. tr. 1. num. 29.* cum S. Thom.

## *Sacrilegium.*

1 SAcrilegium in re venerea quinque modis contingit. Primò, ſi delinquens obſtrictus eſt voto Caſtitatis. Secundò, ſi fœmina, quæ eſt obiectum, emiſit id votum. Tertiò, ſi vtraque perſona emiſit, & eſt tunc duplex ſacrilegium. Quartò, ſi interuentu rei ſacræ actus luxuriæ exercetur, vt ſi quis locis Scripturæ ludicrè vteretur, vt ſe, aut alios impudicè delectaret. Quintò ſi intra Eccleſiam pollutio voluntaria, aut actus carnalis illicitus exerceatur. Quin ibi concubitus coniugalis publicus, & extra caſum neceſſitatis eſt ſacrilegium, vtpotè ab Eccleſia prohibitus. (1)

1. *Cap. fin. de conſecr. Eccleſ.*

2 Ratione prohibitionis aliqui actus ex ſe non praui, ſi in Eccleſia exerceantur, ſunt ſacrilegia, vt vendere, emere, iudicare, & ſimilia. Et alij actus praui, quia ſpecialiter non ſunt prohibiti intra Eccleſiam, nec ſunt ſacrilegium, vt detractio, periurium, & ſimilia. Homicidium autem, aut effuſio ſanguinis intra Eccleſiam, eſt ſacrilegium. (2)

2. Suarez. Lugo. Bulembaum. Ego *in Statera, diſ. 3. q. 7.*

3 Tactus impudici intra Eccleſiam ſunt ſacrile-

gium;

gium; habent enim ſpecialem rationem irreuerentiæ ad locum ſacrum res externæ venereæ, & ideò ſpecialis prohibitio extat circa pollutionem in Eccleſia, quæ non datur circa detractionem, & periurium. Et quidem poteſt actus eſſe magis iniurius Deo, & minùs opponi ſanctitati loci; vt periurium eſt magis iniurium Deo, quàm furtum; & tamen furtum in Eccleſia eſt ſacrilegium, & non periurium. Irreuerentia autem, quæ infligitur Eccleſiæ per actus impudicos, ſat à Iure, & à Patribus conclamatur. (3)

3. Apud Me *in Statera, diſſ. 5. q. 7.*

4 In furto tripliciter committi poteſt ſacrilegium, ſcilicet ſi quis furetur rem ſacram è loco ſacro; vel rem non ſacram de loco ſacro ibi depoſitam ad cuſtodiam; vel demùm rem ſacram de loco non ſacro: cum enim ſacrilegium ſit ſacræ rei violatio, (4) in omnibus his res ſacra violatur, & fit iniuria Eccleſiæ.

4. D. Thomas 2. 2. *q. 99. Cap. Quiſquis*, 17. *q. 4.*

5 Sacrilegus, qui res Eccleſiæ furatur frangens fores, aut tectum, excommunicationi ſubiacet: (5) ſicut etiam qui bona Eccleſiæ iniuſtè capit. (6)

5. *Cap. Conqueſtus, de ſent. excom.*

6 Sacrilegium patrat, qui reum gaudentem immunitate Eccleſiæ, ab ea extrahit, & qui in ea ſanguinem humanum fundit. At ſi ſanguis fundatur in clauſtro, aut dormitorio Monaſterij, vel in campanili Eccleſiæ, aut in aliqua camera ei coniuncta, non habet malitiam ſacrilegij, ſicut nec res venereæ in his locis exercitæ, præcisè ratione loci attenta. Quia in ordine ad locum, vt ſint ſacrilegium hæc delicta, ſolùm comprehenditur Eccleſia conſecrata, aut benedicta. (7)

6. *Cap. Prædia*, 12. *q. 1.*

7 Iudex ſæcularis, qui clericum detinet in carceribus, committit ſacrilegium, & contrahit excommunicationem, (8) ſicut etiam qui manus violentas in clericum iniicit.

7. Graſſus *in deciſ. lib. 1. cap. 20. num. 28.* Nauarrus. Sotus.

8 Vt dignoſcatur, quando committitur ſacrilegium, attendendum eſt ad tria capita, ex quorum ſingulis poteſt illud oriri; nempe ex loco ſacro, cum ei fit iniuria, & grauis irreuerentia per actiones ſpecialiter prohibitas, vt ſunt eæ, quas *ſuperiùs* libauimus; & præterea ſi grauamina locis ſacris à laico imponantur. (9) Prætereà ex perſona ſacra, ſi res venereæ

8. *Cap. Nuper, de ſent. excomm.*

9. Fumus *in Armilla, verb. Sacrilegium*, 1. & alij.

reæ cum ea exerceantur, seu desiderentur, vel violentæ manus in eam iniiciantur. At si Sacerdos furetur rem profanam ex loco profano, non committit sacrilegium, quia solùm iudicatur, vt agens, persona sacra quoad votum castitatis. Religiosi tamen sacrilegium patrant, quoties violant vota; sicut etiam quilibet alter, qui emisit votum, & illud frangit. Demùm ex re sacra, vt in furto contingit.

9 Iniuriam sacrilegij infert etiam Ecclesiæ, qui in ea sepelit excommunicatum, vel infidelem non baptizatum.

10 Clericum minoribus Ordinibus initiatum, Ecclesiæ adscriptum, in habitu clericali qui percutit, aut violenter tractat, sacrilegium committit: non verò fœmina, quæ cum eo carnaliter peccat, nec præterea ipse in actibus venereis circunstantia sacrilegij inquinatur.

## *Satisfactio Sacramentalis.*

1 NEquit pœnitens propria authoritate substituere sibi alium, qui loco ipsius pœnitentiam, seu satisfactionem sacramentalem adimpleat. Contraria propositio damnata est ab Alexandro VII. anno 1665.

2 Tenetur pœnitens ad acceptandam, & exequendam pœnitentiam sacramentalem, nec potest differre ad aliam vitam satispassionem correspondentem. (1) Ea enim est pars integralis Sacramenti, eaque dilatio è medio tolleret fructus, ob quos ea imponitur. Et quidem iudex (qualis est Confessarius) potest cogere ad subeundam pœnam pro delicto.

1. Ego cum cõmuni *in Sentent. dist.* 10. *q.* 2.

3 Loco pœnitentiæ sacramentalis possunt imponi à Confessario pia opera aliàs debita; (2) nam vnum, idemque opus potest quis ex duplici debito adimplere, vt si voueat non mœchari, audire Missam diebus festis, & similia. Et cum quis tenetur ex præcepto ieiunare, non tenetur applicare pro se satisfactionem ieiunij, vnde eam satisfactionem imponit

2. Victoria. Ego cum pluribus *vbi sup.*

Confessa

Confessarius, vt pro se applicet, & sic de aliis operibus piis.

4 Quando non præfigitur à Confessario tempus adimplendi pœnitentiam à se iniunctam, nequit taxari physicè tempus, intra quod adimpleri debeat, sed attendendo ad qualitatem operum, moraliter, ac prudenter diiudicandum est, an dilatio sit culpa lethalis, necne; nec scrupulosè in hoc est procedendum. Quare cum Confessarij inquirunt à pœnitentibus, an pœnitentiam adimpleuerint, non quærunt vlteriùs, quo tempore impleuerint; & pœnitentes iudicant, se adimpleuisse illam sufficienter, dum ante eam Confessionem id præstiterint. Certum tamen est, non obstare quominùs quis ritè confiteatur, non adimplesse pœnitentiam; nam etiamsi id fuerit peccatum, valet de hoc dolere, & confiteri. Nisi fortè ei imponatur v. g. quòd salutet æmulum, & possit id præstare, dum ad Confessionem accingitur, si id omittat, cum vrget obligatio, & est potens ei satisfacere, non rectè disponitur, nisi satisfaciat. (3)

3. Ego *in Summa, diff.* 10. *q.* 4.

5 Pro pœnitentia sacramentali nequeunt à Confessario iniungi opera, quorum satisfactionem applicet pœnitens pro animabus Purgatorij; (4) nam ea pœnitentia imponitur, vt ille satisfaciat pro suis culpis pœnæ debitæ, in quo sensu est pars integralis Sacramenti, quatenus est exequutio pœnæ à Confessario iniunctæ ob peccata confessa, vt pro eis satisfaciat. Et quidem Confessarius sub mortali tenetur iniungere pœnitentiam pro peccatis mortalibus. Si venialia solùm pœnitens confiteatur, certò probabile est, solùm venialiter peccaturum fore Confessarium, (5) si pœnitentiam iniungeret, quia in re leui deesset suo officio.

4. Vega. Pedraza. Apud Me *de Bulla Cruciat. in Append. d.* 4. *n.* 60.

5. Gobat. *in exper. Theol. tr.* 7. *n.* 742. Card. Lugo.

6 Si indulgentiam plenariam mox est lucraturus pœnitens, eam loco pœnitentiæ potest ei imponere Confessarius. Quando nullam potest ille adimplere, vt in articulo mortis, non tenetur Confessarius vllam iniungere. Consultius tamen erit, vt dicere aliquoties *Iesus*, ei suggerat.

7 Nunquam est imponenda pœnitentia, quæ ob

pœnitentis imbecillitatem creditur non adimplenda. (6) Taxatio autem pœnitentiæ relinquitur prudenti arbitrio Confessarij. Quando imponitur pro pœnitentia Missæ auditio, ieiunium, & similia, si Confessarius non exprimat esse ea opera, quæ aliunde debet pœnitens exequi, quia est dies festus, aut vigilia, debent apponi à pœnitente alia non debita.

6. Coninch *tom. 2. de Sacram. d. 10. dub. 1. num. 72.* Lessius. Suarez. Gobat.

8 Opera merè interna, vt oratio mentalis, ac actus interni virtutum, possunt iniungi loco pœnitentiæ. (7) Cæterùm quævis pœnitentia imponenda est præcipiendo, (8) non consiliando, veluti si dicat Confessarius, *Ieiunabis, si tibi placuerit*, &c.

7. Suar. *de pœnit. d. 23. sect. 6.* Gobat.

9 Verba illa, *Quidquid boni feceris*, &c. expedit nunquam omitti, (9) sed asseri à Confessario cum intentione satisfactionis sacramentalis; fieri enim poterit, quòd pœnitens existens in statu gratiæ per omnia opera bona satisfaciat ex opere operato ex vi Sacramenti. Quin exinde Confessarius poterit minuere aliquid ex pœnitentia; & saltem non angetur scrupulis, quòd non imposuerit pœnitentiam culpis proportionatam. Quando pœnitens est valdè compunctus, potest imminui pœnitentia.

8. Trid. *sess. 14. cap. 8.*

9. Diana *p. 3. tr. 4. resol. 82. & p. 11. tr. 2. resol. 3.* Nauarrus. Leander. Arnoius. Basseus. Marchantius. Remigius. Gobat.

10 Qui perficit pœnitentiam existens in peccato mortali, satisfacit, & non ideò peccat; (10) & estò tunc non satisfaciat ex vi illius, ita vt ex opere operato ei profit opus, satisfactio reuiuiscit, cùm ille ad gratiam resurgit.

10. Card. Lugo *de pœnit. d. 25. num. 32.* Gobat. & alij.

## *Scandalum.*

1 SCandalum est occasio ruinæ proximi, & peccatum contra charitatem. Aliud est scandalum datum, cuius quis est causa; aliud scandalum acceptum, quando absque operantis culpa, vel causa alius scandalizatur, quod vocari solet scandalum Pharisæorum, qui de ipsis miraculis Christi scandalizabantur. Oritur enim id scandalum ex odio, inuidia, aut malitia.

2 Scandalum non solùm causatur opere malo, quod

quod velut allicit alium ad simile peccatum, vel incitat, aut viam sternit; sed etiam verbis,(1) quæ exprimunt conceptum internum. Et etiam omissione, seu malitiosè reticendo; (2) v. g. si audias quem infamari, de cuius bona fama tibi constat, & taceas, occasionem præbes adstantibus, vt credant, & infament. Item si ex taciturnitate sequantur rixæ, aut turbationes. 1. D.Thom. 2.2. *q.43. art. 1. in corp.* 2. Sotus *lib. 5. de iust. q.73. art. 1. ad 3.*

3 Si scandalum sequitur ex infirmitate vel ignorantia, dicitur scandalum pusillorum, quod vt vitetur, etiam bona opera consilij sunt occultanda, (3) & interdum differenda. V.g. si aliqui frænentur à peccatis ob tuam præsentiam præcisè, debes differre ingressum in Religionem, donec aliundè ei malo prouideatur; quod est vitare scandalum nuncupatum pusillorum. Non tamen debet quis omittere opus præceptum, quia inde alius ob suam malitiam assumit occasionem ad peccandum. Sic fœmina pulchra, quamvis sciat, se fore inhonestè concupiscendam ab aliquo, si die festo videatur ab illo, dum petit Ecclesiam auditura Missam, nequit omittere eius auditionem. (4) Fr. Ioannes Sendin *in Epitome pro Breui Conceptionis, punct. 2. q.2.* 3. D.Thom. 2.2. *q.43. art. 7.* Sylvester. Fumus. Eman. Sà. Valentia. Diana.

4 Pingere imagines turpes, non occultatis partibus inhonestis, (5) & eas in publico, vbi ab aliis videri possint, habere, est peccatum mortale, quia est scandalum actiuum. 4. Diana *p. 5. tr.7. res. 21. & 22.* Granado, & alij.

5 Fœminam se ornare more patrio, vel iuxta illum manus cum homine in choreis intexere, etiamsi sciat, sic fore impurè amandam, non est peccatum graue, cum illa non sit causa per se eius scandali, (6) sed alter ob suam malitiam ex re licita, aut indifferenti, nec ad malum ordinata sumat occasionem peccandi. Vitare tamen debet, quantum possit, fœmina in choreis cum illo saltare, quem peccaturum fore ea occasione credit. 5. Th. Sanchez. Diana, & plures. 6. Hurtado. Th. Sanchez. Diana, & alij.

6 Si in populo iudicatur, quem esse excommunicatum, quamvis reipsa non sit, tenetur abstinere à Missa, etiam die festo, (7) & à cæteris, quæ excommunicato non licent, ne præbeat occasionem scandali. 7. Em. Sà *in sum. verb. Scandalum, n.5.*

7 Fœminam non paratam ad peccandum ad id inducere

ducere eſt peccatum ſcandali, quare tenetur quis non ſolùm confiteri copulam cum illa habitam, ſed eiuſmodi inductionem. Et quamvis qui præbet ſcandalum actiuum, ſpeciale in eo peccatum committat, aut graue, aut leue, iuxta qualitatem materiæ, & circunſtantiarum; at qui peccat paſſiuè inductus ab ea cauſa ruinæ ſibi ab alio præſtita, non committit ſpeciale peccatum: v.g. mœchatus es, quia alius te induxit; culpam mœchiæ patras, non aliam ſcandali paſſiui. (8)

8. Sylueſt. *verb. Scandalū, n.2.* & communis.

8 Propter ſcandalum vitandum nunquam poteſt fieri peccatum veniale; quia ſi eſſet faciendum, iam non eſſet peccatum; ſicut verbum otioſum definit eſſe otioſum, quando ex cauſa rationabili profertur.

9 Relinquenda non ſunt bona temporalia ob ſcandalum; v. g. ſi bona Eccleſiæ iniuſtè petantur, aut tributa illis impoſita abſque legitima authoritate, non ideò ſunt præſtanda, quia aliter turbantur, aut commouentur cum ſcandalo exigentes. Nam potiùs ex eo daretur occaſio delinquendi, ac bona Eccleſiaſtica vſurpandi.

10 Exceſſum immoderatum in ornatu fœminarum non eſſe ex ſe ſcandalum actiuum, ſecluſa alia ratione mali, eſt mihi certius; (9) quamvis oppoſitum

9. Leſſius. Diana, & alij.

ſit certò probabile. (10) Vbi non eſt conſuetudo, (quæ ſanè foret exſtirpanda) eſt peccatum mortale,

10. Suarez. Filliucius.

fœminas ita nuda pectora geſtare, vt media vbera appareant; id enim ex ſe eſt (11) incentiuum libidinis, & occaſio ruinæ proximi; ac aliundè maxima

11. Card. Caietan. Diana. Duuallius, & plures.

indecentia contra honeſtatem naturalem.

## *Secretum.*

1 SI ſecretum manifeſtatum alicui cum pacto explicito, aut implicito non reuelandi illud, reueletur, peccatum graue patratur, (1) contra vir-

1. Communis.

tutem fidelitatis, non adimplendo promiſſionem, & quaſi contra iuſtitiam, cum ſit quidam contractus illud pactum, ſeu conuentio acceptata. Secus erit,

ſi

si dentur iustæ causæ manifestandi illud ; (2) vt si cedat in detrimentum Reipublicæ, aut in damnum alterius, v.g. si secretò scias à Petro, Titium fore ab ipso occidendum iniustè, teneris ex charitate monere innocentem, si nequeas remouere ab eo animo eum, qui id tibi propalauit. Aliud est, si scias secretò, Titium occisum fuisse à Petro, & alius tanquam occisor detineatur in carcere ; nequis manifestare Petrum, cum nec ipse cum æquali periculo (3) teneatur se manifestare, nisi sibi & alteri consulere posset fugiendo cum aliqua iactura : nam ad hoc tenetur. Quod si fugam tunc consuluisti, & non acquieuit, potes eum manifestare, vt liberes innocentem.

2. D. Thomas. D. Antonin. Adrianus. Sotus. Guttierrez. Layman, & alij apud Me *de Iure Acad. lib. 2. q. 17.*

3. Nauarrus. Suarez. Sotus. Apud Me *vbi super.*

2 Prætereà causa iusta manifestandi secretum est, cum cedit in detrimentum ipsius, qui secretum alij commisit ; vt si dixisset secretò, se habere impedimentum dirimens ad contrahendum matrimonium, & nollet manifestare illud, & simul vellet contrahere ; tunc enim reuerentia Sacramenti matrimonij, (4) & bonum illius prævalent secreto. Rursùs si cedat in tui detrimentum secretum tibi apertum, v. g. Petrus propalauit tibi, se occidisse Ioannem, & innocens tu ob necem incarceraris ; nam cum quis promittit secretum, (5) non spondet illud cum maximo sui detrimento : curare tamen debet, ne alterius vita periclitetur, quamvis ipse aliquod incommodum sustineat, maximè si non reuelauit secretum sponte sua, sed rogatus.

4. Nauarrus. Coninch. Molina. Th. Sanchez, Layman *vbi supra.*

5. Lessius. Molinà *vbi supra.*

3 Secreta Reipublicæ, & belli, quæ si manifestentur, in magnam eius cedent perniciem, non potest quis reuelare, etiamsi torqueatur, aut occidatur, (6) cum bonum ingens publicum priuato præponderet. Tenentur obligatione secreti, qui assistunt audiendis Informationibus de puritate sanguinis alicuius, ne quid reuelent circa defectum illius ; & præterea omnes illi, qui iurant seruare secretum circa aliqua, vt in Senatibus, & Tribunalibus solet contingere.

6. Nauarrus. Sotus. Molina. Lessius. Layman. Apud Me *de Iure Academ. lib. 2. q. 17.*

4 Eum, qui defectum sanguinis, aut crimen alicuius publicum in vno loco, in alio, vbi ignoratur, manifestat, non peccare mortaliter, certò probabile

est

7. Fagundez. Diana, & plures *vbi nauer.*

est. (7) Sicut est eodem modo probabile, non esse peccatum graue, etiam absque graui causa manifestare crimen occultum, & reuelare secretum vni vel alteri prudenti viro, qui non sit euulgaturus illud; nam ibi datur læsio leuis iustitiæ: & à fortiori non erit grauis culpa contra fidelitatem. (8) Oppositum est certius, & tutius. Quòd si quis audiat rem ab alio, quæ secretò erat ei commissa, quin secretum ab ipso petatur, non peccabit grauiter manifestans illam, nisi in præiudicium alicuius cederet. Non violatur secretum, si quis super illo consulat virum doctum; sed hic tenetur secretum seruare. Si quis intra penetralia Communitatis patiatur iniuriam, non peccat manifestando illam amico, non animo detrahendi, sed leuandi dolorem, cum durum valdè sit iniurias silentio premere, & concoquere. (9)

8. Diana, & alij *ibid.*

9. Lessius. Diana, & alij *suprà.*

5 Peccat mortaliter, qui literas sigillatas aperit, ac legit, cum se exponat periculo legendi secretum alterius, qui rationabiliter est inuitus, ac læditur. (10) Aliud erit, si detur interpretatiua voluntas illius, aut attentis circunstantiis quis dignoscat, se non fore ei nociturum legendo quidquid ibi sit, aut res contentas esse leuis momenti. Cùm autem sibi exindè damnum imminere prudenter timet, vt illud præcaueat, eo modo poterit legere eas literas, quo posset in ea circunstantia reuelare commissum sibi secretum, & non aliter.

10. Communis.

6 An subsistat censura reseruata Papæ contra Eminentiss. Cardinales reuelantes ea, quæ in Consistorio acta sunt, & possunt cedere in odium, scandalum, aut præiudicium alicuius, dum reuelantur, sub controuersia est. (11) Communior persuasio cunctorum in Vrbe inspicienda est, vt res discernatur.

11. Diana *p. 9. tr. 8. res.* 41. Leone. Bonacina. Filliucius. Castr. Palao.

## *Sepultura.*

1 QVi non elegit ſepulturam, ſepeliendus eſt in propria Parochia, in loco in quo domicilium, aut quaſi domicilium habet, (1) ſi non habeat ſepulchrum maiorum, in quo ſepeliatur. Puberes poſſunt eligere ſepulturam, etiam abſque patrum conſenſu, ſi ſint filiifamilias. (2) Filio impuberi, ſi loci conſuetudo non repugnet, poteſt pater eligere ſepulturam, (3) & eo deficiente, mater, in quavis Eccleſia, in qua ſepeliri alios licet. Filij non legitimi, ſed naturales, in ſepulchro patris ſunt ſepeliendi; ſi ſit ſpurius, in ſepulchro matris, dum hæc non ſit illuſtris, ne indè detrimentum honoris patiatur. (4) Quòd ſi maiores vnum ſepulchrum habeant, & pater aliud ſibi elegerit, filius, qui non elegit ſepulturam, in ſepulchro patris eſt ſepeliendus. Pariter poſſunt puberes eligere Eccleſiam, in qua cadauera deponantur, & deindè transferantur ad ſepulchra parentum, aut ad alia; depoſitique inſtrumentum conficiendum eſt à Tabellione, teſtibus præſentibus, & Parocho, ſeu Prælato Regulari, ſi in eius Eccleſia fiat depoſitum, vt poſteà peti poſſit corpus.

2 Sepultura Eccleſiaſtica denegatur hæreticis, (5) Iudæis, & paganis, (6) infantibus abſque baptiſmo decedentibus, catechumenis, (7) occidentibus ſeipſos, ſi adſint teſtes, quòd ſe occiderint; nam etiam ſi inueniantur in puteo, aut laqueo ſuſpenſi, aut ſuffocati, poteſt alius eos proiecisſe, ſuſpendiſſe, aut ſuffocaſſe; atque adeò ſi illi teſtes non adſint, donandi ſunt ſepultura Eccleſiaſtica. (8) Præterea ſi nulla excuſatio appareat, nec ſignum pœnitentiæ dederit, quod ſaltem per vnum teſtem conſtet, denegatur ſepultura Eccleſiaſtica manifeſto raptori, & publico vſurario, (9) ſi is præterea non dederit cautionem reſtituendi vſuras; ei etiam, (10) qui abſque apparenti excuſatione Confeſſionem, & Communionem annuam neglexit; necnon (11) Religioſo manifeſtè proprietario, & omni peccatori (12) notorio.

1. *Cap. 1. 2. & 3. de ſepultur. in 6.*
2. *Cap. 1. de ſepultur. cap. Licet, eod. tit. in 6.*
3. Armilla. Sà. Molina. Apud Me *de Iure Academ. lib. 3. q. 50.*
4. Abbas. Sylueſter. Peruſius. Laym. & alij *vbi ſuper.*
5. *Cap. Sanè, 24. quæſt. 2.*
6. *Cap. Eccleſiam 2. de conſecr. diſt. 1.*
7. D. Ambroſius. Apud Me *ſup.*
8. Diana. Villalobos. *ibid.* Eman. Sà.
9. *Cap. Quia, de vſuris, cũ aliis.*
10. *Cap. Omnis vtriuſque, de pœnit. & remiſſ.*
11. *Cap. Super, de ſtatu Monach.*

notorio. Sed ratus erit casus, in quo iura prohibentia prædictis sepulturam, non possint interpretatione donari, iuxta circunstantias occurrentes.

12. *Cap. Quibus, & seqq. 13. q. 2.*

3 Adhuc his, qui decedunt in torneamentis, & hastiludiis, in quibus præuidetur probabile periculum mortis, denegatur in Iure Ecclesiastica (13) sepultura; & his, qui in duello occiduntur, denegatur (14) in Tridentino. Qui decedit excommunicatus, priùs est absoluendus, quàm sepeliatur, (15) qui debuit signa contritionis ante mortem ostendere, aut saltem debet non constare, eum obiisse in peccato mortali; & obiisse in illo, non est facilè credendum, sed piè existimandum, eum elicuisse actum contritionis, (16) si oppositum non sit manifestum.

13. *Cap. 1 & 2. de torneamentis.*

14. *Sess. 15. c. 19. de reform.*

15. *Cap. Anobis, de sent. excomm.* cum aliis.

16. Ego *de Bulla Cruciat. d. 25. num. 26. & de Iure Acad. lib. 3. q. 50.*

17. Bañez. Sà. Valentia. Layman. *vbi super.*

4 Parochi tenentur sub mortali sepelire gratis pauperes in sua Parochia decedentes, & quosvis alios, si non sit, qui sepeliat. Imò quilibet alius tenetur, (si Parochus non adsit, aut nolit) sub mortali sepelire illos; nam in hoc casu necessitatis (17) opus misericordiæ, & charitatis est obligatorium. Quarta funeralis est soluenda Ecclesiis Parochialibus, iuxta Tridentinum. (18) Verùm in hoc consuetudines speciales præscriptæ dantur in locis, quibus est standum. Quòd si quis absque testamento decedat, nec possit sciri quæ sit quarta funeralis, statur consuetudini, aut statuto diœcesano; fœdusque solet iniri cum Parochis, attentis bonis defuncti. Illi verò, si immoderatam quantitatem extorqueant, grauiter peccant cum onere restitutionis.

18. *Sess. 25. c. 15. de reform.*

5 Qui obit excommunicatus, solùm potest absolui ab eo, à quo poterat absolui viuens ex ordinaria facultate, non ex priuilegio. (19) Quare Bulla Cruciatæ non concedit, nisi vt absoluatur quis in articulo mortis, non post mortem; & cum iam non instet periculum animæ, ob quod conceditur cuilibet Sacerdoti, vt in eo articulo absoluat à peccatis, & censuris, non potest ea excommunicatio tolli nisi ab habente iurisdictionem. Absolutio autem defuncti est ablatio vinculi, quo corpus mansit inhabile ad sepulturam Ecclesiasticam, & anima ad orationes fidelium. Si quis sciatur secretò esse excommunicatus

19. Suarez, & alij apud Me *de Bulla Cruc. d. 27. num. 44.*

catus, secretò est absoluendus, ne priuetur suffragiis Ecclesiæ.

6 Sepultura Ecclesiastica, sed absque celebratione diuini Officij, non est prohibita (20) tempore cessationis à diuinis, nisi simul cum illa detur interdictum. Et tempore cessationis nihil operatur Bullæ Cruciatæ priuilegium, quod solùm extenditur ad tempus interdicti. 20. Suarez *vbi supra, n.41.*

7 Corpus excommunicati vitandi, si non præcesserit absolutio, exhumandum est; nam locus sacer manet pollutus, ideóque est reconciliandus: aliter nequeunt diuina Officia celebrari, nec alia corpora fidelium ibi sepeliri. Qui eum, aut publicum vsurarium sepelit in loco sacro, aut mandat sepeliri, contrahit excommunicationem.

8 Si bona relinquat defunctus, quæ omnia creditoribus debeantur, attamen potest ex illis aliquid desumi, vt ille sepultura donetur; nam iudicandus est in extrema necessitate, dum aliud remedium sepulturæ donandæ non superest; atque in ea necessitate nequeunt esse rationabiliter inuiti creditores. (21) 21. Nauarra *de rest. l.4. c.vlt. num.26.*

9 Non tenetur iudex concedere cadauera damnatorum, vt sepeliantur, cum iudicat, oportere per itinera suspendi ad terrorem. (22) Quod si cadauer malefactoris sit iam donatum sepultura non Ecclesiastica, iudici licet extrahere illud, vt scindat, suspendat, aut comburat, iuxta qualitatem delicti. 22. Nauar. *cons.16. de pœn. & remiss. num. 5.*

10 Qui cadauera exenterant, aut inhumaniter tractant, & cooperantes, ac sua authoritate fouentes, excommunicationi subiacent, (23) quam tamen non contrahunt, qui dumtaxat consentiunt. Nec illi, qui vt balsamo corruptionis præseruatiuo imbuant cadauer, oculos, viscera, aliaque extrahunt, quæ tamen sepulturâ Ecclesiasticâ sunt donanda. Nec qui exhumant cadauera, vt ad aliud sepulchrum transferantur. Nec iudices, qui exhumari ea faciunt, vt recognoscant vulnera, aut veneni signa, si postquam sepulta sunt, constat ex vulnere, aut veneno periisse, vel indicia vehementia veneni propinati reperiuntur. 23. *Extrauag. Beneficium, de sepultur.*

11 Prætex

11 Prætextu debiti, aut obligationis nequit ſepultura impediri. (24) Hinc non video, quo iure aliquando cadauera ſequeſtrentur; quod ſolùm videtur licere, quando controuerſia exoritur inter Parochias, & Eccleſias, vbi ſit corpus ſepeliendum.

24. Couarruuias *in cap. Raynaldus, §. 3. n. 2.* Molina. Emanuel Sà. Sylueſter.

12 Peregrini, & aduenæ, aut vagi, qui non adquiſierunt quaſi domicilium, ſepeliri ſolent in Eccleſia principali loci, vbi moriuntur, niſi ipſi elegerint ſepulturam; & niſi conſuetudo extet ſepeliendi eos in parochia, in qua moriuntur; quod eſt iuri conformius.

*Leg. Cum ſit, Cod. de ſepulcr. viol.*

13 Ius ſepulturæ in loco determinato Eccleſiæ non datur ſine Epiſcopi conſenſu, vbi primò adquiritur in Eccleſiis ei ſubiectis; adquiſitum tamen poteſt in alium transferri abſque nouo conſenſu. Aliquando poteſt cauſa adeſſe, ob quam Epiſcopus (25) poſſit facere ſepeliri vnum in ſepultura alterius, hoc inuito.

25. Sylueſt. *verb. Sepultura.* Eman. Sà. Victorellus.

14 Feria quinta in Cœna Domini, & duobus diebus ſequentibus poſſunt corpora ad ſepulturam deferri; (26) ſed in die Paraſceues nequit vlla Miſſa celebrari; nec Miſſa defunctorum aliis duobus diebus, nec Officium Defunctorum cantari, aut peragi publicè: quin nec campanæ pulſari vſque ad Sabbathum ſanctum poſt Miſſam. Tempore autem interdicti quid circa ſepulturam ſit præſtandum, vide verbo *Interdictum.*

15 Religioſus nequit eligere ſepulturam, cum non habeat velle, nec nolle. At ſi moriatur longè à Monaſterio, vnde ad illud non ſit deferendus, poteſt deſignare, vbi ſit ſepeliendus. (26)

26. *Cap. Religioſi, de ſepultur. lib. 6.*

16 Vxor, quæ non elegit ſepulturam, ſepelienda eſt in mariti ſepultura; quòd ſi plures habuit maritos, in vltimi ſepulchro eſt tumulanda: idemque eſt, ſi vidua permaneat. Secus eſſet, ſi fuiſſet ſeperata propter adulterium, & non reconciliata, quia tunc non iudicatur de domo viri. (27)

27. Roſella. Archidiacon. Ioan. Andreas. Angelus. Sylueſter.

17 Peſte infecti, quin etiam & lepra contagioſa, non debent ſepeliri cum cæteris, vt longiùs abſit contagionis periculum, ſed in loco ſeparato, ex quo poterunt oſſa portari ad locum cæteris defunctis communem

communem, transactis his annis, qui iuxta Medicos periros sufficiunt ad omne contagionis periculum abolendum.

18 Sepulturæ expensæ faciendæ sunt ab hærede. Si filius moriatur, pater tenetur ad expensas, nisi ille peculium proprium relinquat. Ad sepulturam serui, seu mancipij (28) tenetur dominus. Ad vxoris sepulturæ expensas ex eius dote decerpendum est. Quòd si alia simul bona habeat præter dotem, pro rata (29) ex his, & illis faciendæ sunt expensæ. At si nulla bona habeat, maritus tenetur ad eas expensas; & certò probabile est, (30) patrem illius teneri ad eas præstandas; & solùm casu, quo pater non sit soluendo, ad maritum solutionem spectare.

28. *Leg. 1. Leg. Si quis, ff. de relig. & sumpt. fun.*

29. *Leg. Neratius, ff. eodem.*

30. Sylvest. *verb. Sepultura, q. 14.* Angelus. Supplement. Rosella. Hostiensis. Summa Confessorum.

19 Bonifacius VIII. excommunicationem tulit contra Religiosum, qui persuaderet moribundo, quòd in sua Ecclesia sepeliretur; & electionem ab eo factam ob præfatam persuasionem, quamvis iuratam, non valere, indè colligitur. Non tamen ibi prohibetur, quòd si moribundus poscat à Religioso consilium de loco sepulturæ à se eligendo, consilium præbeat electionis in sua Ecclesia, si id iudicet ei congruentius.

20 Episcopus (idem est de aliis Prælatis) si moriatur, quin elegerit sepulturam, in sua Ecclesia Cathedrali sepeliendus est. Si duas habeat Ecclesias Cathedrales, & in loco vnius obeat, in ea est tumulandus; si decedat in loco neutri vicino, sors est mittenda inter vtramque Ecclesiam; nisi ad similes euentus fuerit iam inter eas fœdus initum. Canonicus etiam, qui non electa sepultura moritur, in sua Ecclesia Cathedrali, seu Collegiata est sepeliendus. Nouitius Regularis potest eligere sepulturam, sicut potest deserere Religionem; at nunquam eam electionem factam scio, cum semper in Ecclesia Monasterij nouitij sepeliantur; nec tunc debetur quidquam parocho.

21 Puellæ, quæ in Monasteriis Monialium educantur, si non eligant sepulturam, vbi sint sepeliendæ, consulenda est consuetudo cuiusque loci; & similiter circa famulas sæculares intra Monasterium, aut ex-

tra degentes ; & circa iura parochialia ſoluenda parochis : diuerſas quippe obſeruaui conſuetudines in diuerſis Regnis, & locis , nec pro omnibus regula fixa poteſt ſtatui.

22 Seruus , ſeu mancipium , ſi ſit pubes , poteſt eligere ſepulturam, (31) nam quoad hoc ſui iuris eſt; ſi verò ſit impubes , dominus pro eo eligere valet. Etiam vbi permittitur patri eligere ſepulturam pro filio impubere, non licet id auo , & proauo, nec aliis collateralibus.

31. Fumus *in Armilla , verb. Sepultura, n.7.* Diana, & alij.

23 Damnatis ad mortem ſolet eſſe deſignata ſepultura , ad quam ab aliqua Confraternitate deferuntur; aliàs ſepeliendi eſſent in ſua parochia , dum eſſent incolæ loci ; vel ſi eis permiſſum fuiſſet eligere ſepulturam , in ea, quam elegiſſent ; ſeu in ſepulchro maiorum , ſi ibi eſſet , aut commodè ad illud poſſent deferri. (32)

32. Sylueſt. *verb. Sepultura, q.8.* Fumus.

24 Si Eccleſia , in qua quis ſepeliendus erat, ſub. iaceat interdicto , in alia ſepeliendus eſt ; nempe ſi illa Eccleſia non erat ſua parochia, in hac ſepeliatur: ſi hæc ſit (33) etiam interdicta, in Cathedrali ; ſi omnes Eccleſiæ ſubiaceant interdicto , poſcatur licentia ab Epiſcopo , qui eam poterit concedere, etiamſi interdictum ſit Papale, ob vrgentem neceſſitatem, & quia non daretur acceſſus ad Pontificem ea breuitate , quam tumulatio defuncti exigit.

33. Ioan. Andreas. Fumus, & alij.

25 Qui contulit ſe in villam recreationis cauſa, vel ad colendos agros , quin ibi habeat domicilium, ſi ibi moriatur , non electa ſepultura , ferendus eſt ad ſepulchrum maiorum ; vel ſi illud non datur , ad ſuam parochiam , dum commodè id præſtari queat.

26 Cum moritur fœmina grauida , & poſt mortem ſcinditur , vt fœtus extrahatur , ſi hic extractus non baptizatur , nequit in loco ſacro ſepeliri. Si verò dubitetur rationabiliter , necne , an eſſet viuus , & ſub conditione baptizatus eſt, cenſeo poſſe in loco ſacro tumulari , cum in hoc dubio pro pietate ſtandum ſit, cum nulli fiat præiudicium.

27 Si quis habeat capellam in Eccleſia Religioſorum pro ſuo , & ſuorum ſepulchro , nequit Prælatus,

sus, aut Monasterium alium ibi sepelire, eo inuito. Quod si deficiant omnes hæredes, & consanguinei eius, qui capellæ erat patronus, adhuc ea nequit alij donari, ne primi extinguatur memoria, si alterius insignia in ea capella sculpantur, aut pingantur. Sicut si quis Ecclesiam fundauit, & suos successores nominauit Patronos, etiamsi omnes deficiant, nequit nouus eligi Patronus, cum sic primorum memoria extingueretur. Idem dico de sepultura in Ecclesia, in cuius lapide sit insculptum, cuius sit. At si in lapide nullæ literæ, nec insignia dentur, & defecerint omnes consanguinei, ac hæredes, qui ius sepeliendi in ea habebant, non video, cur id ius non possit ab ipsa Ecclesia in alterum transferri, cum inde non sequatur, vllam memoriam extingui, nec vlli præiudicetur; & otiosus omninò sit ille locus quoad monumentum.

## *Sigillum.*

1 PLura de sigillo præstricta sunt verbo *Confessarius*. Etiamsi meretrix sit publica, nequit Confessarius dicere, eam sibi fuisse confessam de suo meretricio, id enim non est vti notitia aliundè habita, sed directè frangere sigillum. (1) Nec potest Confessarius admonere ipsum pœnitentem (non præhabita licentia ab ipso) de defectu qui in eius anteriori Confessione extitit; nam etiam respectu ipsius pœnitentis datur fractio sigilli si ab eo non petatur, si oportet, licentia, & obtineatur; nisi in casibus infrà exponendis.

1. Ego *in Summa, diff. 1 c. 9.*

2 Sigillum Confessionis ita seruandum est, vt priùs debeat quis exponere se morti, quàm illud frangat, etiamsi interesset Reipublicæ, aut Regni bono ingentissimo. Etenim peccata committuntur Confessario vt locum Dei tenenti sub fide seruandi secretum pro quovis euentu; & aliundè si non esset strictissima hæc obligatio, redderetur onerosa, valde suspecta, & inuisa Confessio. Quare in fractione illius committitur sacrilegium, cum fiat iniuria Sacramento.

3 Tenetur ſeruare eodem modo ſigillum, qui fortè audiuit peccatum pœnitentis, dum confitetur; (2) aut qui incidit in papyrum, in qua peccata ad Confeſſionem ſunt ſcripta; quæ vbi nouit, eſſe peccata ad Confeſſionem peragendam ſcripta, nequit vlterius legere, ſed tenetur papyrum comburere, ne alius in eam incidat, ſi id non præſtet.

2. Nauarr. *de reſt. l.2.c.4. n.461.* cum communiori.

4 Itaque ſub ſigillo cadunt omnia illa, quæ manifeſtat quis Confeſſario in ordine ad Sacramentalem Confeſſionem; quare ſi hodie aperis ei aliquam culpam, vt te dirigat ad Confeſſionem cras peragendam, ſub ſigillo continetur. At ſi extra Confeſſionem aliquod peccatum nouit Confeſſarius ex eo, quòd pœnitens illud ei confiteatur, non affigit ori eius peſſulum, vt ignorantes iudicant. Cum enim ſigillum ſacramentale ſit obligatio ſeruandi ſecreta ea, quæ accepta ſunt ex Confeſſione tendente ad Sacramentum pœnitentiæ, ſaltem ſecundum intentionem pœnitentis, non tenetur Confeſſarius ſub ſigillo habere, quæ aliundè agnouit; ſi enim propalet, non manifeſtat ea prout cognita in Confeſſione, ſed per aliam notitiam.

5 Poteſt Confeſſarius dicere, pœnitentem ſibi confeſſum fuiſſe aliquod peccatum veniale, ſed non exprimere ſpeciem illius, nec aſſerere, confeſſum fuiſſe aliqua peccata venialia in plurali; (6) nam ad Confeſſionem, & abſolutionem ſufficit vnum peccatum veniale. Si pœnitens non animo confitendi, ſed ſeducendi Confeſſarium, manifeſtet ei intentionem patrandi aliquod delictum, id non cadit ſub ſigillo, cum non fuerit propalatum in ordine ad Confeſſionem ex intentione manifeſtantis: (7) nec eſt Confeſſio Sacramentalis ea, quæ non fit animo obtinendi abſolutionem: quare manifeſtata in ea non cadunt ſub ſigillo.

6. Gobat. *in exper. Theol. tr.7. n.790.* Card. Lugo. Diana.

7. Card. Lugo *de pœnit. d.23. n.53.* Gobat. Tannerus. Dicaſtillo. Th. Sanchez.

6 Etiamſi fur ſit publicus, & ob furtum ſuſpendendus, vel meretrix ſit publica, & Confeſſarius ob eam notitiam poſſit enuntiare: Ille eſt fur, illa eſt meretrix; at nequit dicere: O quanto dolore confeſſus eſt ille mihi ſuum furtum, illa ſuum meretricium

cium ! nam id eſt reuelare peccata provt allata ad Confeſſionem.

7 Etiam cadit ſub ſigillo defectus naturalis non publicus, quem pœnitens manifeſtauit ratione peccati. V. g. ſi quis illegitimum ſe eſſe confeſſus eſt, & recepiſſe abſque diſpenſatione Ordines, nequit Confeſſarius propalare, illum eſſe illegitimum. Secus eſt de aliis defectibus, quos Confeſſarius noſcit in pœnitente, dum eum audit, vt eſſe blæſum, ſurdaſtrum, &c. Prætereà ſub ſigillo cadit peccatum alterius dictum à pœnitente tanquam obiectum ſui peccati. (8) V. g. cõfiteris te ſic obmurmuraſſe: Petrus blaſphemat ita vt non videatur Chriſtianus. Nequit Confeſſarius blaſphemias Petri propalare, quæ tui peccati fuêre obiectum. Etiam ſub ſigillo cadunt peccata non vera, ſed exiſtimata vt talia; atque peccatorum circunſtantiæ, niſi hæ omnibus conſtent. V. g. confiteris te eſſe mœchatum, & eſſe Sacerdotem; non frangit ſigillum Confeſſarius, dicens te eſſe Sacerdotem.

8. Pilliuc. *tr.* 7. *num.* 121. Gobat.

8 Non frangitur ſigillum aſſerendo, quem eſſe ita ſcrupuloſum, vt ſuis næuiis, & minutiis fatiget Confeſſarium. (9) Complex ſi dicatur à pœnitente culpabiliter, aut inculpabiliter, cadit ſub ſigillo.

9. Raſlerus *de pœnit. c.* 9. *n.* 5. Card. Lugo. Nauarrus.

9 Si quis non in ordine ad Confeſſionem pandat aliquid ſuo Confeſſario aſſerens, id à ſe dici ſub ſigillo Confeſſionis, obligat quidem ad ſecretum naturale, non verò cadit ſub ſigillo; nullus enim, etſi velit, & ea verba enuntiet, facere valet, quod ſit ſub ſigillo Confeſſionis id, quod non ordinatur ad Confeſſionem.

10 Frangitur ſigillum, quoties dicto, aut facto, vel ſigno datur occaſio ſuſpicandi prudenter aliquod peccatum de perſona indiuidua: ſuſpicio autem imprudens, & temeraria non eſt curanda. (10) Etiam frangitur ſigillum, ſi extra Confeſſionem loquaris cum ipſo pœnitente de eius peccatis à te auditis. Eſtò in ipſa Confeſſione poſſis loqui de his, quæ in alia confeſſione ab eo audiſti; atque etiam

10. Card. Lugo cum D. Thom. & alijs.

immediatè post absolutionem potes eum monere
11. aliquid, quod oblitus fuisti. (11)
Sotus. Gobat. Tanner. 11 Nequit absque fractione sigilli dicere Confessarius se Petro negasse absolutionem. Quòd si quis, quando negat absolutionem, interrogetur, an absoluerit Ioannem, respondere debet, se fuisse functum officio suo. Quòd si ipse dicat, te ei negasse absolutionem, non debes verbo, aut vultu ostendere, ita esse. (12)
12. Card. Lugo. Gobat. 12 Si tempore Paschali quis tecum confessus est, non animo simulato, & negas ei absolutionem, certò probabile est, (13) te posse ei concedere schedulam
13. Diana *p.* 5. *tr.* 11. *res.* 22. Gobat. Laym. & alij. confessionis, ( vbi mos est eas concedendi; ) nam si denegas, deuenietur in notitiam confessionis defectuosæ: & non cooperaris mendacio pœnitentis, nec acceptioni indignæ Eucharistiæ; quia tu non enuntias fuisse absolutum, sed confessum, & illum potes admonere, ne Eucharistiam suscipiat.

13 Aliquando frangitur sigillum, asserendo solùm, aliquem tibi fuisse confessum; nempe si ea sit circunstantia, ex qua dignoscatur, illum fuisse confessum aliquod peccatum reseruatum, aut mortale.

14 Frangitur sigillum, si Confessarius dicat, se illa die confessum fuisse Sacerdotem, aut peregrinum grauibus culpis fœdatum, cum potuerit aliquis eum vidisse secum confitentem, & in notitiam peccantis deuenire. Similiter frangitur, si confessionem duorum fratrum excipias, & apud eorum parentes vnum eximiè laudes de conscientiæ puritate, & de alio taceas; nam sic innuis, alium bona conscientia
14. Lud. Reja *in casib. lib.* 3. *cas.* 15. non præfulgere. (14)

15 Sigillum frangitur à Confessario dicente, vbi sūt pauci Religiosi in Monasterio, aliquos Religiosos ex illo esse sceleratos. Vel si Superior dicat, Religiosi huius domus petunt licentiam, vt absoluantur à casibus reseruatis; sic enim omnes infamantur.

16 Si detur pœnitentia adimplenda coram aliis, si
15. peccatum. ( 15 ) ab illis noscebatur, non frangitur
Vasquez *in* 3. *p. q.* 94. *art.* 2. *dub.* 2. Suarez. Gobat. sigillum; sic verò, si non noscebatur: nam inde conicient, ob peccatum graue fuisse iniunctam. Confessarius asserens, se iniunxisse alicui determinato

pro

pro pœnitentia recitationem ſemel Orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ, non frangit ſigillum; nam pro vno peccato veniali ſolet ea iniungi; frangit autem, ſi dicat, ſe iniunxiſſe recitationem Coronæ, ieiunium, aut quid ſimile; nam hæ pœnitentiæ pro peccato mortali iniunguntur.

17 De homine, quem ſcitur commiſiſſe v.g. adulterium, frangit ſigillum Confeſſarius enuntians, ſibi illum non fuiſſe confeſſum adulterium; nam coniicient audientes, eum non fuiſſe integrè confeſſum. (16)

18 In dubio, an quis reuelauerit Confeſſario peccata in ordine ad Confeſſionem, præſumendum eſt pro Confeſſione, vt procul (17) ſit à reddenda ea odioſa. Cum quis audiens Confeſſionem, neceſſe habet conſulere aliquid, vel differat, vel non ita præſtet, vt conſultus ab illo intelligat, id peccatum eſſe in eo pœnitente, qui abſoluitur. (18)

19 Adſtringūtur ſigillo Confeſſionis præter Confeſſarium interpres, Superior concedens licentiam ad abſoluendum à caſu reſeruato; ille, quem Confeſſarius conſuluit de conſenſu pœnitentis; is, cui nequiter Confeſſarius reuelauit confeſſionem pœnitentis; ille, qui caſu, aut data opera audiuit peccata pœnitentis in confeſſione. (19) Et quamvis non deſit, qui enuntiet, hos teneri ſolum ſecreto naturali, tamen noſtra reſolutio eſt tenenda, vt communior, & Confeſſioni fauorabilior.

16. Card. Lugo *vbi ſup. n. 60.*

17. P. Lud. Scilderе *de princip. conſcient. tr. 6. §. 3.*

18. Nauarrus *in cap. Sacerdos, diſt. 3. n. 57.*

19. Card. Lugo. Suarez. Layman. Gobat. Fagundez.

## *Simonia.*

1 SImonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum. Simonia eſt obligare ſe, pacto expreſſo, ad aliquid ſpirituale, v. g. Beneficium conferendum, pro temporali, quod ex gratitudine concedatur. (1) Nam idem non eſt, quòd abſque pacto ex gratitudine quid conferatur, quod eſt licitum, & honeſtum, & quòd fiat cum pacto; nam omne pactum in collatione Beneficiorum eſt prohibitum iure Eccleſiaſtico

1. D. Thomas. Suarez. Filliucius. Bonacina. Layman, & plures apud Me *in Statera, diſ. 1. q. 22.*

ſtico; & ſupra gratitudinem additur onus ex pacto pretio æſtimabile: tunc enim nihil conferens non ſolùm cenſeretur ingratus, ſed infidelis; & remuneratio ex gratitudine, quæ eſt voluntaria, ex obligatione fieret non voluntaria; vnde datur abuſus terminorum, dum aſſeritur pactum iniri præſtandi aliquid ex gratitudine. Et ſanè aperiretur via ad ſimonias titulo ſpecioſo gratitudinis in omnibus rebus Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus.

2. Th. Sanchez. Suarez, & plures apud Me *ſup. q. 23.*

2 Simonia etiam eſt pretium concedere alicui pro mediata interceſſione ad obtinendum Beneficium; hoc eſt, vt intercedat apud alterum, vt iſte obſecret, quòd illi Beneficium conferatur. (2) Nam eo pretio paratur via determinata, & ex ſe non indifferens, ad obtinendum Beneficium; cum dans pretium non tendat tam ad remunerandum laborem deprecantis, quàm ad conſequendum eo medio Beneficium; ſicut ob hanc rationem conferre pretium pro immediata interceſſione eſt ſimonia. Non autem erit ſimonia conferre pretium ei, qui aperit aditum, vt quis cum Collatore Beneficij loquatur; nam ille aditus indifferens eſt, vt hic loquatur poſcendo ab illo Beneficium, vel de rebus aliis.

3. D. Thomas. Soto. Victoria. Nauarrus. Tabiena. Cajetanus. Valentia. Suarez, & alij apud Me *ſup.*

3 Non committitur ſimonia conferendo Beneficium ob preces alicuius, (3) cum id non ſit vendere, nec recedat à gratuita donatione ea collatio: nec preces ſunt munus à lingua; nam qui petit quidquam ab alio, nihil ei donat: indéque gratuitò datur quod ob ſolas preces conceditur. Sic ad Deum fundimus preces, & Deus gratuitò nobis concedit, quod poſcimus.

4. Sylueſter. Tabiena. Angelus. Azor. Suarez, & alij apud Me *in Statera, d. ſſ. 1. §. 24.*

4 Solus ſimoniacus realis in Ordine, Beneficio, & ingreſſu Religionis, ipſo facto contrahit excommunicationem, (4) & quidem Sedi Apoſtolicæ reſeruatam; non enim in Iure continetur alia excommunicatio ipſo facto incurrenda à cæteris ſimoniacis; nec pœnæ ſunt extendendæ; nec à ſimili, nec per æquualentiam eſt arguendum.

5 Regularis conferens pretium, vt eligatur in Prælatum, ſimoniacus eſt, ſed non contrahit ipſo iure excommunicationem; quia Prælatura Regularis non

eſt

eſt Beneficium: nec Prælatus ille eſt publicus Eccleſiæ Miniſter, nec habet (ſi aliquem rarum excipias) prouentus annuos, aut ius ad illos, nec cætera requiſita ad conſtitutionem Beneficij Eccleſiaſtici. (5) Hinc non eſt ſimonia, ſi Regulares inter ſe conueniant; *Elige me in Prouincialem, & ego eligam te in Priorem*; quia permutatio in rebus ſpiritualibus non eſt prohibita vt ſimoniaca, niſi in Beneficiis, dum fiat propriâ authoritate; (6) Prælaturæ autem illæ non ſunt Beneficium.

5. Ego *in Statera, vbi ſuper.*

6. Aragon. Beja. Rodriguez. Th. Sanchez. Apud Me *ſup.*

6 Certò probabile eſt, non eſſe ſimoniam vendere Commendas Ordinum Equeſtrium Hiſpaniæ; (7) nam minimè conferuntur propter munus Eccleſiaſticum, aut finem ſpiritualem; nec requirunt Ordinem, adhuc nec primam Tonſuram, nec recitationem Horarum; & præſtantur ob labores pretio æſtimabiles militiæ: & quamvis ex fructibus Eccleſiaſticis comparentur, tamen certum eſt, plures accipere reditus ex eiuſmodi fructibus, ob temporalem laborem in Eccleſiæ vtilitatem impenſum. Idem eſt de Habitibus Equeſtribus, quippe conceduntur intuitu finis temporalis; & qui eos emit, non intendit emere Religionem (eſtò ſit ſtricta Religio quælibet Equeſtris, ſicut eſt Ordo D. Ioannis Hieroſolymitani) ſed honorem, & ſplendorem temporalem. Et quamvis ea venditio, olim valdè communis, ſit iam prohibita, ob motiua vrgentia, & ob opinionem contrariam; tamen id non tollit probabilitatem huius opinionis, quæ ex conſuetudine antiqua vendendi eos Habitus non parùm roboratur; nam id nunquam fuiſſet permiſſum, niſi opinioni certò probabili inniteretur.

7. Aragon. Victoria. Eman. Rodrig. Villalobos. Cabedo. Portel. Bonacina. Diana. Suarez. Peñafiel. Ego *de Ordin. Milit. d. 1. q. 14.*

7 Non eſt ſimonia accipere, & præſtare pecuniam pro Gradibus, qui in Academiis conferuntur; (8) nam omnia, quæ in eis præſtantur, poteſtates, & priuilegia, ſunt bona naturalia pretio æſtimabilia, & quæ ad finem ſupernaturalem proximè, & immediatè non referuntur; & quamvis conferantur poteſtate Pontificia, poteſt Pontifex conferre aliqua temporalia ad ſplendorem rerum ſpiritualium, & ad illas

8. D. Antonin. Tabiena. Suarez. Leſſius. Caſtro Palao, & communis apud Me *de Iure Academ. l. 2. q. 14.*

las conducentia, ſicuti illi Gradus, maximè in Theologia, & Iure Canonico conducunt.

8 Non eſt ſimonia accipere pretium pro docendis ſcientiis, & etiam Theologia; (9) nam ſimonia ſolùm reperitur in emptione, & venditione rei ſpiritualis, aut ei annexæ, ita vt res ſpiritualis ſit ſupernaturalis, quæ pertineat ad virtutem Religionis, cui opponitur ſimonia. In tradenda autem doctrina adhuc Theologiæ, ſolùm intenditur inſtruere intellectum, & naturaliter comparatur ea ſcientia. Quin abſque ſimonia poteſt accipi pretium pro labore, & fatigatione annexa rei ſpirituali, vt ſi quis à te poſcat, vt viam diſtantem perficias, vt ei Miſſam celebres: pro labore eundi, qui eſt pretio æſtimabilis, potes pretium petere. Præterea ſi pretium detur non pro re ſpirituali, ſed aliis titulis, non eſt ſimonia; ſic eleemoſyna accipitur pro Miſſa, necnon pro concione; & adhuc in concionibus labor, qui ad eas peragendas in ſtudio ſuſcipitur, eſt pretio æſtimabilis, indéque poteſt quis hanc vel illam concionem non acceptare, eo quòd exigua eleemoſyna ſit concedenda. Imò ſi quis intenderet tanquam finem principalem, vt ſtipendium ad ſuſtentationem ſui, non vt pretium, recipere quid temporale pro concionibus, non (10) eſſet ſimoniacus.

9. Card. Toletus. Suarez. Th. Sanchez. Caſtr. Palao, & alij apud Me *vbi ſup. quæſt.* 12.

10. Th. Sanchez. Apud Me *vbi ſuprà.*

9 In ſimonia iure diuino prohibita nec ſummus Pontifex valet diſpenſare, (11) qualis eſt venditio rei ſupernaturalis, vel ſpiritualis pro re temporali.

11. Suarez, & communis apud Me *de Bulla Cruc. d.1, c.5.*

10 Accipiens Beneficia Eccleſiaſtica pro re temporali tenetur ea dimittere, (12) & non facit fructus ſuos; & nec ſimoniam occultam, etiam inſcio Beneficiario, poteſt Epiſcopus (13) tollere. At obligatio dimittendi Beneficia eſt poſt ſententiam iudicis declarantis, eum ſimoniacum fuiſſe; tunc enim ipſo facto ante declarationem pœnæ tenetur ea dimittere: nam ſi ante eam ſententiam ad id teneretur, ſæpe ipſe declarare, & manifeſtare deberet ſuum delictum. Itaque in pœnis primantibus iure quæſito, expectanda eſt iudicis ſententia declaratoria, ſaltem delicti. (14)

12. *Extrav. Cum deteſtabile, de ſimon.*

13. Zerola. Leſſius. Reginaldus, & alij apud Me *de Bulla Cruc. d. 37. n.74.*

14. Couarruuias 2. *p. ſponſal. c.6.*

11 Si

11 Si inter ſe duo Cõpatroni Beneficij conuueniant, vt vnus prima vice vacante præſentet ad illud alio ratum habituro, ſuumque ſuffragium præſtituro, & alter ſequenti vice eodem modo præſentet, non datur ſimonia, quia iuſpatronatus, & ſuffragia ſunt res ſpirituales, & in præſenti datur quædam permutatio; in permutatione autem rerum ſpiritualium non committitur ſimonia, niſi in Beneficiis, ſi propria authoritate permutentur: ſuffragia autem ad præſentandum non ſunt Beneficium; nec ius poſitiuum ſimoniæ circa Beneficia, vtpotè odioſum, ampliandum eſt ad id, quod antecedenter, ac mediatè ſe habet ad illa.

§. 8. *num.* 8. Th. Sanchez *de matr. d.* 52. *n.* 5. *& lib.* 7. *d.* 89. Alph. Perez. Leſſius. Vaſquez. Azeuedo. Molina, & alij.

12 Quodcumque pactum in permutatione Beneficiorum (15) eſt prohibitum. Et in ea pactum ſoluendi anticipatò aliquas annuas penſiones eſt ſimoniacum; etenim datur illa anticipatio pro aliquo annexo rei ſpirituali, nempe pro fructibus annexis Beneficio; & hæc eſt ſimonia iure Eccleſiaſtico prohibita, (16) & nec authoritate Epiſcopi poteſt fieri permutatio cum pacto de ſoluendo anticipatè aliquas penſiones.

15. *Cap. Quæſitum. Cap. Cùm olim, de rer. permut.* cum aliis.

16. Reginaldus *lib.* 23. *n.* 264. Couarruuias. Nauarrus. Sotus. Suarez. Bonacina. Filliuc. & alij.

13 Si inſcio eo, qui obtinet Beneficium, fuiſſet commiſſa ſimonia ab eius patre, aut alio, qui Beneficium ei ſolicitauit, ipſéque ante triennium ſciat, tenetur dimittere Beneficium, modo *ſuprà* dicto; quia collatio fuit nulla, vtpotè ſimoniaca. Si verò eo titulo colorato triennium tranſierit, antequam ipſe ſciat ſimoniam, poteſt illud retinere; nam ratione triennalis poſſeſſionis (17) bona fide habitæ, ac titulo colorato, iam fit valida poſſeſſio Beneficij, quæ fuit inualida in collatione. Et poteſt retinere fructus, eſtò teneatur reſtituere fructus triennij, non vt iniuſtus, ſed vt bonæ fidei poſſeſſor rei non ſuæ; non tamen alios, niſi eos, in quibus factus eſt locupletior. Nam poteſt eo quòd haberet illud Beneficium, auxiſſe familiam, aut ornatum; & quod inſumpſit in eo augmento, non tenetur reſtituere. Cæterùm cum iura præcipiunt, beneficium reſignandum eſſe etiamſi inſcio Beneficiario commiſſa fuerit ſimonia, intelligenda ſunt ante triennalem poſſeſſionem.

17. Regula 33. Cancellariæ, & communis Theologorum, & Canoniſtarum.

14 Præſentans

14 Præſentans aliquem ad Beneficium, quod ad ſe pertinere iudicat, imponens onus, vt præſentatus ius ſuum defendat aduerſus alium, qui præſentatus fuit ab altero iudicante, pertinere ad ſe præſentationem, non committit ſimoniam, nec item præſentatus acceptans; (18) nam id iure ineſt: nec obligatur præſentatus acceptare beneficium, niſi velit defendere ſuum ius, vt ſtabile; nec directè apponitur pactum, quòd defendat ius præſentantis, ſed ſuum, eſtò ex hoc indirectè illud ſequatur.

18. Nauarr. *lib.* 1. *conſil. de ſimon. conſ.* 25. Villalobos. Bonacina. Suarez. Filliucius, & alij.

15 Pactum ſoluendi expenſas pro pens. ne Beneficij, quod quis in alium renuntiat, eſt ſimoniacum, dum id præſtat is, in quem renuntiatur; nam alter ad id tenetur. (19)

19. Th. Sanchez *tom.* 1. *conſil. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 25. *n.* 11. Nauarrus. Felinus, & alij.

16 Pactum aſſecurandi penſionem eſt ſimoniacum, (20) ſicut etiam pactum cedendi alicui liti, aut procurandi cum effectu aliquod munus, aut ſucceſſionem in Beneficio; & alia his ſimilia; quia ea omnia ſunt pretio temporali æſtimabilia, & ſunt quid temporale.

20. Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. cap.* 35. *dub.* 15. *n.* 93. Suarez, Caſtro Palao, & alij.

17 Si inſcio eo, qui obtinuit Beneficium, ſimonia commiſſa fuit ab aliis circa illud, vt ab eius patre, & alio cum ipſo rem tractante, ſi Beneficium ſimplex ſit, poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt ipſe illud legitimè poſſideat, (21) ſecus ſi ſit Dignitas, aut Beneficium curatum. Nec diſpenſare cum eo poteſt, adhuc ſi Beneficium ſit ſimplex, ſi (22) fuit conſcius ſimoniæ. Nec poteſt diſpenſare in ea ſimonia adhuc occulta vigore Tridentini, (23) quod ſolùm concedit poteſtatem diſpenſandi in irregularitatibus occultis ex delicto, niſi homicidij voluntarij, non in ſimonia. Oppoſitum tamen eſt (24) certò probabile.

21. *Cap. penultimo, de electione.*

22. Communis.

23. Communior.

24. Lezana *tom.* 1. *c.* 18. *n.* 46. Th. Sanch. & Henriquez cenſent probabile. Suarez. Leſſius. Caſtr. Palao.

18 Simonia eſt, pretium conferre pro Coadiutoria cum futura ſucceſſione in Præbenda; (25) quia eſtò ipſa Coadiutoria non ſit Beneficium, eſt tamen ius ad celebrandum, & peragendum miniſteria Eccleſiaſtica, & ad ſuccedendum in Præbenda, quæ omnia ſunt quid ſpirituale. Sicut præſentatio Beneficij facta in fauorem vnius non eſt Beneficium, ſed ius ad illud, eſſetque ſimonia pretium pro illa conferre. Nec in hoc, & ſimilibus euentibus excuſaretur à ſimonia,

25. Suarez *lib.* 4. *de ſimon. c.* 27. *num.* 5.

qui

qui assereret, se concedere pretium non pro ea re spirituali, sed in sustentationem illius, qui præbet illam. Nam id posset in omnibus pactis dici, sed esset ore tenus, & fraus, quæ non admittitur. Bonacina, & alij.

19 Si quis iniquè impediat electionem, vel possessionem Beneficij, largiri pretium, vt abstineat, non est simonia; nam id fit ad redimendam vexationem.

(26) Nec est simonia emere sepulturam; nec sæcularem vendere ius decimarum sibi à Papa collatum. 26. Eman. Sà *in summ. verb. Simonia, n. 2.*

20 Cum detur simonia mentalis, realis, & confidentialis, prima non obligat ad restitutionem, nempe cum quis aliquid dedit ea intentione, vt obtineret Beneficium, quin aliquid exprimeret. Obligat verò simonia realis, qua actu confertur aliquid pro re spirituali, aut ei annexa; necnon confidentialis, qua aliquis renuntiat, aut confert Beneficium alicui, vt illud præstet alteri, cum accessu, ingressu, & regressu.

21 Pius V. in Bulla expedita die prima Aprilis anno 1566. conuictum de simonia in Ordinibus recipiendis damnauit suspensione per decem annos, & incarceratione per vnum. (27) Simoniacos confidentiales, & conuentionales priuatos esse ipso facto Beneficiis statuerunt Pius IV. (28) necnon Pius V. (29) Excommunicatio autem, quæ ab his contrahitur, est Pontifici reseruata. 27. Apud Quarat. *verb. Aduersus simoniacos.* 28. In Bulla, quæ incipit *Romanum Pontificē*, die 4. Decembris 1564. 29. In Bulla *Intolerabilis*, die 6. Augusti 1569.

22 Paulus IV. (30) excommunicationem Sedi Apostolicæ reseruatam, & priuationem quorumcunque siue Beneficiorum, siue pensionum, tulit contra eos, qui pro obtinendis Beneficiis seipsos pro aliis in examine supponunt, vel annuas pensiones offerunt, vel beneficia impetrant pro aliis, eo fine, vt ab eis aliquid consequantur, vel pro seipsis, vel pro tertia persona, siue sit annua pensio, siue aliquod temporale commodum. 30. In Bulla publicata die 27. Nouemb. 1557.

23 Simonia committitur præbendo pro re spirituali, aut ei annexa, munus à lingua, nempe preces importunas, aut iniquam laudationem, seu adulationem. Cum enim pro intercessione, & precibus pretium accipitur, simonia datur, vt *suprà* libaui.

Aut

Aut munus à manu, nempe realem largitionem pretij. Aut munus ab obſequio, nempe ſeruitium corporale præſtitum pro obtinendo v. g. Beneficio. At famuli Epiſcoporum, & ſimilium, qui eis famulantur cum ſpe, quòd obtinebunt ab eis aliqua bona Eccleſiaſtica, non ob id committunt ſimoniam.

## *Societas Ieſu.*

1.
In Bulla *Licet debitum*, anno 1549. *die* 18. *Octobris.*

1 IN quavis Eccleſia Societatis Ieſu ſingulis annis, die quam Præpoſitus Generalis deſignauerit, omnes fideles lucrantur indulgentiam plenariam ex conceſſione Pauli III. (1) Idem conceſſit Generali Societatis, vt ſubditis, quos miſerit in terras Infidelium, vnde nequit Sedes Apoſtolica adiri, præbeat authoritatem abſoluendi ab omnibus (2) caſibus, etiam in Bulla Cœnæ contentis.

2.
In eadē Bulla.

2 Ad ingreſſum in Societatem eſt impedimentum dirimens, fuiſſe Profeſſum, aut nouitium alterius Religionis; declaratum autem eſt, non eſſe impedimentum, eſſe nouitium, aut Profeſſum Ordinum Militarium, etiam S. Ioannis Hieroſolymitani. Erit autem (3) ſi ſint Fratres Clerici Militarium Ordinum.

3.
Caſtro Palao *part.* 3. *tr.* 16. *d.* 1. *punct.* 8.
Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 10. *lib.* 2. *c.* 1. *n.* 16.
Congregatio generalis 1. *Decret.* 129. *& Canon.* 5.

3 Perpetratio homicidij, & adhuc mandatum illius, eſt impedimentum dirimens ad ingreſſum in Societatem; & quidem non ſolùm voluntarij, ſed caſualis peccaminoſi, ſic enim vſu receptum videtur. (4) At homicidium caſuale non eſſe impedimentum, certò probabile eſt; (5) nam datur priuilegium diſpenſandi in irregularitate homicidij caſualis in Societate, (6) quod eſſet fruſtraneum, ſi illud eſſet impedimentum dirimens; ſiquidem nullus eſſet in Societate, cum quo diſpenſaretur; & præterea ſub lege imponente pœnam homicidio voluntario non venit caſuale. (7)

4.
Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 10. *lib.* 2. *c.* 1. *n.* 9.

4 Qui in Seminariis Societatis educantur, ſi ad recitationem Officij Canonici obligentur, poſſunt recitare de Sanctis, de quibus poſſunt Religioſi eiuſdem Societatis. (8)

5.
Caſtro Palao *part.* 3. *tr.* 16. *d.* 1. *q.* 9.

6.
In Compend. *Priuileg. verb. Diſpenſatio, num.* 2.

7.
*Leg.* 1. *Cod. ad leg. Cornel. de ſicariis.*
Tiraquellus. Menoc. & alij.

8.
Quintanad.

5 Alexan-

5 Alexander VII. indulgentiam plenariam conceſſit ſæcularibus, qui apud Religioſos Societatis vacauerint octiduo exercitiis ſpiritualibus S. P. Ignatij. *tr.7. ſing.8.n.3. Gobat.*

6 Ex priuilegio Iulij III. poteſt Præpoſitus Generalis, & alij, quibus ipſe ſuam authoritatem ad id communicauerit, commutare diuinum Officium ſubditis religioſis, quos infirmitate exeuſandos iudicauerint, in aliud opus pium, ſeu leuiorem orationem, durante infirmitate. (9) Et quia Societas Ieſu communicat omnia priuilegia Religionum, quæ mediante Præpoſiti Generalis voluntate in Religioſos deriuantur, gaudere poteſt priuilegiis variis circa recitationem Diuini Officij conceſſis tum ab Eugenio IV. Fratribus S. Hieronymi, tum à Leone X. Fratribus Minoribus; (10) ſed non omnia Præpoſiti Genrales vtenda voluerunt, nec omni modo, ſed cum reſtrictionibus ad perſonas. 9. *In Compendio priuileg. Societat. verb. Infirmi.* 10. *Apud Mirand. in Man. Prælat. q.37. art.12.*

7 Satisfaciunt præcepto Confeſſionis annuæ, qui confitentur cum Confeſſariis Societatis. Sic enim Leo X. conceſſit (11) omnibus Fratribus Mendicantibus; & Pius V. impertiuit (12) Societati omnia priuilegia conceſſa Religioſis Mendicantibus. 11. *In Concilio Lateran. IV. ſeſſione 1.*

8 Poſſunt Confeſſarij Societatis abſoluere accedentes ad ipſos ab omnibus peccatis, & cenſuris reſeruatis Sedi Apoſtolicæ extra Bullam Cœnæ contentis; & vota commutare præter reſeruata: ſed nequeunt abſoluere à quinque caſibus extra Bullam Cœnæ. Valent præterea Superiores (ſi Præpoſitus Generalis annuat) in Feſtiuitatibus Societatis, vbi ad lucrandam indulgentiam plenariam ita frequens eſt populus vt nequeant Confeſſarij domeſtici omnium confeſſiones audire, vocare aliquos Confeſſarios ſæculares, qui poſſint abſoluere, & commutare, velut ipſi Confeſſarij Societatis. Id enim conceſſit Clemens VII. Religioſis Minimis S. Franciſci de Paula in Bulla incipiente, *Deuotionis augmentum*, anno 1527. (13) Feſtiuitates autem Societatis Ieſu ſunt, Circumciſio Domini, & feſta S. Ignatij, ac S. Franciſci Xauerij; nam cæteræ ſunt minùs principales. (14) 12. *In Bulla, quæ incipit: Cum indefeſſæ.* 13. *Confectius in priuileg. Relig. fol. 171. Yſon Pfavu in Collectar. priuil. verb. Confeſſarij ſæculares.* 14. *Gobat. in exper. Theol. tr.7. n. 104.*

9 Cum

9 Cum quis è Societate itineratur, & accedit ad domum Societatis, ibi debet confiteri vel cum socio itineris, si sit Sacerdos approbatus intra Societatem, vel cum Confessario ordinario domus; (15) sed à neutro potest absolui à reseruatis. Omnia, quæ nostri Confessarij Societatis possunt facere respectu externorum circa votorum commutationem, & absolutionem, possunt etiam facere respectu nostrorum, nisi eis à Superioribus sit prohibitum: (16) nam illi soli, quibus Superiores commiserint, possunt absoluere nostros à casibus Pontificiis, à quibus valent absoluere sæculares. (17)

15. Suarez. Gobat. Quintanad.

16. Quintanad. *tr. 3. sing. 19. num. 2.* Gobat.

10 Casus Pontificij, à quibus Religiosi Societatis, nec vlli alij, absoluere queunt, contenti in Bulla Cœnæ, sunt: Excommunicatio contracta ob percussionem Clerici. Item ob violationem clausuræ Monialium ad prauum finem. Prætereà ob prouocationem ad duellum, sequuta pugna. Rursùs ob simoniam realem scienter commissam. Demùm ob confidentiam beneficialem. (18) A casibus Episcopalibus nequeunt vlli ex illis absoluere.

17. Card. Lugo *lib. 1. respons. mor. dub. 27.*

18. Dicastillo *d. 11 dub. 15. num. 249.* Quaranta. Gobat.

11 In Collegiis paruis, vbi si petatur à Superiore facultas ad absoluendum à reseruatis, ille cognoscere poterit, quisnam sit eis obstrictus, potest Confessor ordinarius absoluere absque petitione facultatis, & quidem directè, quando Prouincialis intra mensem non sit illuc aduenturus: (19) & tunc non datur obligatio comparendi.

19. Gobat. *vbi sup. n. 704.* cũ aliis.

12 Cum Rector abest à Collegio itinere vnius diei, & pergit ad locum non subditum sibi, cum animo non redeundi nisi post tres, aut quatuor dies, potest Vice-Rector ab eo relictus concedere licentiam absoluendi à reseruatis. (20)

20. Gobat. *n. 715.*

13 Datur priuilegium expressum in Societate mittendi Nouitios quòcumque, vt recipiant Ordines. Quo communiter non est vtendum; nisi in aliquo casu speciali, veluti si pergant ad Indias, ad missiones peragendas, nec facile ibi esse ordinandos prænoscatur, ob distantiam Episcoporum. Etiam datur priuilegium recipiendi Ordines sacros, non seruatis interstitiis, & extra tempora, (21) *Tribus diebus festiuis*

21. Idem *tr. 8. n. 421. & 426. & 464.*

*festiuis, etiam continuus*; & hæc gratia est incommunicabilis aliis Religionibus aliàs habentibus communicationem cum Societate. Qui in illa post Nouitiatum emiserunt vota biennij, ante Professionem possunt titulo paupertatis initiari Ordinibus sacris, ex vi priuilegij Apostolici Gregorij XIII. & Greg. XIV. & Pauli V.

14 Ex priuilegio Pauli III. Superiores Societatis Iesu possunt dispensare cum suis subditis Religiosis in omni irregularitate, præter eam, quæ prouenit ex bigamia, & eam, quæ oritur ex homicidio voluntario, & præstatione fauoris, aut auxilij ad illud.

15 Possunt Religiosi Societatis (22) ministrare Extremam-Vnctionem his, qui intra septa Domorum ipsius Societatis infirmati fuerint, nullius requisita licentia. Quare si quis exercitiis spiritualibus S. Ignatij vacans morbo lethali intra Domum Societatis corriperetur, posset ei ministrari Extrema-Vnctio. (23) Conuictoribus sæcularibus, quorum curam habent Religiosi Societatis, si annuat Præpositus Generalis, possunt illi ministrare Viaticum, & Extremam-Vnctionem, cum communicent priuilegium Martini V. concessum Religiosis, qui similes Conuictores habuerint; & priuilegium Pij V. præstitum Patribus Theatinis, vt ea Sacramenta ministrent mercenariis, operariis, & ægrotantibus intra ipsorum Domus.

16 Vota simplicia emissa post Nouitiatum ab Scholaribus, & Coadiutoribus temporalibus constituunt eos veros, ac in toto rigore Religiosos, vt definit Gregorius XIII. (24) Quare eorum status non est conditionatus, sed absolutus. Nam quòd Religio possit ex iustissimis causis relaxare ea vota, indéque in eis quasi tacita insit ea conditio, *Si Societas me tenere velit*; tamen id non reddit statum conditionatum: tum quia status emergit è votis veram perpetuitatem habentibus ex parte vouentis; tum quia etiam in Professione solenni aliqua tacita conditio inest, scilicet si Pontifex non relaxet meum votum obedientiæ, eligens me in Cardinalem, aut Episco-

22. In Compendio priuil. Societ. *verb. Extrema-Vnctio.*

23. Tamburinus, Suarez, Quintanad, Gobat.

24. In Bulla *Ascendente Domino.*

pum; vel si ex hac Religione, in qua profiteor viuere, non transeam in aliam, de licentia Pontificis. Et tamen non propterea dicitur conditionatus status Professi. Tum demùm, quia conditio tacitè subintellecta non reddit actum conditionatum. (25) Nec datur casus, quo consensus huiusmodi vota simplicia emittentium transeat postea in absolutum; quare absolutus est in prima radice. Et sanè nec dicenda est ea conditio, sed quædam quasi conuentio inter partes tacitè pacisccntes. Hinc emittentes ea vota sunt tam verè Religiosi, quàm quilibet Professi; & indè eorum vota, vtpote constituentia statum Religiosum absolutum, & verum, sunt impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, & post ea emissa contractum. Alia de Societate diuersis verbis habentur.

25. *Leg. Conditiones extrinsecus, ff. de condit. & demonstr.* Th. Sanchez *de matr. lib. 1. d. 67. num. 3.* Oldradus. Tuschus. Feder. de Senis.

## *Spectacula.*

1 SPectaculis agitationis taurorum nequeunt assistere Religiosi, sub pœna excommunicationis, vt decreuerunt Pius V. Gregorius XIII. & Clemens VIII. Ex tolerantia Salmanticæ possunt assistere (1) Religiosi Gradu Magisterij insigniti; necnon vbi tolerantia id permisit, aliqui Religiosi, non verò Excalceati, aut similes: præterea Clerici Fratres Militiarum assistere queunt, ex eadem tolerantia, si sint Sacerdotes; nam si Sacerdotes non sint, immunes sunt à prohibitione. Etenim cùm Pius V. (2) interdixerit sub grauibus pœnis spectacula taurorum, aliarumque ferarum, cum quibus homines congrederentur; at Gregorius XIII. pro Regnis Hispaniæ reuocauit eas pœnas quoad laicos, & Fratres Milites quarumcunque Militiarum, non initiatos sacris; conditionibus appositis, quòd diebus Festis ea spectacula non haberentur, & quòd prouideretur, ne mors alicuius sequi posset. (3) Et postmodùm Clemens VIII. omnes pœnas amouit respectu Clericorum sæcularium, solúmque eas in suo vigore reliquit respectu omnium Religiosorum. (4)

1. Ego *de Iure Academ. lib. 2. q. 28. & de Ordin. Milit. d. 9. q. 7.*

2. In Bulla *De salute gregis*, die 15. Nouembris 1567.

3. In Bulla anni 1575. die 25. Augusti, quàm affert Ignat. Lop. *in pract. crimin. c. 72.*

4. Die 13. Ianuarij 1596.

2 Torneamenta sunt prohibita à Iure Canonico, (5) & qui in eis moritur, sepultura Ecclesiastica priuatur; & qui ad illa accedunt ad pugnandum, irregulares fiunt, si aliquis occidatur, aut mutiletur, etiamsi ipsi non occidant, nec mutilent, quia censentur moraliter cooperari. (6) Similiter prohibiti sunt omnes alij ludi, in quibus principaliter datur periculum mortis. Quando autem id periculum non datur, licent ludi, in quibus vires corporis exercentur, & ad pugnandum in bello artes addiscuntur.

Apud Quarāt. *verb. Torneamenta.*

5. *Cap. 1. de torneam.*

6. Sylvest. *verb. Torneamentū.* Hostiensis. Gotfredus. Panormitan. Molina. Eman. Sà. Nauarrus. Victoria.

## *Sponsalia.*

1 SPonsalia propriè sunt promissio mutua futuri matrimonij. Aliquando impropriè sumuntur pro matrimonio rato; sicut pariter solent vocari sponsi de futuro, & sponsi de præsenti. Ex se non est necessarium, dari sponsalia ante matrimonium, nec de eo est præceptum; sed communiter vt denuntiationes fiant, præcedunt sponsalia. (1) Promissio autem debet esse mutua, hoc est, acceptata; nam si non acceptetur, non fiunt sponsalia. Nec sufficit, si quis promittat matrimonium fœminæ, & illa post decem annos v.g. accepter, nec enim expectanda est diuturna adeò repromissio. (2)

1. Tanner. *tom. 4. d. 8. q. 1. n. 2.* & communis.

2 Si quis promittat patri Mariæ hanc ducere in vxorem, & pater acceptet, an possit ille promissionem reuocare antequam pater denuntiet filiæ promissionem, necne, vtrumque est probabile. (3)

2. Gobat. *in exper. Theol. tr. 10. n. 20.*

3 Ad sponsalia requiritur animus internus promittendi, qui agnosci debet ex illis signis, quæ sufficienter indicent internam promissionem, vel ex propria significatione, seu ex consuetudine, seu demùm ex propria voluntate spondentium; qui per ea intelligunt reciprocam promissionem. (4) Cum verò verba sunt dubia, iudex debet ea interpretari pro valore matrimonij futuri.

3. Th. Sanchez *lib. 2. de matr. d. 7. n. 36.* Castr. Palao. Gobat.

4. Tamburin. *de matr. lib. 8. tr. 3. c. 2. §. 3.*

4 Variæ sunt formulæ ad exprimenda sponsalia; aliquæ certæ, aliæ non item. *Ducam te in vxorem:*

*Promitto me tibi traditurum in nuptias*; & his ſimilia ſunt certa. At ſi dicatur: *Promitto me deſponſaturum te*, eſt promiſſio ſponſalium, non ſponſalia. *Non ducam aliam niſi te*, ſolùm inducit obligationem diſiunctiuam, vel non ducendi abſolutè vxorem, vel eam cui fit promiſſio. (5) Apud Indos, dicere virum, *Ego ſepeliam te, vbi fueris mortua*, conſtituit ex vſu ſponſalia. Atque etiam ſi vir dicat, *Ego te ducam*, & fœmina reſpondeat: *Forsè te ducam*. Si verba non ſignificent promiſſionem, ſed propoſitum contrahendi cum fœmina nuptias, non conſtituunt ſponſalia. (6)

5. Videantur Suarez. Th. Sanchez. Baſil. Legion. Tamburinus. Gobat. Diana. Gaſp. Hurtad. Mart. n. Perez, & alij paſſim.

5 Vt intelligatur, fœminam acceptaſſe promiſſionem, ſat eſt, ſi tacitè, aut aliquo ſigno annuat. Probatio ſponſalium pro foro externo fit per teſtes, aut per ſchedulam ſubſcriptam; & ſi hæc deſint, pro foro interno manet obligatus, qui promiſit.

6. Tanner. *d.* 8. *q.* 1. *n.* 10.

6 Si fœmina dicat, & iuret, promiſſionem factam ſibi matrimonij à Titio, & poſteà ſequutam fuiſſe copulam, quamvis Titius fateatur copulam, ſi neget promiſſionem, nequit damnari; quia iuramentum illud, ſaltem ſine ſemiplena probatione, emiſſum ab actrice, (7) non ſufficit ad damnandum Titium, pro quo ſtat libertas. Et quidem ſi iuret actor, & è contra iuret reus, & aliundè probatio ſit æqualis, plus deferendum eſt reo; nam iudex propenſior debet eſſe ad liberandum, quàm ad condemnandum reum. (8)

7. Seraphin. *de priuileg. iuram. priu.* 33. *n.* 5. Benexondorffius. Maranta.

7 Qui defloravit virginem, aut viduam honeſtam cognouit, promittendo ei nuptias, tenetur promiſſum adimplere, quamvis ſit nobilior, & opulentior; (9) aliàs aditus daretur ad plures promiſſiones non adimplendas, cum ſemper poſſet aliqua inæqualitas reperiri, aut excogitari. Aliud erit, ſi eſſet ingens inæqualitas, ob quam grauis ignominia familiæ accederet, ingentiáque timerentur incommoda; tunc enim præſumitur, fictam fuiſſe promiſſionem: aut ſi ex animo fuit, excæcatum fuiſſe promittentem nimio feruore appetitus.

8. Barboſ. *in cap. fin. de iureiurando.*

8 Sponſalia adhuc iurata dirimuntur per ingreſſum Religionis, etiam altero inuito, & adhuc Profeſſio-

9. Th. Sanchez, & alij. Ego *in Stateram, diſſ.* 5. *q.* 8.

ne

ne non ſequuta, quare ſi egrediatur è Religione tempore nouitiatus is, qui illam ingreſſus eſt, non tenetur adimplere ea ſponſalia. (10) Sponſalia vt ſint valida, debet eſſe ſeptenniũ completum; (11) & ſufficit vltimũ diem ſeptennij eſſe inceptum, cum dies inceptus pro completo habeatur: (12) & ſi malitia ſuppleat ætatem ante ſeptennium completum, ſunt valida ſponſalia. (13) Si verò ex metu graui fiant, etiam cum iuramento, valida non ſunt. (14) Non adimplere ſponſalia eſt peccatum graue; ac qui ſub eo titulo virginem deflorauit, debet damnum illatum compenſare arbitrio viri prudentis. Si fœmina virgo violata fictionem ſponſalium agnoſcat, non ſunt valida ſponſalia; ſed adhuc, ſi ſint ficta, tenetur quis eam fœminam ducere ratione promiſſionis, fidelitatis, & damni illati; nam promiſſio, adhuc ſine animo ſe obligandi, inducit obligationem iure naturali. (15) In caſu autem magnæ diſparitatis non tenetur eam ducere promittens, (16) vt iam libaui.

9 Omnes illi, qui nequeunt licitè, aut validè contrahere matrimonium, nequeunt ſponſalia: & è contra. Si quis adſtrictus voto Religionis ingrediendæ, aut Caſtitatis, corrupit virginem conſciam eius voti, non tenetur eam ducere; ea enim ſibi imputet defloratione. Si verò inſcia erat, & ille poſſit alia via compenſare damnum, non tenetur illam ducere; tenetur autem, ſi nulla alia via queat illud compenſare, quia votum non obligat, quando non poteſt ſeruari abſque iniuſtitia, & iniuria alterius. (17)

10 Illicita ſunt ſponſalia communiter, quæ fiunt inſciis parentibus; nam præſertim filiæ debent id honoris parentibus, vt eis inconſultis non velint nubere, ne illi iudicent ſe ſperni, & multa ideo inconuenientia, rixæ, & perturbationes ſequantur: quare peccatum mortale erit parentibus inſciis promiſſio matrimonij. (18) At ſi iniuſtè parentes ſint impediturí matrimonium, aut ſubſit cauſa iuſta occultandi illud, licebit & ſponſalia, & matrimonium, eis inſciis, inire. Quòd ſi matrimonium ſit ceſſurum in parentum probrum, ſponſalia non ſubſiſtunt, vtpote

10. Bonacina, & communis apud Me *de Ordin. Milit. d. 5. q. 3.*

11. *Cap. Literæ, cum aliis, de deſponſ. impub.*

12. Baſil. Legion. *de matr. l. 12. cap. 5.*

13. *Cap. De illis, de deſponſ. impub.*

14. *Cap. Ex literis, eodem tit.*

15. Ioan. Sanchez. Machado, & alij apud Me *de Iure Acad. lib. 3. q. 33.*

16. Sylueſter. Th. Sanchez. Villalobos. Bonacina, & plures *ſup.*

17. Gaſp. Hurtad. *de matr. d. 1. diff. 21.* Mart. Perez. Gobat.

18. Th. Sanchez *de matr. lib. 4. d. 29.* Menochius. Nauarrus. Lud. Lopez.

Molina. Henriquez. Layman.

coniuncta cum iniuria tertij. E conuerſo ſi per talē matrimonium ceſſarent inimicitiæ graues inter parentes ſponſi, & ſponſæ, aut ſimilis adeſſet cauſa, tenerentur illi ex virtute pietatis hoc matrimonium eligere præ alio.

19. Menochius *conſil. 69.* Th. Sanchez. Guttierrez. Leſſius. Layman. Gobat.

11 Si grauis, & diuturna futura ſit offenſa parentum, & diſcordia ob ſponſalia inita eis inſciis, non ſolùm erunt illicita, ſed inualida; at valida erunt, ſi offenſa ſit citò ceſſatura (19) In generali ergo, quoties pietas, charitas, iuſtitia, aut ſimilis alia virtus non prohibent nuptias, valida ſunt ſponſalia. (20)

20. Coninch *d. 28. dub. 5. n. 51.* Couarruuias. Gaſp. Hurtad. Layman.

12 Cæcus, vel mutus, vel ſurdus, ſunt capaces contrahendi ſponſalia, necnon mutus, & ſurdus ſimul, quia poſſunt edoceri obligationes matrimonij; eſt autem incapax ſponſalium, & matrimonij is, qui ſimul eſt cæcus, mutus, & ſurdus, ſicut & profeſſionis religioſæ: quia moraliter loquendo eſt impoſſibile, vt is à ſeipſo, vel ab alio diſcat requiſita ad ſtatum matrimonij, aut Religionis. (13)

13. Diana *p. 5. tr. 6. reſ. 34.* Th. Sanchez. Gobat.

13 Poſt ſponſalia inita tenentur ſponſus, & ſponſa quamprimùm licitè ratione ætatis, & commodè poſſint, contrahere matrimonium, ne periculum ſit ante illud contractum, quòd copulentur, vt aſſerit Congregatio Concilij. (14) Quòd ſi ipſi præſcripſerunt tempus matrimonio contrahendo, ratione fidelitatis, & iuſtitiæ tenentur ad has circunſtantias adimplendas. Si verò non conſtituerunt tempus, ratio earum virtutum exigit, vt cum rationabiliter alter exigat adimpletionem promiſſionis, hæc adimpleatur.

14. Apud Gallem. *in ſeſſ. 24. c. 1. de reform. matr. n. 3.*

14 Si quis promittat Titio, ſe accepturum in ſponſam vnam è tribus filiabus, quas habet, nullam exprimens, (quæ vocantur ſponſalia incerta) tenetur quidem vnam ducere, ſed electio penes ipſum manet, non penes Titium; & ſi impediatur electio, irritatur promiſſio. (15)

15. Gobat. *in exper. Theolog. tr. 10. n. 136.* Bonacina.

15 Sponſalia poſſunt eſſe conditionata, quæ in abſoluta non tranſeant, dum non extet conditio; hæc autem poteſt apponi de præterito, vt: *Promitto te ducere, ſi non fuiſti hæretica*; vel de præſenti, vt: *Te ducam, ſi ſequeris fidem Catholicam*; vel de futuro

uro, vt: *Si ex Indiis tibi mittantur mille ſcuta, quæ ſint pro dote.* Conditio turpis de futuro, aut impoſſibilis, adiectæ ſponſalibus, pro non adiectis habentur; nam ſi adiiciantur matrimonio, dum eius ſubſtantiæ minimè repugnent, cenſentur pro non adiectis; (16) vnde in ſponſalibus idem contingit.

16. *Cap. fin. de condit. appoſit.* Th. Sanchez. Dicaſtillo. Eſcobar, & plures.

16 Quando apponitur ſponſalibus hæc conditio: *Si Papa diſpenſauerit*, ſi rarò ſoleat diſpenſare Pontifex, ea ſponſalia ſunt inualida, quia conditio diſpenſationis, quæ eſt neceſſaria, v. g. in primo gradu affinitatis, moraliter nequit impleri; ſi ſoleat diſpenſare ex cauſa, quæ reperitur inter ineuntes ſponſalia, eſſe valida, & tunc teneri petere diſpenſationem, (17) eſt valdè communis opinio. Verùm ſunt ſex Deciſiones Rotæ decernentes inualiditatem ſponſalium, quæ contrahuntur cum conditione diſpenſationis. (18)

17. Th. Sanchez. Bonacina. Ant. Perez. Caſtro Palao. Coninch. Layman. Dicaſtillo. Gobat.

17 Si apponatur conditio, *Si pater conſentiat*, & is primùm conſentiat, poſteà verò reuocet conſenſum, vel è contrà, an obligent ſponſalia, necne, vtrumque eſt probabile, & id ſequendum, quod minora incommoda afferat. (19)

18. Apud Dianam *in fin. part. 6.*

18 Si verò dicat puella, *Te ducam, ſi Deo placuerit. Si Deus res dirigat ita, vt mihi benè ſit*, aut ſimilia, non fiunt ſponſalia, quia penes eam manet conſiderare, an illud, vel aliud matrimonium ſibi magis expediat.

19. Th. Sanch. *de matr. d. 7.* Matt. Perez. Gaſp. Hurtad. Dicaſtillo. Gobat.

19 Pœna poteſt apponi in ſponſalibus reſilienti; at ſi quis ex iuſta cauſa reſiliat, non tenetur eam ſoluere; (20) debet autem eam ſoluere, ſi abſque iuſta cauſa reſiliat. (21)

20. *Cap. Gemma, de ſponſal.*

21. Layman *lib. 5. tr. 10. part. 1. cap. 1. num. 8.* Baſ. Ponce. Barboſa. Tamburinus, & alij.

20 Diſſoluuntur ſponſalia pluribus de cauſis. Prima eſt, per mutuum conſenſum, etiamſi iurata ſint; necnon etiamſi iuramentum ſit execratorium, v. g. *Fulmine peream, ſi te non duxerim.* Id enim fit in gratiam alterius, cui cedenti nulla fit iniuria. Secunda, non purificata conditio, ſub qua ſponſalia inita fuerunt; ſed ſi interim cognoſcat vir fœminam, cenſentur ſponſalia abſoluta, quia aliter iudicatur, illam non fore conſenſuram. (22) Tertia, diſpenſatio ſolius Pontificis, qui poteſt in ſponſalibus diſ-

22. Menoch. *l. 3. præſumpt. 1. num. 80.*

Gobat. Mart. Perez & alij. 23. Card. Lugo. Th. Sanchez. 24. *Tap. De illis, de deſponſ. impub.*

penſare, vt diſſoluantur; ſi verò ſint iurata, nequit niſi ob grauiſſimam cauſam, & bono publico neceſſariam. (23) Quarta, priuilegium ætatis; nempe ſi ante pubertatis annos quis ineat ſponſalia, poteſt recedere ab illis, cum ad pubertatis annos peruenerit. (24) Quinta, ignorantia, ſeu error; nempe ea ignorantia, aut error, quæ ſufficiunt ad dirimendum matrimonium, à fortiori ſufficiunt ad annullanda ſponſalia. Sexta, mutatio ſuperueniens; cuius nomine etiam venit ea mutatio, quæ ſuperuenit cognitioni ſpondentis, eſtò daretur iam realiter, ſed ei non apparebat; quòd ſi apparuiſſet, neutiquam iniiſſet ſponſalia. Et hæc cauſa diſſoluit ſponſalia adhuc iuramento firmata, nam ei ineſt tacita conditio: Si res in eodem ſtatu permaneant. Mutatio autem datur ſi poſt ſponſalia deprehenditur, ſponſum eſſe adeò aſperum, ac ſæuum, vt iuſtè timeatur, malè tractaturum fore vxorem. Si aduenìat infirmitas contagioſa, vt ſunt lepra, morbus Gallicus, non facilè medicabilis: vel etiam ſi aduenìat phreneſis, aut quid ſimile, vt podagra, graueolentia oris, aliáque, quorum eſſet grauis tolerantia; vel deformitas corporis; hæreſis, in quam incidit; fœminæ turpes actiones; ſcire, fuiſſe corruptam, quæ virgo putabatur; vel fuiſſe ſterilem in alio matrimonio, quæ iudicata fuerat fœcunda. Præterea ſi pater ſponſæ cognoſcatur eſſe ſpurius poſt ſponſalia, & id graue damnum afferat ſponſo, eſt mutatio ſufficiens ad diſſoluenda ſponſalia; noluiſſet enim ille inire, ſi tunc reſciuiſſet. Si ſponſa alteri de nouo fidem matrimonij præbeat, ſponſalia poteſt diſſoluere ſponſus, quia frangenti fidem hæc non debetur. Septima, eſt abſentia ſponſi ad alias Prouincias, ſi non ſit rediturus, liberatur ſtatim ſponſa; ſecus ſi rediturus ſit intra biennium, aut triennium. Si ex conſenſu ſponſæ abeſt, expectandum eſt tempus ab ea præfixum. Idem dic de abſentia ſponſæ, vt liberetur ſponſus. Ius reſiliendi, quod aliundè haberet ſponſus, amittit, ſi cognoſcat carnaliter ſponſam. (25)

25. Th. Sanchez *de matr. l. 1. d. 66.* Coninch. Gaſp. Hurtad. Gobat.

Stathim

*Statutum.* Vide *Lex.*

## *Suſpenſio.*

1 SVſpenſio eſt cenſura, per quam perſonæ Eccleſiaſticæ impeditur vſus alicuius poteſtatis, aut iuris Eccleſiaſtici. Non quidem tollitur. Alia eſt totalis, alia partialis. Totalis rursùs alia eſt ſimpliciter talis, nempe ab officio, & beneficio, alia non ſimpliciter talis, ſcilicet à ſolo officio, aut à ſolo beneficio. Totalis ab officio impedit omne ſpirituale munus Ordinis, Iuriſdictionis, & Eccleſiaſticæ adminiſtrationis. Totalis à Beneficio impedit adminiſtrationem cuiuſvis Beneficij, & perceptionem fructuum. Suſpenſio partialis impedit vel vſum Ordinis, aut alicuius actus, vel iuriſdictionis, vel partis Beneficij; quæ colligenda ſunt ex verbis proferentis ſuſpenſionem. Cæterùm ſuſpenſio, vt de cenſura dictum eſt, vel eſt à iure, vel ab homine. Rursùs aut eſt perpetua, vel ad tempus. Non priuat ſuſpenſio bonis ſpiritualibus animæ; hinc abſque culpa propria poteſt quis ſuſpendi, (1) nempe ſi ſuſpendatur Communitas, adhuc ob ſolam culpam Superioris. (2)

2 Solus is poteſt ſuſpendere, qui poteſt cenſuras ferre. Suſpenſio grauis alicuius in particulari debet eſſe ob culpam grauem; quòd ſi ſit, vt poteſt, ob culpam (3) leuem, debet eſſe leuis ſuſpenſio. Epiſcopi non comprehenduntur in ſuſpenſionibus latis à Iure, (4) niſi exprimantur. Poteſt ferri ſuſpenſio in delinquentem, adhuc non contumacem. (5) Neceſſum autem eſt, vt ille citetur, & de crimine conſtet. (6) Suſpenſus ab aliquo vſu muneris Eccleſiaſtici, grauiter peccat, ſi illud exerceat. Suſpenſus ab Ordine, ſi illum exerceat, manet irregularis: at ſi baptizet infantem non ſolenniter, ſed vt laicus, non incurrit irregularitatem, quamvis ſit ſuſpenſus ab adminiſtratione Sacramentorum. Suſpenſus à concionando, ſi concionetur, peccat grauiter, & incurrit excom

1. D. Thomas, & communis apud Me *de Bulla Cruc. d.* 25. *n.* 12.

2. *Cap. Si ſententia, de ſentent. excom. in 6.*

3. Nauarrus. Apud Me *ſup. num.* 3.

4. *Cap. Quia periculoſum, de ſent. excomm.* iuncta Gloſſa, *verb. Suſpenſio.*

5. Abbas. Innocentius. Toletus. Apud Me *ſup.*

6. Gloſſa *in Cle. num. Præſumi.*

*de cenſib. verb. Conſtituit.*

excommunicationem. (7) Suſpenſus in his, in quibus eſt ſuſpenſus, nequit communicare cum aliis, nec alij cum illo. Suſpenſus ab Officiis diuinis, poteſt vt laicus aſſiſtere eis audiendis. Epiſcopus ſuſpenſus à Pontificalibus non fit irregularis, ſi celebret, dum id non præſtet in Pontificalibus, quia non eſt ſuſpenſus à ſubſtantia celebrationis, quæ ſuſpenſio inducit irregularitatem, ſed à ſolennitate. (8) Non fit irregularis, qui ſuſpenſus ab Ordine, aſcendit ad alium Ordinem; nam hic aſcenſus non eſt exercitium Ordinis impediti à ſuſpenſione.

7. *Clement. Cupientes, de pœnis.*

8. Auila apud Me *ſup. n.* 14.

3 Suſpenſio inflicta vſque ad certum tempus, elapſo tempore, abſque abſolutione, per ſeipſam ceſſat. (9) Quæ verò infligitur ob contumaciam, aut inobedientiam, ſola abſolutione (10) tollitur. Sine ſpeciali priuilegio nequit Confeſſarius ab illa abſoluere, ſed ſolus Epiſcopus, vel Pontifex ſolus, ſi ei reſeruata ſit. (11) Qui ex priuilegio poſſunt abſoluere à ſuſpenſione, dumtaxat id præſtare valent, ſi ſuſpenſio ſit ab homine generalis, vel ſi ſit à iure; nam ſi ſit ſpecialis ab homine, ſolùm poteſt abſoluere is, qui ſuſpendit; & eodem modo circa id diſcernendum eſt de ſuſpenſione, ac de excommunicatione. A ſuſpēſionibus reſeruatis Papæ, ſi ſint occultæ, poteſt Epiſcopus abſoluere, ſeu diſpenſare, & diſpēſare in ſuſpenſione, quæ contrahitur (12) ſuſcipiendo mala fide ante ætatem, aut extra tempora, vel ſine literis dimiſſoriis Ordinem ſacrum. Quæ ſuſpenſio ſolùm eſt ab Ordine malè ſuſcepto, (13) non ab Ordinibus antecedenter ritè ſuſceptis. Et quidem quando ſuſpenſio ſe habet vt pura pœna, & non vt cenſura, tollitur per diſpenſationem. Diſpenſare autem poteſt Epiſcopus in ſuſpenſione à iure non reſeruata, (14) niſi impoſita ſit perpetua, & ſine ſpe relaxationis ordinariæ. Si ſit pars læſa, ante abſolutionem à ſuſpenſione præſtandum eſt, quod in eo euentu ante abſolutionem ab excommunicatione præſtatur.

9. Communis.

10. Suarez. Layman, & alij apud Me *de Bull. Cruc. d.* 25. *n.* 28.

11. Henriquez. Nauarr. & alij *ſuper.*

12. Suarez, & alij *ſuper, n.* 29.

13. Henriquez, & alij *vbi ſuprà.*

14. Layman *ſup. n.* 30. & Auila cum aliis.

4 Suſcipiens Ordines ab Epiſcopo, qui renuntiauit loco, & dignitati, manet ſuſpenſus ab executione (15) Ordinum; & ſi ſciens recepit Ordines, abſolutio

15. *Cap. 1. de ordinatis ab Epiſcopo, qui, &c.*

ſolutio à ſuſpenſione reſeruatur Pontifici, non verò manet (16) irregularis Ordinatus per ſaltum, hoc eſt, recipiens Ordinem ſuperiorem, quin ſuſceperit inferiorem, remanet ſuſpenſus; ea autem ſuſpenſio per Epiſcopum poteſt (17) tolli. Si Pontifex diſpenſet cum Subdiacono, vt nuptias contrahat, & ſuſpendat eum ab vſu Subdiaconatus, ſoluto matrimonio, ſuſpenſio à ſolo Pontifice poteſt tolli. (18) At ſi matrimonium ratum ſoluatur per ingreſſum in Religionem, poterit ab Epiſcopo tolli.

16. Panormitan. Gordonus, & alij apud Me *ſup. d. 25. n. 91.*

17. Trid. *ſeſſ. 23. c. 14. de reform.*

18. *Extrauag. Antiquæ, de voto.*

5 Suſpenſiones contractæ ab Epiſcopis, à ſolo Pontifice poſſunt tolli. (19) Quin eæ, quæ latæ ſunt in Iure, aut extra Ius à Pontifice in pœnam, ab eo ſolo poſſunt amoueri, niſi ſint occultæ, quas poſſunt Epiſcopi tollere. Et generaliter ſuſpenſiones impoſitæ ab Authore ſtatuti, ab eo ſolùm valent tolli, niſi detur priuilegium; nam ſuſpenſio, quando eſt pœna, pertinet ad rationem iuſtitiæ, ideóque eſt ſtabilis, durante voluntate Superioris. (20) Quòd ſi ſuſpenſio feratur non in pœnam, ſed in contumaciam, poteſt Epiſcopus ab ea abſoluere, (21) & communiter eiuſmodi ſunt, quæ in Iure proferuntur.

19. Ego *de Bullæ Cruc. d. 25. num. 94.*

20. Panormitan. Syluester. Felinus, & alij *vbi nuper, num. 95.*

21. D. Antonin. Syluester, & alij apud Me *de Bulla Cruc. d. 25. n. 96.*

6 Qui ante legitimam ætatem promouetur ad ſacros Ordines, manet ſuſpenſus. (22) Quòd ſi à ſuſpenſione virtute Bullæ Cruciatæ abſoluatur, vt poteſt, (23) non tamen exercere poterit ſacros ipſos Ordines ante legitimam ætatem. Ab ea ſuſpenſione poteſt abſoluere Epiſcopus, (24) nec ea eſt reſeruata Papæ. Nec incurrit ille irregularitatem, niſi ſic promotus exerceat ſacros Ordines. Nec qui ordinatur Presbyter, quamvis cum Epiſcopo conſecret, incurrit irregularitatem; quia ille eſt vnus actus cum Ordinatione, nec propriè celebrat Miſſam iuxta Eccleſiæ exiſtimationem. Et quidem ſi non abſoluatur à ſuſpenſione, etiam accedente legitima ætate, ſi exerceat ordinem, manet irregularis.

22. Pius V. in Bulla, *Cum ex ſacrorum.*

23. Communis apud Me *ſup. num. 98.*

24. Suar. *de cenſur. d. 31. ſect. 1. num. 32.*

7 Quando abſolutè fertur ſuſpenſionis cenſura, quin exprimatur aliud, intelligitur ſuſpenſio totalis ab officio, & Beneficio. (25)

Alterius. Layman. Syluester. Bonac. & alij.

25. Gobat. *in exper. Theol.*

8 Suſpenſionem contrahit, qui etiam à proprio Epiſcopo accipit Ordines in aliena diœceſi, abſque licentia

tr. 7. n. 195. Layman, & communis.

licentia diœceſani. Qui autem ab alieno Epiſcopo ordinaretur ſine dimiſſoriis, ſi id præſtitiſſet ex prudenti ſpe ratihabitionis, nullam incurreret pœnam. (26)

26. Marchinus. Suarez. Mandoſius. Eſcobar. Gobat. & alij.

9 Qui duos Ordines ſacros vno die ſuſcipit, incurrit ſententiam ſuſpenſionis ferendæ, non latæ, ab vſu poſterioris Ordinis, non prioris, quem ritè ſuſcepit. (27) Nullam verò ſuſpenſionem contrahit, qui vno die quatuor minores Ordines, & Subdiaconatum ſuſcipit.

27. Cap. Literas, de tempor. ordin.

10 Qui ſuſcipit Ordinem ſacrum fingens, ſe habere titulum Beneficij, quem non habet; vel accipiens titulum ab aliquo, cum quo paciſcitur, ſtatim ſe reſignaturum Beneficium, ſeu ei redditurum, contrahit ſuſpenſionem. (28) Oppoſitum autem eſt certò probabile. (29)

28. Suarez. Laym. & alij.

11 Qui innodatus ſuſpenſione ſuſcipit Ordinem ſacrum, nouum ſuſpenſionis vinculum contrahit. Suſpenſus etiam manet, qui excommunicatione ligatus illum ſuſcipit; & præterea is, qui ab excommunicato, aut ſuſpenſo eundem recipit. (30) Epiſcopus etiam, qui ordinat ſuſpenſum, contrahit ſuſpenſionem. (31)

29. Henriquez l. 14. c. 37. Auila, & plures.

30. Gobat. vbi ſup. tr. 8. n. 711. cum aliis.

12 Qui incurrit ſuſpenſionem, eo quod ordinetur cum aliquo defectu inducente ſuſpenſionem, non incurrit irregularitatem ex eo, quòd in Miſſa Epiſcopi, in qua ordinatur, canat ſolenniter Epiſtolam, aut Euangelium; (32) nam regula illa docens, quemcunque irretitum cenſura fieri irregularem, ſi ſolenniter exerceat actum Ordinis, intelligitur de illo ſolo, qui eum exercet extra actum ipſum ſuſceptionis Ordinis, ob quam manet ſuſpenſus; computatur etenim pro eodem actu ſuſceptionis totum illud Officium, quod Epiſcopus obit, dum Ordines celebrat, vt ſuprà libaui.

31. Bonac. de cenſur. d. 3. q. 2. Caſtro Palao. Gobat.

32. Epiſc. Araujo de Eccleſiaſt. ſtatu, tr. 3. q. 31. caſ. 7. Suarez. Sayrus. Gibalinus. Gobat. Layman.

13 Confeſſarij Societatis Ieſu deputati à Superioribus poſſunt abſoluere à ſuſpenſionibus occultis, non quidem ſingularibus ab homine, nec ab his, quas ſibi Epiſcopus reſeruauerit. (33) Extat etiam priuilegium Clementis IV. pronuntians, Prælatos Regulares etiam locales, poſſe non ſolùm proprios ſubditos

33. Vide Caſtro Palao de cẽſur. d. 4. p. 9. n. 7. Gobat.

Regulares

Regulares abſoluere à qualibet excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto à iure vel ab homine generaliter promulgatis; ſed etiam diſpenſare in irregularitate, quam ij forte incurrunt, ſiue celebrando diuina Officia in loco interdicto, ſiue ſuſcipiendo Ordines; niſi fuerit adeò grauis, & enormis exceſſus, quòd ſint ad Sedem Apoſtolicam meritò deſtinandi. (34)

14 Superioris ſententia, eiuſque effectus non ſuſpenditur per ſequentem appellationem, quia cenſura Eccleſiaſtica executionem ſecum trahit. (35)

15 Suſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ ſolùm prohibetur celebrare, & intereſſe diuinis officiis; poteſt verò in ea orare, & accipere Euchariſtiam, & ſi moriatur cum ſignis pœnitentiæ, in Eccleſia ſepeliri. (36)

34. Affertur à Gobat. *in exper. Theol. tr. 8. n. 715.*

35. *Cap. Paſtoralis, de appellat.*

36. Em. Sà *in ſum. verb. Suſpenſio, num. 10.* Sayrus, & alij.

## T

## *Tabellio. Notarius. Secretarius.*

1 TABELLIO, qui & Notarius appellatur in pluribus Regnis, eſt perſona habens publicam authoritatem ſcribendi inſtrumenta ad faciendam fidem. Peccat grauiter inſtrumentum falſum conficiens; item nolens inſtrumenta partibus manifeſtare, aut ea occultans, & prætereà non tranſcribens ea ob negligentiam, vt in poſterum in ſuo ſcrinio ſeruentur: item ea per compendium exarans, & non verbatim; ac conficiens inſtrumenta vſuraria, ſeu obligationes ad ſoluendas vſuras; (1) necnon perficiens inſtrumenta (2) contra Eccleſiæ libertatem; aut quæcumque conficiens, dum eſt excommunicatus non toleratus; & etiam qui pretium excedens laborem accipit, attentis circunſtantiis. Et ſi munus ſuum malè gerat, nequit ſtipendium accipere, quod eſt commune omnibus officia publica exercentibus. (3)

1. Suarez, & alij apud Me *de Bulla Cruc. d. 34 num. 123.*

2. *Cap. Graue, Cap. Nouit, de ſent. excom.*

Et

3. Faber, & alij apud Me *ſup.*

Et quidem hi in officio gratis aſſumpto ſolùm tenentur de dolo, & lata culpa; (4) at in officio mercenario tenentur de leui; quin aliqui, quorum munera exactiſſimam diligentiam requirunt, tenentur de leuiſſima, eo quòd ab illis dependeant vita, honor, ſalus publica, & pax: huiuſmodi ſunt Gubernatores pacis, & belli, medici, nauarchi, & ſimiles.

4. Oñate cum aliis apud Me *ſup. n.* 124.

2 Notarius (ſaltem in Hiſpania) ad res Eccleſiaſticas eſt deputatus, idemque circa eas præſtat, proportione ſeruata, ac Tabellio circa negotia ciuilia, & profana, ac eiſdem tenetur obligationibus. (5)

5. Card. Lugo, & alij *ſup. n.* 125.

3 Secretarius, præter ea, quæ cum prædictis ſunt ei communia, tenetur ſeruare veritatem, ac fidelitatem, nec petere, aut recipere munera. (6) Secretarius Epiſcopi, dum hic viſitat, nequit aliquid recipere à partibus, niſi ob laborem tranſcribendi; & abſolutè nulli Officiales poſſunt accipere, niſi deſignata ſtipendia, nec vlla munera, quæ Hiſpanè dicuntur *Cohechos*. (7) Quòd ſi gratis eis dentur ab his, qui noſcunt ſtipendium taxatum in lege, ſeu *Arancel*, non tenebuntur illi ad reſtitutionem; nam pœna, quæ ſolet apponi reſtitutionis in quadruplum, ante condemnationem non debetur. Ipſi autem Tabelliones, ac ſimiles exponere tenentur, ſi non calleant id certò ſciri, non deberi ſibi illud ſuperadditum, nec ſe poſſe iuxta legem accipere; tunc enim ſi eis quidquam præſtetur, ex gratitudine fieri dignoſcitur, aut ex liberalitate. Quòd ſi aliquem laborem, aut induſtriam adiungant, non annexam inſtrumento, quod conficiunt, poterunt proportionatum pretium accipere, præter taxatum.

6. Sotus. Menchaca. Th. Sanchez *vbi ſup. n.* 126.

7. Nauarra *de reſtit. l.* 3. *cap.* 3. *n.* 17. & alij.

4 Tabellionis fiunt authoritate Principis, ac in eius ditione, non in aliena, conficiunt inſtrumenta, quæ tamen fidem faciunt vbique. (8)

8. Sylueſt. *verb. Tabellio*, 9. 4. Panormitan. Fumus, & communis.

5 Tabelliones officium prohibitum eſt Clericis, & Religioſis; & hi, ſi ante ingreſſum Religionis, ſeu ante clericatum id munus exercuerunt, ſolùm in cauſis Fidei poterunt illud exercere: (9) quod idem poſſunt Clerici, & Religioſi, etiamſi tabelliones non fuerint; & vocantur in Hiſpania notarij. Atque etiam Clerici ſunt Notarij, & Protonotarij Apoſtolici,

9. *Cap. Vt officiũ, de hæret. lib.* 6.

lici. In aliis cauſis Eccleſiaſticis poterunt Clerici beneficiati, aut ſacris initiati eſſe Notarij, dum à Pontifice eis permittatur, aut ab Epiſcopo intra ſuam diœceſim. Quòd ſi nec ſint beneficiati, nec ſacris initiati, poſſunt etiam in cauſis temporalibus (10) id munus exercere.

10. Fumus *in Armilla, verb. Tabellio, n.4.* Hoſtienſis. Sylueſt. & alij.

6 Tabellio, & Notarius tenentur ſcire, quæ ad ſuum munus ſpectant; quòd ſi ob ſuam ignorantiam pars lædatur in confectione inſtrumenti, ei ſoluere debent damnum inde ſequutum.

7 Seruus, ſeu mancipium nequit (11) eſſe Tabellio, nec Notarius. Qui autem id munus ſuſcipiunt, priùs aliqua iurare debent, quæ extant præſcripta. Et peccant grauiter, dum in materia graui violant iuramentum. (12)

11. Panormitan. *in cap. Sicut. Ne Cleric. vel Monach.*

12. D. Antonin. *3. p. tit. 6. cap. 3. §. 1.* & communis.

8 Si tabellio conficiat inſtrumentum vſurarium, & principalis non reſtituat, tenetur ipſe (13) ad reſtitutionem. Accipiens autem pro ſcribendis dimiſſoriis ad Ordines, ſeu pro teſtimonio eorum, plus quàm debet, non eſt ſimoniacus, dum pro pretio Ordinis non recipiat.

13. Nauarrus *in Man. c. 17. n. 276.*

9 Cogi poteſt à Iudice ad edenda inſtrumenta coram ipſo (14) geſta, necnon ad producenda quæcumque alia, ſi ad lites ſint neceſſaria, tranſcribendo protocolla, quæ in eius ſcrinio ſeruantur.

14. *Cap. Quoniam, de probation. Cap. Perpetuus, de fide inſtrum.*

## *Teſtamentum.*

1. *Leg. Si frater, Cod. Qui teſtamenta facere, &c.*

1 IMpubes nequit condere teſtamentum, etiamſi non ſit filiusfamilias, (1) ob iudicij immaturitatem. Puberes filiifamilias non poſſunt illud condere, niſi de bonis caſtrenſibus in militia adquiſitis, ac de bonis Commendæ Equeſtris, (2) & de quaſi caſtrenſibus comparatis tum ex muneribus publicis, (3) tum ex fructibus Beneficij Eccleſiaſtici. (4) Præterea teſtari poſſunt de bonis, quæ à Principe eis donata fuerint. (5) Rursùs bona, quæ reſpectu aliorum ſunt aduentitia, fiunt reſpectu Clerici quaſi caſtrenſia, dum adquirantur poſt Clericatum; (6) nam eorum, quæ ante illum adquiruntur, adhuc pater vſumfructum

2. *Leg. vlt. eod. tit.*

3. *Leg. Cum antiquus, Cod. de inofficioſ. teſt.*

4. *Leg. Sacroſancta, Cod. de Epiſc. & Cler.*

5. *Leg. Cum multa, C. de bonis quæ liberis, &c.*

6. *Auth. Presbyteros. C. de Episc. & Cleric.*

ctum retinet, nec cessat nisi in casibus à iure expressis. At filiusfamilias, qui non est Clericus, non valet testari de bonis aduentitiis, nisi de consensu patris, & tunc solùm ad causas pias. (7) Puberes, qui non

7. *Cap. Licet, de sepultur. in 6.*

sunt filiifamilias, testari possunt de omnibus suis bonis. Et qui potest testari, valet etiam facere codicillos, & donationes causa mortis; sed qui nequit testari, non potest causa mortis donare: potest verò filiusfamilias donare causa mortis de consensu parentis, adhuc si non donet causis piis; (8) non tamen ipsi patri. Quòd si hic consensum præbeat, vt filius testetur de bonis aduentitiis in fauorem cuiuscumque, non valebit vt testamentum id instrumentum, sic verò vt donatio causa mortis, dum sit præsens is, in cuius fauorem bona relinquit, (9) vt expressè, vel tacitè acceptet.

8. *Leg. Filiusfamilias, ff. de donation.*

9. Iulius Clar. & alij apud Me *de Iure Acad. lib. 3. q. 40.*

2 (10) Iuxta Tridentinum is, qui Religionem ingreditur, non potest validè sua bona renuntiare, aut donare, nisi intra duos menses ante Professionem, & sequi Professionem est necessarium ad valorem. Quòd si sit filiusfamilias, nequit disponere de illis absolutè, sed pro tempore quo ad eum aduenerint. Mortuis autem parentibus, absque authoritate curatoris potest de eis disponere. Facta autem renuntiatione, aut donatione, non gaudet post Professionem beneficio restitutionis in integrum, (11) quia in Professione censetur mori.

10. *Sess. 25. de reform. cap. 16.*

11. Abbas. Armilla. Sylvester. Th Sanchez. Layman, & alij apud Me *vbi supra.*

3 In aliquibus Regnis stylus est, vt patres assignent filiis certam partem bonorum, de quibus testari possint; standumque est consuetudini.

12. Palacios. Henriquez, & alij apud Me *de Bulla Cruc. d. 34. num. 58.*

4 Si executores testamentorum moniti in Synodo sint per annum negligentes in eorum executione, ius eorum in pœnam negligentiæ deuoluitur (12) ad Episcopum.

5 Testamenti executores, ac hæredes tenentur quàm primùm possint, soluere debita, & legata. Nam tempus vnius anni, aut sex mensium, quod solet concedi, respicit forum externum, à quo post id tempus cogi valeant; nempe ad legata pia intra sex menses, ad alia intra annum.

6 Qui hæreditatem ex testamento acceptauit absque

que beneficio inuentarij, si debita excedant illam, pro foro externo cogetur omnia soluere; at in conscientia (13) non tenetur nisi ad ea, pro quibus hæreditas sufficit; nam hæc in beneficium hæredis relinquitur, nec debet ex beneficio damnificari absque culpa; & lex non obligat illum nisi post sententiam.

13. Sylvest. *verb. hæreditas 3. q. 5.* D. Antonin. Panormitan. Nauarra. Paludanus. Ioan. Andreas, & alij.

7 Damnatus ad mortem, de facto moriturus nequit testari (14) nisi ad pias causas, estò si non confiscentur bona, ex consuetudine possit testari. Nec manifestus vsurarius, nisi ad pias causas; vel nisi præstita cautione restituendi, quæ ex vsuris habet; at potest (15) causa mortis donare. Et prætereà deportato idem dicendum est, ac de damnato ad mortem, sicut etiam de damnato ad carcerem perpetuum.

14. Molina *tom. 1. d. 9* Couarruuias. Victorellus.

15. Couarruuias *3. part. rubr. de testam.*

8 Si quis intestatus obiit, vel cum testamento minùs solenni, ac in eo vel verbis solis bona alicui reliquit, is in foro interno licitè possidebit; at pro foro externo an hæres ab intestato teneatur, necne ei bona dimittere, vtrumque est probabile. (16)

16. Bañez *2. 2. in præambul. ad q. 62.* Couarruuias. Eman. Sâ. Molina. Sylvester. Panormitan. Innocentius. Salon. Victorellus. Bauny.

9 Si testamentum ob defectum solennitatis sit inualidum, nempe si in eo desint institutio hæredis, aut testes necessarij, vel quid huiusmodi pro forma requisitum, tamen valent relicta in eo legata ad (17) causas pias; adeò vt si priùs conficiatur testamentum solenne ad pias causas, & postmodùm etiam ad pias causas testamentum non solenne fiat, per hoc secundum reuocetur prius. Prætereà legata relicta ad causas non pias in testamento non solenni, aut solis verbis, quorum dentur duo testes adhuc non rogati, etiamsi fœminæ sint, vel manu testatoris reperiantur scripta, esse valida, certò probabile est. (18)

17. Em. Sâ *verb. Testamentum, n. 4.* & plures.

18. Sylvest. *verb. Testamentum 1. n. 5. & 7.* Eman. Sâ. Couarruuias.

10 Prohibentur condere testamentum amentes, ac furiosi, qui non habent (19) lucida intervalla, sed furore perpetuo aguntur. Rursùs mutus, & surdus à natiuitate, & qui adeò balbutit, vt nomen hæredis nequeat exprimere, nec scribere illud sciat. (20) Quod limito, nisi hi agnoscantur perfecto iudicio pollere, & præsente tabellione, ac testibus digito

19. *Cap. fin. de testam.*

20. *Leg. Discretus. C. qui testam.*

*facere non poſſ. Leg. Iubemus, Cod. eod. tit.*

deſignent hæredem, qui præſens ſit, ita vt conſtet de eorum voluntate. Etenim ſi homo ſani iudicij ad eam debilitatem perueniat, vt nequeat vicinus morti loqui, intelligat autem rectè quæ aguntur, & teſtamentum coram ſe condi videat, nutu ac ſignis poteſt inſtituere hæredem; quod non ſemel contigiſſe ſcio Rursùs qui inſequitur, percutit, aut capit Cardinales, vel mandat, ſeu auxilium, conſilium, fauorem præſtat, ſeu ratum habet, nec teſtari, nec ex aliorum teſtamento quidquam lucrari poteſt. (21)

21. *Cap. Felicis, de pœnis, lib. 6.*

11 Si quis alium teſtari prohibeat, etiamſi ab inteſtato ei ſuccedat, ab hæreditate eſt repellendus. (22) Quin ob hanc cauſam, adhuc ſi hæres ſit legitimus, exhæredari valet. Sicut etiam poteſt exhæredari filius ob cauſas ſequentes. Si manus in parentes (23) intulit. Pro graui iniuria eiſdem illata. Si eos criminaliter accuſauit in cauſa, quæ non pertineat ad fidem, vel Principem, ſeu Rempublicam. Si ſit maleficus, aut cum maleficis particiꝑet. Si nouercam carnaliter cognouit. Si noluit fideiubere, cum poſſet, pro patre incarcerato ob æs alienum. Si contra voluntatem patris, cum hic mimus non eſſet, inter mimos eſt verſatus. Si filia, cum parentes eam voluiſſent iungere matrimonio, & dotare, renuerit, vt luxurioſam vitam duceret. Si filius neglexerit patrem incarceratum è carcere liberare. Et in his caſibus poteſt etiam pater filio alimenta negare. Filius etiam poteſt patrem exhæredare, cum habet bona, & poteſt condere teſtamentum, ſi pater eum accuſauit de crimine, excepto crimine læſæ Maieſtatis diuinæ, aut humanæ. Si immiſcuit ſe vxori filij. Si prohibuit eum teſtari, cum is poſſet. Si eius vitæ fuerit inſidiatus. Si de captiuitate Sarracenorum, cum poſſet, eumnon liberauit. (24)

22. *Leg. 2. Cod. ſi quis alium teſt. prohib.*

23. *Cap. Quintauallis, de iureiurand. in gloſſ.*

24. Vide Iura, & Authores apud Fumum *in Arnillam, verb. Exhæredatio.*

12 Teſtamentum ex metu graui iniuſto conditum eſt nullum. (25) Teſtamentum Clericorum de bonis perceptis ab Eccleſiaſticis redditibus eſt validum, eſtò ad cauſas pias debeant illa relinqui, ſeu per modum iuſtæ remunerationis conſanguineis, ſeu famulis; (26) aliter illicitum eſt, dum non detur licentia Pontificis

25. Molina, & plures apud Dianam *p. 8. tr. 6. reſ. 129.*

26. Malderus, Molina.

cis ad testandum de illis bonis ad quoslibet vsus. Cæterùm, licèt non iure communi, tamen ex vi consuetudinis validum est Clericorum testamentum, etiam ad causas profanas. Th. Sanchez. Diana. Dicastillo.

13 Tempore pestis ad valorem testamenti non requiruntur eæ solennitates, quæ aliis temporibus sunt necessariæ. Quare sufficiunt testes adhuc non rogati, sed fortuitò interessentes, vbi ægrotantem videant, ipseque tabellio potest esse testis: quin coram parocho, & vnico teste fit testamentum nuncupatiuum. Idemque est de codicillo. Eaque valida sunt quamvis æger conualescat, & postmodùm aliud testamentum non condat. (27) Cæterùm nuncupatiuum est testamentum, quod fit verbis, rogatis ad id septem testibus, & declarato nomine hæredis, aliisque, quæ testatoris sunt in voluntate. Testamentum autem in scriptis aliud est apertum, aliud secretum, & clausum, & vnumquodque suas requirit solennitates præfixas in vnoquoque Regno. Quæ autem sint hæ, & quæ testamenta sint inualida, ad Iurisperitos potiùs, quàm ad Theologos morales spectat. 27. Iason. Maulius. Marchinus. Diana. Layman. Molanus. Mascardus. Menochius. Parladorius.

14 Nequeunt esse testes in testamento seruus, nec hæres, nec ille, in cuius potestate est hæres, nec filius, nec incapax hæreditatis, vt filius spurius; nec Iure intestabilis, nec hæreticus, nec fœmina nisi tempore pestis, (28) seu ad causas pias, iuxta dicta *suprà*. 28. Em. Sà *verb. Testamentum* 2 *num.* 22. Iason. Diana, & plurimi.

15 Nequit in testamento quidquam relinqui filio spurio, nisi alimenta, (29) & filiæ spuriæ indigenti dos. At spurius, adhuc filius Clerici, potest legitimari à Papa, necnon à Principe, vt sit hæres, adhuc in bonis adquisitis ex redditibus Ecclesiasticis. Cæterùm Pius IV. reuocauit facultates legitimandi spurios in præiudicium aliorum. 29. Couarruuias *in* 4. *Decret. p.* 1. *c.* 6. §. 8. *n.* 15. Bañez. Emanuel Sà, & alij.

16 Aliquæ conditiones appositæ in testamentis pro non adiectis habentur: v. g. si non ingrediatur Religionem: (30) si non nupserit, respectu eius quæ nunquam nupsit: aut si nubat arbitratu alterius. Quòd si apponatur. Si nubat cum consilio alterius, obligat ad audiendum consilium, non verò ad sequendum 30. Molina *de iust. d.* 207. Ioan. Medina. Couarruuias. Eman. Sà. Fumus.

quendum. Attamen valida eſt conditio, ſi vidua ſecundas nuptias non contraxerit. (31)

31. *Auth. Cui relictum, Cod. de indict. iuriſd. toll.*

17 Militibus actu exiſtentibus in caſtris, ſeu confinia defendentibus, & eis, qui eos ſequuntur, vt eis victualia vendant, aliaque neceſſaria, dum tamen hi vltimi in loco hoſtili ſint, plurima priuilegia fuerunt olim conceſſa, quæ adhuc vigent in condendis teſtamentis. Etenim circa perſonas, mutus, & ſurdus à natiuitate, iuxta certò probabilem ſententiam, (32)

32. Lugo. Diana, & aliqui.

poſſunt teſtari; & certum eſt, poſſe ſolo nutu eum, qui in caſtris (33) vocem, ac auditum amiſit. Præterea damnatus ad mortem, vel deportationem, dum

33. Tiraquellus, & plurimi.

militiæ fidem non ruperit, de bonis caſtrenſibus (34) teſtari valet, ſicut & filiusfamilias. Deinde in

34. Bocerus. Hunnius. Diana, & alij.

ſolennitatibus diſpenſatur; nam teſtes ſufficiunt non rogati, & duo ſufficiunt, quin & dum conſtet certò de voluntate teſtantis, veluti ſi ipſe ſcripſerit, non requiritur ea teſtium præſentia, nec idoneitas in teſtibus, quæ in aliis teſtamentis, dum teſtes non ſint impuberes, aut cæci, (35) aut mancipia. Rursùs va-

35. Diana 5. p. t. 6. reſ. 45. & ſqq. Card. Lugo. Molina. Viglius. Sylueſter.

let militis teſtamentum, quamvis breuiaturis, & notis ſcribatur. Poteſt etiam pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus obire, & ea pars, de qua teſtatus eſt, valebit. Quin & plura teſtamenta valida facere, in quorum ſingulis de diuerſis bonis diſponat. Ac demùm in codicillo poteſt hæredem inſtituere. Teſtamentum autem in caſtris conditum, etiamſi miles diſcedat, non ignominiosè fugiens, ſed obtenta licentia, valet per vnum annum poſteà, (36) ſi

36. Molina. Diana, & alij.

intra illum annum è viuis decedat.

37. Halbritus, & quidam alij.

18 Eſtò velint aliqui, (37) aduocatos actu patrocinantes gaudere priuilegiis, quæ ſunt conceſſa militibus, intuitu illorum prærogatiuæ, ac meritorum; at id conſuetudini repugnat.

19 Inſtitutio hæredis relicta voluntati alterius non

38. *Leg. Hæc conſultiſſima, Cod. de teſtam.*

valet; (38) valet tamen hæc inſtitutio: Hæredes inſtituo pauperes, quos Antonius elegerit. (39) Nam

39. Gloſſa *in cap. Cum tibi, de teſtam.*

tunc non relinquitur Antonio ius inſtituendi hæredem, ſed ſolùm electio perſonæ. Nec valet inſtitutio hæredis vſque ad certum tempus, v.g. vſque ad triennium, (niſi in teſtamento militis.) Sanè valebit

bit, ſi inſtituatur, donec vixerit, ita vt poſt eius mortem alius adeat hæreditatem. Valebit etiam, ſi quis inſtituatur (40) hæres, cum ad talem ætatem peruenerit; & quod interim vel reſeruentur fructus, ſeu cum illis augeatur capitale, vel alius vſufructu gaudeat.

40. *Leg. In tempus, ff. de hæredib. inſtituend.*

20 Quinam ex Ordinibus Militaribus Hiſpaniæ teſtari, & quomodo poſſint, vide *Equeſtres Ordines.* Et adde, extra Hiſpaniam eos, qui ſunt è militia Sancti Stephani, ex priuilegio Pij V. poſſe teſtari, dummodo quintam partem bonorum, de quibus teſtantur, ſuæ Religioni relinquant. (41)

41. Nauarr. *conſil. 29. de regular. num.* 8.

21 Iuxta ius ciuile ſeptem teſtes rogati requiruntur ad teſtamentum. (42) Rogari autem teſtem, eſt cum vocare, interrogando an velit eſſe teſtis in teſtamento, ita vt anticipatò ſciat rem, & non ibi caſu fortuito aſſiſtat.

42. *Leg. Hæredes pala, §. penult. ff. de teſtam.*

22 Sunt tamen plures euentus, in quibus pauciores teſtes ſufficiunt. Nam ſi teſtamentum fiat coram iudice, aut Principe, duo ſunt (43) ſatis. Præterea & duo ſunt ſatis, ſi coram eis promiſit hæres, ſe teſtatoris voluntatem fore ſeruaturum. (44) In teſtamento ruſtici ſufficiunt quinque, cum plures idonei (45) nequeunt inueniri. Rursùs ſi teſtamentum condatur coram parocho in terris Eccleſiæ, duos, aut tres teſtes ſufficere certò probabile eſt. (46) Cæterùm in teſtamento cæci, & in eius codicillo ſeptem teſtes requiruntur præter Tabellionem.

43. *Leg. Omnium, Cod. de teſtam.*

44. Eman. Sà *verb. Teſtamentum, num.* 14.

45. *Leg fin. Cod. de teſtam.*

46. Sylueſter afferens alios, *verb. Teſtamentum* 1. *q.* 5.

23 Ad codicillum cuiuſque (qui non ſit cæcus) ſat ſunt quinque teſtes, nec opus eſt, rogatos eſſe; quin & fœminæ in teſtes admittuntur. (47) Attamen quia in teſtamentorum confectione, ſicut & aliorum contractuum, poſſunt Principes Supremi leges municipales condere reſpectu ſubditorum, iuxta eas iudicandum eſt, ſi dentur. Circa eorum valorem, & circa teſtes in Hiſpania ſunt diuerſæ leges.

47. *Leg. fin. Cod. de Codicillis.*

# *Teſtis.*

1 TEſtis interrogatus in informationibus nobilitatis, aut puritatis ſanguinis alicuius Candidati ſub iuramento, erit periurus, ſi occultet id, quod ſciat, nec ei licet vti amphibologia. Verùm cùm nobilitas, & puritas ſit deſumenda quoad hoc ex communi fama, voce, & exiſtimatione, ſi iuxta has Candidatus gaudeat puritate, & nobilitate, quamvis teſtis per occultum inſtrumentum ſciat oppoſitum, tenetur in eius fauorem deponere, nec poteſt notitiam occultam propalare, (1) cum de hac legitimè nequeat interrogari, nec ipſe alium infamare. Occultus autem eſt defectus, qui paucis eſt notus, & aliqua tergiuerſatione celari poteſt. (2) Quòd ſi teſtis ignoret qualitatem Candidati, & is ei oſtendat inſtrumenta certa, & adducat ad eum viros timoratos, qui notitiam præbeant veritatis, poterit illam teſtificari. (3)

1. D. Thomas. Ego *de Ordin. Milit. d.3.q.2.*

2. Abbas. Sylueſter. Angelus, & alij apud Me *ſuprà.*

2 Iniuſtè agit teſtis, dum iniquo teſtimonio alteri damnum infert; & de reſtitutione præſtanda vide verbum *Reſtitutio.* Et is, qui iurat, ſe aliquid certò ſcire, eo quòd id audiuerit à viro optimæ famæ: nam id ſufficiet, vt iuret illam rem verè extra iudicium, non verò vt iuret, ſe ex certa ſcientia id noſcere, cum quis ex ea notitia non poſſit ſui dicti rationem reddere, (4) & teſtes ex auditu non ſint teſtes ex certa ſcientia.

3. Hurtado. Diana, & alij apud Me *ſup.*

4. Th. Sanchez Apud Me *de Bulla Cruc. d.34. c.114.*

3 Teſtis interrogatus in iudicio legitimè, imò etiam cum dubio an legitimè interrogetur, tenetur verum dicere, niſi ipſi, aut alij non reo inde graue immineat periculum, nec detur pernicies publica, (5) quæ eſt præferenda damno priuato. Peccat quis, ſi adhuc non interrogatus, non profert teſtimonium, quo innocens liber eſſet euaſurus à graui damno, niſi id ſibi ſequeretur. Et is, qui citatus à iudice, abſcedit, vt non teſtificetur, quando eius (6) teſtimonium neceſſarium eſt, vt pars litigans ſententiam pro ſe obtineat.

5. Leſſius. Fagundez, & alij *ſuper.*

6. Trullench, & alij *ibid. n.115.*

4 Quando

4 Quando eſt vnicus teſtis alicuius delicti, non tenetur aperire veritatem, (7) eſtò ſit oppoſitum certò probabile.

7. Sotus. Ioan. Cruz *vbi ſuper.*

5 Teſtis non eſt credendus in alterius præiudicium, niſi teſtimonium cum iuramento proferat. (8) At teſtes de fama non ſunt compellendi iurare.

8. *Cap. Ex nobis, de teſtibus.*

6 Teſtis vnicus non facit plenam probationem. Nec teſti criminoſo, & in eodem crimine participanti (9) eſt credendum. At vnus teſtis de viſu, aut ſcientia certa ſufficit ad impediendum matrimonium, ſi teſtetur aliquod impedimentum dirimens, v.g. criminis, aut ſimile, maximè ſi alia adſint adminicula. Fama etiam legitimè probata de eo impedimento eſt ſufficiens ad impediendum matrimonium, (10) etiamſi ſponſalia fuiſſent iurata. Et quidem vnicum teſtem ſufficere, maximè adminiculatum, cernitur, quia non ordinatur ad punitionem delicti, ſed ad vitandam nullitatem Sacramenti; ad punitionem enim vnus teſtis non ſufficit; nec ad impediendum matrimonium vnus teſtis ex auditu: ſic verò vnus teſtis etiam criminoſus, ſi ſit certus, v. g. ſi teſtis deponat, ſe occidiſſe maritum fœminæ iuſſu illius, qui cum illa vult nuptias contrahere. (11)

9. *Cap. Veniens, de teſtibus.*

10. *Cap. Super eo 2. de teſtibus. Cap. Præterea 2. de ſponſalib.* Farinacius. Guttierrez. Th. Sanchez. Gaſp. Hurtad. Mart. Perez. Bonacina. Coninch.

7 Teſtis non iuridicè interrogatus, adhuc manifeſtans verum crimen, peccat, & damna reſtituere tenetur ſimul cum iudice, & aliis cooperatoribus, qui iniuſtitiam committunt, dum iuris ordinem non ſeruant. Si falsò teſtificans eſt cauſa, vt alius morte damnetur, & poſteà retractans dictum non ſit profuturus, non tenetur retractare, ſed reſtituere damna. Si verò ſit profuturus, vt liberetur innocens, nec poſſit è loco tuto id præſtare, tenetur adhuc cum vitæ ſuæ periculo retractare teſtimonium. (12) Nam eſtò cæteris paribus quis teneatur plus conſulere propriæ vitæ, quàm alienæ, non verò cum cætera non ſunt paria, & ipſe eſt nocens, aliuſque innocens eius culpâ morte damnatur, & eſt potior cauſa innocentis. Quòd ſi quis non vocetur ad teſtificandum, & ſciat, aliquem damnari innocentem, tenetur lege charitatis ſub mortali ſe offerre ad teſtificandum, etiamſi damnum immineat accuſatori; cum is non

11. Guttierrez *de matr. c. 36. n. 6.* Th. Sanchez, & alij. *Cap. Super eo, de conſanguin. Cap. Præterea 2. de ſponſal.*

12. Corduba *lib. 1. qq. q. 31. art. 3.* Sotus. Medina. Nauarra. Card. Caietan. Couarruuias. Nauar. & alij.

ſit in neceſſitate, ſiquidem ſponte ſe in periculum iniecit; reus autem innocens, qui inuitus patitur, eſt in neceſſitate, cui ex charitate ſuccurrere tenetur qui poteſt. (13)

11. Nauarra *de reſt. lib. 2. c. 3. n. 258.* D. Thomas. Nauar. & alij.

8 Ad matrimonij aſſiſtentiam ſufficiunt quilibet teſtes, quos ius naturale non arceat; nullum enim genus hominum excluditur à Tridentino, dum ſtatuit, ad matrimonij valorem requiri duos teſtes, & Parochum. Vide *Matrimonium.*

14. *Can. 84. ſextæ Synodi. Cap. Placuit, de conſecr. diſt. 4.*

9 Si dubitetur de baptiſmo alicuius, & ſit per teſtes probandus, hi debent eſſe firmi, (14) & certiſſimi, cum oporteat, in tanto negotio nullam dubitationem moralem relinqui. Sufficiet autem ad tollendam eam dubitationem vnus oculatus ac fide dignus teſtis, in quo nulla poſſit eſſe ſuſpicio erroris, aut pernitioſi mendacij. (15) Quòd ſi dubium ſit, an aliquis in baptiſmo error, aut defectus fuerit, præferendi ſunt teſtes affirmantes illum interceſſiſſe, teſtibus negantibus. Nam magis creditur teſtibus deponentibus pro cauſa fauorabili, pro qua aliàs in dubio ferenda eſt ſententia. (16)

15. *Cap. Cùm itaque, de conſecr. diſt. 4. & cap. Paruulos, eod. tit.*

16. Ant. Gabriel. *lib. 1. de teſt. concl. 4.* Felinus. Tiraquellus. Ruinus.

10 Si teſtis, adhuc peregrinus, & de cuius veritate dubitetur, affirmet paganum, aut Iudæum iam ſenſibus deſtitutum, priùs petiiſſe baptiſmum, ſufficit id teſtimonium, vt baptizetur. (17) At ſi teſtis ſuſpectus ſit de fide, non creditur ei aſſerenti aliquem fuiſſe verè baptizatum. (18)

17. Gobat. *in exper. Theol. tr. 2. num. 386.*

18. Sotus *in 4. diſt. 3. ar. 9.* Nauarrus.

11 Quando teſtis abſque peccato nequit non teſtificari in cauſa ſanguinis, cum ipſe ſponte non ſubeat id munus, veluti ſuum ſubeunt iudex, notarius, ac ſimiles, non incurrit irregularitatem; nam Eccleſia nullum inducit ad peccandum, ſi autem notaret irregularitate eum teſtem, induceret illum ad non teſtificandum, cum teneretur; nam vt fugeret irregularitatem nollet teſtificari. (19)

19. Gibalinus *de irregular. c. 4.* Bonacina. Coninch.

12 Vnus teſtis de viſu ſufficit ad probandum metum iuſtum cadentem in conſtantem virum, ſeu coactionem, quæ interceſſit in matrimonio contrahendo; & vnius, aut duorum teſtium de viſu teſtificatio circa metum, aut coactionem, prævalet teſtimonio plurium negantium, interceſſiſſe id impedimentum. (20)

20. Barboſa *in deciſion. lib. 1.* Gobat. *ſup. n. 267.*

13 Non

13 Non debet credi vni soli testi, qui de re à se gesta testatur; sic verò si ex authoritate publica fungatur officio præstandi res eiusmodi. Sic Secretario Episcopi testanti, se scripsisse literas dimissorias, aut instrumentum Ordinis accepti, credendum est. (21)

21. Alexander *lib. 6. consil. 92. num. 13.*

14 Vt fœmina possit nubere secundo marito, sufficit testimonium Parochi, qui eius primum maritum sepeliuit in alio loco; aut duorum testium de visu affirmantium, vel vidisse eius cadauer, vel adstitisse funeri, seu exequiis. (22) Quin vnus testis de visu cum aliis coniecturis sufficiet. (23) Similiter sufficient testes de aditu, si aliæ coniecturæ non leuis momenti adiungantur. (24)

22. Mascardus *de probation. concl. 175.*

23. Castro Palao *de sponsalib. d. 4. p. 3. §. 1.* Th. Sanchez. Gobat.

15 Repelli possunt in iudico testes suspecti ob rationem consanguinitatis, aut commodi, seu similem; præsumptio enim stat contra ipsos. (25)

24. Th. Tamburin. Auersa.

25. Decius *consil. 133. n. 163.* Alexander. Gobat.

16 Quomodo sint examinandi testes circa contrahenda matrimonia, extat Constitutio Nostri Pontificis SS. D. Clementis X. in Congregatione Generali S. Romanæ Inquisitionis habita coram ipso approbante, die 21. Augusti, anno 1670. vbi instructio interrogationum iniungitur, quam præcepit obseruari ab Ordinariis, Vicariis, Parochis, Notariis, & quibuscumque aliis respectiuè, sub pœnis etiam grauibus corporalibus arbitrio Sacræ Congregationis. (26) Ibi etiam adnotatur, quinam in testes sint accipiendi.

26. Vide illam apud Gobat. *in exper. Theol. post tract. 10. pag. 779.*

17 Ad dissoluendum matrimonium contractum non sufficit vnus testis, nec iuratus, nisi in casu *suprà* allato de metu. (27) Quando autem agitur solùm de impediendo, non puniendo peccato alterius, etiam in foro externo statur testimonio vnius testis iurati. (28)

27. *Cap. Licet ex quadam, de consanguin.*

28. *Cap. Super eo, de testibus.* *Cap. Præterea, de sponsal.*

18 Generaliter vbi veritas iam est compreta, & probata intentio actoris, aut rei, non sunt compellendi testes ad testificandum. Specialiter autem contra reum non sunt admittendi, nec compellendi (excipe in causis Fidei) illi, quos ius naturæ arcet, v.g. pater contra filium, aut è conuerso; frater aduersus fratrem, & alij huiusmodi. (29)

29. *Cap. 2. cap. Accusatores, 3. q. 5.*

19 Testimonium viri est præferendum testimonio mulieris; (30) quia maior in hac, quàm in illo mutabilitas præsumitur. (31) Si mulier testificetur, se ab hoc, aut illo cognitam carnaliter fuisse & hic, aut ille sub iuramento negent, non est standum testimonio mulieris, siue sit in causa adulterij, (32) siue in causa simplicis fornicationis.

30. *Cap. Mulierem, 33. q. 5.*

31. *Cap. Forus, de verb. signif.*

32. *Cap. Significasti, de adulter.*

## *Thesaurus.*

1 THesaurus strictè sumptus est pecunia, aut res mobilis pretiosa olim ab aliquo depositа alicubi, (1) cuius dominus ignoratur. Iure naturali, & gentium thesaurus est inuentoris. Quin & iure communi, (2) si quis eum inueniat in agro proprio, illum sibi comparat; si autem casu illum inueniat in alieno fundo, dimidium est inuentoris, & dimidium domini fundi. Quòd si ex intentione illum quærat in alieno fundo, obligatur à iudice reddere totum domino fundi, sed ante latam sententiam (3) non tenetur, quia illa est pœna indigens coactione iudicis. Si petiit, & obtinuit licentiam à domino quærendi thesaurum, dum id præstiterit spe inueniendi, & non certus de illo, totum sibi adquirit, quia dominus cessit; si autem certus erat de illo, totum domino debetur, quia licentia (4) fuit ex errore concessa, nempe ad quærendum, absque certitudine illius.

1. *Leg. vnic. C. de thesaur. lib. 10.*

2. *§. Thesauros, Inst. de rer. diuisione.*

3. Mercatus. Lessius. Ego *de Bullæ Cruciat. d. 33. num. 2.*

4. Molina. Ego *sup. n. 3.*

2 Sciens, esse thesaurum in fundo, potest illum emere pretio communi, nam non tenetur (5) reuelare, ibi esse thesaurum. Si arte magica inueniatur thesaurus, ad fiscum Regis pertinet, qui tamen debet dimidium præstare domino fundi, ne priuetur sua dimidia parte; & dum non sit author culpæ, (6) non debet pœnam priuationis sustinere.

5. D. Thomas. & communis *vbi super, num. 4.*

6. *Leg. Sancimus, C. de pœnis.*

3 In Castella ob eius leges solùm quarta pars debetur inuentori thesauri: (7) quod potuit stabiliri, quia bonorum communium ad Regnum, aut Rempublicam pertinet distributio.

7. *Leg. 1. tit. 13. lib. 6. nouæ collection.*

4 Venæ metallorum, sicut & saxorum, & aquæ, inspecto iure naturali, ad dominum fundi, in quo sunt, spectant

spectant; (8) at iuxta ius priuatum communiter Regibus adiudicantur, designata aliqua parte domino fundi, cui compensanda sunt damna fundo obuenientia. 8. Gabriel. Molina. Apud Me *vbi sup. n.* 7.

5 Si maritus inueniat thesaurum in fundo, quem in dotem attulit mulier, cum illa diuidere eum tenetur. Idem est, si creditor reperiat eum in agro debitoris sibi pignori dato; & præterea si conductor fundi in illo eum inueniat. (9) 9. Nauarrus. Victorellus, & alij.

6 Quando thesaurus inuenitur in fundo, cuius duo sunt domini, alius directus, alius emphyteuta, an sit inter vtrumque diuidendus, an sit solius domini directi, an solius emphyteutæ, vnaquæque opinio pro se Authores habet; sed mihi plùs arridet, quòd totus ad emphyteutam pertineat: (10) nam fructus certi, & incerti, seu quasi fructus, ad emphyteutam attinent. 10. Diana *p.* 9. *tr.* 5. *ex ref.* 2. *& p.* 8. *tr.* 7. *ref.* 64. Bocerus. Guttierrez. Dicastillo. Molina.

7 Si in fundo maioratus reperiatur thesaurus, ad possessorem integrè pertinet, nec tenetur is relinquere aliquam partem inter bona maioratus, qua gaudeant successores. (11) Si in loco sacro reperiatur thesaurus, ad Ecclesiam pertinet dimidium illius. Si verò in via publica, aut in flumine, totus est inuentoris, nisi casu quo Princeps, aut alius non solùm gaudeat iurisdictione, sed etiam dominio proprietatis circa viam, aut flumen; tunc enim est diuidendus. (12) 11. Card. Lugo. Molina. Diana.

8 Si seruus duorum dominorum reperiat thesaurum in fundo vnius è dominis, thesaurus adquiritur domino fundi; estò id, quod debebatur inuentori, & is, quia seruus, non comparet sibi, inter vtrumque dominum fore diuidendum, certò probabile sit. (13) Quòd si filiusfamilias inueniat thesaurum, non adquirit patri id, quod ad ipsum ex illo attinet, sed sibi ipsi, & inter eius bona aduentitia computatur. 12. Villalobos. Diana. Nauarrus. 13. Card. Lugo. Turrianus, & alij.

9 Quando inuenitur pecunia, aut res mobilis pretiosa absconditain fundo, aut domo, & est probabilis coniectura, quòd tempore inuasionis hostium dominus ibi absconderit, etiam ante centum annos, dum constet, nepotes, aut hæredes illius esse superstites

ſtites, eis reddi debet, quia abſolutè non ignoratur dominus, nec ea pecunia cenſenda eſt in nullius bonis eſſe; quare non ſortitur nomen theſauri. Vnde ſi illa domus, aut fundus ad alios dominos tranſierint, vel ſint conducta, aut in emphyteuſim data, ea pecunia non eſt diuidenda, cum non ſequatur regulas præfixas, quæ circa theſaurum obſeruantur. Aliud erit, ſi conſtet, dominum fundi, aut domus tranſfugam fuiſſe ad hoſtes; nam hoc ipſo amiſit dominium omnium rerum, quas priùs in natali ſolo poſſidebat. Quòd ſi, quin eſſet transfuga, eius bona ob delictum ſint confiſcata, & fiſcus vendiderit eam domum, aut fundum, ad fiſcum pertinet ea pecunia, veluti certi domini, nempe eius, qui damnatus fuit.

## V

## *Votum.*

1. In Bulla pro Societat. Ieſu, *Aſcendente Domino.*

VOTI ſolennitas ſolâ Eccleſiæ inſtitutione inuenta fuit, vt declarauit Gregorius XIII. (1) Voto ingrediendi Religionem ſatisfit, ſi quis ſuſcipiat Habitum Ordinis Equeſtris D. Ioannis, quia eſt Religio ſtricta, in qua abſoluta Caſtitas vouetur, & Equites teſtari nequeunt, eorumque bona pertinent ad Religionem. Similiter ſatisfit, ſi accipiatur Habitus Clericorum Fratrum Ordinum Militarium; nam ſunt ſtrictè Religioſi; & etiam ſi aſſumatur Habitus Hoſpitalis Regij addicti Monaſterio *de las Huelgas* prope Burgos; nam ibi tria vota ſolennia, & abſoluta emittuntur. (2) Non verò ſatisfit voto Religionis, ſi quis aſſumat Habitum Equeſtrem D. Iacobi, Calatrauæ, & ſimilium. Quia eſtò concedatur, eos Equites eſſe ſtrictè Religioſos, tamen iam ij Habitus aſſumuntur ad adquirendum honorem temporalem. Equites nuptias contrahunt, teſtamen-

2. Ego *de Ordin. Milit. d. 3. q. 14.*

ta

ta condunt, & vt sæculares se gestant; qui autem emittit votum Religionis, id præstat ex animo renuntiandi sæculi illecebris, & perfectionem sectandi. Speculatiuè autem votum assumendi Habitum ex his Equestrem esset validum, si fieret non ex animo consequendi honorem, & Commendas, sic enim esset finis impeditiuus boni maioris; sed ex animo emittendi, & adimplendi vota, cum non teneatur nubere Eques, & possit cœlebs permanere; vnde non impediretur maius bonum, sicut impeditur per votum nubendi, (nisi in aliquo casu, in quo melius sit nubere.)

2 Cæterùm votum est promissio Deo facta de meliori bono. Debet fieri deliberatè cum sufficienti notitia, & iudicio rationis; & vouens habere debet in animo obligare se ad rem promissam, materiaque voti debet esse bona, & præstantior quàm opposita. (3) Si constet de voto emisso, & dubitetur de deliberatione, obligat, quia possessio stat pro voto. (4) Votum emissum ex metu graui intrinseco, vt in naufragio, morbo, & similibus, validum est; at iure Ecclesiastico emissum ex metu graui extrinseco est inualidum, (5) nisi causa extrinseca non tenderet ad extorquendum votum; tunc enim maneret sufficienter voluntarium. Promissio implicita, vt datur in suscipiente Ordinem sacrum, sufficit ad votum. Quòd si is noluisset se obligare, ex vi voti non teneretur, verùm ex vi præcepti Ecclesiastici (6) tenetur sub lethali assentire obligationi. Potest quis habere animum promittendi, sed non se obligandi, & tunc non tenetur voto; si autem dubitet de animo se obligandi, stat possessio pro voto. Animus solus non adimplendi promissum non tollit obligationem, & peccatum est iuxta qualitatem materiæ. Qui fictè vouet priuatè, peccat venialiter ob irreuerentiam; grauiter verò, (7) si votum sit publicum, aut solenne, ob scandalum, & damnum Religionis.

3 Redditur irritum votum, si fuerit error causa illius circa partem notabilem rei promissæ, aut circa personam, cui est præstanda, aut circa causam formalem; non verò si fuerit circa quid (8) accidentarium

3. Cõmunis cum D. Thom. 2. 2. *q. 88. art. 1.*

4. Bonacina, & alij apud Me *de Bulla Cruc. d. 26. num. 2.*

5. Lessius. Suarez, & alij apud Me *sup.*

6. Th. Sanchez. Layman, & alij *vbi sup. num. 3.*

7. Basseus cum aliis *vbi super.*

8. Lessius, & plures *vbi sup. num. 4.*

rium. Votum ſimplex cum errore circa cauſam finalem, eſt inualidum; non verò votum ſolenne,(9) quia iam cenſetur quis velle eum ſtatum aſſumere, etiamſi finis non ſubſiſtat. Votum ſimplex ceſſat, cauſa finali ceſſante, (10) quia non iudicatur quis ſuſcepiſſe vlteriorem obligationem. Non verò tollitur obligatio voti ob errorem circa cauſam impulſiuam, non motiuam; & in dubio, an cauſa fuerit motiua, aut impulſiua, valori actus fauet (11) poſſeſſio, eſtò ſit certò probabile oppoſitum.

9. Molina cum aliis *vbi nuper.*

10. Rodriguez, & plures *ibid. num.* 4.

11. Vaſquez. Azor, & alij *vbi per.*

4 Votum fit Deo immediatè, nam licèt fiat aliquando de præſtando opere in honorem Sanctorum, interpretanda eſt intentio vouentis, vt in Dei cultum præcipuè tendat, aliàs non eſſet votum, ſed promiſſio, cuius tranſgreſſio non eſſet contra virtutem Religionis, ſed fidelitatis; communiter autem non ſic fiunt vota ſiſtendo in ipſis Sanctis, ſed ad Dei cultum progrediendo, eumque in illis venerando.

5 Votum aliud eſt reale, cum promittitur quid pretio æſtimabile; aliud perſonale, quo promittitur actio, aut omiſſio propria; aliud mixtum, quo vtrumque promittitur. Deindè votum aliud eſt perpetuum, toto vitæ tempore obligans; aliud temporaneum, pro aliquo tempore durans. Rursùs aliud eſt ſolenne emiſſum in manibus Prælati, & acceptatum, quale eſt votum Caſtitatis annexum Ordini ſacro, & vota emiſſa in profeſſione Religionis approbatæ; aliud ſimplex, ſcilicet omne aliud. Præterea aliud eſt explicitum, expreſsè emiſſum; aliud implicitum, vt eſt votum annexum Ordini ſacro. Item aliud eſt abſolutum, ſub nulla emiſſum conditione; aliud conditionatum, quod non obligat, niſi poſita conditione. Et hoc vel eſt purè conditionale; vt ſi liber à morbo promitto Deo hoc, aut illud; vel eſt conditionale pœnale, vt ſi in talem culpam incidero, id voueo. Quòd ſi quis voueat omiſſionem delicti, & pœnam; primum erit abſolutum, ſecundum conditionatum. Cum votum emittitur per particulam *Si*, eſt abſolutum, ſi non fiat ex affectu erga rem importatam ſub ea particula, nempe: *Si moriatur meus pater, voueo Religionem*; nam tunc

vox

vox *si*, solùm est designatiua temporis adimplendi votum. Cum autem votum sit ex affectu ad rem importatam per eam particulam, est conditionale, veluti: *Si liberer ab hac ægritudine, id voueo.*

6 Materia voti debet esse melior, quàm opposita: vnde non est apta materia, quæ opponitur consilio Euangelico, nisi aliqua circunstantia redderet eam vouenti meliorem, vt solet asseri de voto nubendi. Debet etiam esse in potestate vouentis, & possibilis. Inualidè voueret, qui duo inter se repugnantia eodem tempore promitteret. Si duo voueat sine dependentia vnius ab altero, & vnum sit malum, aliud bonum, (12) ad id vltimum tenetur. Votum de non peccando lethaliter validum est; necnon de non peccando venialiter ex plena aduertentia, sed paucis consulendum, (13) & facilè relaxandum. Votum de non peccando venialiter etiam ex subreptione est inualidum, quia est de re moraliter impossibili. Votum de re indifferenti, nisi accedat bonus finis, est nullum, quia non magis (14) placet Deo, quàm oppositum. Si dubitetur, an materia sit indifferens, possessio stat pro valore actus. Si dubitetur, an sit praua, possessio stat pro libertate, ne exponatur quis periculo peccandi. (15)

7 Si materia sit bona, & finis indifferens, valet votum, quia illa est melior, quàm eius carentia. Si finis sit obtinere aliquem honorem, aut bonum temporale, si non obtineatur, non obligat vlteriùs, quia (16) in eo voto implicitè includitur conditio, *si obtineatur*. Quamvis actio mala nequeat esse materia voti, at votum rei bonæ sub conditione turpi, hac apposita (17) obligat. Actio præcepta est materia voti, nam (18) nouum vinculum consurgit. Votum de materia graui obligat sub mortali; de materia leui solùm sub veniali, quamvis vouens habuerit intentionem obligandi (19) se sub mortali. Quòd si votum sit de re leui peragenda singulis diebus, ita vt vltra diem obligatio non prorogetur, non est peccatum mortale, (20) etiamsi omnibus diebus res omittatur. Votum personale cessat, si vouens non possit per se illud adimplere; non verò reale, si possit per alium

12. Filliucius cum communi apud Me *de Bulla Cruc. d. 26. n. 6.*

13. Basseus *vbi nuper, n. 7.*

14. Syluius, & communis *vbi nuper.*

15. Diana, & alij *ibid.*

16. Sotus *vbi nuper.*

17. Toletus, & alij *sup. num. 8.*

18. *Cap. Sacrilegij, 27. q. 1.*

19. Diana, & alij apud Me *sup. num. 9.*

20. Caramuel. Tanner.

Apud Me *de Bullâ Cruc. d.26. num.9.*

alium ; (21) nec mixtum , quoad id quod eſt reale, ſi materia realis non fuerit acceſſória principali. In materia voti attendenda eſt intentio vouentis ; ex ſe verò ſeruanda eſt , ac ſi eſſet materia præcepti. (22)

21. Angelus. Suarez, & alij *vbi ſuper.*

Si res promiſſa reddita eſt valdè difficilior , aut turpis , aut maioris boni impeditiua , non obligat votum.

22. Sà. Reginaldus, & communis *ſuper.*

8 Obligatio voti tollitur quinque modis. Ceſſatione materiæ ; Interpretatione, cum vir doctus iudicat, ſub talibus circunſtantiis non obligare ; Irritatione ; Diſpenſatione , & Commutatione.

9 Quando perſona , aut res eſt ſubiecta alteri , ab hoc poteſt irritari votum ; nam in eo includitur conditio, ſi ille non reſiſtat. Debet autem ſubiectio eſſe perfecta : quare Epiſcopus , & Pontifex nequeunt irritare vota ſubditorum , niſi vota Religioſorum, quæ à Pontifice poſſunt irritari , (23) quia ſpecialiter , & perfectè ſubduntur ipſi. Vota ſeruorum, etiam ante ſeruitutem emiſſa , poſſunt irritari à domino , ſi ipſi præiudicent , ſicut vota vxoris ( 24 ) à marito, necnon vota mariti ab vxore , ſi ei , aut eius iuri incommodent. Quòd ſi vterque voueat Religionem ex pacto , aut maritus ſuſceptionem ſacrorum Ordinum , (25) nequeunt ad inuicem vota irritare.

23. Suarez , & communis *vbi ſup. num.11.*

24. Communis.

25. Baſſeus cum aliis *vbi ſup. num. 11.*

10 Vota Religioſorum ( non ſolennia , nec conſtituentia ſtatum Religioſorum ) poſſunt à Superiore irritari ; non verò votum tranſeundi ad arctiorem Religionem , quia in hoc (26) non ſubduntur. Superior concedens facultatem ſubdito ad vouendum , peccat , ſaltem venialiter , ſi irritet votum ſine cauſa. Subditus autem abſque eius licentia (27) poteſt emittere votum regulæ non repugnans. Qui delegatam poteſtatem à Superiore habet , poteſt etiam irritare vota ſubditorum. (28) Vota nouitiorum , cum adhuc ſint ſui iuris , nequit Superior religioſus irritare , poteſt autem ſuſpendere ea , quæ probationem impediunt. (29)

26. *Cap. Litet, de Regularib.*

27. Rodriguez cum aliis *vbi ſup. num.12.*

28. Reginaldus, & plures *ſuper.*

29. Layman *ibi.*

11 Vota impuberum poſſunt irritari à patre, quamvis is ſit ſeruus , ob poteſtatem naturalem ; & à tutore ; & defuncto patre , à matre , ſi ſit tutrix. Idem dic de auo , & auia , mortuo patre , & deficiente tutore,

tore, etiam si vota (30) emissa sint, vt implenda posteà tempore pubertatis. Imò si pubes non ratum habet votum emissum à se impubere, potest irritari, quia semper conditio subsistit, si non resistat qui potest. (31) Si impubes careat parentibus, & tutoribus & sit sub hero, is poterit eius vota irritare, quia loco eorum succedit. (32)

30. Filliucius cum communi apud Me *de Bullæ Cruc. d. 26. n. 13.*

31. Syluius.

Th. Sanchez *vbi nuper.*

12 Vota puberum, quæ incommodant familiæ, & patriæ potestati, possunt à patre irritari. Quin pater, & curator possunt irritare illorum vota realia, si officiant administrationi bonorum, nisi puberes vouentes habeant bona castrensia, aut quasi castrensia, (33) aut emittant illa, vt implenda tempore, quo habeant bonorum administrationem. Itaque ad irritandum vota requiritur potestas dominatiua, seu domestica.

32. Suarez *ibid.*

33. Basæus, & communis *ibi.*

13 Ad dispensandum in votis requiritur iurisdictio Ecclesiastica, nam dispensatio est relaxatio voti, qua tollitur eius vinculum per potestatem à Christo D. relictam Ecclesiæ. (34) Hinc nequit quis facere, vt suum votum sit indispensabile, quia non potest coarctare Prælati potestatem.

34. Matthæi 16. *Quicunque li-j gauerit, &c.*

14 Cardinales, si Prælati non sint, cum non habeant plebem sibi subiectam, nequeunt (35) in votis dispensare, nisi intra suos Ecclesiarum titulos, in quibus gaudent iurisdictione quasi Episcopali. Legatus Papæ, seu Nuntius Apostolicus, potest in tota Prouincia dispensare in votis, in quibus (36) possunt Episcopi. Summus Pœnitentiarius Romanus habet potestatem dispensandi annexam suo muneri. (37) Potest Episcopus dispensare cum subditis in votis non reseruatis Pontifici, etiam cum illis, qui per exiguum tempus versantur extra diœcesim, & etiam si ipse sit extra illam, quia (38) non est actus fori contentiosi. Nequit in votis catechumeni, quia hic non est intra Ecclesiam.

35. Suarez, & alij apud Me *sup. num.* 17.

36. Th. Sanchez, & alij *nuper.*

37. Barth. à S. Fausto *ibid.*

38. Suarez, & alij *vbi nuper.*

15 Nequit Archiepiscopus dispensare in votis eorum, qui sunt subditi suffraganeorum, quia non est ordinarius eorum Pastor, (39) nec dum visitat: nec potest in votis Episcopi suffraganei immediatè ei subditi. (40) Nec valet dispensare Vicarius genera-

39. *Cap. Pastoralis, de offic. Ordin.*

40. Ego *supra.*

lis Episcopi ; sic verò Capitulum , Sede vacante.

41. Aragon. à S. Fausto *sup.*

(41) Nequit Parochus dispensare in votis , quia caret iurisdictione externa. Possunt verò illi , qui iurisdictione quasi Episcopali gaudent ; & Prælati Regulares (42) respectu subditorum Regularium , non verò Abbatissæ. (43) Prælatus Regularis potest dispensare in votis nouitiorum , (44) necnon & Episcopus , in cuius territorio versantur cum animo ibi permanendi ex se. (45) Potest etiam Prælatus Regularis dispensare in votis , ita vt transeat subditus ad laxiorem Religionem ; nam sic non dispensat in substantia , sed in qualitate , quæ non est reseruata. At cernendum est , quis posset dispensare in ipso transitu. De quo *alibi.*

42. Toletus. Busembaum , & alij *sup.*

43. Couarruuias , & communis apud Me *de Bulla Cruciat. d. 26. n. 19.*

44. Henriquez. Suar. *vbi super.*

45. Nauarrus , & alij *suprà.*

16 Summus Pontifex potest dispensare in omnibus votis omnium fidelium ; & ex iusta causa in votis solennibus Religionum , quia solennitas instituta est ex decreto Ecclesiæ ; (46) & dispensasse eũ , testantur historiæ. Episcopus nequit dispensare in votis Religiosorum , (termo est adhuc de non constituentibus statum Religiosum ) quia non sunt ei subditi , potest verò Legatus à latere. Prælati Regulares nequeunt dispensare cum Religiosis promotis ad Episcopatum , quia eximuntur ab eorum iurisdictione.

46. Ego cum aliis *sup.* & *in Sta. era. d. ff. 3. n. 11. & d. 12. n. 12. Cap. vitco , de voto in 6.*

17 Quinque sunt vota reseruata Pontifici , in quibus nec Legatus à latere valet dispensare : Castitatis : Religionis : Peregrinationis Hierosolymitanæ : & ad limina Apostolorum : & ad Compostellam. Nec cum impuberibus potest (47) Episcopus in his dispensare ; potest verò , si valor est dubius , & si emissa sint adhuc ex metu leui ; ( 48 ) nam reseruatio , vt odiosa , restringenda est ad casus certos , & perfectè voluntarios. Potest etiam in graui periculo transgressionis , ac in vrgenti necessitate , si ex iusta causa ( 49 ) nequeat Pontifex adiri ; nam in his euentibus valet in lege Pontificia dispensare , nec opus est Legatum Pontificis adire. In his autem casibus Regulares , qui possunt dispensare ex priuilegio , in votis , in quibus aliàs possunt Episcopi , nequeunt disponere ; nam ex iuris interpretatione id conceditur Episcopis , in quibus eligitur industria personæ.

47. Suarez , & alij apud Me *de Bulla Cruciat. d. 26. num. 22.*

48. Th. Sanchez. Henriquez cũ aliis *super.*

49. Couarruuias. Valentia , & plures *super.*

18 *In*

18 In voto disiunctiuo materiæ nõ reseruatæ & reseruatæ, si adhuc hæc nõ est electa, (50) potest Episcopus dispensare, cum possit eligi non reseruata. Idem est, si materia non reseruata facta fuerit impossibilis, nam ex sua natura id votum non obligabat ad reseruatam. Si Pontifex commutet materiam reseruatam in non reseruatam, iam in hac potest Episcopus dispensare. Potest etiam in votis reseruatis, (51) si vouens noluit se obligare nisi ad culpam venialem, quia sunt imperfecta; & ob id potest in voto castitatis ad tempus, nisi sit per centum annos, quia id iudicatur perpetuum. Necnon potest in voto promittendi castitatem, nam id non est votum castitatis; & in votis castitatis partialis, vt non nubendi, non fornicandi, & similium. (52) At si votum non nubendi fiat in gratiam alterius, non poterit in eo dispensare, ne ei præiudicet.

50. Sayrus *vbi nuper*, cum Suarez & aliis.

51. Barth. à S. Fausto. Sotus. Corduba *vbi sup. num.* 13.

52. Sotus. Azor. Th. Sanchez, & alij apud Me *de Bulla Cruciat. d.* 26. *num.* 23.

19 Potest etiam Episcopus dispensare cum eo, qui votum castitatis emisit, & matrimonium contraxit, solùm vt petat debitum, reddere enim debet; & in votis vtriusque coniugis non petendi debitum, ac in voto simplici castitatis coniugalis; non verò in toto castitatis emisso ab vtroque coniuge de consensu vtriusque, quia cesserunt suo iuri. Potest adhuc dispensare cum incolis, qui emiserunt votum ieiunij, aut seruandi Festum; & ad id non tenentur (53) sue cessores ex vi voti, sed præcepti, aut consuetudinis; in quo etiam valet Episcopus dispensare, sicut in suis præceptis. Necnon potest in voto facto in gratiam alterius, dum non sit acceptatum. (54) In Parocho non datur iurisdictio dispensandi in votis, etiam si nequeat Episcopus adiri.

53. Th. Sanchez, & communis apud Me *vbi nuper, num.* 25.

54. Sà, & alij *nuper.*

20 Nequit Episcopus dispensare cum hæredibus in voto reali defuncti, quia illi non tenentur ex vi voti, sed pacti, aut contractus. Nec cum eo, qui emisso voto castitatis contraxit, & non consummauit matrimonium; nam (55) adhuc potest implere votum. Nec in voto virginitatis, si vouens voluit se obligare ad castitatem perpetuam. Potest autem in voto ingrediendi Religionem arctiorem, vt quis ingrediatur in laxiorem, quippe id non attinet ad substantiam

55. Sotus, & alij *vbi sup. n.* 26.

voti. Et in voto ingrediendi Religionem non approbatam, ac in votis, quæ in ea emittuntur. (56) Et in voto emisso à nouitio perseuerandi in Religione, nam est votum qualitatis adiunctæ, non Religionis. Et in votis ingrediendi Religiones Militares, vt quis sit Eques, præterquam D. Ioannis Hierosolymitani. (57) Et etiam potest dispensare, vt votum Religionis differatur per aliquod tempus. Et in circumstantiis voti peregrinationis, v. g. vt eques eat, qui pedes ire vouit. Et in voto eundi Romam, non causa deuotionis eius loci, sed vt (58) pedes Pontificis osculetur.

21 In votis pœnalibus delicti futuri reseruatis, etiam posito delicto, potest Episcopus dispensare; (59) quia reseruatio est rei simpliciter volitæ, nec extendenda; illa autem pœna simpliciter non optatur. Idem dic de votis conditionalibus reseruatis, (60) nam vouens non fertur ex affectu ad rem importatam in materia, quæ vouetur, sed ad importatam in conditione, v. g. si lis mihi feliciter succedat, vouco peregrinationem Compostellanam; vbi ad euentum litis fertur affectus. Vnde etiam posita conditione, potest dispensare; nam ex sua natura ab initio votum non fuit perfectum: vota autem solùm perfecta ex sua natura cadunt sub reseruatione, cum hæc sit ad illa restringenda, non amplianda ad imperfecta.

22 Qui potest dispensare in votis, potest in iuramentis, & eodem modo. (61)

23 Vt sit licita, & valida dispensatio in votis, requiritur causa iusta, quia potestas Ecclesiastica ad ædificationem est, non ad destructionem, quare sine illa inualida esset; sat autem est, bona fide iudicasse Prælatum, causam esse iustam, (62) quamvis postea constaret oppositum; dispensatusque, qui etiam bona fide processit, tutus erit in conscientia. Sic etiam dispensatio valeret, si Episcopus in materiæ reseruatæ dubio voto dispensaret, & si constaret postea esse certum. Quòd si dispensaret, non cognita causa, quamvis ea daretur, (63) dispensatio esset nulla. Oppositum est certò probabile. (64)

56. Sayrus. Azor, & alij *nuper.*

57. Sotus. Th. Sanchez, & alij *nuper.*

58. Barth. à S. Fausto *vbi nuper.*

59. Rodriguez. Henriquez. Card. Toletus, & plurimi apud Me *de Bulla Cruciat. d. 26. num. 29.*

60. Ant. Gomez. Card. Toletus. Th. Sanchez. Ego *sup. n. 29.*

61. Caietanus. Suarez, & alij *vbi sup. n. 30.*

62. Caietanus. Lessius *vbi sup. num. 32.*

63. Nauarrus, & plurimi *supra.*

64. Barth. à S. Fausto, & alij *ibidem.*

24 Sat autem est, vt saltem prudenter dubitetur, an causa sit iusta, vt ad mitiorem partem inclinetur; aliàs verò constaret (65) de iustitia causæ, & pateret aditus scrupulis. Et dispensatus est tutus, cum stet iudicio dispensantis.

(65) D. Thomas, Sylvester, & alij *ibi, n. 53.*

25 Commutatio voti est mutatio illius in aliam materiam, ita vt vinculum prioris voti maneat in diuersa materia. Quisque propria authoritate potest suum votum commutare in maius bonum Deo gratius, (66) quia sic non frangit promissionem, sed in melius mutat; & abundè soluit, qui minus debet, & maius soluit. Non tamen poterit commutare suum votum, si factum sit in gratiam tertij, ne ei præiudicium fiat, nisi sit in gratiam illius bonum maius, in quod commutat. Quòd si vouit quis elargiri quatuor aureos vni Ecclesiæ, potest ipse commutare in elargitionem quinque aureorum alij Ecclesiæ; nam Deo, cui adquisitum est ius, id est gratius.

(66) Gordonus, & communis *ibidem, n. 56.*

26 Vota iurata possunt dispensari, & commutari ab habente potestatem dispensandi, & commutandi vota: (67) nam vinculum iuramenti non excedit vinculum voti; & sicut duo vota potest ille commutare, sic & vnum votum iuratum.

(67) Communis.

27 Votum in bonum æquale nequit propria quis authoritate commutare, nam (68) difficillimum est rerum æqualitatem attingere, nisi ea sit euidens; & vt à Prælato sic commutetur, requiritur aliqua causa: nam promissum in propria specie debet solui; & commutans est dispensator, qui absque causa operari non debet. Attamen sufficiet pro causa magna repugnantia in adimplendo promissum, & maior animi promptitudo ad aliud æquale; & hæc causa nunquam deerit, aliàs non posset fieri commutatio.

(68) Bardi. Suarez, & alij apud Me *de Bulla Cruc. d. 26. num. 38. & in Append. d. 2. num. 156.*

28 Qui habet potestatem dispensandi, habet & commutandi. Commutatio autem debet esse in bonum æquale, plùs minusvè, arbitrio viri prudentis. Si is, qui commutat, possit dispensare, valet commutare in minus, iungendo dispensationem; secus aliter. Si materia, in quam commutatur votum, reddatur impossibilis, non tenetur quis ad prius votum

regredi. Si quis ſuum votum in maius bonum commutauit, non poteſt regredi ad prius, (69) quia eſſet regreſſus ad minus bonum. Cum autem à Superiore commutatur in minus bonum, poteſt regredi ad prius, ſicut poteſt ſuum votum in maius bonum commutare. Attendenda eſt proportio materiæ, in quam votum commutatur, ita vt communiter votum reale in reale, & perſonale in perſonale, & perpetuum in perpetuum commutetur.

69. Gordonus, & alii *vbi ſup. num.* 42.

29 Abbatiſſa, vtpote iuriſdictione Eccleſiaſtica carens, nequit commutare (70) vota ſubditarum.

70. Barth. à S. Fauſto *vbi ſup. num.* 44.

30 Commutare votum propria authoritate in bonum euidenter æquale non eſt peccatum mortale, (71) quia infidelitas eſt in re modica.

71. Petr. Ledeſma *vbi ſuper, n.* 45.

31 Solus Pontifex commutare poteſt vota, in quibus ſolus ipſe poteſt diſpenſare; & in facultate generaliter conceſſa ad commutandum, ea non includuntur: nam in generali conceſſione non veniunt illa, quæ veroſimiliter non eſſent (72) concedenda.

72. *Cap. 81. de regul. iur. in 6.*

32 Cauſæ ad diſpenſandum, & commutandum vota ſolent hæ recenſeri. Leuitas, aut facilitas vouentis. Infirmitas, aut debilitas ad exequendum votum. Numeroſitas familiæ, cui fiet detrimentum, ſi votum ſit peregrinationis. Neceſſitas publica, vel priuata. Metus, etiam ab intrinſeco, in emiſſione voti. Repentina in eo deliberatio. Vtilitas vouentis, ac magna eiuſdem fragilitas. Puerilis ætas. Incommoditas adimpletionis, ſeu difficultas operis. Facilitas tranſgreſſionis.

73. Aragon. apud Me *de Bulla Cruc. d. 26. n. 48.*

33 Vota reſeruata poſſunt commutari in opera (73) euidenter meliora, eſtò oppoſitum ſit tutius, cum Pontifex, qui non vult maius bonum impedire, reſeruet etiam ſibi modum, quo ſit exequendum. Licet Epiſcopatus ſit ſtatus perfectior quàm Religio, nequit votum reſeruatum commutari in illum; nam ea maior perfectio ſupponitur, & poſtulatur ab eo ſtatu, non tamen is adducit hominem ad eam perfectionem: vnde rectè in aliquibus ſacris Religionibus emittitur votum non poſtulandi Epiſcopatum, nec accipiendi niſi iubente Pontifice.

34 Vota

34 Vota nouitij, adhuc realia, in quibus ius tertio non est adquisitum, possunt commutari in opera ordinaria Religionis, quæ sunt Deo gratiora; & est consummatio (74) quasi conditionata, si ille non exeat è Religione; nam si exeat, ea vota vrgent. Votum Religionis arctioris potest commutari in Religionem minus arctam, quia non est commutatio voti reseruati, sed qualitatis Religionis.

74. Lessius, & communis *vbi sup. num. 50.*

35 Qui ex priuilegio potest commutare vota, potest & iuramenta, & vota iurata, quia est valde affine vinculum vtriusque, & maius est vinculum voti; quare concessa (75) facultate ad vnum, censetur concessa ad aliud.

75. Henriquez. Suarez, & alij *vbi sup. n. 51.*

36 Ei, qui vouit non facere aliquid, & si fecerit, imponit sibi pœnam, potest relaxare, aut commutare pœnam iam incursam idem, qui potest relaxare votum; & ipse vouens (76) potest eam commutare in rem euidenter meliorem.

76. Th. Sanchez cum aliis *sup. num. 52.*

37 Concessa facultate commmutandi vota per Iubilæum, aut Bullam Cruciatæ, possunt commutari etiam emissa post Iubilæum, aut Bullam, dum hæc durent; nam verba indefinita, & generalia in priuilegiis extenduntur ad futura. (77)

77. Nauarrus *sup.* Glossa *in cap. Quia circa, de priuileg.*

38 Vota in fauorem tertij non adhuc acceptata possunt commutari, quia nulli fit præiudicium; vnde votum præbendi aliquid Ecclesiæ, dum Rector, aut Capitulum non acceptat, est commutabile. (78)

78. Syluester, & alij apud Me *de Bulla Cruc. d. 26. num. 54.*

39 Votum Religionis non reuiuiscit, si quis post professionem eiiciatur; (79) nam per professionem omnia vota extinguuntur.

79. Barth. à S. Fausto, & communis *vbi supra Cap. Scripturæ, de voto.*

40 Votum ab habente facultatem potest partim dispensari, partim commutari; & sic solent Prælati præstare, vt causa adæquetur vtrique.

41 Qui facultatem haberet ad commutandum vnicum votum, si quis emisisset votum iuratum, posset ei commutare votum, & remaneret iuramentum ablatum, vtpote accessorium. Quòd si facultas esset ad commutandum vnicum iuramentum, & eo casu commutaretur iuramentum, non maneret ablatum votum, vtpotè principale. Si verò independenter

vnum ab alio emittatur, ablato vno, non tollitur aliud; nam sunt duo vincula independentia. Oppositum est certò probabile; (80) nam tunc ablato vno vinculo, indirectè tollitur aliud, & censentur moraliter vnum.

80. Trullench. Suarez. Th. Sanchez, & alij apud Me *vbi sup. num.* 73.

42 Libertas requisita ad votum (quod est actus voluntatis) est perfecta, aut saltem ea, quæ requiritur ad peccandum lethaliter, & hæc sufficit; non verò sat est semiplena libertas, quæ oritur ex aliquali iudicio, estque motus secundò primus. (81) Etenim cum libertate sufficiente ad peccandum lethaliter est quis sufficienter dominus suarum actionum, & potest se obligare diabolo, vnde & Deo. Hinc habens lucida interualla, dum non insanit, & semiebrius habens sufficientem vsum rationis ad peccandum lethaliter, & iratus, nisi mentem auferat calor iracundiæ, validè vouent. (82)

81. Caietanus. Sotus. Sylvester, & alij apud Suarez *lib.* 1. *de voto, c.* 9. Azor. Bonacina. Layman. Aragon. Toletus, & alij.

43 Vouere cum semiplena deliberatione, quæ sufficit ad peccandum venialiter, est peccatum veniale; nam tunc imprudenter vouetur, & Deo displicet infidelis, (83) & stulta promissio. Nec id votum inducit obligationem leuem, nam absolutè non est votum, & nemo censetur velle absque plena libertate inducere sibi obligationem: estò tunc obligari possit ad pœnam ob venialem culpam, quia hanc illa consequitur, & homo illam directè non vult, imò nollet ad eam obligatus manere.

82. Th. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. d.* 8. *num.* 23. Bonacina, & alij.

44 Si præcessit perfecta deliberatio, & animus vouendi, durans moraliter in aliquo, quamvis in instanti quo quis emittit votum, non adsit adeò expressa, & attenta deliberatio, sufficit ad votum, vt videre est cum emittitur Professio in Religione, quam plures cum animi turbatione emittunt; & absolutè requiritur tunc actus libertatis, & cognitio sufficiens, cùm voluntas nequeat ferri in incognitum. Et eo ipso, quòd quis emittat humano modo ea vota externa, animum obligandi se per illa habet, dum non eliciat actum contrarium: sicut qui suscipit Ordinem sacrum, eo ipso vult obligare se voto castitatis.

83. *Eccles. iast.* 5.

45 Si

45 Si quis præuideat, se in ebrietate emissurum vota (dum præuidens non voueat) non tenetur votis in ea emissis; quia inebriando se non emisit votum. Secus si præuideat homicidium; nam homicidij reus erit in causa, & in effectu solùm erit homicidium obiectiuè prauum; at non datur votum obligans ratione causæ, cum ipsum votum debeat esse formaliter liberum.

46 Vouens ex consuetudine sine deliberatione actuali, non obligatur voto, quia sola consuetudo est causa proferendi illa verba.

47 Votum est actus virtutis Religionis; (84) nam in voto non præstatur Deo commodum, sicut in promissione præstatur hominibus; sed cultus, obsequium, & honor propter eius excellentiam, in quo virtus Religionis consistit. Hinc non adimplere votum est sacrilegium, quod est peccatum oppositum virtuti Religionis.

84. Communis cũ D.Thom. 2.2. *q.88. art. 5.*

48 Magis meritorium est opus, quod ex voto fit, & ex vi voti, quàm idipsum absque voto factum. (85) Nam opus factum ex vi voti oritur à virtute Religionis, quæ est nobilior inter virtutes morales, elicitiuè, vel imperatiuè; habetque id meritum præstantius, quàm si solùm actus virtutis moralis absque eo voto eliceretur; & si actus promissus sit virtutis Theologicæ, additur id meritum ex virtute Religionis, quo careret ille actus absque voto elicitus. At præterea operans ex voto plus se Deo subiicit, cum non solùm subiiciat opus, sed operandi facultatem; sicut plus donat, qui etiam cum fructu donat arborem, quàm qui dumtaxat donat fructum. Nec ille speratur magis necessitatus necessitate coactionis, sed obligationis, quæ non minuit meritum. Hinc etiam sunt magis meritoria opera ex præcepto facta ex vi præcepti, & ex obedientia, quàm opera consilij; & cum hæc dicuntur meliora, non intelligitur relatiuè ad præcepta, sed ad opera oppositа, quia melius est macerare corpus ieiuniis, & pœnitentiis, quàm non macerare; & sic de aliis. Potest autem decrescere meritum operis promissi per votum ex

85. D. Thomas *nuper, art.6.* Caietanus *ibi.* Suarez *lib.1. de voto, c.17.* Valentia *in 2. 2. q.88. art.6. d.4.q.6.punct.3.* Lessius *de iust. lib. 2. cap. 40. dub.8.num.53.* Filliuc. *tr.26. sect.1.num.32.* Layman *tr. 4. cap.4.* & alij communiter.

ex tædio, & aliis circunſtantiis in eius adimpletione.

49 Pœnitudo voti emiſſi, ſi ſit cum periculo tranſgrediendi illud, eſt peccatum; ſecùs ſi perſeueret voluntas illud adimplendi; (86) ſicut enim poteſt quis ante emiſſionem voti nolle illud emittere, ita poſteà velle non emiſiſſe illud; vtriuſque namque actus idem eſt obiectum: & cum primus non eſſet peccatum, nec eſt ſecundus, cum tendat ad opus tunc indebitum; & per votum obligatur quis ad materiam promiſſam, non verò ad non volendum poſteà, non emiſiſſe illum actum.

86. Plures apud Valentia *in* 2. 2. *q.*88. *art.*6. *d.*6. *q.*6. *punct.*3.

50 Votum poteſt fieri de materia externa, & de actibus internis; & præterea poteſt etiam emitti per actum internum, quin verba dentur. (87) At vota ſolennia requirunt externa verba. Votum internum dicitur mentale: votum externum vocatur ſenſibile.

87. Sotus *in* 4. *d.*38. *q.*2. *art.*1.

51 Validum eſt votum, quo quis enuntiet, Si decernam religionem ingredi, voueo talem Religionem, (88) eſtò hæc ſit laxior, quàm aliæ; nam ex primaria intentione vouet eam Religionem, & ſolùm ex ſecundaria, & indirectè excludit alias.

88. D. Antonin. 2. *p. tit.*11. *c.*2. Th. Sanchez *lib.*4. *ſumm. c.*8. *num.*48. Paludanus. Sylueſter, & alij.

52 Si quis voueat eleemoſynam, ſi Petrus det Paulo centum, non ſufficiet, quòd ille ea det, ſed quod alter acceptet, vt id votum obliget: (89) nam quamvis in legatis conditio à duorum voluntate pendens cenſeatur purificata, quando per debentem non ſtat; at in contractibus, & promiſſionibus non purificatur, donec vterque aſſentiatur.

89. Th. Sanchez *lib.*1. *de matr. d.*38. & *lib.*4. *ſumm. cap.*23.

53 Votum emiſſum ſub pluribus conditionibus non obligat, donec omnes impleantur. (90) Quòd ſi dubitetur, an emiſſum fuerit ſub omnibus collectiuè, aut diuiſiuè, iudicandum eſt in fauorem libertatis.

90. Azor *lib.*11. *cap.*15. *q.*9.

54 Votum emiſſum ſub conditione, quòd naues ex India venirent, cum iam veniſſent, ſed ignorabat id vouens, tenebit caſu quo ille vt meram conditionem eum aduentum appoſuiſſet; ſecus ſi is fuerit cauſa finalis, cum tunc ſit impoſſibilis conditio. (91)

91. Th. Sanchez *lib.*4. *ſumm. c.*23. *num.*22.

55 Votum

55 Votum emissum sub conditione, si æquiualenter adimpleatur, obligabit iuxta intentionem vouentis. V.g. vouit quis Religionem, si soror nuberet, in qua conditione solùm intendit eam non deserere destituram, si moriatur, tenetur ad Religionem; nam iuxta eius intentionem sufficienter adimpleta est conditio. (92) Secus si vouens per adimpletionem conditionis æquiualentem non obtineat suum finem; nam conditio ex se in propria, & specifica forma debet adimpleri. (93)

92. Plures apud Th. Sanchez *vbi supra, num.* 25.

93. *Leg. Qui hæredi, leg. Mæuius, ff. de condition. & demonst.*

56 Vouens ieiunare omnibus Sabbatis, si non ingrediatur Religionem, per ingressum cum animo persequendi liberatur voto, etiam si eiiciatur, aut iusta de causa exeat; secus si animum persequendi non habeat: nam sicut per talem ingressum non satisfaceret voto Religionis, ita nec conditioni, quæ intelligitur de ingressu, quem ius petit, vt ei voto satisfieret. (94) Quòd si vouit inseruire Xenodochio, si non ingrediatur religionem, censetur ita esse, vt emittat Professionem; nam si exeat tempore nouitiatus, liber manet ad seruiendum Xenodochio, & ad id tenetur. Potest autem id votum commutari in ingressum in Religionem, & tunc si exeat iusta de causa, vel eiiciatur, non tenetur ad votum inseruiendi Xenodochio.

94. Th. Sanchez *sup. num. 40. & c. 16. & lib. 1. de matr. d. 34. num. 17.*

56 Vouens sub conditione aliquando non tenetur impedire conditionem, imò quandoque debet impedire; aliquando tenetur ad non impediendum, & si impediat, tenetur ad votum. Tota res sequentibus casibus exponitur. Vouit quis aliquid dependenter omnino à sua libertate, v. g. voueo Religionem S. Benedicti, si decreuero ingredi Religionem: potest impedire id decretum. (95) Idem est, voueo Religionem, si in ludo victus fuero: potest conari non vinci, ne obstringatur voto. Rursùs si votum sit, si peccauero tali culpa, voueo Religionem, tenetur impedire conditionem, cum teneatur non peccare. Imò si conditio pendeat à voluntate alterius, ex vi voti non tenetur ei non suadere, ne apponat; vt, voueo Religionem, si amicus ad Indos pergat: non tenetur

95. Sylvest. *verb. Votum 2. n. 2.* Clauis Regia *lib. 6. c. 8. n. 4.* Filliuc. *de voto, c. 6. n. 152.* Nauarrus. Rodriguez. Th. Sanchez. Bonacina. Laym. & alij.

netur ex vi voti non ſuadere, ne pergat, (95) ductus aliis rationibus, quæ contra illud iter dantur.

95. Suarez *de voto, c. 17. num. 16.*

57 In hoc caſu, voueo religionem, ſi intra annum non iuro; ex vi voti ſolùm tenetur is ad non iurandum eo fine, vt non adimpleat votum; (96) in hoc enim dolus intercedit. Etiam ex vi voti tenetur ad non impediendum vi aut dolo conditionem dependentem à voluntate alterius; nam in voto principali includitur implicitè votum non impediendi fraudulenter, aut dolosè conditionem. Quin quomodocumque impediat conditionem ab altero dependentem, tenetur implere votum: (97) nam tunc votum id ſonat, ſi per alias cauſas mihi inuoluntarias non ſteterit, quominùs hoc faciam, id voueo. Et in iure (98) obligatur quis ſub appoſita conditione, quando ipſe curat, ne apponatur. Oppoſita ſententia eſt certò probabilis. (99)

96. Th. Sanchez *vbi ſup. c. 23. num. 33.* Suarez. Filliucius, & alij.

97. Iud. Lopez *1. p. inſt. c. 44.* Angles *in flor. 2. p. q. vnic.* Azor *lib. 11. cap. 20.* Richardus. Angelus. Nauarrus. Tabiena. Palacios. Th. Sanchez, & alij.

58 In voto pœnali conditionali, ſi materia eſt incapax voti, non obligatur quis ad pœnam ſubeundam; hæc enim apponitur, vt acceſſoria voto principali: veluti ſi quis vouеat rem indifferentem, aut prauam, & ſi non impleat, ingredi Religionem; non tenetur ingredi, quamvis eam rem non adimpleat. Si autem materia principalis eſt capax voti, & hoc commutetur, ſeu diſpenſetur, tollitur obligatio pœnæ, vtpote à voto principali dependens. Et vt obtineatur commutatio, ſeu diſpenſatio, non eſt opus facere mentionem pœnæ appoſitæ, quia hæc non eſt pars materiæ principalis voti, (100) nec quid neceſſariò cum illa implendum. Et è conuerſo poteſt quis petere diſpenſationem, aut commutationem pœnæ, quin mentionem faciat voti principalis, quod tamen in ſua vi manebit.

98. *Leg. In executione, §. vlt. de verb. oblig. Cap. 66. de reg. iur. in 6.*

99. Maior *in 4. d. 38. q. 1.* Filliuc. *de voto, c. 6. n. 158.* Suarez. Laym. & alij.

59 Quando tranſgreſſio voti pœnalis culpa caret, aut propter obliuionem, aut aliam cauſam iuſtam, non obligatur vouens ad pœnam; nam ideò pœna imponitur, vt culpa vitetur. (101) Si votum pœnale ſæpè violetur, obligatur quis ad pœnam toties quoties, niſi ſit extraordinaria, (102) quæ ſolùm obligat pro prima vice; v. g. Voueo non ludere, & ſi ludam

100. Th. Sanchez *lib. 4. ſum. c. 22. num. 9.* Laym. & alij.

101. Th. Sanchez *vbi ſuper, à num. 14.*

102. *Sà verb. Vo-*

Iudam, audire vnam Missam, aut peregrinari Hierosolymas: prima pœna toties quoties est adimplenda; secunda pro prima vice, ea enim censetur intentio vouentis.

60 Votum absque temporis designatione emissum obligat, cum primùm iudicio prudentis potest sine notabili incommodo adimpleri. (103) Nec quæcumque postmodùm mora est mortalis, sed multa dilatio, maximè ea, quæ potest impedire adimpletionem voti. In adimpletione voti Religionis, etiam emissi ab habente sexdecim annos, potest dilatio ad tres, aut quatuor annos accedere, vt is robustior fiat ad labores Religionis, vel vt literas discat, aut ob aliam quamlibet rationabilem causam; siquidem toto vitæ decursu postea in Religione est permansurus. (104) In cæteris votis, post habitum commodum tempus, opus est notabili negligentia, vt sit mortalis. (105) In his, in quibus tempus præfigitur, eo tempore sunt adimplenda, quando intuitu temporis sunt emissa, v. g si quis voueat ieiunare tempore Aduentus, aut Feriis sextis: audire Missam Sabbatis. Et eo transacto tempore cessat obligatio. Quando autem designatur tempus, vt terminus, non cessat obligatio; nam non designatur ad finiendam obligationem, sed ad præscribendum terminum, extra quem licitè nequeat differri: (106) vt si quis voueat ingredi Religionem intra annum, debet intra ipsum adimplere votum, & etiam post ipsum. At in dilatione etiam paruitas materiæ datur. Satisfit voto illud implendo ante tempus præfixum, nisi sit emissum intuitu, & deuotione temporis, veluti votum ieiunandi tempore Aduentus, cui non satisfit per ieiunia anticipata.

61 Si quis miraculosè post mortem resuscitetur, vota in vita antecedenti emissa non obligant, quia solùm vsque ad mortem intendit ille se obligare; & morte cessant huiusmodi obligationes: vnde si resurgeret religiosus Professus, posset nuptias contrahere, (107) nisi esset sacris initiatus, quia character durat, & resurgeret ille verè Sacerdos, si fuisset talis.

62 Votum

*tum, num. 26.* Th. Sanchez *sup. num. 21.*

103.
D. Antonin. *2. p. tit. 11. cap. 1. §. 2.* Armilla. Valentia. Sà. Th. Sanchez. Nauarra. Angles, & innumeri.

104.
Palacios *in 4. dist. 38. d. 11.* Th. Sanchez *sup. c. 14. n. 12.* Corduba. Rodriguez. Pet. Ledesma, & alij.

105.
Angelus *verb. Votum 3. q. 3.* D. Antonin. Sylvester. Tabiena. Th. Sanch. & alij.

106.
Caietan. *in 2. 2. q. 88. art. 12. dub. vlt.* Azor *lib. 11. c. 15. q. 11.* Nauarrus. Rodriguez. Valentia, & alij.

107.
Th. Sanchez *lib. 4. summ. c. 14. num. 41.*

62 Votum rei malæ moraliter eſt duplex peccatum, mortale, aut veniale, iuxta qualitatem materiæ: (108) nam propoſitum exequendi eam eſt malum, & inſuper irreuerentia Deo facta. Et votum rei indifferentis etiam eſt culpa venialis.

108. Sotus *de iuſtit. l.7. q.1. art.3.* Card. Toletus *l.4. ſum. c.17. n.15.* & plures.

63 Votum agitandi tauros, aut exhibendi profanas comicorum repræſentationes in honorem alicuius Sancti, eſt inualidum, quia illa (109) ad Sanctorum cultum non ſpectant.

109. Concilium Toletanum vltimum. Concilium Bracharenſe vltimum.

64 Votum alicuius rei bonæ impeditiuæ maioris boni tunc eſt validum, quando quis non vult exequi illud maius bonum; v. g. votum ſeruiendi perpetuò Xenodochio impedit ingreſſum Religionis: ſi quis nolit ingredi, eſt validum; ſi velit, inualidum eſt. (110)

110. Suarez *lib. 2. de voto, c.7.* Th. Sanchez. Laym. & alij cum D.Thom.

65 Votum diſiunctiuum, cuius vna pars eſt bona, alia mala, eſt inualidum, vt voueo inſeruire Xenodochio, aut eſſe furem; nam ex natura diſiunctiui obligatio cadit ſupra vtramque partem, ita vt detur locus electioni: in hoc autem non datur locus eligendi partem prauam, vtpotè ineptam voto, vnde ipſum manet inualidum. (111)

111. Bonac. *tom. 2. d. 4. puncto 4. §. 5.*

66 Votum omiſſionis rei bonæ eſt validum, quando ea omiſſio diſponit ad maius bonum; vt votum non nubendi, eſtò nuptiæ ſint bonæ. Si autem omiſſio ſit operis præcepti, aut conſilij, non eſt validum votum, quia eſſet rei prauæ, aut indifferentis. (112)

112. Communis.

67 Intentio vouentis eſt introſpicienda, quando vouet aliquid peragere, v. g. ædificare Eccleſiam, an ſi non poſſit totam, teneatur ad partem; nam ſi intendit per modum vnius corporis indiuidui eam fabricare, ſi id non poſſit, (113) ad nihil tenetur. Si autem voueat ire nudis pedibus Compoſtellam, etiamſi ſic nequeat, tenetur ire, quia ab eo modo non pendet ſubſtantia voti. (114) Idem eſt de quouis acceſſorio addito materiæ principali voti. Secus eſt de eo, qui nequit adimplere principale, quippe non tenetur ad acceſſorium. (115) Quod ſi quis voueat pedeſter ire Romam, & nequeat, tenebitur ire equeſter, niſi vouiſſet eam circunſtantiam vt principalem, ob ſubeundum eum laborem. (116)

113. Th. Sanchez *lib.4. in Decal. c.10. num.7.*

114. Sylueſt. *verb. Votum 2. q.1.* Bonacina *ſup. num.5.*

115. Suar. *lib.2. de voto, c.2. & 10.*

116. Th. Sanchez *vbi ſup. n.10.*

68 Cum quis vouet disiunctiuè dare vnum, vel aliud, v. g. equum, aut bouem Ecclesiæ, si ante votum vna ex his rebus perierit, ad nihil tenetur, quia non manet electio; si post votum perit, (117) tenetur ad præstandum alterum, vel pretium eius, quod periit. (118) Sic cum quis vouet disiunctiuè quid personale, & quid reale, & moritur, tenetur hæres ad rem præstandam, quia post votum facta est alia pars, nempe personalis, impossibilis ob mortem vouentis.

117. Bonacina *sup.* §.5.*num.*2.

118. Molina *de iust. tom.* 2. *d.*270.

69 Votum non vouendi est inualidum, quia materia opponitur consilio, (119) nisi fiat ob finem non vouendi temerariè. Inualidum etiam est votum non suscipiendi Ordines, validum verò suscipiendi: item & non petendi dispensationem voti, (120) & votum non ambiendi Dignitates, vt occludatur ostium ambitioni.

119. Suarez *lib.*4.*de voto, c.*11.*n.*4.

120. D. Antonin. 2. *p. tit.* 11. *c.*2. §.9.

70 Omnes, qui vsu rationis pollent, possunt emittere vota, quia nulli id prohibetur, loquendo de votis personalibus; & sicut possunt diabolo se per peccatum obligare, ita Deo per vota. (121) Vota realia etiam emittere possunt: verùm Religiosi, serui, & filiifamilias, solùm sub conditione, si consentiant Superior, dominus, pater. Quod idem contingit in aliquibus votis personalibus, cum actiones ab illis dependent, vt fiant.

D. Thom. 2.2. *q.*185. *art.*2. *ad* 3.

121. Communis.

71 Vota solennia Religionis nulla sunt, si fiant ante decimumsextum annum ætatis expletum; est enim hæc circunstantia essentialiter requisita.

72 Qui ad votum implendum indiget, vt in alia re cum eo dispensetur, tenetur petere dispensationem, vt impleat votum, dum petitio dispensationis sit maius bonum, quàm oppositum; v. g. Episcopus, qui vouet ingredi Religionem, tenetur poscere à Pontifice dispensationem, (122) sine qua nequit ingredi; & sic de aliis casibus.

122. Azor *tom.* 1. *lib.*11. *c.*16. *q.* 2. & plures.

73 Irritatio votorum facta à potentibus irritare, etiam absque causa, valet: & non est peccatum mortale, (123) sic verò veniale, (124) cùm ea potestas tradita sit in bonum vouentis, vel vt eius imprudentiæ

123. Communis.

124. Th. Sanchez. Lessius. Valent. & alij

dentiæ ſubueniatur, vel vt in irritantis damnum non cedat votum.

74 Pater nouitius in Religione poteſt irritare vota (quæ aliunde poteſt) filij nouitij, aut non nouitij, quia adhuc retinet patriam poteſtatem; ſecus ſi vnus vel alter ſint profeſſi, quia ceſſat ea poteſtas patria. (125)

125. Rebellus *de iuſt. p. 2. lib. 1. q. 8. ſect. 6. num. 63.*

75 Vota filij illegitimi poſſunt irritari à curatore, ſi detur, quòd ſi non detur, à patre, & etiam à matre, ob poteſtatem naturalem. Deficientibus autem his, nequeunt irritari à magiſtro, aut ab eo, ſub cuius gubernatione eſt. (126)

126. Th. Sanchez *lib. 6. de matr. d. 39. num. 84.*

76 Qui poteſt iuriſdictione ordinaria diſpenſare in votis, & commutare, poteſt reſpectu ſuiipſius idem exercere; vel alij dare facultatem, vt diſpenſet, vel commutet. (127) Nam actus diſpenſationis eſt actus delegabilis, indéque poteſt alteri committi. Quin non repugnat iure naturæ, actum iuriſdictionis gratioſæ, qualis eſt diſpenſandi, exercere in ſeipſum, & ſecundum diuerſas rationes eſſe agentem, & patientem. Quare qui habet facultatem diſpenſandi in aliquo reſpectu Communitatis, cuius ipſe eſt pars, poteſt ſecum diſpenſare. (128)

127. Henriquez *lib. 14. c. 18.* Rodriguez. Bonacina. Th. Sanch. & alij.

128. Th. Sanch. *de matr. l. 8. d. 3.*

77 Cum dubitatur de ſignificatione verborum, quæ quis protulit, an ſint votum, vel propoſitum, iudicandum eſt pro libertate, & ſolùm fuiſſe propoſitum. (129) Si quis aſſerat: Domine, ſi me libertas ab hoc morbo, ero Religioſus, aut Sacerdos; iudicandum eſt, ſi de oppoſito non conſtet, eſſe votum, (130) quia ſunt quoddam pactum inter proferentem ea verba, & Deum. Tamen ſi dubitet is, an ſolùm voluerit proponere abſque obligatione, propoſitum fuiſſe eſt cenſendum.

129. Suarez *tom. 2. de Relig. l. 4. de voto, c. 5. & 6.* Caſtro Palao. Th. Sanchez, & alij.

130. Nauarr. *lib. 3. conſil. tit. de voto, conſil. 8. in 1. editione, & conſil. 5. in 2.* Th. Sanchez.

78 Si quis votum emiſit v. g. dandi pecuniam Eccleſiæ, ſi peccaret cum quadam fœmina, & poſteà tentationi ſuccumbens, ne id votum violaret, ipſemet commutaret illud votum in votum Religionis, hæc commutatio non eſſet valida, & teneretur peccans ad præſtationem pecuniæ, nam emiſſio, ſeu commutatio voti non debet (131) eſſe contraria fini

131. Th. Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 56. num. 6.* Suarez, & alij.

priori

prioris voti, quod ad vitandum peccatum illud fuit emissum, & postea commutatur ob finem peccandi absque violatione illius voti: & quidem maius bonum est, non illud patrare peccatum, sub pœna dandi pecuniam; quàm patrare, & fieri Religiosum: primum autem bonum intenditur per primum votum. Et cum finis mouens ad hoc votum religionis sit prauus, materia voti vitiatur ab illo.

79 Qui edidit votum v. g. audiendi sacrum Sabbatho, si audiens vnum dicat, nolo per hoc sacrum satisfacere voto, an teneatur aliud audire, vel post auditum sufficiat applicare illud sacrum voto, vtraque sententia affirmans, & negans est certò probabilis. (132)

132. Gobat. *in exper. Theol. tr.5.num.206.* Suarez. Layman. Bonartius. Th. Sanchez. Castr. Palao.

80 Qui fundere preces vouit Deo, per se voluit obligari ad fundendas cum attentione interiori, cum de ratione orationis sit attentio, seu deuotio: (133) standum tamen est intentioni vouentis, qui potuit se solùm obligare ad dicendas eas preces, quin indè vexaretur scrupulis, an fuisset voluntariè distractus, necne.

133. Th. Sanchez *lib.7.consmor. c.2. dub.8.n.8.* Bonacina. Gobat.

81 Votum de confitendo peccata venialia emissum cum intentione obligandi se sub mortali, sanè sub eo obligat; nam non attenditur ad leuitatem materiæ confitendæ, sed ad ingentem profectum ea confitendi, simul cum difficultate, & verecundia, quam sæpè gignit confiteri iteratas culpas veniales, necnon aliquas in speciali; v. g. mendacia in viro sene, & graui; aspectum impudicum venialem in virgine casta, & valdè pudica. (134) Si hæ circunstantiæ desint, non erit lethale omittere eam confessionem.

134. Gobat. *vbi sup. tr.6. num.306.* Th. Sanchez. Dicastillo. Diana.

## *Vsura.*

1 VSura est lucrum immmediatè ex mutuo prouenieus. Alia est mentalis, qua intenditur aliquid ex vi mutui obtineri, tanquam ex iustitia debitum. Alia realis, qua de facto lucrum recipitur. Alia est propria, quæ in mutui contractu intercedit: alia

minùs propria, quæ in contractu emptionis intercedere potest. Iure naturali, (1) diuino, (2) & canonico (3) vsura est prohibita. In iure ciuili vsuræ permissæ fuerunt, forsan ob maiora mala vitanda; sed id ius abrogatum est per canonicum.

1. *Cap. 1. & seqq. 14. q. 3.*

2. *Cap. Quin, Cap. Super eo, cap. Consuluit, de vsuris.*

2 Non est vsura, accipere extra mutuum aliquid ex gratitudine, quod tamen non esset præstandum, si mutuum non intercederet. (4) Nolle mutuare nisi ei, (5) qui simile beneficium conferre potest, non est vsura. In contractibus potest esse vsura palliata, vt iam constabit.

3. *Clem. vnic. de vsur.*

3 Vsura est mutuare cum conditione non soluendi gabellas. Præterea est vsura mutuare designando partem mutui in aliquo, qui eam debet mutuanti, ita vt expensæ pretio æstimabiles sint faciendæ à mutuatario, vt eam partem obtineat. (6) Si cum vsuris accepisti mutuum, & illud cum eo onere in alium transfers, non committis vsuram; quia non mutuas sub vsura, sed obligationem (7) in alium consentientem deriuas. Nec est vsura exigere fideiussorem mutuatarij, cum non adest securitas; erit verò vsura mutuare cum pacto, vt mutuatarius sit fideiussor. Nec est vsura, vendere merces in vno loco cum pacto vt soluantur in alio, si emptor indè non grauetur.

4. Sotus. Rebellus, & alij apud Me *de Bulla Cruc. d. 34. num. 6.*

5. Conradus. Molina *sup.*

6. Salas, & alij *vbi nuper, n. 7.*

7. Angelus. Sà *vbi sup.*

4 Vsura est mutuare centum cum pacto, vt mutuatarius accipiat partem in mercibus, (8) nisi ille sponte eas petat, aut possit illicò eodem pretio eas vendere. Non est vsura mutuare pecuniam, aut merces cum pacto, vt in eadem specie reddantur, siue plus, siue minùs tempore solutionis valeant, quia in hoc nulla est inæqualitas. Quin si sciatur, augendum fore pretium, potest mutuatarius petere incrementum, cum ipse posset seruare merces, & vendere postea, (9) & non teneatur pati in suis bonis iacturam; deductis tamen expensis, si quæ faciendæ forent in illis seruandis. Præterea si sciatur, monetam fore minuendam, potest mutuans petere, vt æqualis valor sibi reddatur; nam nihil vltra sortem exigit. (10)

8. Card. Toletus, & alij *vbi sup. num. 8.*

9. Nauarra *sup. n. 9.*

10. Salas *suprà.*

5 Non

5 Non eſt vſura mutuare triticum cum pacto vt nouum reddatur, ea niſi conſtet, hoc plus fore valiturum. Neque eſt, obligare mutuatarium, vt aliud debitum ex iuſtitia (11) ſoluat. Nec exigere, quod præſtet debitum ex charitate, cum in eius commodum (12) id cedat. Erit verò vſura obligare illum, (13) vt præſtet, quæ debet ex gratitudine ſola.

6 Non eſt vſura imponere pœnam mutuatario, ſi tempore deſignato non ſoluat; (14) ita tamen vt pœna non apponatur, vt vſura palliata, ſpe lucri adquirendi, noſcendo in mutuatario impotentiam ſoluendi eo tempore; quin potiùs optando, vt ne eo tempore ſoluat. Nec eſt vſura exigere aliquid ob periculoſam ſortem mutui præſtiti nauiganti, aut eunti peregrè, dum is aliundè non reddit ſecuram ſortem; quippe ipſe, vt deobligetur à ſecuritate præſtanda, vltrò aliquid vult ſoluere. (15) At pro ſecuritate non poſſunt accipi fructus pignoris, aut aliquid aliud, dum non adſit lucrum ceſſans, aut damnum emergens. (16) Aliud eſt in genero, qui à patre ſuæ vxoris pignus dotale percepit, is enim poteſt percipere fructus, eos enim non ratione vſuræ, ſed ob alias rationes percipit, (17) conſtante matrimonio, ſecus mortua vxore; quæ tamen, ſi marito ſuperviuit, poteſt eos fructus percipere, dum dos ei non præſtatur, cum ea ad ſuſtentationem detur, ad quam fructus percipiuntur. (18) Quòd ſi vxor dotem tradidit marito, & hic moritur, dum illi dos non ſoluitur, poteſt aliquid percipere ex bonis mariti, non ob expectatam dotis ſolutionem, ob vitandas lites emerſuras ex lucro ceſſante, aut damno emergente, ad quod reſpiciens Reſpublica deſignet (19) aliquam quantitatem.

7 In contractu feudali id eſt introductum, quòd ſi dominus feudi dedit mutuum feudatario, & in pignus accepit rem, in qua eſt feudum, poſſit percipere fructus. (20) Idem dicendum de pignore emphyteutico, non verò de pignore vſufructuario, vſurario, & conductitio.

8 Pactum legis commiſſoriæ non eſt vſurarium,

11. Caietanus *ſup. num.* 10.
12. Ioan. Medina. Leſſius, & alij *vbi nuper.*
13. D. Thom. & communis *ſup.*
14. Abbas. Innocentius. Leſſius. Salas, & alij apud Me *de Bulla Cruciat. d.* 34 *num.* 11.
15. Couarruuias, & communis apud Me *vbi nuper*, *n.* 12.
16. *Cap. Conqueſtus, de vſur.*
17. *Cap. Salubriter, de vſuris.*
18. Mercatus. Rodriguez. Apud Me *vbi ſup. num.* 13.
19. Bañez, & alij *ſup. num.* 14.
20. *Cap.* 1. *de feud. cap Conqueſtus, de vſuris.*

nempe si tali tempore non soluatur, non intelligi rem venditam. (21) Est autem vsura in mutuo, quòd pignus maneat apud mutuantem, si res non soluatur tali tempore; (22) nam pignus communiter valet magis, quàm pecunia mutuata: non tamen erit vsura paciſci, quòd pignus tunc vendatur, & debitum ſolum reddatur mutuanti. Idque intelligitur ſiue pignus maneat apud mutuantem, ſiue erga fideiuſſorem, qui non poteſt ſoluere ita, vt pignoris fiat dominus. Vſurarius tenetur reſtituere vſuras, & lucrum ceſſans, & damnum emergens. Ex concurrentibus autem ad vſuras conſulens efficaciter, aut ſuadens tenentur reſtituere; (23) perinde enim ſe habent, ac ſi ſuaderent, aut conſulerent furtum. Mutuans verò (24) aut pecunias præſtans, vt alius ſoluat vſuras, non tenetur reſtituere. Tenentur autem domini temporales, iudices, aduocati, qui ſuo præcepto, aut patrocinio ſunt cauſæ, vt vſuræ committantur, aut non reſtituantur. (25) Similiter etiam, qui conficiunt inſtrumentum, & eius teſtes, ad exigendas vſuras; non verò merus amanuenſis, qui parùm cooperatur, aut nihil, exarando literas. (26) Qui nomine alterius exigit vſuras, ſi alter non reſtituat, ipſe tenetur. Cuſtos pecuniæ vſurariæ non tenetur, ſicut nec famuli, qui iuſſu domini eam defert, aut exigit, cum ſint inſtrumentum materiale, non cauſa moralis. (27)

9 Vſura eſt fingere quem ſe habere merces, & vendere, & ſtatim viliori pretio emere; eſt enim idem ac dare mutuò pecuniam cum lucro. Idemque eſt, ſi habeat merces, quas vendit, ſciens emptorem ſtatim eas viliori pretio reuenditurum ei ipſas. Nam ſi ſincerè eas vendat, poteſt poſteà ab illo, ſicut poteſt quiuis alter, eas viliori emere pretio. (28)

10 Cum quis committit vſuram mentalem in mutuo intendens lucrum, vt finem primarium, ſi poſteà retractet intentionem, nihilque inſinuet mutuatario, ex quo ille quaſi coactè lucrum reddat, poterit licitè ab illo aliquid gratis donante accipere, ſicut poſſet ſi non mutuaſſet, (29) cum non ſit redditus peioris

21. *Leg. 1. ff. de lege cõmiſſoria.*
22. *Cap. Significaſti, de pignorib.*
23. Sotus. Molina. Salas, & plurimi apud Me *de Bull. Cruc. d. 34. num. 16.*
24. Leſſius, & alij *ſuprà.*
25. *Clem. Exgraui, de vſur. Cap. 1. de vſur. in 6.*
26. Sotus. Apud Me *ſup. num. 16.*
27. Tabiena *vbi ſup. num 17.*
28. Caietanus. Nauarrus. Angelus. Leſſius. Villalobos *vbi ſup. n. 21.*
29. D. Thom. 2. 2. q. 78. *art. 2.* Syluester. Nauarra. Sotus.

ioris conditionis ob beneficium mutuandi, eaque ſit donatio gratuita; nec eſt caput, vnde deſumatur tunc obligatio reſtituendi. Couarruuias, & plurimi.

11 Vſura eſt mutuare alicui rem, v. g. frumentum, in loco, quo valet minùs, cum obligatione quòd reddat in loco, vbi plus valet; nam etſi non exigat mutuans plus ſubſtantiæ frumenti, exigit plus valoris, & lucrum ex mutuo indè ei prouenit, ac ex obligatione percipit. Vſura etiam eſt, ſi mutues cum pacto, vt detur tibi aliquod officium temporale, tunc enim accipitur vltra mutuum, vt grauamen illius, aliquid pretio æſtimabile, quale eſt ea obligatio, & priuatio libertatis in mutuatario, vt conferat alteri illud officium. (30) Quòd ſi mutuò pactum ſit, vt mutuatarius conferat, aut præſentet ad Beneficium Eccleſiaſticum, erit ſimonia, cùm tunc daretur illa collatio, aut præſentatio rei Eccleſiaſticæ pro temporali beneficio mutuandi. 30. Nauarra *de reſt. lib.* 3. *c.* 2. *n.* 276. cũ alijs.

12 Non eſt vſura quando venduntur, aut locantur aliquæ res, eum qui pretium aſſignat, portare aliquid, ſi alius pretium augeat, quod Hiſpanè vocatur *Prometido*; indè enim creſcit copia emptorum, ſeu conductorum in beneficium vendentis, aut locantis, quod eſt pretio æſtimabile. Licitè etiam conceditur pretium his, qui inquirunt emptores, aut venditores rerum: Hiſpanè *Corredores.*

13 Adquirere lucrum ex mutuo, tanquam ex eo ortum, non vt illius grauamen, non eſt vſura; v. g. petitur à te mutuum frumentum, quod vendere non potes, eratque deteriorandum, aut corrumpendum in horreo, vel in arca, lucrum tibi abſque vſura reportatur.

14 Si poſt mutuum præſtitum debitor ſit in mora reddendi illud, & eo tempore contingat mutuanti damnum, quod non pateretur, ſi eas pecunias mutuatas apud ſe haberet, abſque vſura (31) poteſt exigere ratione illius aliquid vltra ſortem; nec mutuans tenetur monere mutuatarium, cum dies interpellet pro homine; niſi putaret, illum credere, ipſum mutuantem ratam habere moram. 31. Nauarra *ſup. n.* 281. Caiet. & alij.

15 Ratione lucri verè ceſſantis non poteſt in mutuo peti amplius, quàm foret illud lucrum; eſſet enim vſura. Nec poteſt illicò peti, ac mutuum fit.

32. Conradus *de contract. q.30.* Medina. Nauar. & alij.

(32) V.g. mutuas decem, & ratione lucri ceſſantis tibi ſunt concedenda duodecim; non potes tunc exigere illa duo, nam fieret, quòd reipſa extractis duobus è decem, non mutuares niſi octo: & duo pro octo tunc tibi præſtarentur, & poſtmodùm poſt data duo, eſſent reddenda decem, quæ alebas te mutuare: & ex ſe cernitur contractus vſurarius, longè diuerſus à contractu quo venduntur fructus futuri pretio præſenti, cum in hoc ius ſtatim percipiendi fructus in emptorem transferatur.

16 Si mutuatarius ſit in mora ſoluendi, & mutuanti ſeſe offerat occaſio alicuius lucri adquirendi, ſi eas pecunias habeat, ac moneat mutuatarium, ſi is non ſoluat, poteſt ab eo exigi lucrum ceſſans, quin interſit vſura.

17 Si quis petat ab aliquo, vt pro ipſo debitum ſoluat, eique confetat ſchedulam, qua fateatur, ei ſe debere illam quantitatem addendo aliquid ſupra illam, vſura intercedit, nam illud eſt verè mutuum;

33. Medina *lib. 1. ſumm. cap.14.* Nauarr.& alij.

niſi fortè (33) ab eo poſcat illos nummos, vt cum eis habeat lucrum; nam tunc prudenter donatio præſumitur in illo exceſſu, ratione ſpei, quam concipit lucri mutuatarius.

18 Debitor mutui ſi in mora ſit ſoluendi, inuito mutuante, habet ſe vt fur retinens alienum, atque adeò reſtituere tenetur lucrum ceſſans, & damnum emergens, quin in hoc detur vſura. Hinc poteſt ex conſenſu partium pœna conuentionalis apponi, ſi debitor non reddat mutuum tali tempore, dum ſit mora notabilis; (34) eaque pœna debet ſolui, dum debitor potens ſit ſoluere tempore præſcripto, & etiam ſi fraudulenter, ne ſoluat, reddiderit ſe impotentem ſoluere.

34. Mercado *tr.de vſur. c.7.* Nauarrus. D. Antonin. Medina. Nauarra.

19 Vſurarius eſt is contractus: (35) Mutuo tibi centum ea lege, vt ſi ante quatuor aut decem annos alter noſtrum moriatur, ſis liber à ſolutione; ſin verò, aliquid vltra ſortem reddas: quia id non exigitur

35. Sylueſt. *verb. vſura 1. q. 16.* Nauar. & alij.

ratione

ratione periculi, sed mutui, in quo ob solam expectationem temporis non licet quid vltra sortem exigere: & mutuare, vt ea obligatio quasi ex nouo contractu à te subeatur, continet vsuram; non autem contineret eam, si post debitum iam contractum quis similem conuentionem faceret, esset enim *Do vt des.*

20 Non est vsura mutuare cum pacto, quòd debitor tibi soluat non solum mutuum, sed alias pecunias certò debitas; nam non imponitur debitori grauamen iniustum.

21 Si mutuatarius det in pignus mutui rem fructiferam, nequit mutuans recipere sibi fructus, id enim esset vsura, & lucrum ex mutuo habitum. In impignoratione feudorum dantur speciales leges, (36) quæ non sunt nostri instituti.

22 Mutuans cum pacto, vt mutuatarius ei remittat iniuriam, si hic non sit in iudicio acturus, & inde compensationem pecuniariam accepturus, non est vsura; cum non poscatur ab eo, (37) nisi gratuita remissio, & donatio liberalis, ac spontanea.

23 Vsurarius non adquirit dominium vsurarum; nam cum sit iniusta acceptio, & retentio, deturque restitutionis obligatio, (38) nequit dominium adquiri. Et quidem vero domino sunt restituendæ vsuræ; quòd si pro vsura accepta est res immobilis, restitui debet cum fructibus; at si accepta sit pecunia, hæc quidem transit in dominium vsurarij, quatenus si eam tradat alij, transfert dominium; nam valor ibi attenditur, qui in alia pecunia æquali subrogatur; ideoque non est ille dominus, inter suas facultates, valoris correspondentis vsuræ. Quare si cum ea ipsa pecunia vsurarum adquisiuit lucrum, non tenetur restituere lucrum, sed solum valorem malè acceptum, & retentum. Secus est in re immobili prauè retenta, quam eandem restituere tenetur. Quòd si in mutuo pactum interuenit concedendi aliquod officium, seu emendi quid inutile, aut maiori pretio, vel quid simile id restituendum est, in quo est damnificatus mutuatarius.

36. Videantur Sotus *lib. 1. de iust. q. 1. art. 1.* Doctores *in cap. 2. de feud.* Sylvest. *verb. Feudum, q. 29.* Nauarrus. Medina. Conradus. Mercado. Nauarra. Flores de Mena. Couarruuias, & alij.

37. Altissiodorēsis *l. 3. tr. 21. c. 1.* Barth. Medin. Nauarra. D. Antonin. Sotus. Mercado. Sylvester.

38. D. Thom. 2. 2. *q. 78. art. 4.* & ferè communis.

39. *Cap. Tua nos, de vſuris.*

24 Vſurarij hæredes tenentur (39) reſtituere debita ex vſuris. Singulis autem ſolùm tenentur reſtituere eam portionem debiti, quæ eis correſpondet, etiamſi alij cohæredes non reſtituant reliquam partem; (40) nam in diuiſione hæreditatis ſicut diuiduntur bona, ita & debita; & quilibet hæres non ſuccedit in omnem obligationem, ſed in partem. Prætereà legatarius, & donatarius non tenentur reſtituere vſuras (41) quando in hæreditate reſtant bona ſufficientia ad reſtitutionem; hi enim non ſuccedunt in onera defuncti.

40. Medina *Cod. de vſur. cap. de vſur. reſtit.* Nauar. & alij.

41. Card. Caietan. *opuſc. de vſur. q. 5.* Nauarra. Couarruuias. Medina. Sotus. Sylueſter.

25 Non eſt vſura petere aliquid vltra ſortem principalis mutui, ratione periculi, (42) dum periculum ſit certum, & non falsò excogitatum, ſcilicet ſi timeatur, principale difficulter, aut nunquam fore ſoluendum, ſeu multis expenſis factis à mutuante. Etenim id periculum eſt pretio æſtimabile, nec tenetur quis gratis illud ſubire; & hic titulus non eſt minùs efficax, quàm ratio lucri verè ceſſantis, aut damni emergentis, ob quam licet aliquid vltra ſortem principalis petere, & accipere. Attendendum autem eſt ad æſtimationem periculi iuxta iudicium prudens.

42. Sylueſter. Aragon. Couarruuias. Nauarra. Medina. Rodriguez. Diana. Rebellus. Leſſius. Ego cum pluribus *in Statera, diſſ. 6. q. 8.*

26 Vendens creditò merces, ratione periculi amittendi pretium illarum, poteſt aliquid amplius exigere abſque vſura. (43) Quòd ſi id periculum non detur, & quod exigitur, excedat pretium ſummum, nec adſit ratio damni emergentis, aut lucri ceſſantis, erit vſura exigere amplius; nam eſt virtuale mutuum, nec adeſt titulus exigendi illud. (44) Ratione periculi expenſarum ad recuperandum pretium, abſque vſura poteſt aliquid vltra principale exigi à vendente creditò merces; (45) æſtimabile enim eſt pretio id periculum, dum non ſit affectatum, & æſtimatio fiat timoratè.

43. Petr. Ledeſma. Serra. Sylueſter. Aragon. Medina. Apud Me *ſup.*

44. Buſembaum. Ego cum pluribus *ibidem.*

45. Sotus. Velaſco. Conradus. Trullench. Villalobos. Caramuel. Prado, & alij *ibidem.*

27 Nequit abſque labe vſuræ in mutuo peti aliquid vltra ſortem, præcisè ob dilationem ſolutionis, & ob carentiam pecuniæ eo tempore, quo differtur ſolutio. (46) Nam dilatio in ſoluendo, & carentia pecuniæ eſt intrinſecè annexa mutuo, & de eſſentia illius

lius ; & esse longius tempus , solùm est prorogari mutuum , & extendi beneficium ; aliàs nunquam daretur vsura in mutuo , affigendo tempus solutionis , & exigendo plus , aut minus iuxta longius , aut breuius tempus. 46. Lessius. Molina. Lugo. Reginaldus. Amicus. Layman.

28 In montibus pietatis non datur vsura ; sunt autem illi thesauri repositi à Principe , vel Republica, vt mutuetur pauperibus , qui aliquid vltra principale soluunt , vt detur stipendium Ministris huius distributionis , & Montes conseruentur. Leo X. approbante Concilio Lateranensi , eos vt licitos confirmauit. (47) Ego cum aliis *in Statera* , *d. ff. 6. q. 8.*

47. Card. Tolet. Lessius. Molina. Busembaum. Nauarrus. Bañez , & alij *ibidem.*

29 Non est vsura exigere aliquid vltra sortem, ratione lucri cessantis , dum tamen pecunia mutuata esset destinata ad negotiationem. Nec est vsura accipere aliquid ratione damni emergentis , dum tamen verè damnum emergere possit , veluti ex non reparatione domus , aut ob alias causas. ( 48 ) Aliter in vtroque vsura interueniet. Licet etiam negotiorum gestoribus aliquid vltra sortem exigere , cum chirographa concedunt, vt pecuniæ in alio loco soluantur. Quantum autem possit exigi , standum est legibus municipalibus , & consuetudini , vbi non est lex ; vel iuxta circunstantias , & qualitatem negotiationis , industriæ , laboris , & periculi id est prudenter taxandum. Certò probabile est , posse aliquid vltra sortem exigi in contractu societatis pro assecuratione capitalis , & pro venditione lucri certi pro lucro incerto. (49) At debita liquida , certa , & non periculosa , nequeunt emi minori pretio ob anticipationem solutionis ; ( 50 ) nam est mutuum implicitum: & sola temporis expectatio , seclusa alio titulo , non reddit licitum illud amplius, quod postea accipitur. Aliàs liceret Petro , qui tibi debet centum in fine anni , emere illa centum in principio anni soluendo nonaginta. Imò in omni mutuo idem posset fieri, cum vtilior sit præsens pecunia , quàm futura ; indéque via vsuris aperiretur. Hinc nec Ministri Regis , aut Reipublicæ possunt aliquid accipere præcisè pro anticipatione solutionis , nec creditores à debitoribus præcisè

48. Caietanus. Card. Lugo. Card. Toletus. Molina. Lessius. Ego cum aliis *in Statera* , *d. ff. 6. q. 9.*

49. Nauarrus. Couarruuias. Caietanus. Sylueſter. Serra. Bonacina. Diana. Prado, & plures apud Me *ibid.*

50. Card. Toletus. Azor. Reginaldus. Salas. Oñate.

Sotus. Aragon. Rodriguez, & ego cum pluribus *ibidem.*

præcisè ob dilationem ſolutionis, vtrumque enim eſt vſura. (51)

51. Nauarrus. Molina. Salas. Bonacina, & ego cum communi *ibidem.*

30 Non eſt vſura, Præceptorum tribuere pecuniam mutuam Scholaribus, vt eius lectionibus interſint, (52) quia id non eſt pretium mutui, ſed gratia, aut retributio pro beneficio, & ſignum gratitudinis; ſicut non eſt vſura pro mutuo exigere familia rem amicitiam; aut exigere, vt mutuatarius remutuet, cum opus fuerit mutuanti; aut quod in eius molendino molat, aut merces ab eo emat pretio, quo ab aliis eſſet empturus. Quæ omnia mutuatarius poteſt præſtare abſque ſui detrimento, & quin ſua conditio reddatur deterior. Et ſanè obligatio impoſita eſt exigua, nec prudenter pretio æſtimabilis.

52. Leſſius. Bañez. Rodriguez. Layman. Diana, & alij apud Me *de Bulla Cruc. d.34.n.7.* & *de Iure Academ. lib.2. q.10.* & *de Bulla Cruc. d.34.num.6.*

## *Vxor, & Maritus.*

1 VXoris bona, quæ in dotem fert, & paraphernalia, quæ dum nubit, aliundè habet, & alia ſimilia, ſub mariti adminiſtratione veniunt in regnis Caſtellæ; & quæcumque bona naturalia, mixta, & induſtrialia adquiruntur conſtante matrimonio, ex bonis, ac labore, ſeu induſtria vtriuſque coniugis, ac fiunt vtriuſque, ita vt mortuo vno ex illis, dimidium eorum pertineat ad alterum. (1) Dos verò, & additio dotis facta à marito, ſeu arrhæ, & bona paraphernalia integrè pertinent ad vxorem; & ſi inſumpta ſint, valor eorum. In aliis Prouinciis ſtandum eſt legi, aut conſuetudini municipali. Mariti bona ludo adquiſita etiam diuiduntur; non verò ea, quæ comparat pugnans in bello, ſeu obtinet à Rege in remunerationem bellici obſequij. Si tamen militans ſuſtentetur ex bonis communibus vxoris, ac ſuis, erunt etiam communia bona in bello adquiſita.

1. *Leg.1. tit. 4. ordinament. lib.5. leg.4. ibid. & leg.1. 16. & 77. fori, lib.3. tit.5.* & *leg.2.4.* & *5. lib.5. recopil.* & *leg.77. Tauri.* & *leg.203. ac 205. Styli Curiæ.*

2 Vxor, inſcio marito, poteſt eleemoſynas moderatas facere ex bonis vtriuſque; & etiam magnas, cùm extrema, aut grauis neceſſitas vrget. Deindè poteſt occultè ex illis accipere, quæ ſunt neceſſaria ad

ad res familiares suas, & familiæ; necnon si aliquando sint opus ad euitandum graue damnum mariti. (2) Non tamen valet quantitatem magnam in alios vsus insumere, etiam ex bonis, quæ prouenient diuidenda deinceps; (3) & furtum committet, si accipiat, cum administratio, & vsusfructus attineant ad maritum; & etiam in ablatione vsus furtum patrabitur.

2. Communis.

3. Cordoua *in summ. q.* 125. *dicto* 6. Nauarra. Gabriel. Nauar. & alij.

3 Si separetur vxor à marito, is, cuius culpâ fit separatio, priuatur lucris, non alter. (4)

4. Couarruuias *lib.* 3. *variar. c.* 13. *num.* 10. Didac. Perez. Ant. Gomez. Nauarra.

4 Si ob aliquod impedimentum matrimonium deprehendatur nullum, & vterque ignorantia inuincibili laborauerit, dicendum est idem in prædictis, ac si fuisset verum. Si verò vnus ignorat, alter scit, lucra ad ignorantem pertinent; (5) & donatio facta in dotem à marito sciente vxori ignoranti valet, (6) & quævis alia donatio morte confirmatur. Quòd si vterque sciebat, vnusquisque rerum suarum lucra obtinebit.

5. *Leg.* 4 *tit.* 9. *lib.* 3. *fori.*

6. *Leg.* 50. *tit.* 14. *partit.* 5.

5 Si maritus in magna quantitate dissipet bona communia, tenetur restituere ea vxori, & hæredibus; & poterit vxor, eo mortuo, compensationem occultam ex illius bonis capere. (7)

7. Nauarra *de restit. lib.* 3. *c.* 1. *num.* 120. cum aliis.

6 Si dubitetur, an bona sint lucrata, an patrimonialia, quia non fuit inuentarium confectum tempore matrimonij, iudicanda sunt communia, ne alterutri fiat præiudicium. (8) Bona lucrata sunt communia, dum habitatur in Regno, in quo ea lex viget; si tamen domicilium omninò mutetur ad locum, in quo alia est lex, ex eo tempore standum est ei: & è conuerso. (9)

8. *Leg.* 203. *Styli.* Rod. Suarez. Didac. Perez. Greg. Lopez. Ant. Gomez. Nauarra.

9.

7 Res donatæ alterutri, quæ non fiunt intuitu vtriusque, solùm sunt eius, cui donantur, cum (10) eæ non sint propriè quæstus proueniens ex labore, aut industria, sed ex aliena liberalitate.

Did. Perez *in leg.* 4. *fol.* 168. Ancharanus. Nauarr. & alij.

10.

8 Iniustè adquisita, si restitui debeant, nullius ex coniugibus sunt; si sint accepta ob turpem causam, quæ iniustè recipiuntur, & iustè retinentur, fiunt vtriusque, quia verè sunt lucrum. (11) Quòd si vxor per adulterium lucretur bona, hæc per leges applican

Rod. Suarez *in repet. leg.* 1. *tit.* 3. *lib.* 3. *fori.* Gomez. Perez. Nauarra.

11. Sotus *lib.* 4. *de*

*tuſt. q.7. art.1. ad 2.*

applicantur marito; præcedere tamen debet ſententia iudicis In conſcientia autem vxor ea ſibi retinere poteſt, ſi procedunt ex donatione; communia autem fiunt, ſi ex illicito illo quæſtu.

9 Si in rebus propriis coniugis detur damnum ex rei natura, ad illum, cuius ſunt, ſpectat; ſi detur augmentum abſque induſtria, ſimiliter ad eum pertinet; ſi verò cum induſtria, ſpectat ad vtrumque. Secus eſt in dote, ſi fuerit appretiata; nam quodvis damnum illius reſarciendum eſt à marito. (12)

12. Nauarra *de reſtit. lib. 3. c. 1. n. 251.* & plures apud ipſũ.

10 Meliorationes factæ propria induſtria in maioratibus ſunt bona communia vtrique; præter meliorationes in ædificiis, (13) quæ maioratum ſequuntur. Si vnus ex eis incepit ante matrimonium rem bona fide præſcribere, poſteà eius propria, & non communis permanet. Similiter ſi ante matrimonium rem vendiderat, & iam melioratam redimit tempore matrimonij, (14) tota eius fit.

13. *Leg. 46. Tauri.*

14. Greg. Lopez *in leg. 18. tit. 11. partit. 4.* Did. Lopez. Nauar. & alij.

11 Vxor, qui ex adulterio filium habuit, quo extante, alij filij hæreditatis parte, ſeu maioratu priuantur, non tenetur ſe infamare, aut vitæ periculo ſe exponere eum declarando; (15) ſecus ſi infamiæ notam non ſubeat. Nec tenetur id manifeſtare ipſi filio, (16) ſi non ſperet, eum fore crediturum, & ceſſurum hæreditate. Nec filius (17) tenetur ei credere, ſi id manifeſtet. At debet mater, quantum poſſit, alios filios meliorare; necnon adulter, vt proxima cauſa damni, tenetur reſarcire aliis filiis illata nocumenta.

15. Nauarra *de reſtit. lib. 2. c. 4. num. 408.* & innumeri.

16. Idem *lib. 3. c. 1. num. 161.* Couarruuias. Caſtro. Medin. & alij.

17. Caietan. *2. 2. q. 62. art. 6. ad 2.* Caſtro. Nauarra. Ant. Gomez. Couarruuias.

12 Vxor ex bonis communibus, ſi renuat maritus, poteſt ac tenetur occultè ſuſtentare patrem, & matrem, ac filios extremè, aut grauiter indigentes; id enim prouenit ex iure naturali, & illi poſſunt ea poſcere. In Hiſpania vir tenetur (18) etiam fratres pauperes ſuſtentare; & ſi ille renuat, poterit id vxor (19) præſtare; & quidem ſecundùm decentem eorum ſtatum.

18. *Leg. 1. lib. 3. fori, tit. 8.*

19. Nauarra *de reſtit. lib. 3. c. 1. num. 168.*

13 Obligatio coniugum eſt habitare in eadem domo, accumbere eidem menſæ, cubare in eodem lecto. Ab his duabus vltimis poſſunt abſtinere ex mu-

tuo

tuo consensu, vel ratione morbi contagiosi, aut ex alia causa iusta *infrà* libanda.

14 Tenetur vxor sequi maritum, si ille domicilium mutet; quin & si ad aliquod munus peragendum per triennium, aut quadriennium pergat, (20) nisi in contractu ante nuptias, seu in pactis dotalibus conuentum sit, quòd vxor in casu simili relinqueretur apud propinquos. Quòd si maritus peregrinationem causa deuotionis longam suscipiat, non tenetur vxor eum comitari (21) Quin per lõgum tempus nequit vir peregrinari absque cõsensu vxoris, si excipias peregrinationem Hierosolymitanam, quam etiam si ea dissentiat, potest aggredi, quia sic est decisum in iure. (22) Vxor autem nequit eam suscipere peregrinationem, dissentiente marito, quia ex se constat, grauia indè incommoda oriri, cum ille aliundè non teneatur eam comitari.

20. Th. Sanchez *de matr. lib. 1. d. 41.* & communis.

21. Gobat. *in exper. Theolog. tr. 10. n. 760.* Layman.

22. *Cap. Ex multa, de vot. & voti redempt.* Gretserus *tom. 3. de Cruce, lib. 2. cap. 3.*

15 In profectione mariti ad bellum communiter non tenetur vxor eum sequi, si excipias aliquas vxores inopes, quæ se, & filios in absentia maritorum sustentare nequeunt, indéque vt victitent, illos sequuntur, vt videre est in pluribus Germanis, Belgis, Rhetis, & Heluetiis. Et quidem maritus, qui destituit vxorem, & filios indigentes, quos posset suo labore sustentare, peccat grauiter, dum dat nomen militiæ.

16 Si maritus ob delictum damnetur ad exilium in loco determinato, longinquo, & insalubri, non tenetur vxor eum comitari, sicut non tenetur si damnetur ad triremes; nec enim cum nupsit, voluit se ad tam dura obligare. Aliud est si damnaretur maritus perpetuo exilio, aut per plures annos, extra talem vrbem, vel locum, & pergeret ad alium non grauiter incommodum. Quòd si ex graui causa (23) vxor mutaret domicilium, vir pariter teneretur sequi illam, quia in mutuis obsequiis vir, & mulier sunt pares.

23. Th. Sanchez, Layman. Gobat, & communis.

17 Quando maritus bona communia ita dilapidat, vt periculum sit, ne familia egeat, mulier licitè clam surripiet ea, quæ iudicat fore in posterum sibi, & familiæ

familiæ neceſſaria; & non ſolùm ex bonis communibus, ſed ſi ea non dentur, ex bonis dotalibus, & propriis mariti. (24)

24. Gobat *vbi ſup. num.* 800. Nauarrus. Bonacina. Nauarra. Filliucius.

18 Licet coniugibus diuortium quoad torum, & habitationem in his caſibus. Sæuitia coniugis. Adulterium carnale. Adulterium ſpirituale; ſic vocatur hæreſis. Damna imminentia animæ, vel corpori ex cohabitatione, ſeu commixtione carnali.

19 Sæuitia metienda eſt iuxta qualitatem perſonæ; nam reſpectu vxoris ruſticanæ non reputabitur talis bis, & iterùm eam fuſtibus, alapis, aut verberibus caſtigare; ſic verò reſpectu Dominæ Magnatis.

20 Propter adulterium mariti eſtò ſit licitum diuortium, in praxi nunquam obſeruari video. Cauſa hæreſis eſt ſufficiens, ne alter coniux ea labe inficiatur. Damna corpori grauia poſſunt ex commixtione euenire; tunc verò, ſi non ſeparando habitationem non cogatur coniux timens damnum cohabitare in lecto, nequit ſeparari quoad habitationem; ſecus ſi certò timeat cogi. Damna animæ ex aliquibus poſſunt oriri capitibus; v. g. ſi maritus velit cogere vxorem, vt quæſtum impudicum faciat, ad domus ſuſtentationem; ſi maritus ſit vitæ adeò deprauatæ, vt prudenter timeat vxor per continuum commercium fore ab illo deprauandam. Ebrietas frequens mariti non eſt ſufficiens cauſa diuortij; aliter frequentia eſſent diuortia, maximè in illis Prouinciis, vbi frequenter plurimi inebriantur. At ſi ebrius non eſſet manſuetus, ſed furioſus, & ab eo immineret periculum graue vxori, poſſet hæc diuortium licitè poſcere.

APPENDIX

# APPENDIX
## Caſuum valdè notabilium.

### *De Baptiſmo.*

1 NAT Æ fuerunt aliquæ fœminæ, quæ temporis decurſu, prodeuntibus membris viribus (fides ſit penes Authores) (1) viri apparuerunt; Sacerdotis, ſeu baptizantis intentio fuit baptizare fœminas, quin & forſan addidit, *Maria, aut Agnes ego te baptizo*, &c. indigebunt ne alio baptiſmo, poſtquam viri apparuerunt? Neutiquam ſanè. Quia intentio baptizantis primaria eſt baptizare illum fœtum, quem præ oculis habet; nec habet eam intentionem, *Si non es fœmina, ſed vir nolo te baptizare*; nullum enim adeſt motiuum ad id præſumendum: nam ſi daremus eam intentionem fuiſſe habitam, ſanè illi baptizati non eſſent, cum ſemper fuiſſent viri, eſtò habuiſſent recondita ſigna virilia, vt medici, & alij (2) teſtantur. At hæc intentio non eſt ſuſpicanda, & extante prima, ille fœtus humanus baptizatus fuit, & in eius anima character impreſſus; & per accidens ſe habet, quod baptizans dixerit *Maria, aut Agnes*; cum ea verba non ſpectent ad materiam, nec formam, nec eſſentiam baptiſmi; & præterea ibi non datur error perſonæ, qualis in matrimonio poteſt dari, cum indiuiduum, quod baptizatur, ſit præſens, in quo error eſſe nequit.

2 Laborabat in pariendo fœmina, nec valebat edere fœtum; obſtetrix, aut eam iuuans, manum intromiſit

1. Sabellicus. Plinius. Phlegon. Textor. Montanus. Volaterranus. Maiolus. Delrius. Torquemada. Hippocrates. Zacutus. Alex. Bened. Apud Gaſparé de los Reyes *in Elyſio campo quæſt. 57.*

2. Saxonia. Horſtius. Cardanus. Sennertus. Licetus. Montuus. Alb. Magnus. Delrius. Apud Gaſparé de los Reyes *vbi ſuper.*

misit, & intinxit aqua caput pueri, eum baptizans; editus est in lucem, nec iterùm fuit baptizatus. Creuit, & Religionem ingressus, Presbyter fuit ordinatus, & Confessiones audiuit. Forsan tunc ea fœmina, quæ illum intra vterum matris baptizauit, rem aperuit, quin dolosè priùs reticuerit. An hic baptizatus verè fuerit, est dubitatum. Consulti sunt innumeri viri. Inter alios ego, qui assensum præstiti cæteris ferè omnibus, iudicantibus nullum fuisse baptismum, eumque de nouo baptizari debere, eo quòd qui baptizatur, renascitur, asserente Christo D.

3. *Ioan. 3. v. 5.* *Nisi quis renatus fuerit*, &c. (3) Non ergo renascitur, qui non est natus; nam oportet nasci, vt renascatur; & qui adhuc extat intra viscera materna, non est subiectum capax externæ communicationis, qualis in Sacramentis datur; nec adhuc luce mundi fruitur, vt cum illo possit quis alloqui, sed est quasi pars matris. Indè ille, quia & Professio, & Ordo sacer vigorem non retinebant, cum non esset ingressus ianuam Ecclesiæ, è Religione egressus fuit, & ego eum in sæculari habitu procedentem vidi. Monui tamen in meo iudicio ferendo, grauem adeò esse illum euentum, vt Sedes Apostolica esset consulenda, méque optare, eam consuli antequam res vltimò decideretur. Sed id non fuit expectatum, verùm sententia pro baptismi nullitate prolata fuit. At posse validè baptizari intra vterum maternum infantem, nonnullus doctè scripsit, & non sine sequacibus. (o)

(o) P. Ludouicus Scildere *lib. de princip. conscient. tr. 6. c. 2. num. 9.* P. Gob. *in exper. Theol. tr. 2. num. 57.*

3. Ex homine, & bestia hominem non posse nasci, sed irrationale monstrum, commune est iudicium Theologorum, & Iurisprudentum. Attamen si vera sunt, quæ aliqui Authores (4) referunt, non semel ex homine & equa, & ex homine & vacca, mares & fœminæ humanæ natæ sunt. An hi sunt baptizandi? Anno 1597. cum è vacca editus fuisset partus, qui coniunctos habebat marem, & fœminam, membris omnibus humanis coalescentes, & distinctos, in Hispaniæ loco, noluit Episcopus ad baptismum admitti, (5) & citò obierunt. Sed puerum alterum à vacca editum in Belgio, & baptizatum, annis pluribus vixisse

4. Iacob. Franc. Schenckius. Delrius. Riolanius. Horstius, & alij apud Gasparem de los Reyes *in Elysio campo, quæst.* 45.

5. Francus,

vixisse Christiana instituta sequentem, etiam narratur. (6) Meum iudicium est, si possibile sit, & eueniat è bellua, ac homine nasci marem, aut fœminam humanis membris compositam absque belluina mixtura, expectandum esse tempus septennij, quo videatur, an sit rationis capax; quòd si sit, debere baptizari: nam rationalis creatura dignosceretur, indéque baptismi capax; secus verò ante illud tempus: (& ad id credo attendisse Episcopum in euentu *suprà* relato) nam potest accidere, vt membra videantur humana, vt potè ex semine humano tunc prævalente compacta; & tamen dari ibi naturam belluinam, incapacem rationis, ex matre bellua prouenientem; nec animam rationalem à Deo infusam fuisse, vel quia organizationes internæ ac dispositiones vltimæ non dabantur, eæque aderant quæ sufficiebant ad animam materialem irrationalem à matre generandam; vel ad supplicium patris hominis, ne ex tam nefario concubitu hominem generaret, qui verè homo esset, Deo ei rationalem animam infundere nolente. Et quia certius est, à bellua non posse nasci hominem rationalem, & conformius sententiæ communi, ideò non datur prudens, & sufficiens dubium, vt illa proles sub conditione baptizetur ante septennium, etiamsi cernatur, fore morituram. Nec ex casibus, qui narrantur, potest desumi motiuum ad prudens dubium; cum nec fides certa debeat eis adhiberi, nec ex euentu aliquo singulari, cuius rationes ignorantur, euertitur commune iudicium. Quin (7) eam similitudinem humanam aiunt non pauci, posse ab arte dæmonis prouenire, permittente ei Deo in supplicium effrænatæ libidinis, vt talia operetur; & modus, quo id efficere valeat, ab eis attingitur.

4 Nata sunt non semel monstrosa corpora, (8) ita vt duo capita haberent, quin & aliquando plura. Visique sunt duo pueri, aut duæ puellæ coniunctæ: vtrique sua facies erat; indéque consurgit dubium, an vt plures sint baptizandi, an vt vnum individuum? Nam si solùm intentio feratur ad vnum, & profera-

Schenckius *vbi supra.* 6.

Delrius *vbi supra.*

7. Delrius. Torreblanca. Villalpandus. Neremberg. apud Gaspa-rem de los Reyes *vbi sup.*

8. Paræus. Rhodiginus. Munsterus. Buschius. Peucerus. Apud Gaspa-

rem de los Reyes *in Elyſio capo, queſt. 45. ex num. 40.*

9. D. Thom. *in poſteriorib.*

tur, *Ego te baptizo*, &c. ſi fortè duo ſint, duplici anima diſtincti, ſolus ille, qui abluitur, & ad quem fertur intentio, baptizatus manebit. Si vnum cor ſit in vtroque, vna vita, vnaque anima: (9) ſed antequam monſtrum, & cor videri poſſit, dubium de baptiſmo decidendum eſt. Igitur inſpiciendum eſt, an duo dentur capita diſtincta, quod ſignum maius eſt duplicis vitæ, ac animæ; nam cerebrum eſt potiſſima Sedes animæ rationabilis, ibi enim ſpiritus nobiliores reſident, & ſenſus ſuum locum habent; & in corporibus humanis, quoad ſubiecti indiuiduationem, ad rationis ſedem præcipuè confugiendum eſt. Quod certiùs conſtabit, ſi alia ſigna dentur; nempe ſi membra corporis duplicata, & ſuis locis diſtincta ſint, ita vt vnum indiuiduum cum alio aliqua ſolùm parte iungantur; ſi percuſſa vna corporis parte vtrumque caput ſentire dolorem conſpicitur; ſi aliqua ſit contrarietas actionum in vtroque corpore, ita vt non æquè omnia membra obediant, ſeu regulentur; nam repugnantia, & diuerſitas actionum differentiam ſubiectorum demonſtrat. Hinc ſi duo capita diſtincta, & præcipuè aliquo ex his ſignis concurrente in monſtro dentur, tanquam plura ſubiecta debent baptizari; ſin aliter, tanquam vnicum. Quòd ſi monſtrum diù viueret, & tanquam vnicum fuiſſet baptizatum, & deinceps ex prædictis rationibus conſtaret, duas eſſe in eo animas, baptizandum erit ſubiectum, quod aqua non fuit ablutum, & ad quod intentio baptizantis non tetendit. Quòd ſi de his non conſtet, forma baptiſmi erit proferenda vtrumque abluendo, & aſſerendo: Eum, qui ex vobis non eſt baptizatus, intendo baptizare, & indè *Ego te baptizo*, &c.

## *De Matrimonio.*

1 NVpſit fœmina viro, qui impotens ab ea deprehenſus eſt; impotentia autem inde prouenie-bat, quia nequibat erigere membrum, cum tamen

tamen semen effunderet. Ex hac effusione seminis attracti à fœmina, grauida facta est. Quod esse possibile, & non semel contigisse, testantur Authores.

(10) Illa igitur litem impotentiæ aduersus maritum egit, eo quod non fuerit ab eo corrupta, seu defloratа, nec in eo potentia daretur ad consummandum actum coniugalem; estò ab ipso fuisset grauidata, accessu proximo, effusione seminis, & attractione illius. An dirimendum hoc matrimonium? Vtique profectò, post explorationem à matronis faciendam, & post tempus ad id requisitum; nam adest ibi impedimentum dirimens, dum actus coniugalis à marito consummari non poterat. Modus autem ille imprægnandi fœminam, & rarus, & prorsùs illicitus est, nec sufficiens, vt actus sit consummatus, nec maritus sit potens, nec matrimonium subsistat.

10. Fragosus. Aquapendens. Sinibaldus. Peramatus. Mercurialis. D. Thomas. Nauarrus. Th. Sanchez. Auicenna apud Gaspare de los Reyes *in Elysio campo, quæst.* 41.

2 Fœminas aliquas in viros fuisse mutatas, supèperiùs ex pluribus Authoribus libauimus. Quid si illæ fuissent matrimonio coniunctæ? Sanè matrimonium dissoluitur, cùm hoc nisi inter virum, & fœminam stare non possit; & eæ historiæ narrent, illas, quæ fœminæ censebantur, viros omnino remansisse. Quin re ipsa ab initio matrimonium illud fuisset nullum, etsi exteriùs verum appareret; nam reipsa non erant fœminæ illæ, sed viri, aliquo nempe obstaculo impeditis genitalibus, ne foras prodirent, & interim à natura constituta via, qua vrinæ expellerentur, indéque locus daretur deceptioni.

3 Quid tamen si aliquæ ex illis matrimonio iunctæ filios pepererunt, & postmodùm virilis sexus in eis apparuit, vt aliqui enarrant? (11) Sanè in his matrimonium ab initio fuit validum, postmodumque retinet valorem, nam illæ fœminæ iudicandæ sunt hermaphroditæ; siquidem vasa muliebria apta ad concipiendum habebant, quæ non poterant amitti, vnde tenebantur solo sexu muliebri vti, quamvis vterque sexus æquè præualeret. Quòd si esset periculum malè vtendi sexu de nouo erumpenti, deberent à maritis separari. Et his defunctis, non possent virorum munere fungentes maritari, id enim esset contra

11. Donatus. Fontanus. Marulus. Copus. Dalemchampius. Nieremberg. Apud Gaspare de los Reyes *sup. q.* 57. *n.* 3.

naturalem æquitatem, haberentque se sicut si ab initio hermaphroditæ fuissent comprehensæ, vtroque sexu æquè prævalente; & optio (vt fieri debet) eis data fuisset eligendi sexum, quo electo, non possent illum mutare: eæ autem, quæ filios pepererant, perinde essent, ac si sexum fœmineum elegissent, cum iam eo fuissent vsæ, & indè partus sequutus fœminas demonstraret.

4 Hinc casus verus, & notandus decidi debet. Duo hermaphroditi nuptias contraxerunt, alio formam viri præferente, alio formam fœminæ. Sexus vterque in ambobus æquè prævalebat: vsi sunt vtroque ad inuicem, & ambo prægnantes euaserunt. Quid in hoc euentu? Iudex posset grauissimè illos punire. Qui viri munus habebat, ad locum distantem erat profecturus, vbi non agnitus, & muliebri habitu vtens pareret. Matrimonium & validum fuit, & mansit constans. Attamen singuli sexu solo, quem initio præferebant, debebant vti. Quòd si periculum adesset (quale in præsenti ob experientias antecedentes cernebatur) separandi erant, aliquo inter se quæsito colore; aliter grauissimè peccarent, tum vtendo sexu non electo, tum exponendo se periculo vtendi. Casum relatum vt certissimum profero, à me ipso auditum à doctissimo viro, cui eum vnus ex hermaphroditis retulit, consilium exposcens. Alios reperies similes apud Athores, & pœnam capitalem illis in igne fuisse inflictam, qui alio sexu, quàm à se electo, vsi fuerint. (12)

12. Torquemada *in dialog. colloquio* 1. Gaspar de los Reyes *in campo Elysio, q.* 48.

## *De veneno.*

OBiit Titius repente, à Medicis compertum est per signa exteriora, & interiora corporis veneno interiisse. De nullo habita est suspicio prudens, nec indicium probabile, quod propinasset venenum; (nam si hæc adessent, posset iudex ad inquirendum contra suspectos procedere.) Dubitatur, an Medici possint affirmare venenum ab aliquo fuisse Titio propinatum,

tum, & iudex procedere contra aliquos? Nec illi, nec hic possunt. Ratio est notatu digna. Aliud est venenum datiuum, aliud natiuum. Primum est, quod ab extrinseco prouenit. Secundum, quod intra ipsum corpus generatur; nam generari in illo posse, (13) potissima pars Medicorum pro comperto habet. Idque venenum, etiamsi impropriè tale diceretur, eosdem prorsùs effectus habet, ac venenum datiuum; & eodem spatio temporis, absque præcedentibus signis, potest hominem interimere, eademque signa in facie, corpore, visceribus, corde, hepate, aliisque in membris relinquit, vt variis experimentis Medici confirmant. Cum igitur mors Titij potuerit prouenire tum à veneno datiuo, tum à natiuo, nec discerni queat ex signis, à quo prouenerit, & aliundè nec suspicio, nec indicium prudens, ac probabile extet de veneno datiuo, nec esse datiuum possint Medici deponere, fit iudicem contra nullum posse procedere; nam procederet sine indiciis, & vexaret innocentes. Quin iudicandum esset prudenter, in eo casu, & circunstantiis mortem à veneno natiuo prouenisse.

13. Androinus. Cardanus. Valesius. Saxonia. Valerianus. Codronchus. Castrensis. Apud Gasparē de los Reyes *in Elysio campo, q. 64.*

## *De adulterio.*

IOanna peperit filium habitum ex marito: hic tempore partus, & tribus postea mensibus fuit absens. Post partum Ioanna prægnans reperta est. An adulterij illicò rea est iudicanda? Sanè potest esse prægnans, quin patrauerit adulterium; nam potuit concipere diuerso tempore ex marito duos fœtus, & primo edito, postmodùm mensibus expletis secundum fœtum edere. Quod & naturæ non est dissonum, & ita sibi contigisse mihi retulit fœmina coniugata nobilis, & omni fide digna, quæ post partum vnius filij prægnans remansit, & post quatuor menses alium filium sine abortu in lucem edidit. Quare si fœmina post primum partum, antequam septem menses transeant, absque abortu alium filium pariat, signum

euidens erit, eam tempore primi partus prægnantem remansisse, & animaduertendo tempus absentiæ mariti colligendum erit, an ab eo potuerit concipere secundum fœtum; quòd si potuit, non erit adultera iudicanda. Quin & contingere potest, vt post primum partum transactis duobus, aut tribus mensibus, seu ampliùs, aut minùs aborsum faciat, & fœtus sit conceptus à marito, ac tempore primi partus illa remanserit fœta. Quod ex fœtus magnitudine à peritis matronis, aut fœminis expertis, seu à Medicis erit inspiciendum; inde enim cerni poterit, an ante primum partum conceperit eum fœtum, quem abortitur. Ex quibus omnibus fit, non illicò iudicandam esse adulterij ream fœminam, quæ absente marito post partum prægnans inuenitur.

## *De Confessione.*

1 RElulit mihi vir doctus Benedictinus in Monte Serrato, se à viris fide dignis audiuisse apud Indos, cum è vita decessisset in Cartagena in nouo Regno Granatæ Concionator eximiæ virtutis, qui innumeros Indos ad fidem conuerterat, vnum ex his è longinquo venisse, vt cum illo sua peccata confiteretur. Audiuit is, eum esse iam mortuum, nec credebat: ostensum est illi sepulchrum, vbi iacebat; ipse verò lachrymas fundens ibi solus mansit: vidit quem quærebat, sibi obuiam venisse, agnouensque illum, ac iudicans falsò sibi eius mortem fuisse nuntiatam, confessus est cum illo, & à peccatis absolutus: rem narrauit his, qui ei nuntiauerant mortem eius Confessarij, quasi querulus de eorum mendacio; resque adeò mirabilis diuulgata est, & ab aliquibus qui tunc fortè in ea vrbe aderant, ad Hispaniam venientibus narrata.

2 Casus hic, cuius veritatem non adstruo, nec de eius certitudine sermonem instituo, ansam præbet dubio, an sit valida confessio cum eo, qui post mortem appareret, & viuens fuisset Confessarius? Dici-

to

to idem, an esset validus Baptismus ab eo collatus? Profero quid sentiam. Res hæc obnoxia est fallaciis, & illusionibus; nam potest accidere ex insomniis, quæ quis extra somnum eueniſſe crederet, necnon ex viuida phantasiæ apprehensione; quin & ex dæmonis fraude ad illaqueandam animam. Quare ego consulerem, & Confessionem iterari, & Baptismum. Sed demus, disputandi gratiâ, certum esse euentum, & nec vmbram fallaciæ adfuisse; in eo casu (cuius certitudinem constare manifestè, mihi difficillimum apparet) Confessio erit recta, absque necessitate repetendi illam; nam Deus miraculosè dispensans in eo, quòd ea anima assumpto corpore carneo, aut aëreo rectè figurata appareat, & Confessionem excipiens absoluat, consequenter dispensat in eo, quòd ille pœnitens confiteatur cum non viatore, & cum eo qui absolutè non erat homo, sed solùm anima rationalis; & simul in cæteris omnibus, quæ ad validam Confessionem, & absolutionem requiruntur; namque Deus nequit fallere eiusmodi pœnitentem, nec signis externis manifestare, eum fuisse ritè confessum, & absolutum; si id ita non esset.

## *De adquisitione, & retentione hæreditatis.*

1 NVpsit Maria viro, & quinto post nuptias mense, cum antecedenter ad illas nullum ille ad eam habuisset accessum, peperit filium. Vixit is, creuit, & mortuis parentibus, ac relictis aliis filiis: dubitatur an ille in maioratum, si detur, succedat, aut in partem bonorum cum aliis filiis æqualiter veniat; vel potius an sit iudicandus illegitimus, & eius mater censenda sit cum alio, præter suum coniugem, rem habuisse?

2 Supponendum est, partus esse naturales in septimo, nono, & decimo mense. Quin & Hippocrates ad vndecimum mensem (14) extendit; & D. Tho- 14. mas Hippocrates.

*lib. de sept. part.* mas vndecimestrem partum se vidisse enuntiat. (15) Imò de infantibus natis mense duodecimo, decimotertio, & decimoquarto, non pauca ab Authoribus exempla afferuntur. (16) At Iure-Consultus Vlpianus censuit, non admittendum esse ad hæreditatem eum, qui vndecimo mense natus esset, ob vitandas fraudes, ne aliquando defuncto marito mulier licentiosa efficeretur, & conciperet, velletque fœtum vndecimo mense editum marito tribui. Et quamvis concesserit Vlpianus, posse eo mense edi in lucem filium, cùm id rarius contingat, & fraudibus sit obnoxium, eam exclusionem decreuit. Quippe vt aiebat Tacitus: (17) *In omni lege oportet, vt fiat aliquibus iniuria; nam legi ipsi sufficit, vt multitudini ex ea benè consulatur.*

15. D. Thomas *opusc. 26. art. 4. sub finem.*

16. Moxius. Delrius. Gaspar de los Reyes *in capo Ejsio, q. 90.*

17. *Lib. 3. Annal.*

3 Ex quo principio videtur inferri, pari ratione non esse admittendum ad hæreditatem eum, qui quinto mense natus est. Etenim estò id possit contingere, (de quo statim) tamen non est commune, & aperiretur via fraudibus, scilicet quòd fœmina ante nuptias, vel absente marito, accessum ad alium habuisset, & postea nupta, aut aduenient marito, & quinto pòst mense pariens marito partum tribueret.

4 Supponendum etiam est, posse vitales esse partus in quinto mense, (idem dicito in sexto) vt plurimi ex primoribus Medicis affirmant; & tam ipsi, quàm alij Authores plurima exempla afferunt infantium superstitum (18) eo mense editorum, & rationes afferunt validas, quibus possibilitatem, & effectum confirment.

18. Cardanus. Mantuus. Vallesius. Fontecha. Lemosius. Mercatus. Scheneckius. Valeriola. Ferd. Bonauentura. Ferd. Mena. Torreblanca. Apud Gasparē de los Reyes *vbi super.*

5 His suppositis censeo, filium natum in quinto mense posse in conscientia adire maioratum, seu partem legitimam hæreditatis, eamque retinere, si non constet, matrem ante nuptias, seu in absentia mariti ante mensem correspondentem quinto, licentiosè vixisse. Etenim ex suppositione secunda constat, posse edi partum vitalem eo mense; & quamvis non sit id frequens, non est, cur non potuerit id euenire in hoc casu; nec est, cur contra se iudicet filius, id ita non euenisse, cum non constet de fundamento contrario

trario, nempe de impudicitia matris. Quin poteſt id reddi certius, ſi ex publica fama liqueat, eam pudicè, ac honeſtè vixiſſe; ſi ante nuptias, aut tempore abſentiæ mariti, degerit in Clauſura Monialium ſeuerioris diſciplinæ; (quin quoad hoc omnes ſunt cẽſendæ æquales) ſi in ædibus patrum ſedulò ſuo honori inuigilantium; maximè ſi in illis multo tempore ante nuptias periculosè ægrotauerit. Quæ omnia conuincunt matrem, non ex alio, quàm ex marito concepiſſe, nihilque aduerſus eam, niſi temerè, poteſt iudicari. Vnde filius tutò in conſcientia valet maioratum, ſeu hæreditatis partem adire, & retinere.

6 Addo, ſi res ad forum externum deducatur, poſſe iudicem ſententiam ferre pro matris pudicitia, & pro iure filij, in circunſtantiis præfixis. Nam ea diſpoſitio Vlpiani ſolùm eſt circa partum vndecimeſtrem; & cum ſit odioſa matri, & filio, non eſt extendenda per illationem, & paritatem ad partum ſin quinto menſe editum; & prætereà locus eſt interpretationi eiuſmodi diſpoſitionis, ſcilicet ſi non adſint fundamenta conuincentia, filium eſſe ex legitimis nuptiis ortum, qualia in præſenti caſu appoſuimus.

## *De Iudice.*

1 ABſente iam diu ſuo marito in Mæuia eius vxore apparuerunt omnia ſigna prægnantiæ, turgentia vbera, vterus accreſcens, & cætera quæ in prænantibus manifeſtantur. Accuſata eſt vt adulterij rea. Poteritne iudex ob ea ſigna ſufficienter examinata, & probata, ferre illicò ſententiam in illam, quamvis non ſit exequenda, ſi capitis eſſet ſententia, vſque poſt partum; cum conſtans ſit, fœminam prægnantem non poſſe capite plecti ob vllum delictum, niſi poſt partum, ne innocens fœtus pereat, & abſque baptiſmo decedat.

2 Cenſeo ob delictum adulterij non poſſe iudicem ferre ſententiam in illam, donec pareret. Nam poteſt

teſt contingere, quòd non ſit prægnans & conſequenter non pariat, vnde nequit per ſententiam infamari, & fama eius, etſi poſteà reſtituenda, pro vllo tempore denigrari. Quòd autem etiam poſitis eis ſignis, & teſtificantibus matronis de eorum certitudine, poſſit contingere, eam non eſſe prægnantem, ex eo cernitur, quòd non ſemel fœminæ ea ſigna habuerunt, & iudicarunt, ſe eſſe prægnantes, & poſtmodùm compertum eſt, ea ſigna ab aliis cauſis ortum habuiſſe. Prætereà poteſt contingere, vt magicis artibus aliquis vtens, vt fœminæ honori detrahat, effecerit, quòd ea omnia ſigna apparerent, cum dæmon poſſit applicare media ad eum finem, vt in confeſſo eſt Authoribus magicas res tractantibus ad damnandum illas. Et ſanè aliquando amaſius pudiciſſimæ cuiuſdam virginis ab ea indecorè repulſus, in odium mutans turpem affectum, vt vindictam ab ea ſumeret, atque infamaret, ad magicam artem confugit, & omnia ſigna prægnantis, quin vllum deficeret, in ea apparere cœperunt. Vnde iudex in caſu prædicto à ſententia ferenda abſtinere tenetur, donec partus edatur.

In libello cui titulus *Philaldia*.

3 Ad alium aduenio caſum. Petrus puer decennis noctu in lecto fœminæ, quæ eius fuerat nutrix, cum ipſa dormiebat. Is in ea ætate obiit. Illa apparuit prægnans, & tandem filium peperit. Adiuit patrem eius pueri, ab eoque petiit, alimenta tribui filio ſuo, eo quod eſſet eius nepos, cõcepiſſetque illum de Petro. Riſit Petri pater, quod puero decenni imputaretur partus editus in lucem; & omnino preces deſpexit. Quid decernat iudex, ſi fœmina illa tentet eam alimentorum litem, obteſtans cum iuramento, Petrum puerum genuiſſe eiuſmodi filium, aliaſque probationes adducere, vt conſtaret ſe pro toto eo tempore cum nullo alio homine rem habuiſſe?

4 Scio, in Iure non cenſeri aptum ad nuptias, & ad gignendos liberos, niſi puberem, ſeu quatuordecim annos natum; & quamvis in viro, & fœmina (quæ viripotens iudicatur duodennis) admittatur, malitiam ſupplere ætatem, at id per exiguum tempus

pus communiter admittitur. Hinc iudex, si præcisè Iuris dispositioni attendat, nec amplius inquirat, reiiciet prædictæ fœminæ petitionem, & Petrum decennem non fuisse genitorem eius filij declarabit.

5 Verùm scire oportet, aliquando ita ætatem suppleri à malitia, viribus, & corporis dispositione, id ita varia hominum natura, & complexione dispensantibus, vt pueri nati decem annis, necnon vndecim, quin & septem, ac etiam nouem generare potuerint. De quo non vnum, aut alterum, sed plura exempla apud fide dignos (19) Authotes leguntur. Sicut etiam in fœminis suppleri ætatem per vires, & complexionem legitur, ita vt insignes Authores tradant fœminas septem annorum natas, item & octo, ac prætereà nouennes, & decennes concepisse, ac peperisse. (20)

6 Ex his cernitur, in casu prædicto debere iudicem informationem accipere de dispositione, & habitudine corporis pueri Petri; & inde si constaret, ætatem in illo fuisse suppletam, & aliunde fœminam illam ad alium virum non accessisse, (quod non esset facilis probationis) teneretur ferre sententiam in eius fauorem, pro alimentis præstandis. Nam dispositio Iuris circa ætatem quatuordecim annorum admittit eam conditionem, nisi malitia, id est, habitudo, ac vires corporis suppleant ætatem. Quòd si de eo supplemento constet, non contraitur iuri, & statur veritati. Consequenter ad hæc, si puer v. g. vndennis, aut duodennis daretur (quod raro euenit) cuius vires, & dispositio corporis clarè manifestarent in illo potentiam ad generandum, posset contrahere nuptias, ætatem supplente malitia.

19. D. Hieronym. Cœlius. Donatus. Hostiensis. Phlegon, & alij apud Gasparem de los Reyes *in Elysio campo*, q. 90.

20. Abbas. Alb. Magnus. Zacchias. Io. Columna. Schenckius. Foroliuiensis. Genebrardus. Maiolus. Torreblanca. Sauaranola. Syluius. Paræus, & alij *vbi supra*.

## *De dæmone incubo.*

1 DÆmon fuit incubus fœminæ, vt in variis historiis legitur, (1) viri speciem assumens. Quid, si ille semen, quod tunc aliquis homo effunderet, ferret ad nefarium concubitum, & inde fœmina

1. In vita S. Petri de Alcantara, & pluries alibi.

mina imprægnaretur ? Certè id difficile apparet ; quamvis enim breui temporis interuallo transportaretur, id videtur sufficere, vt vim suam non retineat. Verùm dato eo casu, quid dicendum de filio sic nato ?

2 Manifestum est, eum fore filium tum illius fœminæ, tum eius viri, à quo semen est decisum ; dæmon quippe solùm se habuit vt instrumentum, & non suppeditauit materiam, ex qua proles est concepta: quare ille non esset filius dæmonis, sed hominis, vt cæteri, estò ea diuersitate concubitûs procreatus.

3 Ille autem vir, etiamsi à dæmone dictum fuisset fœminæ, semen ab eo portatum fuisse, ipsaque ei id referret, non teneretur filium vt suum agnoscere, nec eum post triennium alere, nec impedire postmodùm eius iam in ætate sufficienti constituti cum consanguineis suis, aut affinibus intra quartum gradum nuptias, si ille fortè de eis ageret ; (si aliundè vir ille non esset fœminæ consanguineus) tum quia dicto dæmonis, vtpotè mendacis, non deberet stari ; tum quia esset prudenter incredibile illud factum. Cæterùm si ea fœmina esset nupta, filius ille deberet iudicari legitimus, dum maritus tempore proportionato non abesset ; nec credere deberet fœmina dæmoni enuntianti, genitum fuisse ex eo nefario concubitu ; quare filius retineret omnia iura legitimitatis.

4 Quòd si fœmina non esset nupta, & tunc temporis cum alio homine concubuisset, reputandus esset filius huius hominis, quidquid dæmon enuntiaret ; indéque spurius, sacrilegus, aut naturalis esset censendus, iuxta qualitatem matris, & eius hominis.

5 At si fœmina nec vxorata esset, aut absens foret maritus toto tempore proportionato, nec cum aliquo homine concubuisset, (qui est casus suppositionis factæ) filius ille vt spurius, & nefarius esset reputandus, nec posset Ordines recipere, nisi cum dispensatione ; ad eam tamen obtinendam, quamvis ipse à matre totam rem calluisset, cui tamen credere non deberet circunstantiam nefandissimam,

&

& pluſquam beſtialem, ſufficeret ſe ſpurium declarare, vt in hoc impedimento cum ipſo diſpenſaretur. Et præterea ad nullos effectus, nec pro foro externo, nec interno, teneretur habere vt patrem illum hominem, à quo dæmon enuntiaſſet, ſe materiam conceptûs accepiſſe.

## *De impedimento matrimonij.*

1 IVuenis quidam virginem ſpontaneam defloraſſuit, & legitima poſteà cum ea contraxit ſponſalia, poſt quæ cum matre illius copulam habuit. Inſtante filia, quòd iuuenis ei deſponſaretur, illoque recuſante, petiit à matre, vt Ordinarium adiret, ſchedulamque promiſſionis nuptiarum oſtenderet. Mater vel ignorans, ſuam culpam ſuperuenientem eſſe impedimentum dirimens, vel nolens ſuam turpitudinem filiæ, quæ vrgebat, & ſe defloratam fatebatur, manifeſtare, Ordinarium adiit, ſchedulamque oſtendit. Ille rem volens abſque ſtrepitu litis peragere, vocauit iuuenem, qui faſſus eſt ſuum chirographum, ſed adimpleri à ſe non poſſe aſſeuerauit. Inſtitit Iudex: perſtitit ille: & auditis minis de lite, carcere, & pœna, tandem aſſeruit, impeditum eſſe, quia cum matre, ibi tunc adhuc præſente, copulam completam habuerat. Ordinarius ab ea interrogauit, an id ita eſſet? Tacuit illa; & ſilentio pro confeſſione habito, aſſeruit rectè Ordinarius, diſpenſationem fore à Papa poſcendam. Hæc omnia acciderunt, quin vllus ex illis iuramento dictum firmaret. Poſt dies aliquos acceſſit iuuenis ad Ordinarium, & iuramento firmauit, ſe in copula cum matre illius fœminæ non emiſiſſe ſemen, indéque impedimentum affinitatis non fuiſſe ortum, adeóque velle nuptias contrahere cum filia. Vocata ab eodem Ordinario mater, & ſeorſim interrogata, idem iuramento affirmauit. Quid præſtet Ordinarius? An impediat matrimonium? An eos illud contrahere permittat?

2 Reſpondeo, poſſe illum permittere nuptias, adhibitis circunſtantiis *infrà* apponendis. Nam cum datur

datur duplex dictum, primum absque iuramento, secundum cum illo, huic debet fides adhiberi. (1) Et testi non iurato denuntianti impedimentum matrimonij non creditur. Prærereà iuuenis primum dictum proferens recusabat matrimonium, non optabat; & recusanti illud fides non datur, (2) quia est in ipsius fauorem, & in præiudicium iuris adquisiti tertio. Et præterea probatio ex taciturnitate matris fit eneruis, quia audiens suam turpitudinem manifestari, valdè perspicuum videtur, eam tunc non attendisse, nec meminisse, an ille iuuenis intra vas seminauerit, necne; cum id ex pudore, quo correpta fuit in ea infamia, quis dicat, fuisse speculatam? maximè cum supponatur fœmina bonæ opinionis externæ.

1. Farinacius *in praxi part. 2. q. 66. n. 148.* vbi plures refert.

2. Th. Sanchez *lib. 1. d. 72. n. 4.*

3 Debet tamen Ordinarius eos admonere, illud matrimonium, si mentiantur, fore inualidum, & coniuges futuros esse in perpetuo concubinatu, nec superesse illis spem obtinendi posteà dispensationem, iuxta Tridentinum; (3) iterumque ratificationem sui dicti iuratam ab eis poscat. Etenim & ob rationes adductas, & quia non debet præsumi, matrem, & iuuenem peierare velle, & hunc in statu concubinatus semper permanere, tutò Ordinarius ab impediendo nuptias desistet.

3. *Sess. 24. de refor. matr. c. 5.*

## *De mortuo miraculosè resuscitato.*

1 DE mortuo miraculosè resuscitato quæruntur aliqua. Si erat ille coniugatus, recuperatne vxorem. Neutiquam, (1) vinculum enim matrimonij morte dissoluitur.

1. *Cap. Super illa 4. de secund. nuptiis.*

2 Si habuerat impedimentum, in quo obtinuit dispensationem, vt contraheret nuptias, & post resurrectionem cum prima vxore iterùm contrahere velit, indiget ne noua dispensatione? In primis si impedimentum fuit quasi accidentale, & superueniens, veluti impedimẽtum criminis, aut voti, vel similis, iam omnino illud ablatũ est, nec noua indiget dispensatione. At si id, quod fundat impedimentum, est permanens,

vtpotè

vtpotè consanguinitas, affinitas, & si quid est huiusmodi, noua egebit dispensatione; quippe consanguinitas, & affinitas adhuc in resuscitato permanet: dispensatio autem in impedimento ex illa resultante non permanet; si enim ipsum vinculum matrimonij, & alia, quæ dicemus, non remanent, nec vim iam habent, quomodo eam habeat dispensatio? Deindè si ille velit nubere cum alia affini, aut consanguinea in eodem gradu, dispensatio requiritur: vxor ergo antecedens habet se sicut vna ex illis, & quasi à se vxore, iam alia. Etenim dispensatio fuit præstita ad illud matrimouium primum, non ad aliud: & vtrumque cessauit.

3 Si beneficium Ecclesiasticum habebat, gaudebitne illo resuscitatus? Minimè; (2)ea enim omnia aduentitia cum morte sunt extincta. 2. Rebuff. *de pacifica possess. num.* 268.

4 Si sacris erat initiatus, perseuerabitne ordinatus? Vtique; etenim ordo sacer imprimit characterem indelebilem in anima. Sicut manebit baptizatus, & confirmatus, quia Sacramenta Baptismi, & Confirmationis imprimunt characterem. Don Did. Antonius Fajardo *in quæst. pro Episcop. Regul. num.* 65.

5 Quid, si esset Episcopus? Itidem Episcopus remanebit; nam vel Episcopatus est ordo distinctus ab aliis, vel cum illis in vnum coït, ita vt cum eo cæteri compleantur. Attamen non permanebit Episcopus diœcesis, quam gubernabat; sed velut Episcopus manet is, qui Episcopatui renuntiauit; nam esse Episcopum, provt inuoluit ordinem, vel complementum Ordinis, prouenit à consecratione; gaudere verò iurisdictione in tali diœcesi est concessio Pontificis, quæ adhuc ipso prius viuente, poterat tolli, aut si transferretur in aliam diœcesim, aut si ob delictum priuationem mereretur. Si esset Pontifex Summus, & resurgeret, Pontifex permaneret cum plena iurisdictione; nisi iam fuisset alius Summus Pontifex electus.

6 Quid, si fuisset Cardinalis? Non resurgeret Cardinalis; quia Cardinalatus non est Ordo, nec Ordinis complementum, sed eximius honor aduentitius. 3. Gironda *de priuileg. & exempt. n.* 1281. & *n.* 1291. Fajardo *vbi supra.*

7 Quid, si fuisset Religiosus Professus? Non teneretur (3) ad Religionem redire, & votis esset solutus, omnia enim vincula morte dissoluuntur. At si esset initiatus

initiatus sacris, voto castitatis adstringi teneretur, quia est annexum Ordini sacro.

8 An bona sua recuperaret? Lazarum à Christo resuscitatum sua bona recuperasse, affirmant aliqui, & consequenter quemlibet resuscitatum fore illa recuperaturum. Sed vtrumque negant alij, ex eo quòd non recuperat vxorem, nec Beneficium Ecclesiasticum. (4) Primæ sententiæ adhæreo; nam ille idem, qui erat, manet, vt de consanguinitate, & affinitate dixi; v. g. manet filius Petri, cuius hæres fuit; quare hæreditas non potest ab eo tolli. Præterea bona, quæ adquisiuit, æquitati, & rationi est consonum, vt ei restituantur; nec par esset iuxta naturæ iura, vt ipse spoliatus omnibus inueniretur, quasi non habuisset in terris parentes; indéque si ditissimus fuisset, mendicare teneretur. Et quidem iustitia ipsa id poscit, vt estò dominium bonorum fuisset translatum in alios, foret interpretandum, non ita transferri, vt casu hoc superueniente, non iterum rediret quasi postliminio in antiquum dominum. Quare hac interpretatione rationi, & naturæ omnino consona esset donandum, quidquid pro dominij translati iure afferretur.

4. Benedictus *in c. Raymuntius, verb. Mortuo itaque, de testament. n.324.* Paschalis *de virib. patr. potest. p. 1. c.8.num.207.* Marius Cutellus *tom.1. de donat. tr.1. discurs. 2. partic.3.n.148.*

9 Maneretne in patria potestate, si filiusfamilias ille obiisset? Nequaquam, quia estò idem homo sit quoad intrinseca, & inseparabilia, at patria potestas est quoddam vinculum, quod multis modis, etiam viuente filio, solui potest. A fortiori ergo morte solueretur, sicut alia fortiora vincula; cum illud sit quasi accidentarium, quod secundum se adesse, & abesse potest.

10 Quid, si excommunicatus obiisset? Resurgeret quidem excommunicatus; nam extra communionem Ecclesiæ erat, cum obiit, & nullus eum adhuc illi restituit; & restitutio non fit per mortem, cum excommunicatus obiens antequam sepeliatur, indigeat absolutione post mortem.

11 Sed quid, si post mortem fuisset absolutus? Equidem absolutio post mortem solùm operatur, quod corpus in loco sacro sepeliri possit, & suffragia pro anima offerri. Cum autem excommunicatio solùm

ſem quoad hoc ſit ablata, & quoad plura alia extendatur, adhuc indigeret abſolutione. Sicut etiam ſi peccata haberet grauia, quæ non fuiſſet ille priùs confeſſus, cùm ea adhuc animæ inhærerent, ac non eſſent per abſolutionem debita, egeret ille confeſſione eorum, & abſolutione.

12 Quid autem ſi in articulo mortis fuiſſet abſolutus à peccatis, & à cenſuris reſeruatis à Sacerdote ſimplici, cui pro tunc iuriſdictionem Eccleſia præbet in caſu neceſſitatis; ita tamen vt ſi ſuperviuat, teneatur ille comparere coram reſeruante pro abſolutione? Equidem non teneretur comparere, quia ea obligatio comparendi ſolùm eſt, ſi ille ſuperviuat, & non moriatur; cum ergo mortuus fuerit, & conditio non fuerit adimpleta, obligatio non vrget, quæ ſolùm ſub ea conditione vrgebat. Nec enim poteſt rationabiliter excogitari, Eccleſiam in eo caſu apposuiſſe obligationem comparendi non ſolùm ſub conditione, quòd ille ſuperuiueret, ſed ſi moreretur, & reſurgeret. Et cum ea obligatio ſit odium, non eſt amplianda, nec amplè interpretanda, ſed ſtrictè.

13 Quid ſi in vinculis propter delictum exiſtens, aut non punitus, etſi liber à vinculis obiiſſet, poſſetne propter delictum illud puniri? Nequaquam, quia omnis reatus externus, ſicut & alia vincula, morte ſunt ſoluta.

14 Quid ſi debita haberet, quæ ſolueret? Teneretur ſoluere; nam adhuc ipſo non reſurgente, erant ſoluenda ab hæredibus, aut executoribus teſtamenti; illaque debita bonis ipſius inhærerent, ita vt tantumdem non foret illius, nec ante mortem, nec poſt mortem, nec poſt reſurrectionem, quantùm eſſet æris alieni; nam id minus in bonis cuiuſque eſt. (5) 5. Communis.

## De ieiunio.

1 SVpponenda ſunt aliqua. Primum, anticipare pranſum in die ieiunij, etiam abſque cauſa, non eſſe peccatum mortale; (1) & anticipatio hæc pro vna, aut duabus horis intelligitur. Secundum, collationem 1. Paſqualigus in praxi ieiun. deciſ. 146.

vbi refert viginti quatuor Authores.

tionem ſumere matutino tempore, & veſpertino prandium, eſse ſolùm peccatum veniale, ſi fiat ſine cauſa; (2) & nullum, ſi cum cauſa. Sed matutinum tempus intelligitur ea hora, quâ poſſet pranderi,

2.

Diana *part.* 1. *tr.* 9. *reſ.* 33. & *p.* 11. *tr.* 3. *reſ.* 9. Fr. Mart. à S. Joſeph. Caſtro Palao, & alij.

vel duabus horis antecedenter; vel ſi mauis, etiam ampliùs. Et quidem cum ieiunium in abſtinentia à cibis veritis, & in vna comeſtione conſiſtat, collatio introducta eſt ob aliquod corporis refrigerium, ſeu ne potus nocturnus noceat. His poſitis:

2 Dubitatur (quod nullus, quem viderim, Author diſcuſſit) an poſſit hora prima, ſecunda, aut tertia poſt mediam noctem ſumi collatio, & poſteà hora ſolita, aut veſpertina pranderi? Conſultus ego de hoc dubio, reſpondi non poſse abſque graui culpa fractionis ieiunij. Primò quia vſus fidelium eſt contrarius, qui in nullo caſu ita anticiparunt collationem. Secundò quia omitti hoc dubium ab omnibus Authoribus, videtur ideò eſse, quia ſupponunt abſque dubio non poſse fieri. Tertiò quia ſi anticipare collationem eſset licitum, cum poſſit pranderi, cum ſumitur collatio, poſſet ea hora pranderi; quod eſt contra ſtylum fidelium, & contra motiuum Eccleſiæ intendentis, mortificari fideles, non prandendo quidquam ante horam communem prandij. Quartò quia eſtò videatur, eſse accidens in ieiunio, quod hac, vel illa hora prandeatur; at accidentia ita notabiliter mutata in ſubſtantiam refunduntur. A meo ſenſu extitere non pauci. (3)

3.

Mag. Fr. Maurus de Somoza. Mag. Fr. Placidus de Puga. Mag. Fr. Antonius del Caſtillo. Mag Fr. Ioſeph Gomez. Omnes hi in Academia Salmantina Magiſterij laurea donati, & obtinentes Cathedras Theologiæ, & Phil. P. Gabriel de Henao.

3 Contrarium iudicatum eſt probabile à maximæ notæ Magiſtris. (4) Primò quia ſi poteſt collatio ſumi ante meridiem, & in nocte pranderi, quin frangatur ieiunium, cur non poſſit collatio anticipari? ſi quidem eſſentia ieiunij conſeruatur. Secundò quia cum ſit tolerata collatio in ſubſidium naturæ, nulla lex prohibet, eam ſumi hac vel illa hora. Etenim vel collatio ſumitur, vt poſſit ſomnus capi, vel in leuamen naturæ. Non primum, cum poſſit multò ante ſomnum collatio ſumi. Quin ita ſit, ſi quis viuens inuerſo ordine, ſecunda hora, aut tertia poſt mediam noctem pergit in lectum capturus ſomnum, collatio ea hora ſumpta iuuabit, & faciet ne

4.

Ill. Fr. Fran-

noceat

noceat potus. Secundum verò iam ſuum ſortitur effectum, ſi quidem natura ſubſidium habet in ea collatione. Demùm eſſentia, ac ſubſtantia ieiunij ſeruatur; mutatio autem accidentis horæ in ſumptione collationis nihil de ſubſtantia detrahit. Vnde in dubio non tractato Patroni, & fundamenta probabilitatem adſtruunt; mihi verò primus omnino placet ſenſus.

ciſcus de Rois, Epiſcopus Pacenſis.
Mag. Fr. Michaël de Fuentes, Generalis Congregationis Ciſtercienſis in Hiſpania.
Mag. Fr. Petrus de Oniedo, itidem Generalis eiuſdem Congregationis.
Mag. Fr. Antonius de S. Petro.
Omnes hi in Academia Salmantina Magiſterij laureâ decorati, ac obtinentes Cathedras Theologiæ.

## *De medicamine afferente alteri mortem.*

1 FOemina poſt partum grauiter ægrotabat; Medici agnouerunt, indè periclitari, quod eius lac eſſet malignè infectum. Id pro medicamine deſignarunt, quòd infans ab ea natus, quem alia fœmina lactabat, matris ſugeret lac; monentes tamen, infantem fore moritutum, & ſuperſtitem fore matrem. Ita peractum. Infans ſuxit vbera matris: mortuus eſt: illa ſuperſtes euaſit. An id fieri potuit?

2 Non potuiſſe, meum eſt iudicium. Etenim etſi principaliter intenderint ad vitam matris ſeruandam, vſi ſunt medio omnino illicito, & iniuſto, nempe occiſione filij. Parum quippe intereſt, ſi ille venenoſo lacte mortem certò allaturo, an ſi gladio occidatur. Nequiret autem gladio occidi, adhuc ſi eius ſanguine vita matris eſſet ſeruanda. Sic Imperator Conſtantinus cælitus eſt admonitus, ne crudeli, & iniquo balneo ſanguinis infantium (vt Medici conſuluerant) ablueretur, vt à lepra curaretur; eſtò indè ſanitas, & forſan vita perſonæ publicæ, veluti Imperatoris, penderet; nec iniquitas in ſubſtantia deſumebatur à pluralitate infantium occidendorum; etenim iniquitas etiam eſſet, (eſtò non tot patrarentur homicidia) ſi vnus infans dumtaxat foret occidendus.

3 Nec opportunè dices, in caſu præfixo illum infantem non fuiſſe immediatè occiſum. Etenim ſi venenum propines alicui, quod non immediatè, ſed

intra sex dies vitam aufert, eodem modo occidis illum, ac si illicò occideres.

4 Nec refert, si addas, directè non fuisse intentam mortem filij, sed vitam matris. Quippe etsi minùs principaliter media appetantur, quàm finis, tamen appetuntur, & intenduntur, quamvis non vltimò; & sic capitur axioma: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Nec medium potest assumi iniquum, vt finis bonus obtineatur; cùm non sint facienda mala, vt eueniant bona. Sic non licet furari, vt eroges eleemosynam, estò non appetas furtum propter se, & primariò, sed propter finem exercendæ pietatis. Sic etiam non licet procurare abortum propter finem vitandi scandala, imò nec propter saluandam vitam matris, quæ certò foret occidenda, dum prægnans comperiretur; & id quidem, etiamsi non esset aliud medium euadendæ mortis. Quod valde confirmat nostrum iudicium in præsenti casu; nam paritas vndique robur retinet.

5 Nec rursus obstat, si asseras, licitum esse intendere per medicamenta sanitatem matris prægnantis primò & per se, estò exindè sequatur abortus; vnde etiam videtur licere id, quod disceptamus. Etenim ex eo ipso confirmationem nostri sensus eruimus: quippe non licet procurare abortum, vt matri consulatur; seu vti, tanquam medio, abortus procuratione, ad matris salutem: non ergo licebit vti velut medio, venenati lactis propinatione, qua filius certè moriatur, vt mater sit incolumis. Itaque possunt Medici (1) applicare matri prægnanti medicinam per se tendentem ad expellendam eius ægritudinem. V.g. si febri acuta maligna laboret, poterunt sanguinem è venis emitti præcipere; quia sanguinis emissio prodest ad eam febrem temperandam, ex qua mors sequeretur; estò exindè abortus proueniat, cùm non intentus hic fuerit, nec apposita medicina ad illum. Secus est in nostro casu, in quo ipsi filio præbetur lac matris infectum, cum certitudine obitus illius; & immediatè sumitur pro medicina ea lactis propinatio.

1. Lessius *de iust. c. 9. dub. 9.* Coninch. Gobat.

6 Adhuc stabilitur assertum. Si manu vbera illius matris

matris comprimerentur, ac lac in vas efflueret, non posset illud lac propinari infanti, sicut nec aliud vas veneni: ergo nec poterat ille infans ad vbera matris applicari, vt id lac sugeret, cum perinde se haberet vnum ac aliud; & ei infanti absque libertate operanti, tam esset actio inuoluntaria, ac necessaria è vase lac, ac ex vberibus sumere.

7 Verùm adhuc vrges. Cum mater nequit parere, & indè morti est obnoxia proximè, licitum est infantem transversum per vim, & in frusta diuisum, ac sectum extrahere, vt mater non moriatur: igitur ad vitam matris seruandam licitum est immediatè vitam filij tollere, & eius sectione, ac occisione vitæ matris prospicere, ac consequenter licebit in nostro casu eo vti medio per lactis sumptionem. Sed præstò est disparitas. Cum infans ex vtero extrahitur sectus, supponitur iam mortuus, iuxta communem persuasionem, seu iudicium; eaque est causa, cur nequeat parturiri; nullo enim motu inflectitur, vt possit vel per caput, vel per pedes eiici. At non ita contingit in nostro casu, cum potiùs disceptemus, an infanti viuenti possit ob vitam matris seruandam lac infectum apponi, quod sugat. Et quidem si filius intra ventrem matris sit adhuc viuus, nullo modo valet secari. (2)

2.

8 Iam ex his liquidum fit, nequire Medicos id consulere, & deindè irregulares fieri ex homicidio cooperantes. Quin addo, si de facto mater lactaret infantem, & eius lac infectum dignosceretur, teneri eos, ad quos spectat, impedire, ne vlteriùs mater lactet filium, aut fœmina quævis lacte laborans infantem sibi traditum ad lactandum.

Th. Sanchez *de matr. l. 9. d. 20. num. 14.* Dicastillo *l. 2. de iust. d. 10. dub. 5.* Layman *de homicid. c. 4. n. 4.* & plures.

## *De Baptismo iterùm.*

1 VArij casus erunt decidendi. Primus: An baptizatus tantùm aspersione aquæ ex digitis, sicut quilibet se aspergit aqua benedicta, sit verè baptizatus. Consulti doctissimi viri (nam hic casus certò euenit) censuerunt esse verè baptizatum. Sanè

ſupponendum ab eis fuit, digitos probè immerſos fuiſſe in aquam, ita vt quinque, aut ſex guttas in infantem aſpergerent; nam ſi ſolùm duæ, treſve guttæ fuiſſent aſperſæ, rebaptizandus ille eſſet ſub conditione, cum eſſet dubium prudens de materia ſufficienti: (1) ſiquidem neceſſum eſt, vt aqua effluat ad abluendum; vnde ſi quis panno madido aquâ baptizaret infantem, ſolùm imprimendo illud fronti, quin aqua efflueret è panno, aut pannus traheretur motu ſucceſſiuo, non eſſet validus (2) baptiſmus. At ſi digitis aſperſis aquâ fieret infanti ſignum crucis in fronte (ſuppoſita ſemper forma) verus baptiſmus foret. (3)

1. Gobat. *in exper. Theolog. tr. 2. n. 46.* Bonacina.

2. Eſcobar *in Theol. Mor. lib. 11. ſect. 2. probl. 5.* Angelus. Poſſeuinus. Reginaldus.

3. Comitolus *in reſponſ. moral. l. 1. quæſt. 10.*

4. *Cap. Reſulerũt, de baptiſm.*

5. D. Thom. *3. p. q. 60. art. 8. in corpor.*

6. Marchantius *in reſol. paſtor. de Sacram. tr. 1. c. 2.*

7. *Epiſt. 140.*

8. Caſtro Palao *tr. 19 punct. 5. num. 23.* Vega. Sotus. Suarez. Vaſquez. Bonacina. Leſſius. Dicaſtillo.

2 Secundus. Ignorans latinitatis ſic baptizauit. *Baptizo te in nomine patria, & filia, & Spiritu ſancta.* Zacharias Papa ratum habuit hunc baptiſmum; (4) nam ea ignorantia Latini ſermonis, & probitas nota baptizantis effecerunt, quòd omnes adſtantes intelligerent, tres Perſonas diuinas illis verbis deſignari. Et tunc ſolùm redditur hoc Sacramentum irritum, quando mutatio verborum facit, quominus ſpectatis circunſtantiis reddatur idem ſubſtantialis ſenſus, quem Chriſtus voluit exprimi per formam verborum. (5)

3 Idem à paritate dicendum eſt de forma, quâ mulier Belgica in ſuo idiomate vtebatur: (6) *Ego te baptizo in nomine Patrum, Filiorum, & Spirituum ſanctorum.* Et de illa forma, qua quis Sabaudo Germanus baptizauit: *Baptizo te in nomine Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.* Difficilius eſt exponere D. Bernardum, qui (7) approbauit baptiſmum præſtitum ſub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Dei, & Sancta, & vera Crucis.* Vide Authores in margine allatos. (8) Nunc certè ea forma non toleraretur, nec ſub ea eſſet validus baptiſmus, eſtò tunc Sanctiſſimi, & doctiſſimi viri pro ea aut certò, aut probabiliter exiterint. Cæterùm edocendæ ſunt obſtetrices de forma; illicitè enim mutantur verba, quamvis ſenſus legitimus remaneat.

4 Hæc forma, *Ego te baptizo in nomine Patriũ, ego te baptizo in nomine Filij, ego te baptizo in nomine*

*mine Spiritus ſancti* : & hæc forma ; *Ego te baptizo cum nomine Patris*, &c. circa valorem baptiſmi habent ex vtraque parte patronos. (9) Quod mihi ſat eſt, vt dubium cenſeam valorem, atque adeò rebaptizandum eſſe ſub conditione cenſeam ſic baptizatum. Certum tamen eſt, hanc formam ; *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & gratiæ Spiritus ſancti*; non eſſe ſufficientem ad valorem. Quare in Hiſpalenſi diœceſi Archiepiſcopus rectè præcepit, ſic baptizatos rebaptizari. (10)

9. Comitolus *l.1. reſp. mor. q.7.* Suarez *tom. 3. in 3. d. 21. ſect. 3.* Bonacina. Diana. Ant. Cotonius. Henriquez.

5 Si quis hanc formam proferat ; *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & B. Virginis, & omnium Sanctorum* ; ſi ſolùm apponatur ea inuocatio B. Virginis, & Sanctorum ad conſeruandam gratiam ſacramentalem, validè baptizat ; ſecus, ſi intelligat baptizare in nomine Virginis, & Sanctorum, ſicut in nomine Trinitatis. (11) Balbutiens, qui diceret, *Ego te babaptizo in*, &c. vel non potens pronuntiare literam *R*, aſſereret, *In nomine Patlis*, ſeu *Patis*, &c. ſanè validè baptizarer. Hæc forma ; *Ego te baptizo cum Patre, cum Filio, cum Spiritu ſancto*; cum non exprimatur eſſentia, inſufficiens eſt. (12) Etſi illicitum ſit, vt aſſerui, mutare, aut addere verba formæ, tamen validè baptizauit, qui ita eam protulit ; *Ego te baptizo in nomine Dei Patris, & Dei Filij, & Dei Spiritus ſancti* ; cum id non ſignificet pluralitatem Deorum. (13)

Coninch. Dicaſtillo. Layman.

10. Quintanad. *tr.1. ſing. 5. n. 5.*

11. D. Thom. *3. p. q.60. art. 8.* Vaſquez. Coninch. Dicaſtillo.

12. Caſtro Palao *tr. 19. punct. 5. num. 17.* Bonacina. Coninch.

6 Fœmina falsò iudicans eſſe neceſſariam trinam aſperſionem aquæ, cum forma repetita in vnaquaque aſperſione, ter abluit, ter repetiit rectè formam. Tenendum eſt, validum fuiſſe baptiſmum, cum nec materia, nec forma, nec intentio defuerit ; & is error miniſtri non officit valori : ſicut ſi Confeſſarius per errorem iudicaret, eſſe opus ter dicere, *Ego te abſoluo*, & ſic præſtaret, ſanè abſolueret : (14) ſat enim eſt habere intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, formâ appoſitâ, eſtò repetitâ.

13. Gobat. *in exper. Theol. tr.2. n.712.* Diana. Layman.

14. D. Thom. *3. p. q.64. art. 9.*

7 Tertius caſus. Parochus eodem tempore vocatus ad baptizandum infantem iam morientem, & ad abſoluendum agonizantem nondum confeſſum, & non potens munus vtrumque ob diſtantiam implere, quod

teneatur præstare? Sanè si nullus adsit, qui sciat baptizare infantem, ad baptismum ei præstandum tenetur priùs accurrere; (15) nam infanti non superest remedium vllum vitæ æternæ obtinendæ nisi baptismus; adulto verò supereſt contritio, quam elicere valet: & sibi imputet, si non eliciat.

15. Stephanus à S. Paulo *in Theol. mor. tr. 3. d. 3. in edit. 3.*

8 Quartus casus. Sacerdos incedebat per viam solus: audiuit clamores fœminæ eum vocantis; illa etiam eam viam faciebat, & repentè doloribus partus superuenientibus, tantillùm receſſerat à via. Pergit Sacerdos: orat illa, vt ei obstetricetur, aliàs cum esset primus partus, fore & ipsam morituram, & infantem absque baptismo deceſſurum. Inspicit Sacerdos, viciniorem locum distare vltra quatuor milliaria; quòd si illuc tenderet ad vocandam aliquam fœminam, quæ officio obstetricis fungeretur, interim posse puerperam, & infantem non baptizatum perire. Quid faciat? Omnia munda mundis. Casta mente, & pudicis oculis, quod posset, efficere debebat, non ita vt potiùs obesset, quàm prodesset: saltem fœminam teneret, vt ea vires resumeret, aliaque munia, quæ ipsamet rogaret, ab ipsa edoctus perageret; & infantem in lucem editum baptizaret, si ei periculum immineret, & absolutè melius esset, baptismum præstare, quàm differre. Etenim hic casus extremæ necessitatis est matris, & prolis; eaque præferenda est pudori tum matris, tum Sacerdotis: & præcipuè cum necessitas illa esset extrema animæ infantis, & vita ipsa laudabiliter exponitur diserimini pro salute animæ proximi procuranda, & vrget præterea obligatio succurrendi proximo in extrema necessitate corporali versanti, qualis prædicta supponitur. Nam si vicinus esset locus, vnde vocari posset fœmina ad illud obstetricis officium, sanè Sacerdos deberet eam vocare, & ibi non assistere, sed è longinquo expectare, an esset opus baptizare infantem, vt clamoribus vocaretur ad id præstandum.

9 Si infans partem capitis extrahat ex vtero materno, & dubitet obstetrix, an sit moriturus priusquàm totus in lucem emittatur, debet eum baptizare, ita vt aqua abluat non solùm capillos, sed eam

partem

partem capitis, quæ foras prodiit. At si viuus nascatur, rebaptizandus erit sub conditione, quia iuxta communiorem sententiam *in superioribus* libatam, cum ille infans nondum fuisset natus, nec renasci poterat aquâ baptismi. Et saltem in dubio adeò prudenti tutior pars est sequenda, vt ille absque valido baptismo non remaneat.

## *De Sacrificio Missæ.*

1 PArochus duobus Parochiis inter se distantibus inseruit, ob earum paupertatem non potentium duos sustentare Parochos. Missam diebus festiuis celebrat vnam in vna, secundam in altera, purificationem calicis in prima non sumens. Curiosus quærit, an in die Natalis Domini, in quo omnes Sacerdotes tres Missas celebrant, possit ille in vnaquaque ex illis Parochiis tres celebrare Missas, ita vt sicut aliis diebus festiuis bina offert Missæ sacrificia, offerat sex illa die.

2 Suppono, prohibitionem celebrandi plures Missas, & solùm vnam in die posse celebrari, factam fuisse ab Alexandro II. anno 1073. (1) Olim quippe plures Missæ vno die celebrabantur. Leo III. Papa sæpius vno die septies, aut nouies celebrabat. (2) Quin enuntiat Cardinalis Baronius, fuisse olim cuiuis liberum toties in die sacra facere, quoties lubet. Iam ergo restrictio facta ad vnam Missam pluribus abhinc sæculis in Ecclesia obseruatur. In Regnis autem Aragoniæ, Catalauniæ, & Valentiæ ex consuetudine immemoriali in die Commemorationis omnium defunctorum Sacerdotes sæculares duas Missas celebrant, & Religiosi tres Missas. Quando autem sit licitum duo sacra facere, diximus verbo *Missa*. In die Natalis tres Missæ ab omnibus Sacerdotibus celebrari queunt.

3 In casu autem proposito censeo, Parochum illum posse tres Missas celebrare in vnaquaque ex duabus Parochiis. (3) Etenim id fundatur in obligatione speciali, qua ille obstringitur erga vtramque Parochiam; nam sicut Parochiani vniuscuiusque habent ius

1. Card. Baronius *tom. 10. anno Christi 940. num. 6.* Suarez *in 3. p. tom. 3. d. 80. sect. 2. ex cap. Sufficit, de consecr. dist. 1. & cap. Te referente, de celebr. Missar.*

2. Vvalfridus. Strabo apud Gobat. *in exper. Theolog. tr. 3. n. 182.*

3. Gobat. *vbi super, n. 188.* Stephanus à S. Paulo.

ius exigendi ab illo vnam Missam omnibus diebus festis, sic habent ad exigendum tres in die Natalis; sicut omnes alij in aliis Parochiis consueuerunt tres Missas à suo Parocho expectare. Cæterùm ille Parochus æquiualet duobus, atque adeò potest solus peragere, quod duo possunt; & cum sentiat onus duorum, cur non experiatur commodum, & fauorem duorum? Sic etiam consulitur parochianorum spirituali consolationi; gaudebunt enim eo fauore, quo cæteri fideles gaudent, & deuotiùs Natale Christi festum celebrabunt.

4 Dices: Si Parochus tribus parochiis inopibus præsit, potest diebus festis tres Missas in illis celebrare; (4) quare consequenter ad decisionem præce-
4. Diana *part.* 11. *tr.* 15. *res.* 33. Castr. Palao. dentem poterit nouem Missas peragere in festo Natalis Domini, quod videtur absurdum. Forsan qui fundamentum decisionis expendat, id non reputabit absurdum. Deindè moraliter id nequit contingere; nam vno eodemque mane nequit Parochus ad tres Parochias inter se distantes pergere, & in singulis expectans adunari populum, tres Missas celebrare; moraliter enim non supereſt tempus. Demùm si videatur multa Missarum pluralitas, poterit in singulis Parochiis duas Missas celebrare, vt aliquo modo fidelium deuotioni faciat satis, ne illi vnicam Missam solùm possint audire, quando cæteri omnes possunt audire tres, etiamsi vnus solus Sacerdos adsit.

5 His annecto, Parochum cui in duabus Parochiis licet celebrare duas Missas diebus festiuis, posse feria quinta in Cœna Domini etiam eas celebrare, vt reponat Eucharistiam cum cæremoniis illius diei; & postmodum in die Parasceues in vtraque Ecclesia peragere Officia, & consumere Eucharistiam. Etenim hi duo dies festiuis assimilantur, eo quod fideles ad Ecclesiam ad assistendum Officiis diuinis concurrant; & maximè eorum detraheretur deuotioni, cum interna ipsorum desolatione, si priuarentur eis diuinis Officiis. Debet autem tunc Parochus in die Parasceues in primo Officio particulam Hostiæ in calicem immittere, quin vinum infundat; quia cæremonia infundendi vinum non est adeò essentialis, vt non possit

possit in eo casu omitti. (5) In Archiepiscopatu Mediolanensi iuxta ritum Ambrosianum, non fit Officium in die Paraseues, sed Sabbatho sancto; sicut nec in tota Quadragesima celebratur Missa, (nisi à Religiosis, qui sequuntur Ritum Romanum) etiamsi in eam diem incidat festum Annuntiationis B. Mariæ, aut Sancti Ioseph. Cæterùm festum S. Mathiæ nunquam incidere potest in feriam sextam Quadragesimæ, quia iuxta ritum Ambrosianum celebratur tum pro Ecclesia, tum pro foro die septima Februarii.

5. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 80. *sect.* 3. Ant. Coronius *lib.* 2. *contr.* 5. *c.* 3. *n.* 69. Reginaldus, & alij.

6 Alium accipe casum, qui & contingit, & contingere potest. (6) Dum celebraret Missam Sacerdos, taurus ferox ingressus est in Ecclesiam. Quid ille? Sanè potest ascendere supra altare, si ibi ab inuasione tutum se censeat, vel fugere in sacristiam, aut locum vicinum, in quo se tueatur; nam permanere in altari, est obiicere se discrimini vitæ, quod ei non licet; temeritasque esset expectare miraculum. Quòd si ille præturbatione, & defectu consiliantis, censeret malum deserere altare propter irreuerentiam, & scandalum secuturum, & præterea æquè censeret malum ibi permanere, ne vitam prodigè effunderet, in neutro præstando peccaret, quia quando vtraque pars contradictionis apparet æquè praua, alterutra potest fieri absque peccato.

6. Episc. Caramuel *in Theol. præterintentionali*, *n.* 2683. *casu* 25.

7 Præterea inquires, an Sacerdos possit, vbi non est cognitus, ingredi Religionem poscendo Habitum Conuersi, dissimulans Sacerdotium ob humilitatem? Respondeo, non posse, quia deciperet in re graui Religionem; impotentem voluntariè se redderet ad gestandum habitum, ac tonsuram clericalem propriam sui status; exponeret se manifesto periculo nunquam recitandi Horas Canonicas, ad quas tenetur; nec vnquam posset celebrare sacrum. Quæ rationes, esto in aliquibus circunstantiis specialibus saluari possint, ita vt non iudicetur intrinsecè malum contra eas operari; at eas reperiri circunstantias, vix, aut nunquam continget.

De

## *De Euchariſtia.*

1 CElebrauit duas Miſſas Sacerdos in die Natalis Domini; dubitauit, an omittens tertiam Miſſam poſſet communicare more laïco? Certiſſimè eſt tenendum, non poſſe. (1) Nullus enim poteſt in die bis ſumere Euchariſtiam; & priuilegium ſumendi ter in Natali, eſt in ipſamet celebratione Miſſarum; & cum in ea ſumpta fuiſſet ſemel, aut bis, nequibat extra eam ſumi. Solùm permitti iudicauit aliquis bis communicare eadem die, (2) cum quis manè communicauit, & eodem die lethali morbo correptus, adhuc non ieiunus ſumit Viaticum, vt præcepto Eccleſiæ ſatisfaciat. Communis autem opinio, & praxis eſt oppoſita, nec eodem die, ſuperueniente periculo mortis, eſt repetenda Communio; nec eo caſu Eccleſiæ præceptum obligat, (3) quia ei ſufficienter cenſetur ſatisfactum per Communionem matutinam factam ſanè in periculo proximo mortis, quamvis ignorato: & per illam voluiſſet ſatisfacere is homo, ſi reſciuiſſet periculum; quare ſaluatur intentio implicita ſatisfaciendi præcepto Eccleſiæ. Sicut qui ignorans hodiernum diem eſſe feſtum, multo mane audit ſacrum, & ante meridiem ſcit, eſſe diem feſtum, non tenetur aliud audire, quia per ſacrum auditum ſatisfecit præcepto.

1. Quintanad. *tr.4. ſing. 9.* Card. Lugo. Vaſq. & alij.

2. Diana *part. 5. tr.3. reſ. 33.*

3. Ant. Coronius *l.1. controu. 15. c. 1. num. 5.* Card. Lugo. Dicaſtillo. Gobat, & innumeri.

2 Quæ regula eſt obſeruanda circa miniſtrationem Euchariſtiæ quibuſvis, ſiue ſani ſint, ſiue in periculo mortis, ſi ſint obnoxij vomitibus? Hanc tene. Si cibum non euomunt intra vnam horam, poſſunt ſumere Euchariſtiam: ſi infrà illam, non poſſunt, ne detur periculum euomendi ſpecies Sacramentales, quæ tamen, maximè in hoſtiis paruis, poſt vnam horam corrumpuntur, & inde ceſſat illud periculum. (4)

4. Tannerus *de Euchar. q.8. num. 67.* Quintanad. & alij.

3 Dum quis eſſet ebrius lethaliter fuit vulneratus; an, & quæ ei Sacramenta miniſtranda ſunt? Potuit inculpabiliter inebriari, & tunc ſi nullatenus ſit mentis compos, nec vſu rationis polleat, miniſtranda eſt

Extrema

Extrema-Vnctio : & in eorum ſententia , qui tenent, moribundum , qui nulla ſigna doloris dedit , abſoluendum fore ſub conditione , etiam ille ſic abſolui poterit, cum par ſit ratio. Si autem culpabiliter mortaliter inebriatum fuiſſe conſtet omninò abſque vlla tergiuerſatione , ( nam aliter non eſt præſumenda culpa grauis ) nec in ſe vllo temporis momento rediiſſe, nullum Sacramentum eſt ei miniſtrandum, cum exiſtat in ſtatu peccati mortalis , à quo nequit mutari, dum ſuæ mentis compos non eſt. Sepultura verò Eccleſiaſtica ei non erit deneganda , iuxta *alibi* dicta de his , qui occiduntur in rixis ; nam pietati Chriſtianæ id indulgetur , niſi praxis eſſet contraria in aliqua diœceſi. Quòd ſi ille ebrius fuit aliquantulum compos mentis, ita vt potuerit cognoſcere ſua peccata , & de illis dolere , abſoluendus eſt, atque ei miniſtranda Euchariſtia , dum non ſit periculum vomitus intra horam, & poſtmodùm Extrema-Vnctio.(5)

5. Stephan. à S. Paulo *in Theolog. mor. tr. 5. diſp. 4. dub. 7. edit. 3.*

4 Ad calcem aduerto , poſtquam è gutture ſpecies Sacramentales in venticulum deſcendunt ( in quo communiter ſpatium recitationis dimidiæ Salutationis Angelicæ inſumitur ) non remanere locum ſcrupulis, ſi is, qui communicauit, ſputum ex ore eiiciat, (cauendo tamen, ne adſtantes ſcandalizentur ; ) decet tamen ob reuerentiam tanti hoſpitis, non ſpuere niſi poſt ſpatium , quo quinquies recitentur Pater noſter, & Aue Maria.

5 Aduerto etiam, moribundo, qui nequit Viaticum ſumere , eo quòd non poſſit nec minimam particulam Hoſtiæ deglutire etiam aquæ immixtam , non poſſe pro Communione, aut Viatico præberi ſanguinem ſacrum , (6) quia eo caſu nulla lex diuina , aut Eccleſiaſtica ad id obligat ; & aliunde ob ingentia incommoda prohibitum eſt, laicis ſanguinem præberi. At in caſu , quo Sacerdos poſt conſecratum calicem fugeret , eo quòd milites hæretici irruerent in templum ad illud deuaſtandum , poſſet Catholicus laicus ſumere ſpecies vini , ne impiè ab hæreticis effunderentur. (7) Si ſanguis in terram effundatur , & Sacerdos nequeat , aut nolit illum lambere , poſſe id præſtare laicum , docent nonnulli ; ſed cenſeo , re-

6. Georgius de Rhodes *diſp. 1. de Euchar. q. 3. ſect. 4. §. 4.* Suarez. Card. Lugo.

7. Suarez *d. 71. de Sacram. ſect. 3. num. 2.*

ctius

ctius esse, quòd spongia, aut panno lauetur, & radatur, & hæc comburantur: & dum hæc fieri possunt, aliud suadere non auderem.

## De immunitate Ecclesiæ.

### *Vbi aliqua de requisitis ad celebrandum.*

1 IN castris militum solet affigi altare, vbi Missa audiatur. Miles quidam homicidium in rixa patrauit; confugit ad id altare, vt immunitate gauderet. Militiæ gubernator, ne violaret immunitatem, & vt simul militem caperet, iussit castra mutari, & altare tolli. Miles monitus à viro docto arripuit aram ex altari, & secum eam ferebat. An ideò gauderet immunitate?

1. Quintanad. *sing. vlt.* Suarez consultus de hoc. Gobat.

2 Probabiliter certò gaudebat. (1) Etenim ara est altare portatile, & sacris faciendis ita necessarium, vt grauiter peccaret, qui celebraret absque ara; & in altari fixo illa est pars præcipua, vtpote in qua Hostia, & Calix apponuntur; quare ita debet esse capax, vt capiat vtrumque. Sicut ergo gaudet immunitate reus, qui ad Ecclesiæ altare fixum confugit, aut illud tenet; sic & qui ad aram, & eam secum portat. Dices: Oratoria priuata non gaudent immunitatis priuilegio, & tamen in altaribus eorum sunt aræ. Respondeo locum, in quo sunt Oratoria, non gaudere ea immunitate, nec altaria, quæ ibi sunt, absolutè sumpta; at si reus apprehenderet aram, probabiliter dicat aliquis, eum gauisurum immunitate, ob specialem rationem, quæ in ea est: non quidem ratione Oratorij, cui immunitas non conceditur. Sicut via publica non gaudet immunitate, & tamen si Sacerdos per eam incedens portet Eucharistiam, reus ad illum confugiens immunitate gaudet. Sed adhuc in casu proposito est alia diuersitas, nempe quòd tentorium, vbi figitur altare in castris, est veluti Ecclesia castrensis; quare altare, & ara in eo appo-

posita

sita gaudent priuilegio immunitatis. At Oratorium priuatum non est Ecclesia, nec ei concessa est immunitas; vnde etsi altare illius non gaudeat eo priuilegio, quin etsi ara illius altaris non gauderet, aliquid amplius inueniretur in ara altaris castrensis: nam esset ara, & pars præcipua altaris gaudentis priuilegio immunitatis; ara verò Oratorij non est ara altaris illo gaudentis.

3 Occasione cæterùm aræ, quam omninò necessariam ad Missæ celebrationem statuimus, aliqua breuiter concernentia libabimus. Absque lumine celebrari, peccatum (2) lethale est; ita vt si contingeret extingui lucernas ante consecrationem sine spe habendi lumen breuiter, esset abrumpendum sacrum. In necessitate sufficit vna lucerna, & quidem ex oleo, necnon (3) ex sebo. Ministrare Eucharistiam extra Missam absque lumine in altari est veniale peccatum: & mortale, si sequatur scandalum, aut detur contemptus.

2. Communis.

3. Pax Iordanus *lib. 4. tit. 1. n. 254.* Dicastillo, Th. Tamburin. Layman. Azor. Tannerus. Gobat.

4 Culpa grauis est celebrare absque ornamentis requisitis: sed absque cingulo benedicto celebrare (4) non est peccatum graue. At quoniam idem est celebrare cum aliqua veste non benedicta, ac celebrare sine illa absolutè; (5) ideò consequenter celebrare sine cingulo vllo erit solùm culpa venialis, si quidem hæc sola datur, si celebretur cum illo non benedicto.

4. Diana *part. 2. tr. 14. res. 68.* Eman. Sâ. Fagundez. Paludanus. Sylvester.

5 Solùm venialiter peccat (6) Sacerdos, qui dum se induit vestibus sacris, orationes præscriptas, dum induuntur, omittit. Vti vestibus his sacris ad res profanas, veluti ad comœdiam, est peccatum lethale.

5. Filliuc. *tr. 5. c. 5. n. 150.* Suarez.

6 Facere sacrum absque Cruce in altari, secluso scandalo, & contemptu, solùm est peccatum veniale. Nec requiritur in Cruce imago Crucifixi. Sufficere autem Crucem depictam in tabernaculo aut pariete, aliqui tenent; quod in casu, quo nulla alia sit, poterit scrupulum leuare.

6. Scortia *de Sacrif. Miss. c. 8.* Gobat. Fagundez. Tamburinus.

7 Sed contendes, nunquam absque Cruce posse Missam celebrari, aliter non fuisset opus eo celeberrimo miraculo Crucis de Carabaca in Hispania, quod ita se habuit. (7) Captiuos habebat Christianos in arce

7. Gretser. *lib. 2. de Cruce, c. 13.* Ciacconus.

arce Carabazæ Kazicius Rex Maurorum, tunc in ea Prouincia dominans post deuastationem Hispaniæ ab Agarenis factam; quos ad se vocatos interrogauit, quam artem callerent. Vnus ex illis Sacerdos asseruit, omnes artes, omnemque Regum potentiam suo superari ministerio. Optauit Rex id videre: Sacerdos monuit, deesse ibi vestes sacras, imaginem, & aram. Ille ab oppido Christianorum ea omnia iussit afferri. Parata sunt omnia in camera ampla arcis, in qua Altare cum Imagine fuerat erectum. Sacerdos ornamentis sacris indutus cunctabatur: causam interroganti Regi respondit ille, deesse Crucem, cuius antecedenter non meminerat. Cum ecce, fornice dehiscente, magnus splendor affulsit, & per eum hiatum duo Angeli è cœlo dilapsi crucem ligneam deferentes super altare deposuerunt. Rex cum aulicis Fidem est amplexus, sacellum ibi constructum, & Crux in arca pretiosa fuit reposita, quæ totidem centenis annis absque carie perdurat. Ad illam tanguntur Cruces, quas de Carauaca appellamus, miræ virtutis contra aëris tempestates, & fulmina. Ex hoc casu videtur probari satis omnimoda necessitas Crucis ad celebrandum, ita vt absque culpa graui nequeat sacrum sine illa fieri.

8 Respondeo, ad id miraculum plura concurrere. Primò necessitatem Crucis, quam iam sub peccato veniali adstruimus, atque adeò vt ex omni capite esset licita celebratio, Crux desiderabatur. Quin etsi in casu vrgentis necessitatis non foret culpa venialis celebrare absque illa, potuit ille Sacerdos (maximè in illis sæculis parùm cultis, & eo tempore calamitoso non multùm doctrina instructis) iudicare, sibi, adhuc in casu vrgenti, non licere facere sacrum absque Cruce. Secundò, dies, in quam incidit hoc miraculum, erat tertia Maij, Inuentioni Sanctæ Crucis dicata, ac de Cruce Missa celebrabatur; quare specialiter congruebat, Crucem esse in altari. Tertiò, voluit Deus, quasi arrepta occasione cunctationis eius Sacerdotis, illum paganum Regem, & eius aulicos ad Fidem conuertere, huiusque veritatem manifestare, & indè id miraculum effecit; nec enim, quamvis

quamvis peccatum mortale esset celebrare absque Cruce, & in aliis pluribus euentibus Crux deesset, indéque non foret celebrandum, non propterea similia miracula certò contingerent. Ex quibus omnibus infertur, non probari ex eo miraculo, esse peccatum mortale celebrare absque Cruce.

## *De sepultura Ecclesiastica, baptismo, & absolutione moribundi.*

1 IVdæus quidam lethaliter percussus, cum iam esset proximus animæ exhalandæ, in hæc verba prorupit: *Domine Iesu Christe fauc mihi. Virgo Maria ora pro me.* Inquires, an hic, qui post breue tempus exspirauit, quin potuerit alia verba loqui, nec signa præbere, quin nec intelligere, quæ ei suggerebantur, baptizari eo breui tempore ab adstante Sacerdote Catholico potuerit, & debuerit, necnon posteà absolui, & postmodum donari Ecclesiastica sepultura?

2 Res vndique est valdè dubia, & incerta. Sanè videtur, ea verba prolata à Iudæo significare eius conuersionem ad veram Fidem, cuius notitiam satis indicabant; ac præterea fuisse moralem quandam petitionem baptismi: quare sub conditione potuisse, & debuisse baptizari, æquitati, pietati, ac rationi est conformius. Si enim ille ostendens notitiam mysteriorum Fidei petiisset expresse baptismum, debuisset absolutè ei conferri: cum ergo moraliter, virtualiter, ac implicitè illum petierit, cur negetur ei sub conditione, cum ad id sufficiens sit fundamentum, ne dicatur temerè operari, qui baptismum conferret; & semota temeritate, nulla fieret Sacramento irreuerentia? Siquidem non daretur Sacramentum, si conditio non reperiretur; nempe, *Si his verbis à te prolatis ostendis baptismi desiderium, & petitionem.* Quòd si conditio adesset, sanè rectus esset baptismus.

3 De absolutione adhuc maius potest esse dubium;

nam cùm absolutio sit à peccatis commissis post baptismum, & immediatè post illum foret conferenda in ea temporis breuitate, non videntur esse peccata, à quibus absoluatur; maximè cum non sit absoluendus moribundus, qui nulla signa doloris dedit,(1) nec præsumatur prudenter, ea dedisse: (quam propositionem Societatis Religiosi ex Decreto speciali tenere debent, nec oppositam docere) ille autem Iudæus post baptismum nulla dederit signa doloris.

1. Rasserus *de pœnit. c. 5. §. 34.* cum communioris.

4 Attamen videtur, illum semel baptizatum sub conditione posse etiam sub conditione absolui; quia illa petitio moralis baptismi censetur etiam & eorum omnium, quæ ad eius salutem æternam conducunt; absolutio autem conducit ad augendam gratiam, necnon ad remissionem peccatorum: quæ cùm quolibet instanti possint patrari, potuit ille post baptismum etiã breuissimo tempore patrare, & illicò attritionem habere; & quamvis nullum signum doloris post baptismũ dederit, at prudenter præsumitur, perseueraſſe in inuocando interiùs Christum D. & simul in dolore peccatorum; cum similia fundamenta, seu saltem non fortiora, in aliis moribundis sufficiant ad prudentem præsumptionem; maximè cum in tanto momento, in quo salus æterna animæ peragitur, quantum fieri possit absque imprudenti temeritate, sit præstandum. Sicque re exposita, fundamentum contrarium videtur sufficienter elui.

5 Cæterùm ille Iudæus sepultura Ecclesiastica non fuit donandus: nam baptismus, & absolutio collata sub conditione, rem incertam, & dubiam relinquunt; & præceptum non sepeliendi Iudæos in loco sacro, ne hic violetur, est certum, & possidet: in dubiis autem melior est conditio possidentis; maximè cum pro foro externo non iudicaretur absolutè ille homo Catholicus; quare pro eo publica suffragia non permitterentur.

6 Occasione doctrinæ traditæ inquires, an Sacerdos, qui statim post celebratam Missam apoplexia fuit correptus, quin vlla signa doloris dederit, possit absolui ex eo, quòd in Missa dixerit: *Confiteor Deo.*

Et

Et item, *Agnus Dei*, &c. *miserere nobis*. Respondeo, ex eo solo titulo non posse absolui, quia ea non dixit in ordine ad Confessionem Sacramentalem. (2)

7 Præterea alterius casus resolutionem propono. (3) Hæreticum Lutheranum, aliàs benè moratum, Sacerdos Catholicus eius amicus in extremis constitutum inuisit. Inter eos id datur colloquium. Nonne in Religione Lutherana permanes, quia eam veram indicas? Vtique. Si falsam putares, nonne illicò eam desereres? Maximè. Nonne ex animo doles, te Deum offendisse ob eius bonitatem, aut propter inferni pœnas æternas? Doleo. Nonne confiteris coram Deo, te peccasse? Confiteor. Nonne vis confiteri homini, qui te possit absoluere? Volo. Nonne mihi confitereris, si scires, me posse, ac debere te absoluere? Ita profectò. Amisit ille tunc loquelam. An ab eo Sacerdote fuit absoluendus? Respondeo, si habuit Sacerdos aliquam rationem dubitandi, inspectis circunstantiis, debuit absoluere illum sub conditione. Si nullam habuit, dum ille moribundus seriò omnia illa responderit, debuit absolutè illum absoluere; nam ea confessio fuit integra formaliter, estò non materialiter, cum nihil defuerit ad confessionem formalem, nempe accusatio de peccatis generica, & dolor sufficiens; ac aliundè satis ostenderit ille homo desertionem Lutheranismi, & videtur materialiter in eo sequendo errasse; siquidem purificatæ sunt illæ conditiones in colloquio appositæ, & eis purificatis, expressit ille seriò deserere velle hæreticos errores, & veram Religionem sectari.

2. Dicastillo *disp. 9. dub. 9. n. 759.* Marchantius. Diana. Layman.

3. Episc. Caramuel *in Theol. fund. fundam. 46. n. 1040.*

## *De Ordine sacro.*

1 ANtonius Diaconus optabat initiari sacro Ordine Presbyteratus Sabbatho sancto. Deerant ei quinque dies ad incipiendum annum vigesimumquintum ætatis, qui annus ad eum ordinem requiritur. Consuluit Ferrariæ, & Mantuæ viros doctos, ex

quibus aliqui enuntiarunt, posse illum Presbyteratu initiari, ob rationem valdè notabilem. Nempe tempore ætatis Antonij quinque anni bissextiles præterierant; & annus bissextilis habet trecentum sexaginta sex dies; annus autem communis constat trecentum sexagintaquinque diebus; vnde respectu annorum communium, in illis quinque annis bissextilibus supersunt quinque dies, qui additi ætati Antonij præstabant illi ætatem viginti quinque annorum, incepti nempe vigesimiquinti anni. Et cum ad Presbytetatum requiratur vigesimusquintus annus inceptus, de annis communibus trecentum sexagintaquinque dierum id esse intelligendum, enuntiabant: & sic enumeratis annis, iam Antonius vigesimumquintum attigerat; estò si Sabbathum sanctum in diem primam Aprilis incidisset, ille natus fuisset die quinta Aprilis.

2 Huic resolutioni assentiri neutiquam possum, quia falsis fundamentis innititur. Primò quia cum requiritur vigesimusquintus annus inceptus, sermo est de annis, sicut ab omnibus numerantur; promiscuè autem recensentur anni bissextiles, & cæteri absque discrimine. Deindè sermo est de annis solaribus, hi autem habent centum sexagintaquinque dies, & sex horas: quæ sex horæ quatuor annis quadruplicatæ efficiunt vnum diem, & dies ille reddit annum bissextilem. Vnde falsum est superfuisse in annis illius Antonij quinque dies; nullus enim superfuit, siue attendas ad annum solarem, siue ad annos, vt communiter recensentur. Nam nihil obstat, quod soleat dici, annum constare trecentum sexagintaquinque diebus; etenim id asseritur, tum ne addatur, *& sex horis*, cùm hæ non efficiant diem integrum, & locutio sit de diebus, non de horis; cum quia plures sunt anni non bissextiles, quàm bissextiles; ideò de pluribus est locutio, dum eos dies assignat.

3 Dices: In Martyrologio anno bissextili, tum die vigesimaquarta Februarij dicitur, sexto Calendas Martij, tum idem repetitur die vigesimaquinta; & quia bis *sexto* enuntiatur, scilicet vtroque die, vocatur

catur ille annus biſſextus, aut biſſextilis; vnde cernitur, ab Eccleſia vtrumque diem pro vno enumerari, quaſi ſtatuendo, annum non conſtare niſi trecentum ſexagintaquinque diebus.

4 Reſpondeo, ex hoc non conuinci, quòd ille dies ſuperſit, ſed quod, ne varietur ordo Martyrologij, in quo non ſunt appoſiti Sancti, qui legantur eo die confecto ex horis quatuor annorum, vterque dies ſub vnius nomenclatura præfigatur. At ſi ipſamet Eccleſia ex duplici die vnum quaſi conſtituit, erit iam annus ille Eccleſiaſticus conſtans ex trecentum ſexagintaquinque diebus, quorum vnus dies ex duobus confletur. Quare ſiue inſpicias annos Eccleſiaſticos, ſiue ſolares, ſiue vt communiter recenſentur, ſemper illos dies annorum biſſextilium comprehenſos in ipſis currentibus annis reperies.

4 Et quamvis aliqui (1) velint, eum qui vouit vno anno quotidie recitare aliquas orationes v.g. ſi ille annus ſit biſſextilis, non teneri niſi pro trecentum ſexagintaquinque diebus, eſtò id eſſet verum, tamen non poteſt noſtro caſui applicari, quia à diuerſis non valet illatio; (2) nam quando loquimur de vno tantum anno, ſolemus intelligere trecentum ſexagintaquinque dies; at quando de multis, & continuis ſimul ſumptis, loquimur de illis annis, provt occurrunt in illa ſimultate, complexo, & continuatione; in his autem nihil cogitatur de diebus annorum biſſextilium, quaſi excludendis, ſeu ſeparandis. (3) Itaque anni continuati, vt ciuiliter, & politicè recenſentur, dies biſſextilium includunt. Quin etſi de vno ſermo ſit, idem iudico, quamvis ille annus ſit biſſextilis. Sic qui ſe obſtrinxit ad ſoluendum debitum poſt vnum annum, etiamſi ille ſit biſſextilis, nequit cogi poſt trecentum ſexagintaquinque dies, expectandusque eſt dies vlterior tranſactus. Et quamvis id ſit ei fauorabile, & ei, qui vouit Orationes vno anno recitandas, ſit odioſum, non cerno fundamentum, ob quod ſit reſtrictio facienda. Tunc autem odia

1. Sylueſt. *verb. Ætas.* Panormitan.

2. *Leg. Papinianus. ff. de minorib.*

3. Dicaſtillo *tom. 1. de Sacram. tr. 6. d. 3. n. 328.* Bonacina. Marchinus. Molfeſius. Rodriguez. Leander. Diana. Tiberius. Maiolus. Oddo. Th. Sanchez.

ſunt reſtringenda, cum acceptio communis verborum non obſtat. Acceptio autem communis anni eſt, veluti tunc occurrerit, ſiue dierum trecentum ſexagintaquinque, ſiue vnius vlterioris, ſi annus ſit biſſextilis. Et hæc ſint de hac epitome, & appendice ſatis. Quæ Sanctæ Matris Eccleſiæ iudicio omninò generatim, & ſigillatim ſubiicio.

*FINIS.*

Amice Lector, ſi offenderis in aliquam propoſitionem diſſonam, lege hæc errata.

## *Errata notabiliora.*

PAg. 24. lin. vltim. *plura*, dic *plures*. pag. 25. lin. penult. *pro*, dele. p. 37. lin. 8. *domui*, dic *domi*. pag. 64. lin. 29. *Regis*, dic *Regibus*. pag. 66. lin. 21. *conflictatur*, dic *confitetur*. pag. 68. lin. 18. *Tuſci*, dic *Fuſci*. p. 74. lin. 11. *non*, dele. pag. 75. lin. 12. *exiſtat*, dic *exigat*. pag. 129. lin. 23. *ſenſim*, dic *ſeorſim*. pag. 154. lin. 2. *diſpenſari*, dic *compenſari*. pag. 161. lin. 38. *de iure*, adde *diuino*. pag. 172. lin. 31. *ſuperiori*, dic *infrà ſtatuendæ*. p. 195. lin. 34. *leonem*, dic *lenonem*. pag. 247. lin. 30. *confertur*, dic *aufertur*. pag. 275. lin. 35. *mobilibus*, dic *immobilibus*. pag. 286. lin. 1. *maximus*, adde *gladius*. pag. 357. lin. 37. *larido*, dic *lardo*. pag. 388. lin. 18. *interdicto*, dic *interdico*. pag. 403. lin. ante penult. *&*, dic *vt*. pag. 549. lin. 19. *&*, dele. pag. 572. lin. 26. *priuilegij*, adde *falſa*. pag. 576. lin. penult. *quarum*, dic *quorum*. pag. 625. lin. 11. *contra venenum*, dele. ibi lin. 38. *creditori*, dic *creditor*. pag. 628. lin. 21. *viuente*, dic *vidente*. pag. 629. lin. 2. *ſic*, dic *ſit*. pag. 634. lin. 7. *illam*, dic *illum*. pag. 641. lin. ante penult. *ſicandidè*, dic *candidè*. pag. 647. lin. 33. *pœnitentiam*, adde *non*. pag. 687. lin. 13. *aditu*, dic *auditu*. pag. 713. lin. 2. *ea niſi*, dic *etiamſi*. ibi lin. 13. *ne*, dele. pag. 725. lin. 6. *viribus*, dic *virilibus*.

## *Errata minùs notabilia.*

PAg. 25. lin. 18. *patrocinum*, dic *patrocinium*. pag. 26. lin. 26. *caſibas*, dic *caſibus*. pag. 30. lin. vlt. *tractatu*, dic *tractu*. pag. 36. lin. 31. *idem*, dic *id*. pag. 48. lin. 35. *quis*, dic *quis*. pag. 83. lin. 28. *Barem*, dic *Patrem*. p. 125. lin. 33. *vale*, dic *valet*. pag. 126. lin. 34. *contrau*, dic *contractu*. pag. 138. lin. 13. *&*, dic *ex*. pag. 146. lin. 15. *applicetur*, dic *applicentur*. pag. 175. lin. 28. *poſſeſſionem*, dic *poſſeſſioni*. pag. 176. lin. 31. *illegitimatis*, dic *illegitimitatis*. pag. 193. lin. ante penult. *pœnæ*, dic *pœna*. pag. 199. lin. 6. *repetia*, dic *repetita*. pag. 217. lin. 30. *depoſitas*, dic *depoſitas*. pag. 249. lin. 11. *vſura*, dic *vſuræ*. pag. 273. lin. 12. *Nrdinis*, dic *Ordinis*. pag. 288 lin. 24. *Quia*, dic *Qui*. p. 294. lin. 27. *tridie*, dic *pridie*. pag. 311. lin. 25. *litterandi*, dic *litterali*. p. 314. lin. 20. *illegitimatus*, dic *illegitimus*. p. 319. lin. 10. *in*, dele. pag. 360. lin. 27. *adeò*, dic *ideò*. pag. 420. lin. 21. *præſentaret*, dic *præſentare*. pag. 427. lin. 4. *legatam*, dic *legatum*. pag. 479. lin. 17. *probabilis*, dic *probabili*. p. 489. l. 35. *aceſſere*, dic *aceſſere*. p. 490. lin. penult. *ſic*, dic *ſi*. p. 499. lin. 32. *ærotantem*, dic *ægrotantem*. pag. 517. lin. ante penult. *pecunia*, dic *pecuniam*. p. 531. lin. 8. *Domicis*, dic *Dominicis*. p. 538. lin. 26. *acuſa*, dic *cauſa*. p. 630. lin. 8. *principalio*, dic *principalis*. p. 638. lin. 6. *Conſultator*, dic *Conſultor*. p. 640. in margine *Caietatus*, dic *Caietanus*. p. 675. lin. 12. *promiſſo*, dic *promiſſio*. ibi lin. 15. *ponſi*, dic *ſponſi*. p. 676. lin. 10. *fœminea*, dic *fœmina*. p. 680. lin. 22. *deformita*, dic *deformitas*. p. 685. lin. 25. *occultas*, dic *occultans*. p. 687. lin. 35. *bonæ*, dic *bona*. ibi lin. 15. *iudico*, dic *iudicio*. ibi lin. 35. *compreſa*, dic *comperta*. p. 718. lin. 2. *ſingulis*, dic *ſinguli*. p. 720. lin. 3. *Præceptorum*, dic *Præceptorem*. p. 726. lin. 2. *iterrum*, dic *iterùm*. p. 753. lin. 4. Sancto, *adde* Feriis ſextis. ibi lin. 12. *contingit*, dic *contigit*.

Ef 1.11
Caj 1


308